Polem. 2371 m.
4°

<36609342290015

<36609342290015

Bayer. Staatsbibliothek

Miscell.

Opp. coll. Auct. Lat.

PETRI POIRETI
POSTHUMA.

Hilarius Libr. VII. de Trinit.

Magna vis eſt Veritatis, quæ cum per ſe intelligi non poſſit, per ea tamen ipſa quæ ei adverſantur elucet, ut in natura ſua immobilis manens, firmitate naturæ ſuæ quotidie dum attentatur acquirat.

PETRI POIRETI
POSTHUMA.

I. SOCINIANISMUS REPRESSUS,

ſive

EPISTOLA DE VERA DEITATE ET ÆTERNA GENERATIONE JESU CHRISTI,

ad Eruditum Unitarium:

CUM NUBE TESTIUM ſeu PRIMORUM MARTYRUM TESTIMONIIS.

II. DEFENSIO METHODI INVENIENDI VERUM,

Contra

CL. D. THOMASIUM ICtum.

III. VINDICIÆ VERITATIS ET INNOCENTIÆ,

Perpetuis accuſationibus & criminationibus

D. J. W. JÆGERI ACAD. TUBING. CANCELL. CONTROV. P. &c.

Præcipue vero Ejusdem

EXAMINI, quod vocat THEOLOGIÆ NOVÆ oppoſitæ.

Præmittitur

De VITA & SCRIPTIS AUCTORIS COMMENTARIOLUM.

CUM PRAEFATIONE GENERALI,

In qua D. J. LANGII *Theol. Prof. Hall.*

DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM

Momenta, *in* Præfatione *ut jacent* Iſagogica, ſtrictim ponderantur.

AMSTELÆDAMI,

Ex Officina WETSTENIANA CIↃ IↃCCXXI.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

PRÆFATIO GENERALIS.

SUMMARIA.

1. PEtri Poireti Posthuma *quo spectent. Inter ea est* I. Epistola de vera Deitate Jesu Christi.
2. *Hujus occasio & scopus.*
3. *Ejusdem contenta. Accessio* Testimoniorum SS. Martyrum de æterna J. C. Deitate.
4. II. Defensio Methodi inveniendi Verum contra Cl. Thomasium. *Quid in ea tractetur.*
5. III. Vindiciæ innocentiæ & veritatis contra D. Jægerum.
6. *Cur tardius eas scripserit, deque Jægerianarum oppositionum indole.*
7. *Illarum partitio, argumenta, Accessiones.*
8. *De ceteris Poireti Adversariis.*
9. *De Oppositionibus D. Joach. Langii.*
10. *Causæ unde profluxerint, harumque effectus.*
11. *Ad Præfationem* Dissertationum Antipoiretianarum *Observationes. Adulatio in Jægerum doctrinas Pseudorthodoxas aperte foventem.*
12. *Hujus demonstrationes laudatæ quales. Præjudicium causæ Langianæ.*
13. *Methodi bonitatem & sanctimoniæ studium serium non posse esse præsidium erroris periculosi.*
14. *Quale Poiretus urgeat sanctimoniæ studium.*
15. *An id dici queat non genuinum.*
16. *Fructus similium censurarum apud juvenes.*
17. *De* Primo *in Oeconomia divina Poireti* scopulo *prætenso*, Origine animæ ex Deo.
18. *De* Enthusiasmo *inde derivando.*
19. *Ut &* Naturalismo.
20. *De* Secundo Scopulo *prætenso in doctrina* Justificationis. *Ubi Poiretus dicitur negare*
21. (1.) In Justitia Dei indolem ultricem: *quæ mera est λογομαχία. Utrum Deus puniat positive.*
22. (2.) In peccato Protoplastarum reatum posteris imputabilem. *Imputata duo falsissima. Adversarii cœcitas & ignoratio elenchi.*
23. *Imputationem peccati mediatam à P. non negari liquido ostenditur. Mira zeli sectarii impotentia.*
24. *Ejusdem durities incredibilis.*
25. *Calumnia denique de Socinianismo.*
26. (3.) In Sacrificiis efficaciam typice ἱλαςικὴν, & (4.) in doctrina de Christo, satisfactionem ejus ἱλαςικὴν. *Utrumque falso contra expressa verba imputari.*
27. (5.) In Fide, ejus officium organicum apprehendendi meritum & justitiam Christi. Contrarium à Poireto clarissime doceri.

28. *De partitione Fidei in Notitiam, Assensum & Fiduciam; item in Notitiam, Desiderium & acquiescentem Fiduciam.*
29. *Perperam concludi Poiretum doctrinam de Justificatione miris modis depravasse.*
30. *Socinianismi impacti summa iniquitas.*
31. *Doctrinæ & Scriptorum Poireti character proprius.*
32. *Quam iniquè dicatur* Doctrinam Euangelicam *habere* pro impietatis patrocinio.
33. *De* Tertio Scopulo *qui sit* in principiis & seminibus *Papismi. Hunc alibi jam esse repulsum.*
34. *De indole Theologiæ Sectariæ & de vera divina Fide.*
35. *De instituto D. Langii, causis ei obtensis & colore quæsito.*
36. *Protestatio factis contraria.*
37. *De* duobus præcipitiis *in principiis Poireti ab ipsomet proditis. sc.* (1) rationis cultura inconsulta.
38. (2) Vitio credulitatis.
39. *De Antonia Burignonia, & erroribus ei tributis.*
40. *De allegationibus Scripturæ. Unde judicandum sit de Opere Oecon. divinæ. Conclusio verbis D. Langii.*

I. HAbes hic, candide Lector, Monumenta POSTHUMA Viri multis nominibus de Philosophia pariter ac Theologia bene meriti PETRI POIRETI, eodem spectantia quo omnia scripta sua potissimum spectare voluit, ut scilicet Lectorum animos ad solida & æterna, ad Dei puta Optimi Maximi salutarem cognitionem, amorem & venerationem, nec non ad charitatem ac pacem cum proximo colendam formaret adduceretque, & salutifero quæ huic scopo obtinendo obstacula ponere apta nata videntur, ab iis ut removeret.

Primum quod inter ea occurrit est *Epistola de Vera Deitate & æterna Generatione Domini nostri Jesu Christi*, qua breviter SOCINIANISMI fundamenta subvertit ea Methodo ac via, ex qua fere sola salutarem in hisce fructum exspectare possis apud eos qui inter hujus Sectæ asseclas bonæ saltem sunt voluntatis, modo præjudicia sua tantisper seponere aut suspendere velint. Ne tamen quis plura quàm æquum est

hinc

hinc ſibi promittat, non abs re erit narrationem facti quod Epiſtolæ huic ſcribendæ occaſionem præbuit, & Auctoris ſcopum obiter hic indicare.

2. Literas dederat ad Amicum Auctori noſtro multis ex cauſis charum, non Theologum quidem, & multo minus hominem diſputatorem, ſed, quod omne fert punctum, ſolidæ ſecundum Chriſtum pietati ex animo vitaque addictum, quidam ei ex itineribus in loca peregrina notus Unitarius, moderatus ſane atque humanus; in quibus literis nonnulla intererant, quibus eum, licet extra viam & ſpem ſalutis non eſſe agnoſceret, conabatur tamen, quo tutius, opinione ſua, in ſalutis negotio procederet, à fide in Jeſu Chriſti Domini noſtri Deitatem veram dimovere, atque ad ſuam Unitariorum ſententiam adducere, prolato, è Rationis penu potiſſimum, uno atque altero argumento ex eorum numero qui ipſis in uſu ſunt. Iſtas Literas cùm Poireto oſtenderet Amicus, ille pro ſua in agendo cum familiaribus libertate, ea illico paucis proferebat quæ ſibi ad veritatis ſolidæ declarationem, nec non ad prævertendam ea in re omnem in poſterum contradicendi rationem ſufficere videbantur; addens in promtu eſſe eadem, ſi placeret, ipſi in chartulam paucis conjicere, ſi pote ad horum nonnulla vellet in reſponſione ſua reſpectum habere. Cumque annueret *ille* cogitatum unum atque alterum, qualia pius & ſimplex animus, methodicæ artis ac diſputationis neſcius aut incurius, concipere poſſit, calamo annotavit, & quidem Gallico idiomate, quo melius liberiuſque ea per interpretationem ſua faceret, iiſque ſi ita vellet pro reſponſo proprio uteretur Amicus. Atqui is præter mentem Poireti Schediaſma illius

lius, quale erat, ad Eruditum illum Virum ſic miſit ut eum ejus auctorem eſſe ſimul ſignificaret: quo factum eſt ut Doctus ille Vir ſe à Poireto interpellatum ratus, literas ad ipſum dederit, quibus ad ea quæ in dicto ſchediolo continebantur ſuo modo conatus eſt reſpondere.

3. Ad haſce vero Literas cum ſibi reſcribendum eſſe crederet Poiretus, hanc quæ nunc primo loco hic publice comparet, ad eum miſit Epiſtolam; qua poſtquam paucis monuit via cordis & fidei, ſive cordis credentis, non vero Rationis ratiocinantis in hiſce incipiendum eſſe & progrediendum, Dei ipſius concepta verbis Scripturæ teſtimonia de Filio ſuo, in Schediaſmate priori memorata, eidem in mentem revocat; tum vero oſtendit ineptum plane contra hæc eſſe refugium ad Rationem humanam ejusque regulam de non admittendis contradictoriis, quippe quæ in objecto non plane cognito omnino fallat, & vel maxime circa Divinitatem creatæ menti incomprehenſibilem: Quibus præmiſſis ad Objectionem Viri Docti; Eſſe à ſe & produci contradictoria eſſe, reſpondet, locaque quædam præcipua Scripturæ Sacræ contra ejuſdem exceptiones vindicat; tum fabulæ, quæ de λόγῳ ſcripſêre Patres ea ex Platone deſumta eſſe, falſitatem, novitatem, refutationem item ab aliis dudum factam, ut & abſurditatem obſervat, adjecto charactere libri Gallici, *le Platoniſme devoilé*, eandem fabulam ſexcenties recoquentis: denique concludit, cognitionem perſuaſionemque mere rationalem de SS. Trinitate non ſalvare, ſed ſolam vivam, realem & divinam cognitionem Patris & Filii & Spiritûs S. ad ſalutem prodeſſe, indicata ex Scripturis via quæ ad hanc

hanc ducit, quamque ſancti omnes ingreſſi ſunt, quæ ſola diſſidia omnia tollat. [Additur mantiſſæ loco, ad illuſtrandum etiam aliunde veram Jeſu Chriſti Deitatem, obſervatio de immenſitate amoris imo & humilitatis in Deo, cujus exemplo nihil poſſit eſſe efficacius ad virtutes illas, quæ ceterarum omnium & fundamentum ſunt & complementum, in hominum animis ingenerandas. Epiſtolæ huic deinceps, cum amicis hortantibus de ea publicanda cogitaret, ſubnexuit *Nubem Teſtium, ſeu SS. Martyrum antiquorum de æterna Jeſu Chriſti Deitate Teſtimonia*, quandoquidem ad hoſce, tanquam cauſæ totius judices idoneos, noviſſimus inter Unitarios Scriptor Libri *le Platoniſme dévoilé*, provocaverat; quem vero hinc vel proprio ſuo judicio cauſâ cecidiſſe, ex Teſtimoniis evidentiſſimis plus quinquaginta hic collectis pateſcit.

4. Alterum quod Epiſtolam hanc conſequitur Scriptum, eſt *Defenſio Methodi inveniendi Verum contra Clariſſimum Dominum Thomaſium JCtum*; qui poſtquam Libros de Eruditione ſua opera in Germania recuſos præmiſſa Diſſertatione non parum commendaverat, eoſdem in altera Editione Germanica alia Diſſertatione contraria publice improbavit. Defenſionem hanc aliquot licet annis antè conſcriptam, Epiſtolæ demum præcedenti ſubjungendam, in lucem emittere decreverat Auctor, quod Scripta mere eriſtica non aliter niſi aliis per ſe utilibus ſubnexa acceſſionis inſtar proferre amaret. In ea poſt præmiſſa 1. generaliora nonnulla de Eruditione vera recte vel ſecus quærenda, ubi de duplici *Methodo*, *Emendationis & Curioſitatis* paucis diſputat, valoremque *Libri* recentioris *de Libertate cogitandi* ex occaſione examinat; 2. oſtendit Rationis

insolentiam ejusque intempestivas operationes moderare, quod Methodus inveniendi Verum suaserat, non esse idem ac Rationem ipsam ejusdemque usum abjicere, veluti Cl. Thomasius objecerat: 3. Methodi regulas sex contra oppositiones Dni Thomasii sigillatim vindicat. 4. De *Enthusiasmi* vel *fanatismi* periculis perperam objectatis agit, ejusdemque cautionem plane non omissam sed consulto traditam esse contra Cl. Thomasii imputata probat. 5. De Cl. Thomasii mutato judicio circa libros Auctoris Scriptoresque Mysticos dispicit, deque *J. Lockio* ab eodem Thomasio maxime commendato, cujus principia periculosa præcipua per compendium indicantur. Quæ vero quinque totidem Commentationis hujus Sectiones constituunt.

Et hæc quidem duo priora Scripta ultimam Auctoris manum experta, in publicum prodeunt, qualia illa lemmatibus adjectis cum Lectore erudito, veritatisque ac virtutis solidæ studioso communicanda voluerat.

5. Tertium & ultimum quod horum Posthumorum partem longe maximam constituit, inscriptionemque præfert; *Vindiciæ Veritatis & Innocentiæ perpetuis duodecim amplius annorum accusationibus & criminationibus D. Joh. Wolfgangi Jægeri, præcipue vero Ejusdem Examini, quod vocat, Theologiæ Novæ oppositæ*; quamvis itidem hic proferatur, & merito quidem uti ab Auctore relictum fuit, non tamen ita numeris omnibus ab illo absolutum videtur quale illud in lucem edendum decreverat: quippe qui in indiculo Capitum manuscripto Capitibus undecim quæ quartum Librum Vindiciarum absolvunt, adjecerat alte-

terius Capitis duodecimi Lemma hoc: *De oppositionibus Neumanni Förtschii, Joach. Langii &c.* (cujus vero Capitis tractatio in opere ipso desideratur;) quique procul dubio ante publicationem totum revisurus & recogniturus fuisset, adjectis etiam lemmatibus paragraphorum omnium, quæ nunc Editorum cura supplevit, quibus etiam debentur ex notis margini adscriptis pauculæ illæ quæ uncinulis inclusæ comparent.

6. Composuit Vir Venerandus Vindicias hasce non diu ante beatum discessum suum & maximam quidem partem hyeme proxime præcedenti, tardius ad eas aggressus ob rationes in Præfatione ab ipso commemoratas, inter quas non est infima quod Adversarii hujus objectata attentis ac probis Librorum suorum lectoribus vix remoram injicere posse animadverteret, cum ex iis in aprico esse queat, ea vel nulla esse vel falsata & in malignam partem detorta, vel etiam contra sententiam suam clarissime expositam sibi gratis affictа: Adeo scilicet studium, an prurigo, obices ponendi doctrinæ Auctoris apud suos invalescenti, (hanc enim scriptionis suæ causam inter alias fuisse Jægerus ipse non dissimulat,) animum ejus in transversum egerat. Ut nihil dicam de confusione palpabili quæ uti in hoc ita in scriptis illius omnibus manifesto emicat, fecitque ut in uno eodemque Opere, Theologiæ Dogmatico-Polemicæ *Libr.* I. Parte II. Controversiam integram quæ est *de spiritu servitutis in Veteri Testamento* plus viginti paginis constantem, in Tractatione de Testamentis à pag. 543. ad 565. exhibitam, in sequenti pericope de septem Periodis Fœderis gratiæ totidem verbis à pag. 642 ad 668 reponat; ut mirum non sit totum fere Examen Theologiæ, quam vocat, Novæ,

maxima ex parte ab eo recoctum apponi in eodem Systemate; tum & partim in farragine *Historiæ* suæ *Ecclesiasticæ* & *Politicæ* quæ tot novarum sectarum ex parte hucusque inauditarum expositionem in fronte promittit, licet quasdam ex iis, etsi nostro præ multis invisas, in opere ipso ne verbo quidem attigerit. Mirabitur vero sine dubio, imo stupebit Lector Viri hujus summam animi impotentiam injuriarumque & conviciorum plaustra passim allata, quin & ipsissima Antinomismi principia publice ab eo stabilita, ut scilicet Oppositionibus suis inanissimis pondus aliquod adderet: quæ omnia non potuit non ad oculum ostendere Vindiciarum Auctor, tum ut Veritatem solidam & divinam, cui soli Scripta sua consecravit omnia, vindicaret, tum ut ipsi Adversario si quidem non plane occalluerat, enormitate affectuum quibus sese abripi passus est, utcunque in lucem protracta, occasionem daret ad mentem meliorem, Christiano homine, nedum Theologo Veterano digniorem redeundi. Enimvero cum ille jam Deo ita volente, dum Posthuma hæc sub prælo sudarent eorumque pars non minima typis jam exscripta esset, mense scilicet Aprili anni superioris ad plures discesserit, non est equidem ut salutaris ille fructus, quem ipsi ex animo optasset Auctor, quemque ab immensa Numinis Bonitate aliunde ipsi obtigisse vovemus, hinc ad ipsum nunc redundare possit; quod ipsum si prævideri potuisset, verisimile est Auctorem nonnulla forte aliter tractaturum fuisse; quæ tamen non immerito spes est neutiquam apud alios fore infructuosa.

7. Cæterum Opus ipsum in quatuor Libros dispescitur. Primus post excussas rationes quas Jægerus scrip-

ſcriptioni ſuæ prætexit, in eo eſt ut Obices ab eodem oppoſitos generaliores removeat. Secundus ad Obices ſpecialiores tranſiens, nonnullos ex iis qui media ſalutaria externa reſpiciunt, enumerat atque retundit. Tertius in repellendis Obicibus ſpecialioribus circa media ſalutis interna oppoſitis occupatur. Quartus denique Obices ſpecialiores circa problematica nonnulla, de quibus ſalva ſalute aliter atque aliter ſtatui poteſt, examinat & disjicit. In ſingulis obſervare poterit Lector varia non parvi momenti argumenta, tum Philoſophica tum maxime Theologica, ſolide ab Auctore & accurate exponi imo & nova ſubinde luce illuſtrari, ſimulque principia Antinomiſmi pernicioſiſſima quæ nimis aperte ſua fecerat Jægerus, paſſim funditus everti. Sub finem quinque ſequuntur *Acceſſiones* quarum Præfatio mentionem fecerat; I. *Epiſtola* Dni Jægeri *privata* ad Auctorem Vindiciarum. II. Hujus ad Literas præcedentes *Reſponſio*. III. Ad D. Jægeri *Epiſtolam*, Examini Theologiæ, quam vocat, Novæ adjectam *Reſponſoriæ Anonymi*. IV. Reſponſum Auctoris ad Amicum, de *nullitate difficultatum* ab Adverſariis ſuis objectatarum. V. Operis *Oeconomiæ Divinæ* conſpectus ſummam & ſeriem contentorum exhibens. Quibus addita eſt VI. Elenchus *Controverſiarum* quas in *Examine* movit Jægerus; adjectis locis Vindiciarum ubi ad ſingulas reſpondetur.

8. Nullus autem dubito quin Lector cordatus ſi quidem Vindicias haſce attentius pervolvere non gravabitur, apertiſſime agniturus ſit ceterorum qui contra Auctorem veritateſque ſolidiſſimas ab eo traditas non parvo numero, in Germania præſertim, inſurrexerunt, oppoſitiones omnes, aut certe harum fundamen-

ta hic pariter diruta esse & deleta, ita ut iis quæ contra nonnullos, si fata sivissent, speciatim addere instituerat, vix opus esse videatur, & nova aliqua contra eosdem refutatio supervacua haberi possit.

De uno atque altero eorum, Neumanno inquam Wittebergensi, Förtschioque Jenensi in Epistola quæ hic in Vindiciarum Accessione quarta exhibetur verbulum ipse attigit. Sed & de priori, Neumanno inquam, dudum à D. Joach. Langio declarata vidimus quæ causæ ipsius non parum præjudicant, quando (*a*) eum ut veteratorium Sophistam & violatæ orthodoxiæ toties & tantopere reum publice accusavit, exprobrata ei turpi barbarie, imo & nefaria Divini nominis profanatione. Quæ si ita sint, quid quæso sani aut sobrii exspectari possit à talibus vel omnino ab hodierna Lutheri cathedra, de qua idem Langius graviter conqueritur quod (*b*) antiquum obtineat & nescio quæ comminiscatur, insulsissimosque libros cum non exigua sui prostitutione protrudat? Unde non mirum est alium quendam ex eadem cathedra contra Poiretum scilicet disputantem publice totidem verbis sustinuisse: *Falsum est* (*c*) *timorem & amorem Dei esse Religionis partem essentialem, multo minus conceditur quod homines salvos præstet, cum ne verbo quidem uspiam hoc Scriptura doceat?* Quid vero est principia Fidei Christianæ, Scripturæque Sacræ quibus illa innititur, negare si hoc non est? Unde profecto, ut vulgatissimum habet axioma, contra tam aperte negantes principia merito disputandum non est; licet res ipsa aliquando exigere videatur, ut talium hominum quando juventuti docendæ præsunt, præsertim si & alios innocuos allatrare attentent, errores crassi ineptiæque in apricum protrahantur, quo cavere

(*a*) Antibarbari Tom. II. in Appendice p. 647. & 648.

(*b*) ibid. p. 648. & 652.

(*c*) *Chladenius* in Dissertat. priori de Sanctis Poireti non sanctis §. 10. p. 16.

cavere illa possit, ne Doctorum suorum auctoritate præventa pro veritate mendacium hauriat aliisque deinceps propinet.

9. Oppositiones Clariss. D. Joach. Langii Theol. in Academia Hallensi Professoris, quod attinet, videbit Lector in Vindiciis (a) quid Auctor ad Dissertationes ejusdem binas *De ortu animæ humanæ à Deo*, breviter responderit; quæ quidem cordato cuivis satisfactura esse non est quod dubitem. De iis quæ idem D. Langius in Parte III. Libri sui Germanici *Die richtige Mittelstrasse* contra Oeconomiæ Divinæ Capita duo disputavit, nonnulla observaturus erat Poiretus in Capite quo, ut diximus, Vindicias suas concludere intenderat; quæ procul dubio & novissimas ejus accusationes quas ille in *Dissertationum*, ut vocat, *Antipoiretianarum* Dodecade priori nuperrime movit, & in posteriori etiamnum movet, (neque enim eam absolvisse reor,) magnam partem prævertissent aut diluissent etiam, quippe quarum præcipuas in dicto Libro Germanico jam attigerat. Sed cum Summo rerum humanarum Arbitro aliud placuerit, Auctorem è corporis ergastulo in libertatem filiorum Dei evocando, Optimæ ejusdem Providentiæ merito relinquendum erit utrum ei visum fuerit hoc quicquid est laboris per alium aliquando supplere. Neque enim vel Præfationis hujus institutum, vel ipsius fert etiam Operis ratio, quod nonnullis justi jam voluminis mensuram excessisse videbitur, istam nunc camarinam ex professo movere, aut sigillatim ostendere corruptelas quas Dissertationum Auctor, quicquid contra contestetur, in doctrinas & sententias innocentissimas Viri Beati hostiliter infert, ut ex iisdem nescio quot corruptelas

(a) Libr. IV. Cap. 5. §. 11. & seqq.

Doctri-

Doctrinæ Christianæ erroresque gravissimos extundat: Sed & facile animadvertet æquus Lector, ubi Vindicias contra Jægerum attente perlustraverit, istam operam jam in ipsis illis Vindiciis quodammodo præoccupatam esse, cum vel ex iisdem solis accusationum Langianarum omnium nullitas & ex parte etiam falsitas ad oculum liquere possit.

10. Ex quo fonte isthæc primum profluxerint ibidem (a) indicatum fuit, ut scilicet rixatorum inter suos animositates exprobrantium, quod in *Medicina Mentis* Poireto omnia tribueret D. Langius, aliquatenus placaret: quibus deinceps & alia causa accessisse videtur, Zelus, puta, Sectarius, quem in sese nequaquam deferbuisse in Dissertationibus hisce luculenter ostendit, nec ab hæretificum Pseudorthodoxorum artibus sibi temperans saltem ut Sectæ suæ, quam tamen talibus armis non egere contra illum qui nusquam eam læserat, cordatiores ignorare non possunt, pro sua opinione provideret; quæque ab ejusdem decretis in diversum abire videntur, quamvis in doctrinis etiam mere problematicis & accessoriis, in errores fidei essentialissimos convertens: immemor plane eorum quæ de Theologia falsa ejusque speciebus opiniosa, sectaria & adulatoria à Poireto præclare tradita ipse quondam cordate collaudaverat (b): Ex hisce itaque causis est, cur non tantum elogia quæ passim, & eo ipso etiam quem modo indicavimus loco, Poireti mentionem faciens adjecerat, sustulerit; sed & grati animi testificationem, agnoscentis quod res ipsa loquitur, inter ea (c) *quæ præter Dei gratiam in Sapientiæ studio antehac ipsum adjuverant, sibique in conficiendo libro suo* (Medicinæ Mentis) *profuerant, fuisse principia Philosophiæ sum-*

(a) Vindic. L. 4. C. 5. §. 11.

(b) Medic. Mentis Part. V. Cap. 7. §. 15.

(c) Medic. Mentis Præfat. §. 8.

ſummi & meritiſſimi Viri Petri Poireti, in altera libri Editione, (jure ne an injuria alii viderint,) plane deleverit, videaturque etiam, nominatim in Præfatione Diſſertationis primæ Dodecadis poſterioris (*a*), velle delere aut certe elevare ſi poſſet profectum ædificationemque quam alios veritatis & pietatis cultores, interque eos haud paucos quoque non infimi ordinis ac nominis ſuarum partium Theologos, hauſiſſe vel deinceps haurire poſſe diſſimulare non audet. Nam quemadmodum ille de J. Boëmio, Pſeudorthodoxis ſuis, quos vocat, & cum iis ipſi Jægero (*b*) tantopere inviſo, publice teſtatus eſt (*c*) *fuiſſe & eſſe paſſim inter genuinos ſeu orthodoxos Eccleſiæ ſuæ Theologos qui Scripta ejus ſuo merito æſtimare norint, aurum ejus à ſcoriis ſuis recte diſcernentes;* ita ignorare vix poteſt fuiſſe etiam & eſſe inter eosdem qui Scripta Poireti ſummopere colunt, & præter multa ſuorum volumina plurimi faciunt, quamvis in opinionibus nonnullis quæ fidei eſſentiam minime tangunt, ab eodem maneant disjuncti. Horum unus, Vir & doctrina & loco quem inter ſuos habet, & pietate conſpicuus, paucis ante Viri Beati diſceſſum diebus ad eundem ſcribens. „ De „ me, inquit, tibi profiteor, nunquam me tua evol„ vere Scripta quin mens mea à lectione redeat, neſcio „ quomodo, valde contenta, & Deo, ut ita loquar, „ magis plena; ſuntque illa mihi cotis inſtar quæ ani„ mum aliis cogitationibus factum hebetiorem, rurſus „ exacuant. „ Alius Theologiam loco non incelebri docens, „ Veritatem, ait, in aprico uſque adeo po„ ſuiſti ut cæcus ſit oportet ac vecors qui eam allatrare „ auſit. Quod ſi tamen ſunt qui claudere oculos ad „ tantam lucem malint, eos iratis ſuis fatis relinquen-

(*a*) pag. 7. n. 5. & 6.

(*b*) Vid. Vindic. Libr. IV. Cap. 11. §. 9. & ſeqq.

(*c*) *Aufrichtige Nachrichten.* Tom V. Obſ. 4. §. 9.

„ dos censeo. „ Alius denique in summa Ecclesiæ suæ dignitate quam ille testimonio omnium suis meritis egregie ornabat, constitutus fateri non erubuit, se de veritate peccati originalis nusquam majorem lucem adeptum esse ac in Oeconomia Poireti, quam tamen Langius & in hac doctrina, ut mox videbitur, sugillare non dubitavit & quidem tanta cum insultatione, ut alius, stylum forte Langianum imitaturus, non immerito diceret, *mirum esse quantopere sibi in calumnia sua & inani loquacitate placeat:* sed nolumus nos in Auctorem suum reflectere quæ ille in Poiretum ob rectissime in Antinomos iisque propinquos dicta, ab ipso vero in suos traducta (*a*) tam immerito sparsit.

(*a*) Differtat. VI. p. 37, 38.

11. Et profecto vel sola *Præfatio Isagogica*, (ut de ea, pace Lectoris, paucula hic observemus,) quam ille Dissertationum suarum Dodecadi priori præmittere voluit, fidem facere possit quantopere omnia quæ tractare aggreditur vel turbaturus sit vel perversurus.

In ipso statim introitu Jægerum tanquam *venerabilem celeberrimi nominis Theologum* laudat qui *Poireti à Verbi Divini limitibus aberrationes pluribus demonstraverit*, quemque adeo in instituto suo Poiretum scriptis invadendi prælucentem sequendum sibi credidisse videtur. Quis non miretur D. Langium tam amice in hisce conspirare cum Jægero, quem sine dubio si B. Spenerum encomio *Viri non sani in Theologia sed Enthusiastico spiritu afflati* publice ab eo (*b*) ornatum meminisset, in Speneromastigum, quos vocat, retulisset classem: ut taceam in ipsum plane Langium recidere flosculos Jægerianæ censuræ in Poiretum, quasi hic (*c*) *Virum tantùm non Martyrem frivole traduxerit, & de anima in Cœlo triumphante scabiose locutus sit*, eo quod

(*b*) Histor. Ecclef. Polit. Tom. I. Libr. I. Cap. 6. p. 17.

(*c*) Epist. Examini subjecta. p. 11.

quod Lucæ Osiandri (à Langio inter Arndiomastiges merito collocati,) dirum in Arndii libros de Vero Christianismo judicium juxta cum (*a*) Langio, publice exhibere ausus sit. Inprimis vero mirari subit quî Vir ille Doctissimus qui hucusque Pseudorthodoxos, ut vocat, Theologos, (quos inter suos abundare & multa centena millia ad interitum ducere toties (*b*) conqueritur,) tam acriter & animose, & ex ipsius Dei voluntate speciali, ut insinuat (*c*), impugnavit, impetrare à se potuerit ut Tubingensi Cancellario gratificaturus, an adulaturus, ejus Examen, quod vocat, Theologiæ Novæ tanquam librum in quo & Poireti aberrationes *pluribus demonstratæ* sint, &, ut alibi (*d*) inquit, pleraque puncta in quibus Poiretus à veritate Evangelica discedit, beviter & *è fundamento tractentur*, publice commendare sustinuerit; cum tamen in illo libro tot doctrinæ Pseudorthodoxæ & plusquam Pseudorthodoxæ, ipseque adeo Antinomismus purus apertissime doceantur. Quod ne gratis dici videatur, en ipsissima ejus verba:

Væ (*e*) *nobis si justificatio nostra esset ex charitate in Deum!*

Per (*f*) *solam* (gratiosam &) *immediatam Dei præsentiam amorem Dei nobis conferri, fanaticum est.*

Falsum (*g*) *est quod homo pulsanti Deo respondere possit, atque adeo gratiæ cooperari.*

Non opus (*h*) *est Verbo interno ad credendum Deo, nec ulla operatione immediata à Deo proveniente.*

Nihil (*i*) *interest sive ex animo devoto sive ex contentioso prædicetur Euangelium: divina ejus efficacia non suspenditur ex animo prædicantis.*

(*a*) *Aufrichtige Nachrichten.* Tom. VI. Obs. 3. §. 6, 7. p. 57. & seqq.

(*b*) vide infra.

(*c*) ibid. Tom. VII. Ord. I. Sect. 1. §. 35.

(*d*) *Mittelstrasse.* Part. III. Sect. contra Poiret. *Zweyter Satz.* §. 10.

(*e*) Exam. Theol. N. Controv. 2. p. 40.

(*f*) ibid.

(*g*) Controv. 29. p. 365.

(*h*) Controv. 3. p. 48.

(*i*) Controv. 28. p. 355, 356.

(*b*) *Aufrichtige Nachrichten.* Tom. I. Obs. 2. §. 6. p. 10. Observ. 5. §. 6. p. 23. Obs. 10. p. 62. seq. & Tomo VI. Append. Obs. 3. §. 3. 4. 7. p. 127, 129. &c. &c.

(a) Controv. 19. p. 262. *Idea Justitiæ (a) ex parte hominis est; se peccatorem agnoscere, & credere Christum esse Vadem suum: tunc ejus obedientia, mors, omnia sua sunt; in ipso pœnam subiit, in ipso legis justitiam implevit.*

(b) Contr. 29. p. 367. *Spiritus (b) S. non agit seorsim sine Verbo* (externo); *sed inseparabiliter à Verbo agit, in & cum Verbo.*

(c) Controv. 29. p. 362. *Deus (c) nullibi præcepit ut tactus illius operationesque immediatas exspectent homines, neque eas promisit.*

(d) Controv. 33. p. 400, 401. *Lex (d) non tantum ceremonialis, sed & moralis & Decalogi jugum illud est omnibus, ipsisque adeo renatis imo & immediate illuminatis, ut Apostoli fuerunt, insupportabile* quod Apostoli (Actor. 15.) abrogatum voluerunt.

(e) Jæg. Judic. de Lockio &c. Examini suo additum. p. 33. Præceptum salutare (quod est & Spiritus S.,) *semper (e) ad Deum ipsum in fundo animæ esse recurrendum, seductio est animarum.*

(f) Disp. de purgat. anim. in Edit. 2. Examinis. p. 684. *Falsissimum (f) est animas in quibus adhuc impuritates supersunt cum Deo in unionem venire non posse.*

(g) ibid. p. 685. *Datur (g) mystica & arctissima cum tota SS. Trinitate unio in impuritate.*

(h) ibid. p. 700. *Falsum (h) est non dari spem ingrediendi ad vitam nisi per mortem mali, per semitam angustam.*

Quæ omnia, ita crude asserta & crudius sæpe dilatata, (quorum pleraque in suis Pseudorthodoxis, quos vocat, acriter impugnavit ac damnavit D. Langius,) & alia non pauca hisce consimilia suis locis à Poireto in Vindiciis notata, nescio an per interpretamenta quædam in sensum orthodoxum flectere velit aut possit, ne aliis videatur Examen Jægeri nunquam penitius inspexisse; sed ob præsumtam orthodoxiam de eo sine curatiori examine ex sola Præfatione, Summariisque præfixis judicasse, quod aliis librorum Pseudorthodoxorum approbatoribus evenisse (i) putat.

(i) *Aufrichtige Nachrichten.* Tom. VII. Ord. II. Sect. I. Cap. 2. §. 3. p. 8.

12. Cer-

12. Certe ſi rem ipſam tantiſper examinaſſet, non video quomodo pronunciaturus erat, Jægerum in dicto Examine *pluribus demonſtraſſe* Poiretum intra terminos Verbi Divini non ſubſtitiſſe. Mira vero demonſtratio quando verba ejus quem ſibi impugnandum ſumit, ubique fere vel truncat vel detorquet; ſæpius etiam mera falſa nusquam ſcripta, nunquam cogitata gratis eidem affingit; uti in Vindiciis (*a*) apertiſſime demonſtratum eſſe, nemo lectorum qui à craſſo partium ſtudio non plane excæcatus fuerit, non agnoſcet. Unde prædicata illa à D. Langio demonſtratio ſua nullitate tam conſpicua non parum merito apud æquos lectores præjudicabit ſententiæ quam ſecurus pronunciat, Poiretum à Verbi Divini terminis tectius quidem & parcius receſſiſſe in libris de Eruditione, longius autem ac apertius in libris Oeconomiæ; quos vero ſubjungit *ab ipſo Auctore Latine verſos* prodiiſſe, cum tamen contrarium in Præfatione Oeconomiæ (*b*) expreſſe moneatur, & ipſa ſtyli à Poiretiano ſtylo differentia, quæ maniſeſtiſſima eſt, Virum in rebus Scholaſticis exercitatiſſimum latere non debuerit. Leviculum iſthoc eſt, fateor; ſed quid de D. Langii *examine curatiori* exſpectandum ſit cujuslibet eſto judicium, ſi ille ad libros quos excutere aggreditur tam parum attendit; quibus addere liceat, ſi meras conjecturas ſuas Lectori pro veritate obtrudit; veluti quando ſe *non videre*, ait, (*c*) *quomodo hypotheſes Poireti de labore corporeo & externo* (ejusque fructu ſalutari) *conſiſtere poſſint cum ipſa ejus vita externa;* quam vero ille novit juxta cum ignariſſimis.

13. Sed nec minus paradoxa videntur ea quæ ſubjungit D. Langius (*d*) de methodi concinnitate quam

(*a*) Vid. loca in Indice annotata ſub voce Jægerus.

(*b*) §. 46.

(*c*) Diſſert. Prima Dodec. ſecundæ. pag. 32. n. 15.

(*d*) Præf. Iſag. p. 4. 8.

in Oeconomia Poireti laudat, eandem tamen deinceps (a) *confusum doctrinæ Christianæ chaos* dicturus, (quæ quemadmodum cohæreant judicent alii,) deque studii & scopi ad solida & in iis ad communionem cum Deo beatissimam tendentis præstantia, de serio item sanctimoniæ studio, quibus diffiteri non potest Poiretum sese lectoribus commendare; asserens vel hoc nomine majus periculum damnumque veritati Evangelicæ ab eo impendere? cum nemo nesciat methodi bonitate (syntheticæ præsertim (b) quæ res ex primis principiis suis aut seminibus veluti oriundas evolvit, quali fere in Oeconomia sua utitur Poiretus) nihil ad errores prævertendos esse aptius, nihil ad veritatem explanandam fulciendamque efficacius: & ex Sacris Oraculis constet, studium redeundi ad Deum ejusque communionem beatissimam, sanctimoniæ studium operosum & fervens ac contentioris praxeos (Christianismi) amorem serium & laudabilem, qualia in Poireto fuisse negare (c) non audet D. Langius, cum erroribus capitalibus veritati Euangelicæ ac saluti damnosis consistere non posse. Ita enim Os Veritatis fallere nescium: *Si quis (d) voluerit voluntatem facere ejus qui misit me, cognoscet de doctrina mea utrum ex Deo sit an ego ex me ipso loquar.* & alibi; *Si manseritis (e) in sermone meo, vere discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem.* Et profecto quis unquam inter veros Christianæ Religionis ac pietatis alumnos audivit, studium sanctimoniæ fervens quo totum Oeconomiæ volumen enitescere fatetur (f) D. Langius, ita ut mirum non sit si à lectoribus qui ab eo alieni non sunt, etiam invitis assensum impetret, præsidium esse erroris periculosi? studium, inquam, sanctimoniæ præxeosque Christianarum

(a) Differt. X. p. 6.

(b) Vid. Poiretum de Eruditione Libr. II. §. 51.

(c) Præf. Isag. p. 8.

(d) Joann. 7. ℣. 17.

(e) Joann. 8. ℣. 31.

(f) Præf. P. 8.

rum virtutum non ſuperficiarium, aut philoſophicum, aut Pelagianum; ſed tale quale Poiretus alicubi (a) deſcribit quando cœleſtiſſimam Religionis Chriſtianæ ſubſtantiam, nunc eheu à Chriſtianorum noſtrorum non tantum praxi ac vita, verum ſpeculatione etiam & cognitione nimis exulantem, explicaturus, ait:

(a) In Cenſur. Parrhaſii Conſiderat. ſpecial. 17. Tomo II. de Erudit. p. 729. & ſeqq.

14. *Ad vitam hanc æternam in qua ſpiritus juſtorum ſanctificatorum in unum (b) cum Deo & in Deo conſummabuntur ea unione intima qua Filius ipſe Dei in & cum Deo Patre unus eſt, ad hanc, inquam, vitam æternam, unionem ſcilicet cum Deo plenam & penitiſſimam, debemus duci & præparari per* RELIGIONEM Chriſtianam, *qua ea debent tum à nobis tolli quæ unionem illam intimam in & cum Deo impediunt, quæque ſunt remoræ ne Deus* ſit (c) omnia in omnibus *quæ in nobis ſunt; tum vero ea ſubminiſtrari quæ in ipſas nos manus formatoris noſtri tradant ac refundant.*

(b) Vid. Joann. 17.

(c) 1 Cor. 15. ℣. 28.

Atqui nos ſeparaverunt ab unione Dei, eique remoræ ſunt, animi ſuperbia, & quæ ei alendæ inſerviunt propria ſapientia, propriæ ratiocinationes, proprium regimen, effuſio noſtri in objecta quæ non ſunt Deus; porro gloriatio noſtra in ſapientia ac in ſcientia multarum rerum unde videamur Deorum inſtar, ſcientes per induſtriam noſtram mali bonique diſcrimina; cupiditas denique & delectatio naturæ in exteriorum quorumvis copia, inque grata qua illis afficimur jucunditate. Unionem autem divinam promovere apta ſunt horum quidem remotio & odium, deinde converſio cordis & intimorum noſtrorum ſincera & ſimplex ad ſolum Dei placitum, quæ vero conſequitur ipſa Dei operatio ſanans, perficiens atque uniens.

Quorum omnium ut removeret alia, alia ut promoveret potenter ac admirabiliter Omnipotens Deus, potentiſ-

ſi-

ſimum inter omnia medium; id ipſum videlicet per quod fuimus facti, adhibiturus, ſtupendiſſimum & omnium Angelorum æternis adorationibus ſuperius Miraculum, Myſterium pietatis, CHRISTIANÆ RELIGIONIS *vim ac vitam ex immenſa Sapientiæ & Charitatis abyſſo operatus eſt atque patefecit. Scilicet, ipſum* DEI VERBUM, (*a*) per quod omnia facta ſunt, quod eſt ab initio cum Deo, quod eſt DEUS unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris, *omnipotens, immenſus, æternus & æternum benedicendus*, CARO FACTUM *eſt, ac gloriam ſuam æternam nobis abſcondens*, (*b*) exinanivit ſe & humiliavit ſe, *factus homo hominum humillimus, parvulus infantulus fari ac ſeſe regere impotens, commiſſus regimini Sapientiæ Divinæ in virguncula ac fabro vigentis, vixitque in omni ſimplicitate, in abnegatione ſui, in omnis generis privationibus mundanæ ſapientiæ, abundantiæ & voluptatum; in contemtu, in doloribus animæ & corporis; in quibus poſtquam mori voluit & ſepeliri, reſurgens inde virtute Dei, ad glorioſam rediit unionem vitamque æternam cum Patre, & ab eo impretravit miſitque Spiritum Sanctum in cujus virtute & regimine nos ipſi quoque redeamus ad Patrem per illam ipſam omnino viam quam in conſpectu noſtro calcavit & nobis commendavit Filius, dicens*, (*c*) Ego ſum via, veritas & vita: nemo venit *neque redit* ad Patrem niſi per me, *hoc eſt, nemo fit idoneus & dignus qui iterum uniatur cum Deo* (*d*) niſi depoſita omni malitia & omni dolo, *omni ſuperbia, omni propria ſapientia, ac vana ratiocinatione, omnique naturæ corruptæ philautia & cupidine, naſcatur denuo in infantili ſpiritu Chriſti; niſi ſe quiſque reddat ac tradat Spiritui Chriſti, Dei noſtri; ut in nobis ſecundario quodam modo, vivo tamen ac vero incarnetur, ut* (*e*) formetur

(*a*) Joan. 1. ℣. 1, 2, 3, 18.

(*b*) Phil. 2. ℣. 7.

(*c*) Joann. 14. ℣. 6.

(*d*) 1 Petr. 2. ℣. 1, 2.

(*e*) Gal. 4. ℣. 19.

metur in nobis, *ut mentem, facultates & omnia nostra sibi sumat, faciatque & operetur in illis, (in unoquoque pro sua mensura,) omnia quæ in ipsius Christi humanitate fecit & operatus est: ita ut fiamus per eum & in eo* parvuli infantuli quasi modo geniti, *nihil scientes nisi* concupiscere *ac petere continue à Sapientia Dei* lac sincerum illud & λογικὸν, (*vim & robur Dei vivificum in Spiritu & veritate*,) quo ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ, verbum caro factum, *nutriebatur*, ut per id crescamus *in eodem Verbo incarnato, participantes ejus vitam & spiritum exinanitionis humillimæ, simplicitatis, afflictionum, infamiæ, mortis, sepulturæ, resurrectionis, adscensionisque ad cælestia, in quibus porro sit cum eo cor nostrum & conversatio nostra, unde & per eundem Spiritum ejus S. in nobis tunc sine impedimentis dominantem, omniaque bona in nobis plenius operantem, deinceps procedant cognitio, & scientia, & virtus nostra, & regimen, & verba, denique omnia, ad gloriam Patris per Christum in eo Spiritu tendentia, usque dum mortalitatis nostræ reliquias absorbeat ille omnipotens in æternam gloriam. Hæc, hæc est vera illa ac cælestissima* RELIGIO CHRISTIANA, *in Scripturis Sacris atque etiam ab Auctoribus Mysticis tantopere commendata, quâ vero sola in ruborem dari potest misera cordis humani superbia, insana sapientia, stultaque Rationis humanæ confidentia & gloriatio in sua impotenti industria, activitate, operationibus, per quas, horribili Satanæ fallacia, volunt* redire ad Patrem, *ad vitam æternam, ad perfectionem summam, studendo, ratiocinando, philosophando, criticando, coacervando infinitos idearum cumulos ac montes de Deo ac de divinis, de operibus naturæ & gratiæ, de factis ac gestibus hominum, & præterea de infinitis etiam quisquiliis ac lanis caprinis,*

 dum

dum habeant interim cum ſuis ſimilibus bonos mores *philoſophicos atque honeſtos quibus magis magiſque ſua ſuperbia ſuuſque amor proprius re vera nutriuntur & conſervantur: quando tamen è Sacris Scripturis debuiſſent ſcire, & deberent alta mente reponere, hæc ipſiſſima eſſe objectum illud Deo inviſum & idolum illud odioſum quod Chriſtiana Religio exterminandum ſuſcepit, & ob quod, ut nulla caro glorificet ſe, ſed ſola Dei Majeſtas in omnibus & de omnibus glorificetur & laudetur, placuit Deo, ut modo dictum, eam Religionem, ſolamque ad Patrem, ad vitam, ad perfectionem æternam redeundi viam ſtatuere unum* JESUM CHRISTUM *exinanitum ac humiliatum, ſimplicem infantulum propria ratione, propria voluntate, proprio regimine uti neſcium, neque ſe neque propriam gloriam quærentem, contemtum, patientem, morientem, reſurgentem, ac in cæleſtibus viventem ac habitantem, extra cujus Spiritum & ſtatus participatos per fidem, ſive per traditionem facultatum noſtrarum paſſivarum Deo in nobis incarnando, victuro, operaturo, dominaturo, non datur Religio vera, neque acceſſus ad Deum; ſed omnes in errore & via mortis ſunt, atque ad Satanam pertinent & vadunt cum omnibus Rationis ſuæ ſuperbæ ratiocinationibus, philoſophationibus, criticationibus, nugis & ſcientiis falſis, ideis, & argutiis, perſuaſionibus imaginariis de vita altera ſperata, omnibuſque Religionis Philoſophicæ ac Rationalis* bonis moribus *& virtutibus ſuperficiariis, quæ omnia ſine fundo iſto diviniſſimæ Religionis Chriſtianæ, vel ſine contentione vera ac viva ad illum, ejuſque per fidem incepta participatione, ſunt duntaxat re vera frigidæ ſterileſque virtutum imagines ab humanæ Rationis facultate ſuperficiaria callide & induſtrie, ſæpe abſurde, ſed mortuo ſemper modo, in tabula imaginationis depictæ, nullam vero vim omnino*

ha-

habentes quæ faciat nos esse (*a*) imitatores Dei sicut chari ejus filii; (*b*) nos esse in hoc mundo sicut Christus est, ut fiduciam habeamus in die judicii: *nullam vim quæ possit nos supra naturam corruptam evehere, nullam quæ ad vivos actus in tempore tentationis producendos valeat quibus pravorum affectuum impetus deleantur, ac amoris proprii principia tenebrosa, falsa & malitiosa supprimantur.*

(*a*) Ephes. 5. ℣. 1.
(*b*) 1 Joann. 4. ℣. 17.

Hinc quæso judicet Lector quivis ad solida & divina nondum emortuus, an in hisce, quibus omnium quæ Poiretus de sanctissima Religione Christiana scripsit, substantia continetur, & ad quæ sola passim tot libris editis tum suis tum aliorum lectores quoscunque sine Sectarum aut partium discrimine adducere studuit, erroris alicujus exitialis præsidium esse aut veritati ex iis Euangelicæ periculum damnumque imminere queat. Ignoscat Lector citationis prolixitatem: non oportebat disquisitionem hanc in meris sterilibus excutiendis subsistere ex quibus nisi ad solidiora, imo ad scopum & finem omnium, Dei puta unionem recuperandam referantur, parum utilitatis multumque periculi & damni ad lectores possit redundare.

15. Nunc vero conscientiam obtestor ipsius D. Langii, omniumque qui essentialissima Religionis nostræ non plane ignorant, anne hæc divinæ communionis recuperandæ methodus à Poireto tradita, an tale sanctimoniæ studium, contentiorisque praxeos amor ille hic descriptus & opere ipso expressus possint à Deo & Christo improbari aut a beatissima ejus communione animam ista vivide possidentem avertere, ita ut merito dici (*c*) queant *in ordine subsidiorum minus genuina?* Ego profecto cum talia, Christianæ Religionis in-

(*c*) Præf. Isag. p. 48.

intima efficaciſſime evolventia, documenta quibus Poireti Scripta ad unum omnia uberrime abundant, lego, vix temperare mihi poſſum quin in eadem verba erumpam quibus Illuſtris Scaliger, teſte Magno Uſſerio, monumenta Martyrii S. Polycarpi (*a*) veneratus eſt: *Horum lectione, inquiens, piorum animus ita afficitur ut nunquam ſatur inde recedat; quod quidem ita eſſe unuſquiſque pro captu ſuo & conſcientiæ modo ſentire poteſt. Certe ego nihil unquam* [in Syſtematibus Theologicis] *vidi à cujus lectione commotior recedam, ita ut non amplius meus eſſe videar.* Neque deeſſe inter omnes Partes qui idem mecum ſentiant, ſatis compertum habeo. " Certe nunquam, (inquit aliquis ex præſtantiſſimis inter Lutheranos Theologis ad Poiretum de hoc ipſo libro ex quo locum illum ſupra attuli, ſcribens,) hunc tuum librum depono ut non ſentiam in„ tellectum meum plurimum eſſe illuſtratum, volun„ tatem autem totumque animum ſuaviſſime ad rerum „ ſolidarum ſtudium pertrahi, unde jucundiſſime tuis „ doctrinis acquieſcit. " Qui non paucos habet habebitque ὁμοψήφυς, eos ſcilicet qui apes mella ex floribus colligentes imitari malunt quam araneos ex iiſdem haurientes venena. Sed quorſum zelus ſectarius hominibuſque de eſſentialiſſimis Chriſtianæ veritatis ex principio ſectario ſiniſtre judicantibus non diſplicendi ſtudium abripere non poteſt vel meliores, ſiquidem iſtis ſeſe affectibus infici patiantur!

16. Et ſi talia ac eorum Auctores à Doctoribus ſuis non improbari tantum ſed & acriter perſtringi audiat juventus (*b*) per ſe contumax, litigioſa, ambitioſa, præjudiciis turgida & præceps, cum pravi illi affectus per ea foveantur magis quam extinguantur, ut quid

(*a*) in Animadverſ. Euſebianis n. 2183.

(*b*) Vid. Theologi laudatiſſimi Jo. Lud. Fabricii Epiſt. in ejus Vita per Heideggerum p. 76.

quid aliud hinc exſpectari poſſit, quam ut qui inter iſtas contentiones & merarum ſæpe logomachiarum digladiationes educantur, non raro habitum invidiæ, odii, zeli amari, contemtus & inſultationis protervæ in viros pios veritatesque ſolidiſſimas ab iis traditas infeliciter contrahant, atque ita ab illa *quæ de ſurſum eſt ſapientia* (a) quam Apoſtolus dicit eſſe *pudicam, pacificam, modeſtam, ſuaſibilem, bonis conſentientem, plenam miſericordia & fructibus bonis, non judicantem*, longe ſecedant? Exempla non procul quærenda ſunt, cum ipſe D. Langius nobis referat (b) quendam e diſcipulis ſuis ex egregia iſta viros piiſſimos perſtringendi methodo, ejusque abuſu, eousque profeciſſe „ ut in actu „ diſputationis publico Beatum Auctorem *hypocritam* vocaverit: cui vero ipſe ſtatim publice contradixerit, „ addita diſtinctione inter cultum Dei Euangelicum „ ſeu Euangelico ſenſu ſincerum & ἀνυπόκριτον; non qui- „ dem iſtum, hunc tamen ipſi tribuens. „ Verum ad omnes ego ſinceræ pietatis cultores genuinos provoco, utrum in illa quam modo ex Auctore attulimus deſcriptione tum ſcopi tum ſubſtantiæ Religionis Chriſtianæ, cultusque illius cui ſeſe totum addixerat, quicquam invenire poſſint quod non ſit Euangelico ſenſu ſincerum; quamvis forte non omnia cogitata ſcholaſtica & bonam partem problematica Doctorum qui inter has vel illas Chriſtianiſmi Sectas exſtiterunt, explicite referat. Hinc eſt quod inter eos Theologos quibus à reſuſcitato pietatis ſtudio per invidiam à Pſeudorthodoxis Pietiſtarum nomen inditum eſt, tametſi forte in problematicis quibusdam & acceſſoriis cogitatis, quæ Poiretus nunquam aliis recipienda impoſuit, imo in quibus & cuivis à ſe bono animo diſſentire liberrimum

(a) Jac. 3. ℣. 17.

(b) Diſſert. I. Dodec. Poſter. p. 7.

mum reliquit, à Beato Viro in diverſum abeant, nemo tamen quod ſciam præter unum D. Langium repertus fuerit, qui ſe Poiretomaſtygem publice declarare voluerit: quin potius veriſimillimum omnino eſt, de nonnullis quoque compertiſſimum, eos non ſine mœrore aut indignatione etiam tacita impetuoſas illas aggreſſiones in Virum Venerandum ferre: quo, niſi omnia me fallunt, ipſe D. Langius digitum intendere videtur, quando ſe audire ait (a) Poiretiani Syſtematis admiratores, (addere debebat Poiretianæ pietatis æſtimatores,) totum ejus inſtitutum, Poiretum ſcilicet invadendi, ipſi vitio vertere.

(a) Differt. I. Dodecad. Poſter. p. 6.

17. Sed redeamus ad Præfationem ejus Iſagogicam, ubi poſt introitum quem vidimus generalem, ad ſpecialiora deſcendens, *Tres* ait (b) *in Oeconomia Poiretiana eſſe ſcopulos reliquis extantiores*, & *primum* quidem in hypotheſi *de origine animæ humanæ in Adamo aliisque hominibus ex Deo*. Indicavimus ſuprà (c) Poiretum ad Diſputationes duas quarum deinceps (d) mentionem faciet D. Langius, in Vindiciis contra Jægerum reſpondiſſe. Quæ vero mox de ſententia Poireti idem proponit, confuſa ſunt omnia, & ex iis quæ ipſe Poiretus in Vindiciis (e) de hoc ſubjecto expoſuit emendanda vel dilucidanda. Contendit autem doctrinam hanc de *emanatione* (aut origine potius) animæ ex Deo *inter alios fontis inſtar in duos rivulos ſe diffundere, unum Enthuſiaſmi, alterum Naturaliſmi*. Certe quicquid per hæc intelligat D. Langius, nunquam Poiretus tale quicquam ex hoc fonte, ſeu ex veritate de divina animæ natura, derivavit, quamvis alia poriſmata egregia, ad Dei gloriam hominumque ſalutem apprime facientia inde (f) deduxerit.

(b) p. 4. & 5.

(c) §. 9.

(d) Præf. p. 13.

(e) Libr. IV. Cap. 5.

(f) Vid. Oecon. Div. L. I. Cap. 10. §. 22. & ſeqq. Vindic. L. IV. Cap. 5. §. 35. & ſeqq.

18. Cæ-

18. Cæterum Enthusiasmum *positum esse* dicit D. Langius *in falsò credito commercio animæ nostræ cum Deo, ἀμέσως tali.* Vellet ne vero verbis hisce negare, dari commercium immediatum animæ sanctæ cum Deo? Vix credibile est eum eousque à se ipso deficere qui in *Antibarbaro* suo loca varia piissimorum inter Lutheranos Theologorum affert v. g. (*a*) Arndii, Gerhardi, Lutkemanni, Henr. Mulleri, qui de interiore revelatione Dei in corde, de beatifica communione seu communicatione interiori quæ sit ipsa vera cognitio, de Christo in templo cordis docente, de Spiritûs S. tactu vivo in corde quo discamus vere quid sit Deus &c.; quique visitationis divini Spiritus extraordinariæ exemplum insigne in nobili quodam ad Enthusiasmum referre nolit (*b*); sed & contra Novellos Prophetas scribens, dari & hodie revelationes Dei extraordinarias donaque Prophetica concedit, eaque futuris temporibus adhuc exspectet frequentiora: quæ vero omnia quid aliud sunt quam species & exempla commercii animarum immediati cum Deo? Sed satis prodit se nec in hisce doctrinis vel sibi constare vel quicquam solide intelligere, licet alicubi dicat (*c*) *se improbare Orthodoxiam eam quæ non simul sit Mystica, seu ita comparata ut lectorem via practica ad interiora regni Dei deducat.* Quæ vero sint illa regni Dei interiora vel ex solo Kempisio, bonis omnibus tantopere probato, ignorari non potest, dicente (*d*): „ Disce exteriora contemnere & ad interiora te dare, & videbis „ regnum Dei in te venire. - - Veniet ad te Christus „ ostendens tibi consolationem suam. - - Frequens illi „ visitatio cum homine interno, dulcis sermocinatio, „ grata consolatio, multa pax, familiaritas stupenda

„ ni-

(*a*) Tom. I. p. 64. 70. 73. 76.

(*b*) *Aufrichtige Nachrichten.* Tom. IV. Observ. I. §. 6.

(*c*) Differt. I. Dodecadis poster. p. 7. n. 4.

(*d*) De Imit. Christi Libr. II. §. 1.

„ nimis. „ Quis autem nisi profanus aut certe in Mysticis & interioribus plane hospes, isthæc exoptatissima cordis cum Deo commercia immediata imputaverit in *Enthusiasmum?* Næ si voluisset D. Langius, uti olim, a Poireti Scriptis *adjuvari*, potuisset in iis videre hoc subjectum de commercio animæ cum Deo, ceteraque argumenta cognata, ab origine ipsa & è fundamentis perspicue exposita & contra exceptiones quasvis solide vindicata, cautelis etiam ad declinanda Enthusiasmi mali pericula necessariis & idoneis sollicitè permunita. Consulat qui in hisce lucem desiderat præter loca (*a*) in margine adscripta, in hoc Volumine Posthumorum Defensionis Methodi inveniendi Verum Sectionem IV. & imprimis Vindiciarum Libr. I. Caput quartum, uti & in ejus Accessione Tertiâ. §. 9. & seqq.

19. *Naturalismum*, quem dicit, in eo ponere videtur, quod Poiretus cum antiquis Ecclesiæ Patribus, multisque viris piis ipsoque etiam Luthero de Gentilium quorundam, qui si literæ, vitæ utique & spiritus Evangelii *expertes* non fuerunt, virtutibus vere Christianis & salute quoque bene speret & sentiat. Quam sententiam suam in *Oeconomia Divina* (*b*) luculenter expositam, infra in *Vindiciis* (*c*) contra Jægerum resumsit & ab exceptionibus adversantium vindicavit, quò Lectorem merito remittimus. Videbit ibidem ea quæ pro divinis & supernaturalibus in Gentilibus hisce agnoscit Poiretus, nequaquam esse *luminis & virtutis naturalis*, ut insinuat D. Langius, sed omnibus naturæ viribus superiora, profecta scilicet à sola

(*b*) Libr. III. C. 13.
(*c*) Libr. IV. Cap. 7. Adde & Accessionem Tertiam §. 17. & seqq.

(*a*) Præfat. Apologet. Antoniæ Burignoniæ Part. III. Oecon. Div. Libr. III. Cap. 7. §. 14. & seqq. Libr. V. Cap. 9. §. 15. & seqq. De Eruditione Tom. II. p. 139. & seqq. pag. 471. &c. &c. &c.

la *gratia* Dei Adamo ejusque posteris ob Christi merita & intercessionem iterum oblata; quam vero invidiæ concitandæ causa dicit à Poireto posteris Adami *per solam nascendi sortem & sine Euangelicæ applicationis ordine tribui:* quasi vero nativitatem naturalem per se ipsam sine respectu ad meritum & intercessionem Christi quicquam ad eam conferre vellet Poiretus, aut etiam essentiam & spiritum Euangelii ab iis salvandis excluderet, qui contrarium sollicite & expressissime docuit (*a*). Quas exceptiones mirum utique est ab iis afferri qui Gratiæ divinæ Universalitatem (*b*) etiam ad perditissimos quosque nemine excepto, ne Nerone quidem, pertinere, ex Religionis suæ principiis statuere debent, ex quibus etiam ipsissimam hanc sententiam contra eos recte & solide stabilivit (*c*) Poiretus.

(*a*) Vid. Vind. IV. Cap. 7. §. 4. Adde Access. III. §. 20.
(*b*) Baierus Compend. Theol. posit. Part. 3. Cap. I. §. 3. lit. d.
(*c*) Vindic. Libr. IV. d. Cap. 7. §. 21, 22.

20. Ad *secundum* erroris caput prætensum, quod est de *Justificatione* progrediens D. Langius, post initium tragicum ad præoccupandos simpliciorum animos cortici rerum & dictionis fere inhærentium, nec ad intima & essentialia penetrantium allatum, *quinque* potissimum hujus aut cognati argumenti *dogmata* in sacris tabulis fundatissima à Poireto negari confidenter, at frustra re vera & vel per inanem logomachiam vel etiam per calumniam manifestam asserit. Videamus quæso singula ut quid in iis monstri lateat palam appareat. *Negat Poiretus speciatim*, inquit D. Langius (1) *in Justitia Dei indolem ejus ultricem:* id vero per meram logomachiam dici quis non videt, cùm re vera Poiretus Justitiam Dei ultricem seu vindicem sensu suo vero & proprio Deumque decente, (*d*) pœnamque pec-

(*d*) Vid. Oecon. Div. Libr. III. C. 5. §. 15, 16, 17. Libr. II. C. 2. §. 7. C. 13. §. 16. C. 18. §. 4, 5.

peccatorum & damni & ſenſus, hujusque tam corporalis quam ſpiritualis gravitatem infinitam & durationem æternam (*a*), ſatisfactionis item neceſſitatem & meritum (*b*) non agnoſcat tantum, ſed & potentiſſime adſtruat; ſolam autem cogitationem illam Scholaſticorum volentium pœnas peccati ab ipſo Deo poſitive fluere, non admittat, eo quod ex omnis & meri boni fonte nullum malum ſequi posſit. Vulgatisſimum vero eſt axioma quod Theologiæ tironibus inculcari ſolet, ea quæ de Deo ἀνθρωποπαθῶς dicuntur, θεοπρεπῶς intelligenda & explicanda eſſe, quod certe vel maxime locum habere debet in ira vel vindicta (quæ ipſa proprie in Deo nulla eſt, ut Epiſcopus Derenſis Rev. D. King (*c*) recte obſervat,) Numini attributa, ne huic adſcribantur, quæ communis hominum notio averſatur, delectari nempe aliorum cruciatu, eo inimicos non poſſe non afficere, in horum tormentis gloriam, imo complementum beatitudinis quærere; ad quæ bonus animus omnino cohorreſcit. Conferat quæſo Lector quæ de hiſce in Vindiciis (*d*) contra Jægerum diſputantur, iisque addat omnino ex Cogitationibus Rationalibus Caput de Bonitate & de Juſtitia Dei, judicetque an illa ad Dei gloriam hominumque ſalutem promovendam minus valeant quam cogitatum illud Metaphyſicum, de Deo pœnas poſitive infligente; cum ne humanus quidem judex, niſi hominem plane exuerit, quicquid contra obmurmuret D. Langius, pœnam aliter quam ut medicinam adhibeat. Certe non deſunt quibus egregie profuit veritas illa illuſtriſſima ſolide à Poireto demonſtrata, Dei Bonitatem (*e*) erga creaturas omnes & ſingulas (etiam perditiſſimas) tantam eſſe ut ne cogitari quidem aut optari major

(a) Libr. I. C. 14. n. 13. C. 15. §. 3. & ſeqq. Libr. III. C. 1. §. 16. C. 2. §. 3. & ſeqq. C. 4. §. 8. 10, 11, 12.

(*b*) Libr. III. C. 5. L. IV. C. 3. §. 8.

(*c*) De Orig. mali. p. 204.

(*d*) Libr. III. C. 3.

(*e*) Cogit. Ration. Libr. III. Cap. 11. §. 16. Edit. 2. & 3.

major possit, quanquam hoc ipsum nec gravitati nec durationi pœnarum, non à Deo sed à peccatore ipso naturalissime venientium, quicquam deroget. Denique & illud notandum quod in Vindiciis (*a*) dicitur, contrariam sententiam, si bonus aliquis animus eam teneat, indeque occasionem sumat majorem evitandi ne in Deum peccet, tantum abesse ut ei damnosam statuat Poiretus, ut nec illam ab eo tollendam voluerit. Sed hæc fusius persequi hujus loci non est. Sufficiat observasse ipsum D. Langium post multa inutiliter congesta tandem *vi veritatis* adactum, agnoscere (*b*) „ Verum „ esse quod Poiretus statuit, hominem gratiæ desertorem à Deo juste deseri & sibi suæque miseriæ relinqui, itaque relictum in magna calamitate & veluti in inferno versari: adeoque vere hominem esse sui ipsius tortorem, suique exitii & ipsius inferni quasi fabrum, atque ita hoc respectu se ipsum punire. „ Hæc inquit & *hujus generis plura* (pœnas omnes temporales ac æternas vere ac proprie à peccatore venire) *verissima sunt*, sed nequaquam in obscurationem, nedum negationem eorum quæ non minus vera sint, erant abripienda. Quænam vero alia, quæso, præter hæc verissime & clarissime tradita, supersunt in hoc argumento non minus vera, à Poireto obscurata vel negata? nempe scholastica illa opinio qua fingitur Deum ut *justum positive* punire, hoc est ex bonitate summa & mera malum fluere, dicta Scripturæ planissima Oseæ 13. vs. 9. Jerem. 2. vs. 19. perverso interpretationis ordine, ex aliis figuratis & ἀνθρωποπαθῶς de Deo loquentibus in sensum Divinitate indignissimum detorquendo. Quod vero fingere audeat (*c*) scopum Poireti in hisce tradendis fuisse, negare necessitatem

(*a*) L. III. C. 3. §. 4.

(*b*) Differt. II. p. 28.

(*c*) Differt. II. p. 31.

Justificationis forensis, & proprietatem Justificationis forensem; id quam inique fiat res ipsa loquitur, quandoquidem Poiretus (a) satisfactionem in foro divino necessariam magno conatu adstruxit, & de Justificatione forensi accurato cum ordine eadem (b) docuit quæ Lutheranorum Theologi confusius plerumque de ea tradunt.

(a) Vid. Oecon. Divin. Libr. III. Cap. 4. & 5. Libr. IV. Cap. 3. §. 8. seqq. Libr. V. Cap. 8.

(b) Vid. in Vindiciis Accef. Tertia. §. 50-53.

22. Quod (2) addit D. Langius, Poiretum *negare in peccato protoplastarum reatum posteris imputabilem aut imputatum;* id profecto si non per meram calumniam certe per incredibilem affectus obliqui cæcitatem contra verba clarissima ei affingitur. Et qua fronte quæso, qua conscientia dici potest (c) *Poiretum in* Oeconomia Divina *doctrinam de peccati culpa & reatu prætermisse, de eo plane siluisse*, qui mox in initio suæ tractationis de peccato originali disertissime dicit, (d) *Unius hominis peccato ceteros omnes* REOS *esse factos & æterna morte dignos:* item, (e) *Duo sunt quæ tum in peccato originis, tum in omni peccato considerari possunt*, CULPA *& pœna: &*, (f) *Hinc conficitur pœnam peccati sine* CULPA *esse non posse. - - - Ajo-pœnas-nemini unquam invito infligi posse nisi* CULPÆ REUS *fuerit;* quique totus in eo est ut ex fundamento & ex ipsissima rei natura hanc culpam & reatum peccati in omnibus & singulis hominibus, & qua ratione ab Adamo ad posteros omnes naturalissime transierit, validissime demonstret, sequelasque inde subortas, id est pœnas infinitas damnique & sensus miseris mortalibus, si quis alius, graphice & clarissime ob oculos ponat. Hæc vero tam manifesta sunt ut vix oculis meis credere possim, ubi video Langium contrarium tam confidenter asserere, qui porro de peccato ejusque reatu quasi

(c) Diss. III. pag. 1.

(d) Oecon. Div. Libr. II. Cap. 14. §. 1.

(e) ibid. §. 3.

(f) §. 4.

quaſi defectum Poireti ſuppleturus eadem explicat quæ Poiretus ſenſu ſuo vero & legitimo perquam egregie & ſolidiſſime in Opere ſuo tradidit. Legat quæſo Lector tractationem ipſam Poireti de Peccato; & ſtupebit Solem in ipſo meridie negari. Deinde ad Imputationem peccati Adamici (*a*) accedens Langius, primo varia affert quæ nihil ad rem, certe nihil contra Poiretum faciunt, qui nunquam ea in diſceptationem vocavit, multo minus negavit: nam quod imputationem juſtitiæ Chriſti credentibus fieri negaverit, ut ait (*b*) Langius, non niſi per calumniam, in ipſa tractatione de peccato jam præventam, ei imputari, liquido demonſtravit (*c*) contra Jægerum. Tum vero ſententiam Poireti explicaturus poſt vitilitigationem aut imputationem Viro docto indignam, de non agnita imo negata à Poireto actus ſeu peccati proprii imputatione (*) inhærente, (quam Langius nova & ſatis obſcura dictione *reciprocam* dicit;) quod certe nemini ſano in mentem venerit, (quis enim unquam dubitavit peccatum proprium peccanti recte adſcribi vel imputari, id eſt peccantem recte haberi pro peccante?) ſubjungit: (*d*) *Imputationem tranſlativam non negat ſolum ſimpliciter Poiretus; ſed impugnat etiam & irridet, contemtimque explodit;* „ Utque cum aliqua veri æquique „ ſpecie hoc dicere videatur, non neglecto tantum, „ ſed & diſtorto plane controverſiæ ſtatu, diſputat „ Langius. Quod Sophiſma, (reſumat ſibi hæc verba ſua D. Langius utpote in ipſum propriiſſime reciden-

(*a*) Diſſert. IV.

(*b*) ibid. p. 38.

(*c*) Vindic. Lib. III. C. I. §. 6. 7. 8. 9.

(*d*) Diſſert. IV. Sect. II. p. 31.

(*) Ex præjudicio nimiæ diffidentiæ aut obliqui affectus, ut ipſe (*e*) de aliis obſervat, non videtur intellexiſſe D. Langius verba Oecon. L. II. C. 14. §. 17. In Actu ſeu peccato proprio *nulla eſt imputatio* (ſc. tranſlativa de qua ſola diſtinctiſſime in §. 11. formabatur ſtatus controverſiæ) *ſed* (quod §. præced. in ſimili plane argumentatione expreſſe additur) *vere peccatum in anima adeſt*, vere utique eidem adſcribendum vel imputandum inhærenter.

(*e*) *Auſricht. Nachrichten.* Tom. 6. Obſ. 1. p. 5.

dentia,) per univerſam ejus tractationem dominari „ videtur. Studione an vero ex ἀγνωσίᾳ hæc committat „ non definiverim. In benigniorem tamen judicii par- „ tem propendens exiſtimo Virum Doctiſſimum Poi- „ reti ſententiam nunquam recte & ſolide percepiſſe, „ aut quæ perceperat, per zeli ſectarii ſtudium tan- „ quam hauſtum Lethes ſeu oblivionis poculum, pe- „ nitus dedidiciſſe. Quod ſi ita eſt, in *ignoratione e-* „ *lenchi* proprie ſic dicta eſt verſatus. «

23. Poiretus certe illam peccati imputationem translativam, in qua intercedit corruptionis inhærentis communicatio, quam alii mediatam dicunt, (*a*) nunquam negavit. Et quî eam negaverit, cum diſtinctiſſime in Oeconomia caſum controverſiæ formans, cautiſſime ne verba præter mentem dicentis frivole aucuparentur λογόμαχοι, totidem verbis, (à Langio omiſſis ut cum aliqua ſpecie diverſam imputationis notionem Poireto contra ſolam immediatam diſputanti ſubſtitueret,) dicat: (*b*) *De imputatione quæro utrum hoc nomine intelligant divinæ voluntatis aut judicii actum, quo Deus actum peccati à primo homine commiſſi in liberos ejuſdem judicialiter, (ſi ita loqui fas eſt,) transferat, adeo* (ſeu ut Gallicum habet *ita*) *ut ſine actu illo imputativo divini judicii, communicatio peccati naturaliter nulla fuiſſet, atque ita ſine hoc* (actu divini judicii imputativo) *poſteritas culpam vel nullam vel non tantam certe habuiſſet?* Istam, pergit, *ſi aſſerant imputationem, ea certe abſurda eſt, contradictoria & impoſſibilis, neque ulli eam boni admittent:* Uti nec ipſe eam admittit Langius, ſed illam ſolam quæ *labis* imputandæ *participationem* (*per ipſam naſcendi ſortem, factam*) *ſupponit, ac* (*c*) *pro fundamento habet*, quam alii imputatio-

(*a*) Vid. Vindic. Libr. III. Cap. 1. §. 4. & 9.

(*b*) Oecon. Libr. II. Cap. 14. §. 11. *adde* §. 15. & 16. itidem à Langio omiſſos.

(*c*) Differt. IV. Prop. 4, 6, 7.

tionem mediatam dixere (*a*); alteram *quæ hoc participationis & communionis fundamento non nitatur*, (*b*) (immediatam ſcilicet) *injuſtam* pronuncians. Mirare vero cæcam zeli amari & ſectarii impotentiam, qui innocentiſſimo Viro non tantum (*c*) *pugnam Andabaticam & larvatam* affingit, ſed & aliud *falſæ imputationis vitium committit*, Poiretum aſſerens *Eccleſiæ Evangelicæ* (ſeu Lutheranæ) *tribuere ſententiam*, imputationis ſcilicet immediatæ, quam ei nunquam tribuit, qui de Eccleſia illa ne quidem cogitavit, ſed ut ipſe in titulo libri profitetur, veritatem peccati originalis contra modernorum *Pelagianorum* ſtrophas vindicare voluit, eâdem tamen operâ pleniſſime etiam ſatisfacturus piis quibuſdam, aliiſque inter eos qui veritatem illam bona quidem fide credunt, verumtamen quod rem ipſam non penitius inſpiciunt, nec ad participationem ſeu communicationem peccati primi ſatis attendunt, hic difficultatibus miris tum ſeſe tum alios torquent; quales inter eos non deeſſe appoſito in margine (*d*) exemplo Paſcalii, Viri omnium conſenſu & piiſſimi & perſpicaciſſimi, liquido oſtendit; ut nihil nunc dicam de Calvino, totidem verbis aſſerente (*e*), *non naturaliter factum eſſe, ut à ſalute exciderent omnes unius* parentis *culpâ*, ſed *à Dei conſilio*, (ſive ut ſubjungit, *decreto, horribili quidem at*) *admirabili*, id *profectum eſſe, nec aliunde niſi quia Deo ita viſum eſt.*

(*a*) Vindic. Libr. III. Cap. 1. d. §. 4.
(*b*) Prop. 5. d. Diſſert. IV.
(*c*) ibid. p. 32.
(*d*) Oecon. Div. Libr. II. Cap. 14. §. 1.
(*e*) Inſt. Lib. III. c. 23. §. 7. Vide Vind. Libr. III. c. 1. §. 10.

24. Eſt vero iſta quam tam confidenter & non ſine acerbis inſultationibus à Langio allatam vidimus, negatæ Imputationis mediatæ accuſatio tam aperte falſa, ut ipſe prolato tandem loco ab iis ipſis ex quibus accuſationem ſuam formaverat, paucis pagellis diſtincto, ubi apertiſſime contrarium docet Poiretus, fidem ſuam ali-

(a) Dissert. IV. pag. 37. aliter tueri non possit quam causando (*a*) Poiretum *parum sibi constare & propria vineta cædere;* iniquior ita vel ipso Tribunali sacræ Inquisitionis Romanæ, à quo cautum est in Purgatorio Romano (*b*) ut quando Auctor obscure loquitur in uno loco, in alio vero clare, locus obscurus reducatur ad sensum clari. Unde si forte Langius ex opinione sua aut per ignorationem elenchi, credidisset Poiretum alicubi non satis clare locutum esse, quod Lector attentus & oculatus nunquam concedet, debuisset certe, ne vel ipsa Inquisitione Romana, genuina hæreticopoiïas magistra, durior videretur Doctor Evangelicus, ea ex loco clarissimo quem præ manibus habebat, interpretari, nequaquam vero accusationis suæ injustissimæ tuendæ causâ fingere Virum perspicacissimum & in veritatibus demonstrandis accuratissimum, qualem fuisse Poiretum nec invidia ipsa negaverit, sibi ipsi intra paucularum pagellarum spatium tam aperte & crasse contradixisse.

(b) §. 4. De librorum correctione.

25. Sed hoc parum fuit Disputatori nostro Antipoiretiano, nisi (en quo zeli obliqui & sectarii cæcitas etiam æqui & modestiæ speciem vel maxime præ se ferentes abripit!) aliam calumniam plane inexcusabilem adjiceret, *errorem* Poireto *errori Socinianorum parallelum* (*c*) tribuens, imo totidem verbis dicens, (*d*) *Poiretus in dogmate de peccato originali sentit cum Socinianis: cui* ut colorem faciat addit; „*Ita enim* Socinus *Libr. de Servatore P. III. Cap.* 8. Tametsi „ omnes ab Adamo prognati morti perpetuæ sunt obnoxii, id non ideo fit quod ipsis Adami delictum „ imputetur, sed quia ab ipso progeniti sunt, qui „ morti perpetuæ divino decreto fuit addictus, & ita „ non propter peccati imputationem sed propter ge-

(c) Dissert. III. §. 4.

(d) Diss. IV. in fine p. 38.

„ neris propagationem id illis contingit.„ Profecto hic Langius Socinum allegat uti Diabolus Scripturas, quando insinuare vult isthæc ab eo dici & intelligi sensu Poireti, qui expressissime & totidem verbis docet: *Homines (a) omnes ab Adamo post lapsum nascentes in eo solo sine Liberatore interveniente consideratos, esse ab ipsa usque nativitate naturaliter maledictos & damnatos, esse (b) naturâ filios iræ Dei, hoc est objectum odii divini & separationis à Deo, idque ideo quia (c) ex quo existunt peccatores sunt atque nocentes ac pœnis peccati juste obnoxii, peccatumque (d) & corruptio à parentibus communicata vere in iis inest adeoque iis recte imputatur.* Palpasne, mi Lector, hæc toto cœlo differre ab iis quæ ex Socino allegat Langius? Qua in re eo minus est excusabilis quod sensum verbis illis à Socino significatum, qui forte tironi alicui imperito non ita obvius esse possit, ipsum tanquam Theologum veteranum ineptiarum ac stropharum Socinianarum (e) callentissimum latere non possit aut debeat, qui sensus, ut ex eodem Socini Libro, imo partim & ex eodem Capite, (unde credere vix possum Langium cum hæc scriberet textum ipsum Socini inspexisse,) licet se mire involvat homo versutissimus, haud obscure patet, est hic: * „ Tametsi omnes ex Adamo prognati interitui „ æterno (seu annihilationi totali & perpetuæ ex qua „ resurrectio nulla detur) nisi ex gratia Dei liberatio „ contingat, obnoxii sint, id non ideo fit quod ipsis „ peccatum seu corruptio ab Adamo accepta imputetur, quippe quæ nulla in iis est, sed per solam

(a) Oecon. Libr. II. Cap. 15. §. 8.

(b) ib. C. 17. §. 21.

(c) Cap. 14. §. 3, 4, 5, 6. 11. &c.

(d) d. §. 5. & Vindic. L. III. Cap. 1. §. 4. & 9.

(e) Diss. II. Sect. II. §. 13.

 con-

(*) Vid. Socinum de Christo Servat. Part. III. Cap. 8. p. 208. b. Cap. 10. p. 211. a. P. IV. Cap. 6. p. 223. b. Edit. in fol. &c. Adde Joh. Volkelii de Vera Relig. Libr. 5. C. 16. p. 518. Confer Maresii Syst. Theol. Loco Sexto §. 34. & Clariss. Weismanni Histor. Ecclesiast. Novi Testam. Sec. XVII. p. 816, 817.

„ conditionem neceſſariam cum ipſo genere naturaliter attractam, nulla tamen ipſorum propria culpa „ vel corruptione innata interveniente.“ Iſtane & Poiretum ſenſiſſe affirmare auſit Langius? Quid quæſo eſt in manes innocentiſſimos injurium eſſe ſi hoc non eſt? Interim ex ungue leonem; ex hoc, inquam, ſpecimine judicare poterit æquus Lector, quid de ceteris imputationibus Socinianiſmi in Poiretum non perfunctorie torquendis ſentire debeat; nam, præterquam quod tempeſtas illa nondum detonuit, res ipſa loquitur illarum ut & ceterarum D. Langii incuſationum excuſſionem ac repulſionem legitimam, ſuo forte tempore ab alio, ſi Deus voluerit, ſuſcipiendam, intra anguſtos Præfationis hujus limites coarctari non poſſe.

26. Sed pergit D. Langius contendens (3) *Negari* à Poireto *in ſacrificiis efficaciam typice* ἱλαστικὴν *& Evangelicam*, & (4) *in doctrina de Chriſto omnem ſacrificii ſacerdotalis nervum qui eſt in ſatisfactione* ἱλαστικῇ. At vero utrumque falſo contra clariſſima ipſius Poireti verba, eidem imputari manifeſtiſſimum eſt, quippe qui expreſſiſſime docet (*a*) *figuras ſacrificiorum* primùm quidem modo indirecto & ſecundario, poſtea vero, à tempore ſcilicet Davidis & Salomonis, directo ac primario *ad Chriſtum reſpicere, tanquam ad ſubjectum* „ *proprium, in quo vere perfecteque impleri debeant* - - - „ quandoquidem in ipſo vere omnia omnino inveniuntur, Deus, Liberator, Mediator, Interceſſor, „ Doctor, Purificator, Sacrificium, exemplum vivum „ ac reale deſtructionis hominis veteris, vires quibus „ unà cum ipſo moriamur, meritum propter quod vires iſtas impetremus, reſurrectio; vitæque luminoſæ, gratiæ atque ſalutis per Spiritum ejus divinum, opti-

(*a*) Oecon. Div. Libr. III. Cap. 16. §. 21.

„ optimum & maximum, renovatio: Verbo CHRI-
„ STUS CRUCIFIXUS & omnia. Hinc Apostolus
„ dicebat (*a*) *Proposui nihil inter vos scire nisi Christum,* (*a*) 1 Cor. 2. ℣. 2.
„ *eumque crucifixum.*" Quem & alibi expresse dicit,
(*b*) *lytrum persolvisse pro spiritu, ut caro moreretur,* (*b*) Oecon. Libr. IV. Cap. III. §. 17.
pro homine inquam interno ac divino, ut homo corruptibilis ac mundanus periret: sensum pium ac sanctum hujus vocis (lytri) deinceps contra Antinomos aliosque turpiter eadem abutentes perspicue evolvens. His addere adhuc liceat verba ejusdem sequentia (*c*) à Langio (*c*) Libr. III. Cap. 17. §. 18.
studio omissa: „ Hoc sacrificium Christi omnium bo-
„ norum origo est, quoniam bonorum omnium origo
„ eidem unita est, puta Spiritus æternus & Divinus
„ aut ipsa Divinitas, Liberator, Mediator; ejusdem
„ Intercessio, Dignitas infinita, *exacta Satisfactio*
„ (omnibus quæ Mediator ad salutem nostram procu-
„ randam suscipere poterat, plenissime satisfaciens),
„ vis divina virtutesque omnes. Itaque hoc Sacri-
„ ficium est spirituale, æternum, divinum, *infinite*
„ *meritorium*, *satisfactorium*, *salvificum*, robur ac vi-
„ res afferens, efficax, omniaque bona ac virtutes om-
„ nigenas in animam eorum qui ad conformitatem e-
„ jus adspirant, & per vim luminis ac motuum fidei
„ ad illa sese promoveri patiuntur, refundens. Ver-
„ bum namque Divinum quod in Christo est, estque
„ ipse Jesus Christus, Verbum quod in Christo pro
„ nobis intercessit, oravit atque meruit; quod *veniam*
„ *impetravit* & officiis omnibus Mediatoris atque Li-
„ beratoris *satisfecit*, idem inquam, se ipsum victi-
„ mam præstitit. Itaque in hac victima bona omnia
„ unita concurrunt; & ab eadem nobis omnia exspe-
„ ctanda sunt. Imo nec excitamentum ullum efficacius

„ exſtat quo Dei bonitatem flectamus, ut gratias ſuas atque ſalutis noſtræ media nobis augeat, ac nobiſcum „ non ita agat uti per peccata noſtra meruimus, quam „ ut divinum hoc Sacrificium in Chriſto factum eidem „ offeramus, dicentes: Memento Domine, magni illius amoris quo adactus Chriſtus ad ſalutem meam „ procurandam ſemet ipſum ita immolavit “.

Quis vero non miretur judicium illud temerarium ac perverſum, iſta aut ſimilia quæ tam candide & fervide profitetur, (a) *non res eſſe ſed verba nuda apud Poiretum, quibus glaucoma objicit incautis;* viri religioſisſimi ſinceritatem in re gravisſima ſugillare non dubitans? Imo quis concedat iſta ab eo (b) *non intelligi ſenſu Evangelico ſeu Apoſtolico*, qui totus quantus in eo eſt ut oſtendat cum Apoſtolo (c) Chriſtum ſemet ipſum dediſſe pro nobis, *ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum peculiarem ſectatorem bonorum operum:* quique *ſatisfactionis* Scripturis conſonæ naturam, necesſitatem, præſtantiam & veritatem tam ſolide & ardenter propugnat, ſolamque illam ab hominibus contra Scripturæ univerſæ conſtantem doctrinam effictam ſatisfactionem veteris hominis adulatoriam, quâ ſe ab officio pœnitendi & per vivam ac veram fidem ad Deum ſeſe convertendi exemtos ſomniant, juxta, cum Arndio aliiſque piis Theologis, merito rejecit, uti clarisſime oſtenſum eſt in Accesſione Vindiciarum Tertia (d) quo Lectorem nunc remittimus. Sed & imprimis adeundæ hic ſunt *Vindiciæ contra Jægerum*, (e) ubi videbit Lector Capite integro ſententiam Poireti clarisſime expoſitam & à ſimilibus imputationibus vindicatam; prolato (f) inter alia loco ex Oeconomia omnes ſuper hiſce vitilitigationes

(a) Differt. VI. p. 27.
(b) ibid.
(c) Tit. 2. ỳ. 14.
(d) §. 35. & ſeq.
(e) Vindic. L. III. Cap. 4.
(f) Ibid. §. 12.

tiones prævertente. Ostendit etiam Poiretus ibidem (*a*), quam iniquè agant duri ac immisericordes illi rixatores qui errata omnia, (seu vere seu ex sua opinione talia,) in rebus fidei non tantum essentialibus & ad salutem necessariis, sed etiam adventitiis atque idealibus in capitalia & damnosa & in eversiones articulorum fidei convertunt; subjungens (*b*) quænam speciatim essentialia sint & ad integritatem salutarem fidei sufficientia in articulo Reparationis hominis per Christum; quomodo item & quousque cætera minus essentialia cum utilitate salutari tractari possint. Cujus Reparationis ordinem ac Oeconomiam totam (*c*) hic ex sua sententia candide explicat, quam nescio an ullus qui à partium studio non plane excæcatus fuerit veneno erroris damnabilis cujuscunque consperſam contendere audeat.

(*a*) Vindic. L. III. C. 4. §. 24.

(*b*) §. 26.

(*c*) §. 28. & seqq.

27. Denique (5.) subnectit Langius *in prolixa illa descriptione Fidei officium ejus organicum & passivum, positum in apprehensione meriti & justitiæ Christi, à Poireto prætermitti ac re vera negari.* Videat quæso Lector quam parum sibi constet rixandi cacoëthes, Jægero cavillante fidei (*d*) activitatem, Langio verò passivitatem tolli & negari. Quam nulla vero & obliqua seu partium studio manifesto infecta hæc sit imputatio vel hinc judicet; quod ipse Langius alicubi (*e*) descriptionem Fidei à J. Boëmo factam his verbis: *Fides vera in homine est mori perseitati (der Selbheit), puta proprio desiderio, & desiderium suum in omnibus cœptis & agendis in Dei voluntatem introducere*, probat & contra Calovium Censoresque Lipsienses vindicat, quam vero descriptionem Boëmi in Poiretiana illa apertissime contineri vix credo ipse Langius negaverit. Sed & quid

(*d*) Vindic. Libr. III. C. 2. §. 3.

(*e*) *Aufrichtige Nachrichten.* Tom. V. Observ. 4. §. 6, 7. p. 33, 34.

(a) Oecon. Div. Libr. V. Cap. 4. §. 66.

(b) De Erudit. Tom. II. p. 73.

(c) Libr. IV. Cap. 10. §. 17.

(d) Joann. 1. ℣. 12. Coloss. 2. ℣. 6.

(e) Oecon. Divin. Libr. V. Cap. 4.

quid est in descriptione illa Poireti, (a) quod fides sit *deditio desiderii, intellectus, cordis & libertatis nostræ soli Deo confidenter & vere facta*, illa, quam huic deditioni inseparabiliter cohærere addit, *præsentia Dei, Filii & Spiritûs Sancti desiderium animantis, intellectum illuminantis, cor pacificantis, omnesque animi motus formantis atque dirigentis veluti sancta Christi humanitas directa fuit ac collustrata*, nisi Christus cum merito & justitia sua in anima receptus? Alibi (b) expresse dicit *Fidem niti fundamento meriti & interventus Christi satisfactorii*. Infra in Vindiciis (c) sic loquitur: *Quid est fides Evangelica quam Christus à nobis postulat? Ipsissima amplexatio* (apprehensio, receptio) *amorosa ut ita dicam doctrinæ Evangelicæ, ejusve objectorum Patris, Filii & Spiritus S. eorumque voluntatum & operationum.* An Filium Dei amplexari, apprehendere, recipere Fides, quæ verba sunt ipsius Scripturæ (d), ut non simul meritum & justitiam ejus recipiat? aut an Christus in anima receptus ibidem erit sine merito & satisfactione sua? Nonne vero morositatis esset plusquam sectariæ, has similesque Fidei descriptiones in Scripturis fundatissimas ideo velle rejicere & condemnare, quod conceptus omnes Scholastici quos vulgo Theologi Systematici, in explicanda Fidei natura enarrant, in iis ad literam non exprimantur, cum interim earum Auctor rem ipsam ex ipsissima origine sua radicitus exponat, & intimam ejus naturam penitissime ac perspicue imo & fructuose evolvat, uti omnes quibus cor ad divina non obriguit, siquando Poireti tractationem (e) de Fide in conspectu Dei attente perlegerint, facile agnoscent.

28. Addo & de Fide quatenus vulgo dicitur consi-

stere

ſtere in Aſſenſu, Notitia & Fiducia, in Vindiciis (*a*) moneri, quomodo illa ſenſu vere orthodoxo & ſalutari ex mente Arndii piisſimi inter Lutheranos Theologi explicanda ſint, ut ſcilicet intelligatur. „ *Notitia* „ à Spiritu & luce Dei infuſa in cor humile, quod à „ ſe ipſo averſum, Deo ſe dedicat, quod *acquieſcit* „ in Deo ſolo, nec in ulla alia re; quodque ex eodem „ nactum vim & gratiam regenerationis, confidit plane ac ſe committit Dei ac Spiritus ejus regimini ac „ diſpoſitioni quantum ad omnia, in tempore & in „ æternitate. „ Equidem D. Langius (*b*) vulgarem hanc partitionem Fidei, licet magnis, ut ait, & orthodoxis Theologis non repudiatam, erroneam eſſe tradit, ſubſtituens pro diverſitate trium primariarum mentis facultatum, intelligendi, deſiderandi & acquieſcendi, partes has, Notitiam, Deſiderium & acquieſcentem Fiduciam; indeque contra Pſeudorthodoxos ſuos evincit fidem juſtificantem omnino eſſe vivam & activam: quæ paulo poſt illuſtrans, addit (*c*): „ Notandum autem hic probe „ eſt, activitatem fidei juſtificantis Evangelicam verſari „ circa totum Chriſtum totumque ejus officium mediatorium, hoc eſt noſſe, deſiderare, ſeu cum fiducia expetere atque amplecti Chriſtum non ſolum ut ſacerdotem, (ac meritorium ejus ſacrificium;) ſed ſimul „ etiam ut Prophetam & Regem. Nequit enim dividi „ Chriſtus, nequit dividi officium ejus triplex, nequit fides ferri ad Chriſtum ratione officii mediatorii diviſim, ſed hoc conjunctim reſpicit. „ Hæc ille, cum quibus nonne amiciſſime conſpirant quæ Poiretus de officiis Deo exhibendis in ordine Reparationis, quibus proprie Fidem contineri docet, egregie explicuit (*d*)? Et nihilominus eum in hoc articulo hete-

(*a*) Libr. III. C. 5. §. 14.

(*b*) Antibarb. Tom. II. Sect. 1.

(*c*) Propoſ. 10. §. 6. p. 455.

(*d*) Vindic. Libr. III. Cap. 4. §. 46, 48. 50.

heterodidaſcalias accuſare non dubitat Langius; quod profecto ipſum eo minus decebat, quod totam illam correctionem ſuam partitionis vulgaris Poireto debeat; neque enim credo eum diſſimulare velle, quæ de tribus mentis facultatibus, (novæ ſuæ partitionis fundamento,) hic & alibi explicat, ea à Poireto accepta eſſe, qui & fidem ipſam reſpectu trium harum facultatum in Oecon. Divina (*a*) accuratiſſime & diſtinctiſſime expoſuit, eandem rem etiam in libris de Eruditione (*b*) licet generalius complexus: quæ quidem utrum Sectariis animis minus orthodoxa videri poſſint equidem ignoro, ea vero ſolide & practice poſſeſſa certum eſſe ſalutis adipiſcendæ fundamentum, imo & pignus ac initium nemo pius dubitabit, quod certe ad orthodoxiam eorum tuendam apud eos qui partium ſtudio ſectario non laborant, pleniſſime ſufficiet.

(*a*) dicto Cap. 4. Libr. V. Oecon. divinæ.

(*b*) Libr. I. Part. I. §. 4.

29. Cum vero quinque hæc in hac doctrina imputata talia ſint ut vidimus, quis miretur concluſionem inde deduci odioſiſſimam, Poiretum (*c*) *doctrinam de Juſtificatione miris modis depravaſſe*: id quod tamen, non dico à vero, ſed vel à veriſimili, tantum abeſt ut potius ex Scriptis ejus apertiſſime conſtet, illum quod Θεῖον hujus doctrinæ vocat (*d*) ipſe Langius & quinque complectitur Propoſitionibus, (ſcilicet 1. Homini nihil, Deo omnia tribuenda eſſe. 2. Fidem à Spiritu S. in regeneratione (ſeu converſione) accendi. 3. Eam eſſe vivam, Chriſtumque apprehendere & in eo recumbere. 4. Non eſſe ſolitariam aut à potentia diligendi & bonis Spiritus S. motibus ſeparatam aut ſeparabilem. 5. Hanc potentiam diligendi beneque agendi deinde cooperante Spiritu S. magis magisque invaleſcere actibusque ſe exſerere,) illud ipſum, quod rei

(*c*) Præfat. Iſag. p. 8.

(*d*) Anti-barb. Tom. II. p. 525. & ſeqq. citante D. Weisman-no in Hiſtor. Eccleſ. Novi Teſtam. Sec. XVII. p. 1241.

ſub-

ſubſtantiam attinet, ſollicite ſemper inculcaſſe, ita ut nulla niſi in ſolis terminis interſit differentia, quamvis ille in explicationibus quibusdam ad theoretica & idealia ſpecialiora circa doctrinas haſce iisque annexas ſpectantibus aliter meditatus fuerit, eſſentialia tamen quæ clariſſime ab iſtis diſtinxit (*a*) inconcuſſa ſemper retinens, & in ſingulis Oeconomiæ ſuæ paginis firmiſſime propugnans. In qua porro divinæ Gratiæ vias amabiles & ineffabilia miracula, prout juſtificæ ac ſalvificæ Spiritûs S. operationes in anima fideli ſeſe magis magisque exſerunt, ac tandem purificationem, regenerationem ac ſalutem ejus feliciter abſolvunt, modo ordinatiſſimo, luculentiſſimo & cor Deum ſuum ſincere anhelans pleniſſime tranquillante ac convincente evolvit.

30. Quo atrocior utique eſt illa Socinianiſmi, imo & errorum Socinianiſmo deteriorum (*b*) criminatio, toties ac tanto zelo in Poiretum vibrata, pari ſcilicet æquitate, qua olim rixatores quidam inter Lutheranos inſulſiſſimi Reformatis Turciſmum ipſum, imo Turciſmo pejora (*c*) impudentiſſime impegerunt. Vide calumniam hanc ab ipſomet valide repulſam in Vindiciis. (*d*) Ego vero teſtor omnium proborum conſcientiam quotquot eam à partium ſtudio obliquo zeloque ſectario non excæcatam habent, conſiderent quæſo vel ea quæ de Reparationis hominis ordine & œconomia ſummariter ex mente ſua Poiretus repetiit in iisdem Vindiciis (*e*), aut etiam ſummam illam breviſſimam Chriſtianæ doctrinæ & fidei ibidem traditam (*f*), vel locum de Chriſtianæ Religionis ſubſtantia ſupra (*g*) allatum, comparentque cum iisdem vel librum Socini intricatisſimum de Chriſto Servatore, vel ſum-

(*a*) Vindic. Libr. III. Cap. 4. §. 26.

(*b*) Diſſertat. ſeptima Langii in Præfat.

(*c*) Hoornbeck ſumma controv. Libr. IX. p. 697. & ſeqq.

(*d*) Libr. III. Cap. 4. §. 9. & Cap. 5. §. 16. 18.

(*e*) ibid. cap. 4. §. 28. & ſeqq.

(*f*) ibid. §. 26.

(*g*) §. 14.

ſummam Theologiæ Socinianorum ex Compendiolo quod teſte Reverendo D. Witſio (*a*) ipſimet concinnarunt, à Clariſſ. D. Weiſmanno (*b*) in Hiſtoria ſua Eccleſiaſtica Novi Teſtamenti exhibitam, indeque judicent utrum cœlum magis à terra differre poſſit quam quidem Poireti doctrina differt à portentoſis Socini & Socinianorum placitis, quæ quantopere abominetur & publice ac ſolenniter teſtatum reliquit (*c*).

31. Ut taceam Poiretum etiam in theoriis ſuis ſpecialioribus Patrum antiquisſimos ſecum conſentientes aut proximè ſibi accedentes habere (*d*), ſincereque profeſſum eſſe (*e*) quam parum Myſteria ſalutis noſtræ vere profundiſſima iis exhauriri crediderit, quin & (*f*) cuivis liberum reliquiſſe aliâ aut etiam vulgo receptâ iſthæc explicandi ratione ac via uti, modo ex ea eliciat non majorem & ſecuriorem peccandi licentiam, ſed majorem peccati fugam, animæ ſanctimoniam, majoremque Dei amorem, quæ omnium ſunt ſcopus; quippe qui alienisſimus ſemper fuit ab illa hæretificum hominum ſententia, volentium *quod Deus homines ſolummodo & neceſſario ſecundum idealem normam ſuæ Sectæ* aut ſuorum conceptuum *ſalvare debeat*, quam & ipſe (*g*) Langius non immerito reprobavit. Hinc quoque eſt quod tot piisſimos Auctores, ſine diſcrimine partium in quibus vixerunt, quamvis fere ad communiter receptas theorias cogitata ſua idealia de quibusdam ſalutis Myſteriis componant, nihilo ſecius maximi ſemper ipſe fecerit, & ſtudioſisſime aliis commendaverit, nonnullos etiam in lucem protraxerit, eo quod omnes eſſentialia fidei & ad ſalutem unice neceſſaria non tantum integerrima retineant, ſed & lectorum animis, pro modo gratiæ ac luminis à Dei Spiritu libe-

(*a*) Oecon. Fœd. L. III. Cap. 14. §. 11.
(*b*) Sec. XVII. p. 816, 817.
(*c*) Oecon. Div. L. III. Cap. 4. §. 23. Vide & infra in Vita Poireti. §. 77.
(*d*) Vid. in Oecon. Div. Monitum ante Librum quartum, §. 11. Adde Vindic. Libr. III. Cap. 4. §. 19. & ſeqq.
(*e*) dicto §. 11. Moniti.
(*f*) ibid.
(*g*) *Aufrichtige Nachrichten.* Tom. VI. Obſerv. 8. §. 3. p. 91.

liberalissime iis concesso, efficacissime insinuent; atque ita eos ad veram divinam fidem quæ (*a*) nequaquam constat opinionibus vel ideis, quæcunque demum illæ sint, sed sola Dei in anima humili, precante, & obsequente lucentis operatione, & ad vivam divinam ac salutiferam Patris ac Filii cognitionem qua vita æterna (*b*) absolvitur, quæque non nisi in Schola Spiritus S. addiscitur, fideliter instruant ac forment. Quæ ipsa cum unice & præcipue in omnibus Scriptis suis, ita & in Oeconomia Divina singulari cum energia commendet, imo & pro dono gratiæ Dei, quam in eo vacuam non fuisse tot luculenti sunt testes, hominum animos sacro veluti igne accensos ardentissime ad ea inflammet Poiretus, *mirum non est, si* (*c*) *à lectoribus qui à serio sanctimoniæ studio praxisque* (Christianismi) *contentioris amore, quo totum volumen enitescit, alieni non sunt, etiam invitis assensum impetret, eosque sibi conciliet.* Quos vero censura D. Langii (*d*) illud sanctimoniæ studium, *serium* licet fuerit, *genuinum esse pernegantis*, non magis movebit, quam philosophastri alicujus argutiæ hominem qui se à sole collustratum & calefactum sentit, persuadebunt se luce & calore solis destitui.

(*a*) Libr. III. de Erudit. §. 71. Confer. Epist. de Vera Deitate J.C. §. 26, 27.

(*b*) Joann. 17. ℣. 3.

(*c*) Præfat. Isag. p. 8. & 10.

(*d*) dicta p. 10.

32. Atrocis censuræ suæ *rationem præcipuam hanc* esse dicit D. Langius, (*e*) quod *doctrinam de Christi Satisfactione & Justificatione Evangelicam pro summo veræ pietatis impedimento impietatisque patrocinio habeat* Poiretus; qui tamen in Vindiciis contra Jægerum non tantum fidei suæ, circa doctrinam vere Evangelicam seu Christianam, integritatem, bonis omnibus omnium partium probatissimam (*f*) invicte asseruit, sed & sancte testatur, imo clarissime demonstravit, (*g*) sibi nun-

(*e*) Præf. Isag. p. 9.

(*f*) Vindic. Lib. I. C. 3. §. 2. & seqq.

(*g*) Libr. I. C. I. §. 3. 4. Libr. III. c. 5. integro.

nunquam propoſitum fuiſſe, ut in Eccleſiam Lutheranam (quam Evangelicæ nomine deſignare videtur D. Langius) aliquid ſcriberet, ita ut merus fuerit *calumniandi* ardor, qui Jægerum impulit, ut non ſine conviciis diceret eum in libris Oeconomiæ ad Doctores ſuos eorumve doctrinas reſpexiſſe, eosque exagitaviſſe; cum re vera de iis ne per ſomnium quidem cogitaverit; imo ſi qui ſuam de hiſce doctrinis ſententiam ita teneant, ut tamen ab ea non diſſolvant re vera Chriſti imitationem & cum eo conformitatem, nihil in illos dictum plane voluerit: quippe qui, quod res ipſa loquitur, & ſingula ejus verba, etiam à D. Langio (*a*) citata, apertisſime docent, ſolum notavit & impugnavit abuſum peſtilentisſimum, ipſo uſu apud non paucos nimis (eheu!) frequentatum, quo (*b*) praxis Chriſtiana à doctrina de Chriſti Satisfactione & Juſtificatione peſſime divellitur per gloſſas adulatorias explicationesque pernicioſas: quales vero incautius à nonnullis in Eccleſias etiam Proteſtantes maximo eorum malo invectas eſſe, & quidem per neceſſariam conſequentiam ad Antinomorum dogmata execrabilia tendere, Rever. Præſul G. Bullus graviſſime conqueritur (*c*); Abuſum illum corruptionemque manifeſtam ejusdem doctrinæ Evangelicæ inter ſuos nimiopere obtinere, adeo ut per eum multa centena millia hominum rectà citra ambages & plenis paſſibus ad Orcum abducti fuerint & etiamnum abducantur, D. Langium toties & tantopere de eo queſtum (*d*) latere non poteſt. Eidem abuſui maſcule ſeſe oppoſuit laudatus Præ-

(*a*) in diſſert. I.

(*d*) Vide ſupra. §. 11.

(*b*) Vid. Vindic. 1. L. III. cap. 5. §. 4-10. 19. 20. cap. 7. §. 4. cap. 8. §. 9. 10 18-23. Cap. 10. §. 22-24. item L. IV. cap. 8. §. 39. 40. &c. &c.

(*c*) Harmonia Apoſtolica Diſſert I. Cap. 3. §. 3. Adde Examen Cenſuræ ad Animadv. 7. §. 23.

Præſul D. Bullus tribus tractatibus integris (*) in
„ quibus teſte Grabio (*a*) doctrinam de Juſtificatio-
„ ne cum annexis, ac præcipua S. Pauli de illis Di-
„ cta, vel quadantenus obſcura, vel novellis quibuſ-
„ dam commentis magis adhuc obſcurata, adeo mirifi-
„ ce illuſtravit, ac modo dictas adinventiones ita cla-
„ re refutavit, ut, jam Deo ſit gratia! vix ullus in
„ Anglia ſit Theologus alicujus nominis vel doctrinæ
„ qui non cum Rev. Bullo in omnibus aut certe præ-
„ cipuis theſibus conſentiat ". Quam immerito autem D. Langius tumultuetur de quæſtione ſexageſima Catecheſeos Palatinæ ut exſculpat à Poireto non abuſum hujus doctrinæ ſed Doctrinam ipſam Evangelicam notari, quivis cordatus & extra partes poſitus judicet. Certe Antinomos hodiernos in Belgio plus ſatis frequentes, quos vulgo ab affectato linguæ Hebraicæ ſtudio *Hebræos*, & alii ab Auctore aut propagatore dogmatum pernicioſiſſimorum *Hattemiſtas* vocant, de quibus tot exſtant publicæ piorum Theologorum querelæ, eadem fœdiſſime abuti compertiſſimum eſt. Utrum illa ſuæ, ut ait D. Langius, Eccleſiæ confeſſioni conſentanea ſit, illi viderint ad quos ea res pertinet. Quod autem eandem normæ veritatis Apoſtolicæ omnino conformem dicat; id forte nec ipſi Catecheſeos Auctores ita crude pronunciaverint, quorum unus P. Dathenus haud diu ante obitum ſuum ad Herm. Herbertum olim Paſtorem Goudanum (†) ſcripſerat,

(*a*) Grabius in Præfat. Operum Bulli. p. 4.

(*) (1) Harmonia Apoſtolica, in qua Doctrina Jacobi de Juſtificatione explanatur & defenditur, itemque conſenſus Pauli cum Jacobo liquido oſtenditur. (2) Examen Cenſuræ ſeu Animadverſionum in Harmon. Apoſtol. (3) Apologia ejuſdem Harmoniæ.

(†) H. Herbert. Nadere Verklaring over 32. Artikelen. p. 26. Vid. de hoc Viro Epiſtol. de Auctor. Myſt. §. 61, ut & Epiſt. ad Auctorem Biblioth. Univerſ. §. VI. p. 641. Tomo II. de Erudit.

Propositum sibi esse deinceps non amplius docere, cum agnoscat se diu satis cæcum cæcorumque ductorem fuisse; Ecclesia vero Anglicana tota, Evangelicæ certe Ecclesiæ pars non minima, concesserit nequaquam, ex qua R. Bullus, tantæ ut vidimus in ea auctoritatis, postquam errores gravissimos in hanc doctrinam illatos impense deploravit, subjungit (a) „ Det tandem misericors Deus ut hujusmodi dogmata è nostrorum „ Scriptis vel saltem *Catechesibus* in æternum deleantur!" Sed satis de hisce & de secundo erroris prætensi capite.

(a) Harm. Apostol. Differt. I. C. 4. §. 6.

33. *Tertium, eumque exstantiorem Poiretiani Systematis scopulum* D. Langius ait esse *in diversis principiis seu seminibus Papismi*, additis conclusionibus odiosissimis quod per ea *incautiores in Papismo consopiri vel ad eum blande adduci* possint: quas verò aliasque atrociores objectas à Jægero, dilutas vide in Vindiciis (b). Scopulum illum suum quod attinet, respicit procul dubio ad ea quibus Poiretus pacem & concordiam vel fraternam ac tolerantem dilectionem inter pios ac probos quarumvis partium, circa articulum præsertim de S. Cœna insinuare conatus est; aut etiam quæ de animarum quæ in gratia quidem Deì, at impuritatibus tamen peccati adhuc infectæ, ex hac vita decedunt, purificatione post mortem, tot Sanctorum hominum & antiquæ Ecclesiæ Patrum aliorumque Doctorum piissimorum suffragiis probatâ, imo nec à piis ac cordatioribus inter ipsos Lutheranos repudiatâ duobus Capitibus integris in Oeconomia tradidit, additâ, difficultatum præcipuarum quæ in his occurrere possunt dissolutione. Sed cum hæc ipsa Poiretus in Vindiciis (c) contra Jægerum, qui eadem impotentissime ador-tu

(b) Libr. II. Cap. 5. & 6.

(c) Vid. Libr. II. Cap. 5. & Libr. IV. Cap. 8.

tus erat, denuo planiſſime dilucidaverit, pace Lectoris illum nunc eodem remittimus. Forte etiam ad ea hic reſpexit D. Langius, quæ de (*a*) Schiſmatibus inter Chriſtianos ortis eorumque unione circumſpecte, placide, & pacifice expoſita ſunt; quæ vero uti animis pacem ſectantibus cum omnibus fratribus ſuis imprimis probantur, ita non poſſunt non ceteris barbara videri. Sed & video ad (*b*) fermentum erroris papalis referri ſententiam non minus caute, imo & cum ædificationis fructu ſalutari apud non paucos, propoſitam, (*c*) media externa ab hominibus pie inventa ut per eorum uſum Deum ſibi in mentem revocent, Deo diſplicere non poſſe.

(*a*) Oecon. Div. Libr. IV. Cap. VII. §. 4. & ſeqq.

(*b*) Diſſert. I. Dodec. ſecundæ p. 28.

(*c*) Oecon. Libr. III. Cap. 10. §. 4.

34. Verum quicquid de illis ſit, meminiſſe hic potuerat D. Langius eorum quæ in *Medicina* ſua *mentis* (*d*) ante annos hoſce ſeptendecim candide profeſſus erat, quando *Lectorem remittit ad præclarum Theologum & Philoſophum* PETRUM POIRETUM *de* Erudit. falſa p. 314. & ſeqq. *præclare diſſerentem, ubi* Theologiam falſam *ſecundum ſpecies ipſius diſtinguit in* opinioſam *ſive rationalem, quæ ſimul ſit frigida, ſterilis, fluctuans ac tenebroſa; in* Sectariam *quæ* diſputatrix, calumniatrix, perſecutrix; *in* adulatoriam *ſive* culinariam, *quæ concionatorum animis maxime inſidietur, eoſque ſimul in lupos vertat; & in* literalem ſeu Criticam, *quæ ſit cæca, arrogans, fallax ac ſpiritus inimica.* Ex quibus vero, quamvis ipſe poſtea encomium ſuum de Poireto ſponte ſua adſcriptum in editione altera part. VI. c. 4. §. 32. deleverit, procul dubio ut Cenſores Lipſienſes aliosque placaret, locus ipſe tamen Poireti, præſertim quatenus Theologiæ Sectariæ indolem evolvit, hic inprimis conſiderari meretur, tum quod diſ-

(*d*) P. V. Cap. 7. §. 15.

diſputationum & criminationum ſectariarum fontes liquido exponat, à quibus quouſque abſint Poiretomaſtyges Lector æquus & à partium ſtudio liber viderit; tum quod ipſiſſima principia pacis religioſæ à Poireto inſinuatæ clare commonſtret, quando poſt naturam Divinæ Fidei, ad quam ſolam (*a*) Poiretus Lectores ſuos adducere conatus eſt, paucis expoſitam ſubjungit: *Hac* divina fide *ſervantur in diverſis Sectis ſinceriores & ſimpliciores quæcunque animæ, quando omiſſis feralibus controverſiis, nemineque propterea condemnato, ipſæ manifeſtis Dei mandatis dantes operam, virtutem lumenque ab eo poſtulant, quibus attingant, quantum Deo gratum eſt, ad vivam cognitionem & adeptionem eorum, ad quæ ex propria Rationis activitate & induſtria non datur accedere.* Quæ verba utrum ſemina Papiſmi, an vero totius potius Chriſtianiſmi principia propria & genuina contineant illi judicent quibus mens à fermento ſectario eſt libera.

(*a*) Vid. infra Vitam Poireti §. 51. & ſupra §. 14. & 31.

35. Poſt indicatos extantiores ſcopulos prætenſos Oeconomiæ divinæ, inſtituti ſui rationem & ordinem explicaturus (*b*) D. Langius, cauſas eidem duas potiſſimum obtendit; heterodidaſcaliam Poireti, damnumque piis mentibus à veri & recti, ſtudiique ſanctioris ſpecie qua totum volumen eniteſcit impendens; de quibus è ſuperioribus eſto judicium, ut & de colore ſcriptioni ſuæ quæſito, quod idem juris non in alios tantum, ſed & in Eccleſiam Evangelicam ſumſerit Poiretus.

(*b*) Præf. Iſag. p. 10. 11.

36. Sed nec colore quidem ullo opus fuerat ſi quod ſubjungit Langius, *ſe non commiſſurum ut de juſtæ ac placidæ diſputationis legibus neglectis Poiretus jure poſſit conqueri*, idem re ipſa præſtitiſſet. Verum quam *juſta &*

& placida ejus ſit Diſputatio, vel ſola Diſſertatio Dodecadis poſterioris Prima, quam aliunde transmiſſam præ manibus habeo, documento ſit, ubi intra ſpatium ſedecim pagellarum, quæ in *tractatione* ejus *elenctica*, quam vocat, de ſuo exhibuit, floſculos moderationis Langianæ amplius triginta, ut fragrantiores tantum indicem, in bonum Virum Poiretum ſparſit, propter ſententias innocentiſſimas re vera problematicas, quamplurimis piis ob ædificationis fructum quem inde experti ſunt probatiſſimas, nonnullas etiam animabus ſanctiſſimis quas totus orbis Chriſtianus veneratur communes, eidem imputans p. 16. *Novum Naturaliſmum*, *veri Evangelii impugnationem & exploſionem*. p. 17. Oraculorum Dei *depravationem*; p. 18. *Neo-Pelagianiſmum*; p. 19. *portentum erroris*; p. 20. *idololatriam ſeu phyſiolatriam*, *novum evangelium orbi Chriſtiano obtruſum*, αὐτοθεϊσμὸν, ἑαυτολατρείαν; p. 22. *manifeſtam* Scripturæ *depravationem*; p. 24. *ſimulationem ſeu ſophiſma*, *contradictionem manifeſtam* malo animo allatam, νοθείαν *interpretationis* voluntariam; p. 25. *errorem grandem theoretico-practicum*; p. 26. *ſinceritatem Myſticam* malæ *indolis aut notæ*, *ipſius æquitatis naturalis læſionem* grandem; p. 28. *grandem aberrationem*, *ingentem* στρεβλότητα, *fermentum erroris papalis*; p. 29. *veri cultus externi repudiationem*, *erroris monſtrum ac portentum*, *vix cadens in virum à ſtatu ſanioris mentis haud dejectum*, τερατολογίαν; p. 30. *ludere* imo *nugari in rebus maxime ſeriis & arduis*, aſſertum in *neminem ſanæ mentis* cadens; p. 31. *manifeſtum ſophiſma*, *obfirmare ſe in errore*; p. 32. *novum paganiſmum*, *invectivam ſanæ rationi non conſentaneam*; p. 33. *præcipitatum corruptumque judicium*, *acer-*

cerbissimas insultationes; p. 34. *Genuinæ hermeneuticæ ignorantiam*; p. 36. *magnam promissionis Evangelicæ depravationem, oracula Dei ceræ instar fingere & refingere*; p. 37. *Pseudomysticam Rationem fluctuationi scepticæ fores pandentem, temeritatem hermeneutico-didascalicam, oraculi divini detorsionem, errorem valde indignum, durum & gravem*; p. 38. *in matæologia* sua *ad ipsam fere Antichristianismi malignitatem assurgere*, magnum *fucum, Evangelii corruptionem, Pseudevangelium*; p. 39. *improbas corruptelas, errorem decumanum*. Est autem nostro hic loci *error decumanus* & pag. 38. *in matæologia* sua *ad ipsam fere Antichristianismi malignitatem assurgere*, sententia illa innocentissima tot SS. Ecclesiæ Patrum aliorumque Doctorum antiquæ, mediæ & recentis Ecclesiæ, (quorum testimonia vide in Vindiciis (*a*) contra Jægerum) consentientium, hominem potuisse à Deo aliter redimi quam per mortem & passiones Christi. Quis non stupeat incredibilem sectarii zeli dicam an furoris ἀυθάδειαν? Judicet autem ex his cordatus Lector, in quemnam legitime quadret illa (*b*) Langii exclamatio medios inter tot flosculos interjecta: *Utinam hæc protestatio factis non vel centies esset contraria!* Judicet etiam quid sentiendum sit de eo qui in fronte Dissertationis hujus (*c*) *voces duriusculas* in Poiretum dictas, *non nisi rarius* in Disputationibus suis *inveniri*, contestatus, mox tam insigne ac tam multiplex modestiæ ac moderationis suæ specimen statim in ea ipsa tam brevi commentatiuncula subjungit.

37. Tandem conclusionis loco D. Langius, *ad indolem Theologiæ Poiretianæ recte dijudicandam* ait (*d*) *singula-*

(*a*) Libr. III. Cap. 4. §. 19. & seqq.

(*b*) pag. 23.

(*c*) pag. 8.

(*d*) Præf. Isag. p. 14.

gulatim adhuc consideranda esse duo præcipitia quæ in illius principiis insint, ab ipso scilicet! prodita. Videamus quænam ea sint. *Unum*, inquit, *est in cultura rationis inconsulta & in obsequio ejusdem devio*; quod vero probare aggreditur ex his Poireti verbis (*a*): *Neque ignoro me quondam rationis meæ idolo captum, iisdem rationibus difficultatibusque, à peccati originalis negatione parum absuisse: quo me periculo Deus epriuit.* Quis non miretur novam hanc hermeneuticam & consequentiæ soliditatem? Quidsi aliquis ex adversariis ejus Pseudorthodoxis, quos vocat, eadem interpretandi & argumentandi ratione ex verbis hisce D. Langii (*b*): *Inter has ineptias - - - adolevi, - - - & ex stolido factus fuissem insanus, ætatemque reliquam desipiendi & decipiendi studio atque munere transegissem, nisi Deus benignissimus maturum huic malo remedium attulisset*, probare vellet ex præcipitiis quæ in principiis ejus libroque *Medicinæ mentis* insint, unum ab ipsomet proditum, culturam esse ineptiarum inconsultam & obsequium devium stultitiæ: anne noster diceret conclusionem esse legitimam? Equidem subjungit Langius, *Deum benignissimum huic malo remedium attulisse*: at subjungit etiam Poiretus citante ipso Langio, *quod illum hoc periculo eripuerit Deus.* De Poireto quidem res ipsa hæc est, uti ipse in loco, illi quem Langius citat parallelo, eam refert & ingenue fatetur, quod cum studiis operam daret Theologicis & Philosophicis, (Basileæ puta infra aut circa annum ætatis vicesimum,) Rationis idolo primum nimiopere adhæserit, indeque lectio perniciosi cujusdam Curcellæi libri circa corruptionis nativæ negationem, inceperit

(*a*) Oecon. Div. Libr. II. Cap. 17. §. 15. p. 574.

(*b*) Medicin. Mentis in Præfat. §. 5. (6. Edit. secundæ.)

ei esse damnosa, unde tamen mox Dei cura fuerit ereptus. Consulat Lector si velit, locum ipsum qui integer exstat in Vita Poireti (a) hic subjunctâ, mereturque legi cum & sequentibus de præcipitio altero lucem fœneretur: & nullus dubito, si serio ad cognitionem & correctionem sui adspirat, eum illius operæ non pœniturum. Qua fronte vero nunc ex hac ingenua confessione, quæ multis ædificationi fuit, extundi & Auctori exprobrari vel objici queat *cultura rationis inconsulta*, seu ut mox loquitur D. Langius (b), *scepticum ægræ rationis negotium*, qui non tantum Rationis corruptionem (antequam inde restituta sit) agnovit serio & tanto conatu demonstravit, sed & veritatem peccati originalis contra Curcellæi modernorumque Pelagianorum strophas & effugia validissime vindicavit, quamvis per inauditum hæretificandi cacoëthes, quo nescio an majus in Pseudorthodoxis suis deprehenderit Langius, hic sanitatem doctrinæ Poiretianæ etiam in hoc articulo corrumpere ausus sit.

(a) §. 32. p. 18).

(b) Præfat. Isag. p. 15.

38. Præcipitium alterum quod Poireti principiis insit, ab ipsomet proditum, causatur Langius esse (c) *in vitio credulitatis ab auctoritate unius feminæ pendentis.* Magnum vero præjudicium contra Scripta Poireti si quidem res ita sit. Ex quibus vero verbis id extundit noster? Videlicet ex ingenua aut simili confessione, quod *Virgini Burignoniæ ejusque Scriptis* (quæ decem vel quindecim vicibus in toto Opere sesquimille amplius paginarum allegaverat, quod vero Langius frequentiorem allegationem vocat) *haud secus ac Dei instrumentis tenebrarum depulsionem, ereptionemque è miseræ rationis idololatria, Scripturæ sacræ ac spiri-*

(c) p. 15.

spiritualium Scriptorum qualemcunque intelligentiam, verbo, veritatis cognitionem, quæ ipsa vita digniora sunt, secundum Deum debeat. Quæ vero isthæc erit consequentia, præsertim si Poiretus (*a*) in iis quæ commendat nunquam provocat nisi ad Scripturas, & ad cujusvis conscientiam sese in conspectu Dei examinantis, profertque quoad fieri potest, bonas omnium quæ proponit rationes & causas, uti sciunt quotquot Scripta ejus vel mediocriter inspexerunt. Velletne vero D. Langius, ut in gratiam ipsius & aliorum, sanctissimam hanc Virginem heterodidascalias & gravissimorum errorum accusantium, delevisset & ipse è libris suis grati animi testificationem, qua agnovit Scripta & principia hujus Virginis se adjuvisse & in conficiendis libris suis sibi non parum profuisse, utque ædificationem qua cum multi Scripta ejus legerunt & etiam nunc legunt, inanibus ratiunculis elevare conatus esset; quemadmodum simile quid Langio circa Scripta Poireti accidisse vidimus (*b*)? Absit vero isthæc agendi ratio à Viro, in quo (*c*) veritatis amor purissimus sine ullo ad se suaque, ad homines, ad partes, ad commoda atque incommoda respectu singulariter emicuit, quique ex quo veritatem solidam internoscere cœpit, decreverat eandem aliis pro virili commendare, quocunque etiam calumniarum, oppositionum & irrisionum genere ab hominibus excipiendus esset.

(*a*) Tom. secundo de Erud. In Censuram Parrhas. Confid. special. 11. p. 710.

(*b*) supra §. 10.

(*c*) Vid. Vitam Poireti §. 76. ut & §. 32. p. 21).

39. Bene tamen habet & laudabilis est in D. Langio moderatio, quod alios innocentissimam Virginem acerbissime criminantes ipse imitari nolit; cui vero parum favent quæ de eadem mox subjungit, eam *errasse tamen quam gravissime, & quidem in multis doctrinæ*

Euangelicæ capitibus, pro omni argumento tam duræ assertionis afferens, id vel e solo ejus discipulo genuino liquere, de quo an justos sibi ac veros triumphos promittere possit alii viderint. Pergit Langius: *Fuerit illa sinceræ Deique amantissimæ mentis: utrum vero illa mentis sinceritas, illa caritatis praxis indolem & formam habuerit Euangelicam, hoc est de quo merito disquiritur.* Sed ea disquisitio non possit non mira videri iis qui ex Scripturis edocti sunt, Amorem Dei esse summam totius legis & Evangelii, virtutum omnium, vitæque & salutis æternæ, imo eum esse ipsum Deum, extra quem omnia non sunt nisi tenebræ, mendacium, vanitas, miseriæ & abominatio, qui vero iis qui se ipsi fideliter & sincere tradunt, nullum bonum nullamque cognitionem salutarem denegare possit: ut vere ἀσύςατα dicenda sint Amor Dei sincerus & summus, seu *mens sincera Deique amantissima*, quæ *non habeat indolem ac formam Evangelicam* aut *erroribus gravissimis* salutique noxiis implicetur. Sic enim ait Veritas ipsa (a): *Qui habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum &* MANIFESTABO EI ME IPSUM.

(a) Joann. 14. ℣. 21.

40. Ut finiat D. Langius eodem modo quo incepit Præfationem suam, subnectit Poiretum *hypotheses suas non Scripturæ, sed Scripturam hypothesibus suis accommodare*: Sed quo valeat ut cæteræ omnes, ita & hæc in homines sectarios vel maxime competens accusatio, quam Poiretus ipse dudum (b) prævertit, Lector cordatus facile intelliget; qui interim per paucula ea quæ hucusque vidimus ignorare non poterit, de doctrina & veritatibus saluberrimis in Oeconomia Divina

(b) Vid. Oecon. Divin. Præfat. gener. §. 1. n. 13.

vina à Poireto expoſitis non ex aliorum relationibus aut diſputationibus, nec ex centonibus hinc inde ex ea decerptis, ſed ex ipſo Opere toto libera mente & à præjudiciis obliqui & ſectarii affectus expedita, in timore ac conſpectu Domini attente perlecto, cognoſcendum ac ſtatuendum eſſe.

Sed ne eum diutius in limine hujus Operis moremur, tandem & nos Præfationem hanc, quæ nonnullis forte plus æquo jam excurriſſe videbitur, finiamus & quidem verbis ſequentibus D. Langii (*c*). „ Non „ eſt res levicula ſervum aliquem Dei & veritatis Je- „ ſu Chriſti teſtem, tam indigne & tam audacter co- „ ram facie Dei, ſanctorum Angelorum totiusque Ec- „ cleſiæ, publice ſine [legitimo] fundamento, præter „ veri fidem, accuſare, condemnare ac rejectaneum „ præſtare. Vere Chriſto ipſi factum eſt, quicquid „ in ſervos ejus fideles, utut [mundo & mundi Sa- „ pientibus] deſpectos admiſſum fuerit. Illi vero eo- „ rumque ſimiles ſtabunt aliquando in magna confi- „ dentia ad dexteram Chriſti contra omnes Pſeudor- „ thodoxos qui eorum doctrinas, Scripta & opera re- „ jecerunt (*Sap.* V.). Quodſi vero hinc inde ex hu- „ mana forte hallucinatione ſcorias quasdam (qua de „ re tamen nullus Pſeudorthodoxus judicare idoneus „ eſt) in ſe vel in Scriptis ſuis habeant; auri tamen, „ ex adverſo, argentique tanta adeſt copia, ut nulla „ plane comparatio inter iſta locum habere poſſit.

(*a*) *Aufrichtige Nachrichten.* II. Obſerv. 2. §. 11. p. 46, 47.

Monitum Typographi. Dum hæc abſolvuntur, ecce nobis ex Germania Stricturæ breves in Dodecadem priorem diſſertationum Anti-Poiretianarum D. Joach. Langii, quas quia non viderant Præfatores noſtri, nullam earum mentionem facere potuerunt in ſuperiori Præfatione, quod utique non neglexiſſent [nec & nos de illis in titulo libri monere] niſi ſero nimis allatæ eſſent. Quæ & ratio fuit, cur ad calcem libri eas rejicere coacti ſumus, reperiendas pag. 791.

Sequen-

Sequenti de Vita & Scriptis P. P. Commentariolo

Addenda ad finem §. 62. pag. 39.

Theodorici Ruinarti Acta primorum Martyrum sincera & selecta in folio. a. 1713.

Inter hæc vero, cum D. *Theodorici Ruinarti Acta primorum Martyrium sincera & selecta* ab Auctore recognita & aucta a. 1713. typis Wetstenianis iterarentur, non tantum sedulo curavit Poiretus ut elegantissima hæc editio quam emendatissime prodiret, sed & operam dedit, ut SS. Martyrum *de Mysteriis SS. Trinitatis vel Deitatis Jesu Christi æternæ* testimonia perspicua, ubicunque occurrerent, in margine adnotarentur, quo facilius sub conspectum caderent; eo præcipue fine, ut vel inviti cognoscerent Christianæ fidei hostes novitii, Sanctissimos Martyres Mysteriorum illorum veritatem, non vocis modo, sed & fusi sanguinis testimonio obsignasse.

*Poësies Spirituelles, de Monsr. F**. M**. nouvelle edition revue, corrigée & augmentée par l'Auteur. en* 8vo. a. 1714.

Sub idem tempus curam suscepit feliciterque absolvit Editionis novissimæ *Carminum Spiritualium*, vias gratiæ interiores quin & Contemplationem ipsam egregiè describentium, *Francisci Malevallii* Massiliensis, Viri pietate non minus quam doctrinis tum Philosophicis tum Theologicis præter multos ornatissimi, licet oculorum usu ab ineunte fere ætate capti, quam vero ad annum usque tertium ultra nonagesimum, rara fere animi & corporis incolumitate vigentem Deo dignante protraxit, anno demum 1719. d. 15. Maji in urbe patria, lugentibus omnibus bonis, fatis functus. Editio hæc, quæ a. 1714. lucem vidit in 8vo. elegantissima est, quamvis Auctor expressiones nonnullas Editionis prioris Parisiensis anni 1671. in se sanissimas probatissimorumque Mysticorum doctrinæ & experientiis plane conformes, in hac ultima nonnihil temperaverit, procul dubio ut censuras Anti-Mysticorum declinaret.

ERRATA. P. 5.) l. 30. & p. 6.) l. 32. pro (*a*) lege (*b*). p. 24.) l. 26. pro plurima l. plurimi. p. 41.) l. 8. pro quoad l. quo ad. p. 45.) l. 34. pro sacratum l. sacra tum

DE

DE VITA ET SCRIPTIS PETRI POIRETI COMMENTARIOLUM.

1. PRodiit jam anno 1719. in Bibliothecæ Hiſtorico-Philologico-Theologicæ, quæ Bremæ imprimitur, Tertiæ Claſſis Faſciculo Primo *Epiſtola de Vita & Morte* PETRI POIRETI; Schediolum exhibens ex Literis Defuncti excerptum, ubi rogatu Amici ſumma vitæ & rerum ſuarum capita quædam ipſe delibaverat. Sufficiet itaque hic loci, quo jure ſpectare videntur, eadem nunc repetere, ac addenda ſi qua ſint ſuo quæque ordine, & præcipue quidem ex Auctoris vel Libris publice impreſſis, vel adverſariis quibusdam aut etiam literis privatis, paucula ex ipſius ore accepta inſerere.

1. Epiſtola de Vita & Scriptis Poireti alibi impreſſa.

2. Natus eſt B. Petrus Poiret Metis, Urbe Epiſcopali in ditione Regis Galliæ, anno 1646, die ſolis 15. Aprilis, Patre ac matre honeſtis ac piis; illo Petro Poiret, cive apud Metenſes ac polione, hac vero Maria Treſar. Avum alicubi (*a*) memorat, cum pro Religione Romano-Catholica, religioſoque in ea ſtatu Reformatam amplexus eſſet, eò neceſſitatis fuiſſe adductum ut omnia ipſumque adeo nomen ſuum relinquere cogeretur, quo Cleri Romani propriæque familiæ perſecutiones evitaret; ſicque maluiſſe artem mechanicam polionis ſeu machæropœi addiſcere quam aliis oneri eſſe vitamque inerti otio tranſigere. Noſter in prima ſtatim infantia nondum bimulus graviſſimo morbo decubuit ad periculum usque vitæ, ita ut jam pro mortuo à ſuis haberetur; quibus vero benigniſſimum Numen eum reddere, ſalutemque pueruli fere jam conclamatam redintegrare voluit. Sed vix primos pueritiæ annos egreſſus erat, quum orbitatis ſortem ſubiit, quippe qui Patrem ſuum 24. Aprilis 1652. amiſit: circa quæ tempora & Scholas vulgares adire cœpit.

2. P. POIRETI nativitas & anni pueriles.

(a) Paix des bonnes ames. Section V. §. 32.

3. Cum vero adoleſceret, & de vitæ genere cui deſtinandus eſſet,

3. Graphices principia addiſcit.

esset, cogitandum videretur, anno ætatis duodecimo Dom. Sebast. Clerico, in sculpturis magistro longe peritissimo, eodemque quem postea Rex Ludovicus XIV. Parisios evocatum titulo Sculptoris Regii honoravit, in disciplinam traditus est, à quo graphices sive delineandi artis principia hausit. Neque nullos eo in studio profectus ejus fuisse sciunt qui de rebus ad artem pictoriam pertinentibus judicantem audiverunt: ut taceam publicum specimen longo post tempore in delineata ab ipso Antonia Burignonia dudum mortua datum, ut (*a*) pro falsa & tantum non monstrosa ejus pictura, ab alio nescio quo consilio excogitata, veram Virginis Theodidactæ imaginem Orbi Christiano exhiberet.

(*a*) *Vindic. contra Jæger. Lib. IV. Cap. ult.* §. 30.

4. Literis operam dat Metis & Buxovillæ, tandemque Basileæ.

4. Anno demum tertio decimo ætatis tantum non finito, sub initium scilicet 1659, linguæ Latinæ liberaliumque artium rudimentis addiscendis admotus est, tarditatem institutionis ingenii felicitate ac industria sua compensaturus. Nam & in illa jam tenella ætate singularem omnis disciplinæ capacem præ se ferebat indolem; quo factum est ut cum ii qui curam ejus gerebant, semel atque iterum deliberarent de literarum studiis quibus vix initiari cœperat, cum alio vitæ exterioris instituto commutandis, à consiliis istis divina sic disponente providentia facile destiterint. Nondum tres annos scholas patrias frequentarat cum à Generosissimo Præfecto Primario superioris Comitatus Hanoviensis Domino de Kircheim, filiorum in Gallica lingua instituendorum gratia, Buxovillam accersitus est, quò circa finem anni 1661. perrexit, studia sua ibidem quoad illa in urbe substitit, per duos puta annos cum dimidio, diligenter prosequens; donec anno 1664. mense Aprili eorundem perficiendorum causa Basileam, tot doctissimorum virorum alumnam, pertendit; ubi Domini Ancillonii Ministrorum Metensium Decani, cujus se favori & consiliis multa debere gratus semper agnovit, commendatione commode adjutus in Collegio Erasmiano receptus est.

5. Studia ejus Philosophica & Theologica.

5. Hic verò per victus, qui tunc ibi parcior erat quam sequentibus temporibus, tenuitatem aliaque incommoda, quibus levandis subsidia necessaria deerant, adversa fere semper valetudine, aut certe jugi languore detentus fuit, quæ causa fuit ut ex

Lectio-

Lectionibus publicis primum Philoſophicis, dein Theologicis parum admodum proficere potuerit. Ita verò libertatem adeptus eſt in Muſeolo ſuo proprio ingenio arbitrioque ſtudiis incumbendi; qua ratione præter linguas Latinam, Græcam & Hebræam ad Philoſophica potiſſimum, deinde vero & ad Theologica animum ſeriò applicuit. Et in Philoſophicis quidem Carteſium in quem forte fortuna inciderat, quoque mirum in modum protinus capiebatur delectabaturque, imprimis ſibi ducem elegit, ejusque Philoſophiæ, iſtis in regionibus tum temporis fere incognitæ, ita nervis omnibus incubuit, ut inde non tantum facilitatem acquireret Ratione dextere utendi, ſed & nonnullis ex familiaribus in iis quæ ab hoc Philoſopho traduntur, diſcutiendis vel explanandis feliciter præiret. In Theologicis Salmurienſium Doctorum & Piſcatoris placita præ cæteris quæ maxime celebrabantur ipſi placebant; horumque principiis imbutus in Diſputationibus, quibus ex more Collegii Eraſmiani intererat, eorum fundamenta non eſſe rejectanea, identidem ſuis oppoſitionibus oſtendebat. Concione etiam ſacra hic loci exercitii cauſa aliquoties defunctus eſt. Inter viros Clariſſimos quibus ibidem innotuit, ſufficiat nominare Virum plurimum Reverendum, Dn. Jo. Rudolphum Wetſtenium, SS. Theologiæ Profeſſorem, cujus filiis in lingua Gallica addiſcenda ſtudium navabat; qua occaſione in laudatiſſimæ familiæ non notitiam tantum ſed & amicitiam quodammodo venit, quam vero præcipue cum filio ejus Henrico Wetſteniò, Bibliopola apud Amſtelædamenſes celebri & erudito, poſtea in Belgio renovatam conſtanter exercuit.

6. Hanoviam contendit.

6. Anno 1667, menſe Auguſto Baſilea diſceſſit paucis ante diebus quam peſtis in illam urbem invaderet, Hanoviam contendens, ubi per ſemeſtre ſpatium commoratus eſt apud Dominum Grandidier, eoque mortuo apud Viduam ipſius, ſtudia ſua exercitiaque ſacra, quantum per valetudinem licuit, (nam & hic morbo affectus decubuit) ſedulò urgens. Sub hoc tempus compoſuit lingua Gallica Tractatulum ſeu Meditationem de Summo Bono, quæ autem publico non innotuit.

7. Et inde Heidelbergam. Noti-

7. Anno ſubſequenti, menſe Aprili Heidelbergam venit, qua in Academia antiquiſſima in conſuetudinem amicitiamque admiſ-

 ſus

tia & amicitia hic contracta. ſus eſt tum aliorum Virorum Doctiſſimorum, tum præſertim Theologi multo Celeberrimi Johannis Ludovici Fabricii Præceptoris ſui, cui pietate ſua modeſtiaque planè ſingulari, qualem Vir ſummus, ut in literis (*a*) ipſimet ſignificare non dubitavit, rariſſimè in iis qui ſe doctores aliorum viæque ſalutis duces profitentur, invenerat, magnopere commendavit. Iisdem virtutibus cum eruditione non vulgari aliisque donis eximiis conjunctis non tantum ex ſodalibus nonnullos ita ſibi devinxit, ut & poſt ejus diſceſſum de rebus graviſſimis ad Theologiæ Philoſophiæque ſanioris ſtudium fructuoſum & ad pietatem tum in ſeſe tum in aliis promovendam ſpectantibus ipſum per literas conſulere voluerint, ſed & Viri eruditiſſimi piiſſimique Dni Danielis Spanhemii Bibliothecarii poſtea Academiæ meritiſſimi familiaritatem emeruit.

(*a*) d. 10. April. 1670.

8. Concionandi munere fungitur.

8. In eadem urbe celeberrima indeque & in aliis locis circumjacentibus laborum ſuorum, qualium, ut ipſe ait (*a*), tunc capax erat, primitias non mercede ſed liberaliori animo ductus & impulſus per aliquot annos impendit, idque Sereniſſimo Electore Carolo ſemel atque iterum præſente, favoremque animi ſui ut reſciſceret curare dignante. Et Heidelbergæ quidem, poſt conceſſam ipſi mox ab adventu ſuo, 29. Aprilis, à Senatu Eccleſiaſtico licentiam in Eccleſiis Palatinatûs Gallicis publicè concionandi, coepit eo munere diligenter & cum applauſu defungi, Reverendo D. Cregut ſeniori, cujus hoſpitio utebatur, vicariam operam per quindecim fere menſes accommodans. Idem muneris & in aliis quibusdam Palatinatûs locis ſubinde obiit, præſertim poſt rite acceptam anno 1669, die 8. Decembris, à Viro plurimum Reverendo Joanne Ludovico Fabricio manuum impoſitionem; verbi gratia Otterbergæ (ubi & Commentariolum tum Philoſophicum tum Theologicum, quod item lucem publicam non adſpexit, de Peſte deque contactis hac lue viſitandis Gallicè confecit,) Frankenthalii &c.; potiſſimum verò Manhemii anno 1670, D. Braglet Eccleſiaſtæ in coetu Gallico ordinarii vices ibidem ſupplens, quamvis auditoribus qui veritatem reprehendentem audire detrectabant parum faventibus, de quibus & ipſe Dnus Braglet non leviter conqueſtus fuerat.

(*a*) *In Dedicat. Cogitationum Rationalium Edit. ſecunda.*

9. Concionum ejus

9. In concionibus populum ad pietatem veram & internam maximè formare inſtituit, prout ipſe ſummam ejus excellentiam

ac

ac soliditatem salutarem experimentali gustu magis magisque detegebat; ita ut cetera tandem omnia, quæ vel ad ceremonias spectant & externa Christianismi, vel etiam ad speculationes de rebus sacris ac divinis, imo & ad controversias quæ inter dissentientes partes Christianæ gentis super his agitari solent, eodem sollicite reduceret: Quo in instituto non parum se adjutum confirmatumque narravit scripto quodam insigni molis non exiguæ, cui titulus *Thesaurus in agro absconditus*, Auctoris Anonymi qui sub nomine *Hiel* (a) se ipsum occultare voluit; quod scriptum cum in manus ejus è Belgico in Gallicum versum incidisset, neque illius nanciscendi spes affulgeret, propria manu sua totum descripsit, stylum Gallicum qui subhorridus erat eadem opera utcunque emendans. Hunc ipsum Librum, ut hoc obiter addam, cum Clarissimo & perspicacissimo Dn. Fabricio commodasset, hic literis 10. Octob. 1671. ad Poiretum datis testabatur, meditationes in eo optimas piissimasque inveniri, modo quis antea stylo ejusdem parumper assuetus fuerit. Sed & facilitate Poiretus in homiliis vel meditandis vel habendis utebatur singulari: quam hac in re dexteritatem etiam probavit, ubi statim ex itinere à Concionatore, quem uti amicum conveniebat, illo ipso tempore quo eidem suggestus conscendendus erat, ægritudine correpto, instanter multumque rogatus ad datum Scripturæ locum de rebus divinis verba pro concione fecit Celsissimo Principe auscultante, uti familiari sermone retulit.

argumentum & facilitas.

(a) Vide de hoc Auctore ejusque charactere Epistolam de Auctoribus Mysticis §. 51. & seqq.

10. Ejusdem anni 1670, die 30. Novembris, matrimonium iniit cum lectissima fœmina Dna. Claudia Kin Metensi, Vidua Dni. Grandidier, quam sine liberis præmortuam triginta circiter annos supervixit, heres unicus ab eadem scriptus.

10. Matrimonium init.

Manhemii agens etiam ad quæstionem viri amicissimi Dni Antonii Grelot, Pastoris Otterbergensis, Epistolam (a) de Idea Dei, animæ, & mali 1671. idiomate Gallico conscripsit; quæ verò postea, ut suo loco videbitur, in Opus integrum Latinum *Cogitationum Rationalium* nomine satis notum, evasit.

Epistola Gallica rudimenta continens libri Cogitationum Rationalium.

11. Sub initium anni 1672. Ecclesiæ Gallicæ quæ Annævillæ erat in Ducatu Bipontino, cura eidem demandata est, quam licet salarium valde esset mediocre, recusare tamen noluit, animarum,

11. Ecclesiæ Annævillensi præficitur.

(b) *Cogitat. Ration. Edit. 2da & 3. in Discursu Præliminari n. 120.*

marum, uti sperabat & votis omnibus unice optabat, Deo lucrifaciendarum causa: cui muneri per quadriennium & ultra, faventibus & applaudentibus bonis omnibus, pro ea quam attigerat luminis mensura, magna cum fide & industria præfuit.

12. Theologia Germanica Gallicè conversa.

(a) Paix des bonnes ames. Sect. V. §. 30.

Lectio Tauleri.

12. Hinc cum Anno 1673. Francofurtum ad Mœnum commeasset, *Theologiam Germanicam* à se in Gallicum sermonem versam eodem detulit ut Bibliopolæ imprimenda traderetur; quæ vero post biennium demum typis excusa est Amstelædami apud Boomios in 12. & (*a*) mendis licet typographicis scatens publico tamen probata fuit.

Domum reversus in Scriptis Viri illuminatissimi *Tauleri*, quæ Francofurti apud Amicum Ecclesiasten nactus erat, solidiora Vitæ interioris principia magis magisque degustare cœpit, quæ tum e libris *Kempisii* de Imitatione Christi, ut & Anonymi *Thesauro abscondito*, tum maxime è Libello *Theologiæ Germanicæ* pridem introspecta mentem ad serium & indefessum ejus studium indies stimulabant. Interim cum paulo post anno 1674. exercitus Gallici Palatinum invasissent, semel atque iterum Landavium puta & Philippiburgum, ad Præfectos militum graviter vulneratos accitus, non sine salutari fructu eosdem allocutus est, majorem apud eos docilitatem inveniens quàm apud Scribas & Pharisæos, sive homines præter ceteros rerum divinarum cognitionem aut vitæ morumque sanctitatem præ se ferentes.

13. Dysenteria letali laborans se ipsum districtè examinat.

(b) Paix des bonnes ames. Sect. V. §. 36.

13. Mense autem Augusto grassante in Palatinatu dysenteria, quæ uno hoc anno plus quadraginta Verbi divini Ministros ibidem abripuit, postquam uxor vix ab hoc morbo convaluisset, eodem letaliter conflictatus est, per quinque dies & sex noctes sanguinem non sine ingentibus doloribus continue ejiciens, ita ut non tantum amicis plerisque jam mortuus crederetur, sed & ipse sibi salutis recuperandæ spem relictam vix videret. Hîc vitam anteactam, utut coram hominibus integerrimam, (nam & adhibito verecundiæ naturalis freno (*a*) Deus eum præservaverat tum à juvenili licentia tum a consortiis hominum mundi vanitates sectantium, ut his procul habitis non nisi cum iis quos divini nominis timore tactos credebat, societatem iniret,) stricte discutiens ad lumen Dei in interioribus vivide illucens, non potuit non cum gravissimo doloris, imo & horroris sensu deplorare eam

tam

tam inutiliter sæpe collocatam in quisquiliis quibusdam, aut etiam in sterilibus rerum seu humanarum seu divinarum ideis comparandis, amorem proprium adhæsionemque sibi & aliis propter se interim fovendo, nedum uti par erat debellando, ut ita sincerus ac purus Dei amor in animo revivisceret: cujus obtinendi causa vitam sibi prorogari ardentissime à Deo postulabat. Annuit votis ipsius Divina Bonitas, quâ tam præsenti periculo ereptus, novos inde fervores soli Deo reliquum vitæ tempus per ejus gratiam consecrandi concepit.

14. Non abs re fuerit de angustiis hisce interioribus fructuque salutari quem ex earum memoria etiam deinceps collegit, ipsissima Beati Viri verba referre, quæ aliquanto post tempore inter Annotata nonnulla quæ tum quidem ad sui emendationem vel cavenda sibi vel observanda maxime credidit, manu ipsius consignata leguntur, & è Gallico conversa sic habent: *14. Angustiæ interiores, earumque fructus.*

„ Cum novissime decumbens morti me proximum viderim, „ & ad inferos forte infelix abiissem, si illa tunc mihi obvenisset, hinc imposterum dispiciendum mihi erit, quo pacto coram Deo sim substiturus quando eundem in statum devenero, „ prout certo certius me in eum deventurum scio.

„ Deus imprimis mihi exorandus est, ut gratiam mihi largiatur eosdem quos tunc habebam animi affectus & habitudines toto vitæ meæ tempore conservandi.

„ Quanto cum horrore fastidioque recogitabam peccata mea „ vitæque præteritæ negligentias? Ut mihi tum sapiebant ista? „ Quantopere detestabar nugas inutiles ineptiasque, verba & „ facta sterilia quibus maximam vitæ partem impenderam? „ Quantopere metuebam ne in mei ipsius amore, in studio mihimet placendi, & in respectu ad me ipsum decedens, post „ obitum in Dæmonem evaderem, mecum cogitans, Dæmonem Spiritum esse scientia plenum cum proprio amore?

„ Quàm vehementer desiderabam vitam mihi restitui, eo fine „ ut eam totam Deo consecrarem, ipsi per omnia obediens? & „ id ipsum tamen usque adhuc tam parum imò nullo modo curavi.

„ Obtestabar illum dicens: Relinque quæso, Domine adhuc „ aliquantisper arborem hanc sterilem, appone illi fimum post-

„ quam

„ quam illam ablaqueaveris : quo facto si fructum ferat, be-
„ ne ; sin minus, excide eam. Ille vero exaudivit depre-
„ cationem meam, ablaqueando me, ut ita dicam, & ab omni
„ munere mundano liberando ; datis etiam mihi per meditatio-
„ nes meas, imprimis vero per verba conversationemque suorum
„ notitiis multis. Euge igitur, ô Deus meus, quandoquidem
„ nihil quicquam possum sine te, faxis quæso ut fructus feram
„ in tui gloriam. Tu mihi es fortitudo mea & omnia.

„ Quid facerem, subjungit porro, si quidem nunc morien-
„ dum mihi esset? Quomodo rationes idoneas Judici meo exhi-
„ bere possem de iis quæ fidei meæ commisit?

„ Enimvero quod si apud animum meum considero me vel
„ hoc ipso die mori posse, parvi me ipsum æstimabo, parum
„ sollicitus ero quidnam vel boni vel mali de me sentiant aut
„ loquantur mundus vel amici mei, cupiditatibus meis obsequi
„ non studebo, bona fluxa sive præsentia sive absentia parum
„ me afficient, uti nec aliæ res qualescunque, quippe qui to-
„ tus defixus ero in cogitatione Judicis mei, post intellectas ra-
„ tiones à me sibi redditas de vita peracta, sententiam vel vitæ
„ vel mortis meæ sempiternæ pronunciantis. Isthoc vero hoc
„ ipso die & omni die evenire potest. Faxis igitur, ô Deus
„ meus, ut nulla sit dies quin ista mecum recogitem. „ Hacte-
nus verba Viri Beati, quæ neminem puto inter eos qui ad sui correctionem adspirant, hic legisse pigebit.

15. Cogitationum Rationalium libros de Deo, anima & malo conscribit.

15. Decreverat ille, imo Deo suo quodammodo (*a*) voverat, dum hoc ipso morbo decumbens de vita sua si ex eo emergeret, rectè & ad Dei gloriam collocanda cogitabat, Epistolam ante aliquot annos Gallice scriptam, genuina de Deo ejusque mirabilibus testimonia plurima exhibentem in Latinam linguam convertere : quod ipsum mox, valetudine parumper confirmatâ, exsequi, aut potius de integro novum plane Tractatum, *Cogitationes Rationales de Deo, anima & malo* componere mense Decembri aggressus est, sequentique mense Augusto absolvit.

(*a*) *Epist. ad Ducem Bipontinum D. 23. Jun.* 1677.

16. Horum argumentum, ordo, & scopus.

16. Propositum (*b*) ei fuit hoc in Tractatu breviter complecti quæ Dei, Entis summi ejusque tum excellentissimi operis, animi nostri, tum adversarii & hostis perpetui, mali scilicet si-

ve

(*b*) *Cogit. Ration. Præfat.*

ve peccati, ideas seu conceptus, quantum quidem fieri potest, claros excitent. Ordo quem sequitur hic est, ut primo nebulæ quæ impediunt quo minus mens rerum spiritualium ideam veram possit formare, discutiantur; quibus superatis, generalis notio utriusque mentis, Increatæ videlicet & creatæ, harumque agnoscendarum cum suis perfectionibus hujusque imperfectionibus via in genere proponitur: quam tertio sequitur specialior DEI & Mentis creatæ expositio, dum ex consideratione eorum quæ in mente creata observari possunt ad DEI perfectiones seu attributa specialius contemplanda assurgitur; subjectis ultimo loco quæ ad notionem mali seu peccati dilucidandam facere possunt. Atque hæc quatuor totidem Libris comprehensa totum opus absolvunt, de quo vere dixit Auctor, (*a*) nihil in eo occurrere quin DEI nostri Optimi, Maximi, Potentiam, Bonitatem, Sapientiam, Virtutes adorandas, Reverentiam atque Cultum è centro, ut sic dicam, & ad centrum cordis erga Majestatem ejus magnificentissimam singulari modo inspiret. Imprimis vero facile animadvertent omnes quibus opus perlectum est, Auctori (*b*) jam tum fuisse scopum & animum uti conaretur quotquot philosophari volunt, præsertim vero Philosophiæ Cartesianæ ipsi non ignotæ addictos, ad DEI sinceriorem cognitionem, nec non ad pacis inter rixantes Christianos commendationem ac studium adducere.

(*a*) *In Dedicat. Cogitat. Ration. Edit. 2da.*

(*b*) *De Erudit. To. II. in Respons. ad Censuram Parrhasii p. 713.*

17. Dum hoc in Opere componendo, quoad per munus publicum aliaque quæ sæpe ex inopinato obveniunt negotia liceret, versabatur, triste ei nuncium affertur de obitu Dni Danielis Spanhemii Academiæ Heidelbergensis Bibliothecarii, Viri Deo & omnibus bonis ac piis percari, Poireto vero ob virtutem ac pietatem solidissimam, cui similem in nullo hucusque homine agnoverat, præ omnibus quibuscum amicitiam colebat longe carissimi, qui anno ineunte 1675. die 20. Januar. Heidelbergæ decesserat, postquam (*c*) per totos septendecim dies quibus mor-

17. D. Dan. Spanhemii beata morte intellecta ad virtutes ejus imitandas accenditur.

b bi

(*c*) In Epistola ad Virg. Schurmanniam 24. Nov. 1676. datam de eo hæc testatur Poiretus; „ Spanhemius in suimet abnegandi studio valde excellebat; idem„ que nihil licet loquendo efficacissimè & multum concionatus est. Erat vir do„ lorum interiorum, ad externos tantum non insensibilis, quippe qui toto illo „ quo decumbebat tempore nihil unquam conquestus est nisi curam, ut ajebat, „ nimiam

bi violentia graviſſime afflictabatur, omnia & ſingula ipſius cogitata & deſideria totidem fuerant immolationes & veluti holocauſta Deo ſuo oblata, inter quæ & conjunctiſſimi ſui Poireti precibus ſeſe commendare voluit, datis ad eum literis reſignatione plenis poſt quas nihil amplius ſcripſit. Poiretus morte ejus intellecta & qua ratione eam medios inter dolores ſummos tum internos tum externos excepiſſet, non potuit non graviſſimè commoveri & novo ardore ad pietatis interioris ſtudium accendi, gratiam à Deo inſtantiſſime poſtulans ejusdem virtutes vere Chriſtianas propius imitandi. Quo in ſtudio procul dubio non parum confirmari ſe expertus eſt quando Regulas quas Vir beatus ſibi, dum viveret, erga Deum, proximum & ſemetipſum obſervandas præſcripſerat, puriſſimæ virtutis praxin complexas & in Tractatum integrum extenſas, manu ſua deſcripſit. De ipſo memorat Poiretus in Epiſtola ad Dnam Schurmanniam 24. Nov. 1676. data, eum primum fuiſſe qui de Virgine Burignonia ſibi locutus fuerit, & quidem non ſine elogio, eoque exceptioni vix ſubjecto, quod ab animo à partium ſtudiis alieno, ſedato, perſpicaci, Deique reverentiſſimo profectum fuerit.

18. Amici novi Francofurti.

18. Cæterum Poiretus haud diu poſt Spanhemii ſui obitum Francofurtum repetiit, ubi & in Eccleſia Gallica concionatus eſt; ſimulque in ea urbe plurium qui Veritatis divinique amoris ſtudium ſincere colebant ſectabanturque, interque eos Viri Conſultiſſimi Joannis Jacobi Schützii, non minus Compendii Juris Lauterbachiani quam variorum qui ad pietatem interiorem ſpectant, Tractatuum Auctoris celebratiſſimi, notitiam adeptus eſt amicitiamque: ſiquidem cui nihil magis in optatis eſſet quam iis hominibus conjungi quibus ad ſolida magis magisque vel proficeret vel certe animaretur; unde & deinceps ſemper eandem cum iis amicitiam ſancte tuitus eſt. Quæ vero eò potiſſimum ſpectabat, ut commercio literario non affectato divini amoris igni-

„ nimiam ſibi ſuoque corpori adhiberi. Erat in lectulo ſuo tanquam agnus, oblitus fere corpusculum ſe habere; ut non niſi de DEO ſuo indeſinenter cogitaret: „ Vereor ne mortificationum auſteritatumque exercitia vitam ejus breviorem fecerint. Si diutius vixiſſet, credo eum viam deſolationum interiorum, quas „ divinus ille Matth. Weierus expertus eſt, ingreſſurum. In agone identidem exclamabat: Ah amabilis mi Domine, Ah amabilis mi Domine! quaſi Deum „ jam præſentem ulnis ſuis amplecteretur.

igniculi ultro citroque excitarentur; inter quæ noster pro re nata saluberrima sæpe consilia monitaque modestia singulari condita desiderantibus subministravit.

19. Et tum quidem hic loci, divina procul dubio dispensante Providentia, licet ministrantibus iis qui nihil minus inde exspectabant quam salutaris profectus fructum, incidit in Scripta nonnulla Virginis Antoniæ Burignoniæ, videlicet *Lucis in tenebris natæ* Partem primam, secundam & tertiam, quorum lectio quid apud animum ejus effecerit mox videbimus. *19. Incidit ibi in scripta Antonia B.*

20. Inde domum reversus operi quod inceperat perficiendo gnaviter intendit, eo ipso tempore quo belli procella incrudescens in toto Palatinatu locisque adjacentibus misere desæviebat, medias ipse inter exercituum devastationes, direptiones, latrocinia & furores in oppidulo expositus. *20. Commercium literarium cum Principe Elizabetha, ejusque occasio;*

Interim vix Annævillam redierat cum Serenissima Princeps Palatina Elizabetha, Abbatissa Herfordiensis, tot Eruditorum encomiis celebrata, quæ ab ipso Duce Bipontino (*a*) intellexerat, quanti apud Serenissimum Principem Poireti tum eruditio esset tum pietas, quantasque in calamitates belli furor totum Ducatum illum conjecisset, difficilibus adeo temporibus ipsum nihil tale cogitantem beneficentia sua sublevare dignata est; quâ invitatus Reverendissimam Principem literis salutare cœpit. Nec gravata fuit illa Poireto rescribere (*b*) iis verbis quæ satis ostendebant eam veritatis solidæ radiis collustratam, vanitatem & nullitatem eorum quæ in mundo vel à sapientissimis maximi fiunt, penitius inspexisse, inter alia attestans „ se unum ex Dei „ filiis pluris facere quam omnes Philosophos longe maximos „ totius mundi, encomiaque quibus eam hi, (& non immerito quidem, quippe quam in rebus omnibus tam sacris quam profanis oculatissimam fuisse constat,) cumulaverant, totidem sibi nunc causas esse, suarum se vanitatum præteritarum memoria humiliandi. Neque intra hosce terminos substitit commercium isthoc, nec dedignata est piissima Princeps Poireto, pro re nata ad ipsam de iis quæ ad veritatem virtutemque solidam pertinent, literas danti, additis subinde libris quibusdam vel suis vel aliorum eadem efficacissime exponentibus, humanissime respondere.

(*a*) *Lit. Ducis Bipont. ad Poir. die 21. Aug. 1675.*

(*b*) *D. 18. Jun. 1675.*

21. Itemque cum Duce Bipontino.

21. Eadem occasione, Epistolæ scilicet ad Serenissimam Abbatissam Herfordiensem mittendæ, & ad Celsissimum Principem suum Fridericum Ludovicum Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bipontinum, quo internuntio illa benevolentiam suam nostro testatam fecerat, scripsit, eodem clementissime respondente, ac humanissime ad conversationem aliquam literariam de rebus divinis invitante. Cumque paulo post 31. Augusti Princeps optimus superstitem Filium unicum, quo solo germine propagandæ Serenissimæ prosapiæ spes nitebatur, immatura morte abreptum amisisset, suarum esse partium credidit Poiretus, ut tantæ Principis ægritudini levamentum aliquod afferret, literis solatii plenis eundem salutare, quas sibi gratissimas nec sine insigni apud animum suum fructu fuisse humanissima responsione testificatus est Princeps; qui & deinceps de rebus gravissimis tum ad divinam veritatem, tum ad Ecclesiæ, imo & Reipublicæ statum pertinentibus ad Poiretum scribere non dedignatus est.

22. Alius liber Antoniæ ei oblatus. Horum librorum lectio quid apud eum effecerit.

(a) Irenic. Univers. Sect. V. §. 8. in Tomo II. de Eruditione.

22. Interim divina Providentia, quæ paucis ante mensibus Virginis celebratissimæ Antoniæ Burignoniæ scriptum, quod *Lucis in tenebris natæ* nomen præfert, Poireto obtulerat, mense Decembri ejusdem anni alium Librum hujusce Virginis, *Tumulum*, scilicet, *Theologiæ falsæ*, curantibus amicis Francofurtensibus ad eum direxit. Quibus scriptis Poiretus (a) ad vivum in intimis Deo operante tactus, Virginem ipsam alloquendi, nescius tamen utrum adhuc viveret aut ubinam esset, desiderio summo tacitus teneri cœpit, ardentissimo imprimis sibimet ipsi ac mundo renunciandi solique Deo vacandi studio flagrans.

23. Belli calamitatibus adactus Annævillensibus valedicit, in Belgium iturus.

(b) ibidem.

23. Dum hæc vota conciperet, in iisque magis ac magis confirmaretur, belli calamitas ingravescens regiones istas ita premebat ut non nisi exitialis vastitas undique immineret. Unde auditorum suorum inopia & fluctuatione stationis accedente occasionem hanc, quam sibi à Deo subministratam credebat, amplexus, consilium (b) instigante propria cepit conjuge eundi in Bataviam, visurus num ibi locorum de rebus Antoniæ quid daretur cognoscere, eamque quod cum lacrymis à Deo postulaverat, convenire posset. Ita omnia ad iter aggrediendum sensim disponens, non amicos tantum quos in Palatinatu habebat satis multos, adiit ut iisdem valediceret, sed & ipsum Principem

Pala-

Palatinum Lansbergii tum commorantem; qui Poiretum ibidem concionantem audire voluit, literasque commeatûs, seu ut vocant salvi conductus pro itinere quod meditabatur in Belgium, lubens concessit, quin & stationem ei & mensam in aula sua quandocunque vellet, etiam post reditum ex itinere Batavo, si quidem ita placeret, clementissime obtulit. Hinc ad suos regressus cum jam bellicus furor paucis ante diebus urbem proximam, Tabernas Montanas, concremasset, omnibus commode præparatis cum familia sua Annævilla 25. Februarii anni 1676. discessit Frankenthalium, unde post biduum eodem reversus die 1. Martii publica concione auditores ægerrime eum dimittentes valere jussit, qui & abeuntem testimonio luculentissimo honorarunt.

24. Equidem objectum ei fuit postea à nonnemine, eum charactéri Pastorali renuntiasse: contra quem vero publice de ipsius rei veritate meritò contestatus est, simul explicans quo consilio & quo fine iter illud confecerit, hisce, quæ repeti hic operæ pretium videtur, verbis. „ A veritate alienum est, inquit (a), me charactéri Pastorali renuntiavisse. Documentis certis evincere possum me, auditoribus alioqui gratissimum & desideratissimum, ob calamitates bellicas iis in locis debuisse à functionibus istis desiisse; nec invitum, fateor: neque etiam postea illuc aut aliò, vel in ipsas aulas, etsi me cupiverint, redire volui, & id quidem non characteris aut officii pastoralis contemtu; contrà majori ejus veneratione, indignitatisque propriæ consideratione, tum & metu abusuum qui fiunt in sacris. Cœcitatem meam, qua adeo infirmus ac imparatus tantum onus, quo anima mea pro aliorum (etsi paucorum) animabus respondere coram Deo deberet, susceperam, jam incipiebam agnoscere: animadvertebam hominibus nihil ita placere uti adulationes; eis etsi *amarent mundum & quæ in mundo sunt*, atque adeo *Patris amor in iis non esset*, administranda tamen esse Sacra, quæ negari non poterant sine inimicitiarum eventu, nec dari sine conscientiæ propriæ vulnere. Quid plura? libertatem non sine Dei providentia nactus, decrevi mihi deinceps meliùs vacare, optimorumque commercio vel consortio, ubicunque illi essent, dignus esse & melior inde fieri. “

24. *An Pastorali charactéri renuntiaverit.*

(a) *Iren. Univ. d. loco.*

25. Amstelædamum venit, Librumque Cogitationum Rationalium *prælo committit.*

25. Ita ergo ex Palatinatu per Francofurtum, Coloniam indeque Rheno secundo Neomagum delatus, per Ultrajectum Amstelædamum perrexit mense Aprili. Hic librum suum Latinum Bibliopolæ famigeratissimo, Danieli Elzevirio imprimendum tradidit: sed cum hic aliis quibusdam operis distentus esset, anno demum sequenti typis elegantibus exscriptus in publicum prodiit in 4to. sub titulo: *P. Poireti Cogitationum Rationalium de Deo, anima & malo Libri quatuor, in quibus quid de hisce Cartesius ejusque sequaces, boni aut secus senserint, omnisque Philosophiæ certiora fundamenta, atque imprimis tota Metaphysica verior continetur.* De hoc opere supra (*a*) cum de illius compositione diximus, nonnulla monuimus: sed & quodnam Auctori institutum in eo conscribendo, qui etiam fructus laboris hujus fuerint, ipse verbo attigit in Vindiciis (*b*) contra Jægerum, ut superfluum esset plura de eo hic loci memorare. Nec attinet indicare quantopere omnium fere doctissimorum probissimorumque suffragiis comprobatus fuerit primus hic Auctoris fœtus, inter Cartesianos præsertim tum Philosophos tum Theologos, ob multas præclaras, quas haud vulgari modo tradit, veritates saluberrimas; ita ut & nonnulli eum in prælectionibus suis exposuerint, nec defuerint inter Professores Clarissimos qui de Auctore extra officium posito muneri publico admovendo serio cogitarent: qui vero nihil æque in votis habebat quam ut (*c*) procul à mundi consortio vivere sibi liceret eo in statu, quo silentium imponens Rationi non occuparetur nisi iis rebus quæ scientiæ quæ inflat locum nullum relinquant, sed potius viam pandant stultitiæ crucis renuntiationisque sui, & in captivitatem redigendi intellectum sub obsequium Christi.

(*a*) §. 15. & 16.

(*b*) *in Præfatione* §. 5.

(*c*) in Literis ad Ducem Bipontinum d. 27. Oct. 1677.

26. Quare Labadistas, ut intenderat, non inviserit.

26. Constitutum equidem fuerat Poireto cum in Bataviam tenderet, in Frisiam etiam deflectere, Societatis discipulorum notissimi pridem in Belgio Joannis Labadie visendæ causa: quo fine & Amicorum Francofurtensium literas ad Dnam Schurmanniam deferendas non invitus susceperat: Sed cum apud ejus Societatis amicos Amstelædami inquireret de ratione itineris ineundi, hique cum ipso communicarent Libellum Yvonis apud dictam Societatem Pastoris, Antoniam B. ejusque Scripta acerbissime perstringentem, ac pessima omnia & horrenda ex iisdem elicientem, iniquitate scripti perculsus, maluit (*d*) illis sibi relictis

(*d*) *in Lit. ad Principem Elizabetham d.* 30. *Aug.* 1677.

lictis institutum suum primum ac primarium recta persequi, quam ad alios excurrere quos in hæc extrema jam delapsos & præjudiciis suis nimis præventos videbat, quam ut spes superesse posset eos ad æquiora reducendi, contestationes inutiles ita evitaturus. Quod ipsum & paulo post Dnæ Schurmanniæ literas Amicorum suorum eidem transmittens candide significavit, professus omnia quæ ab Auctore libelli in pessimam partem detorta fuerant; optimum & orthodoxissimum sensum admittere posse; id quod deinceps prolixè satis & ad singula objectata ipsimet Auctori ostendit; quando is semel atque iterum hoc de argumento ad Poiretum scribens, licet mansuetudinem imprimis affectaret, accusationes suas veteres non tantum confirmavit, sed & novis auxit, quas vero omnes Poiretus eidem respondens ita dissipavit ut non haberet quod reponeret.

27. Cæterum Poiretus de Antonia tunc Hamburgi degente certior factus, postquam ad eam scripserat semel atque iterum, responsumque tulerat, 12. Junii Amstelædamo solvit; secundoque Julii Hamburgum advectus in exoptatum venit colloquium notitiamque Virginis, quæ (a) tum temporis ibidem contra persecutiones Ecclesiasticas latebat sexaginta jam supergressa annos quibus quatuor adhuc supervixit.

27. Hamburgum vectus, ibidem in notitiam venit Antoniæ B.

(a) *Irenic. Univ. Sect. V. d.* §. 8.

28. Testatur ipse se nullam (b) quidem apud eam sectam, nul-
„ las partes invenisse, nisi solius partes Christi, ejusque ab eo
„ institutæ Christianæ Religionis ac Doctrinæ, quæ est, ut nihil
„ attendendo ad hominum male natas controversias, & partes,
„ quæ in corde eorum Dei ac proximi amorem sufflaminant,
„ sese quisque reddat Deo per Christum in virtute Spiritus ejus,
„ die nocteque in corde per orationem continuam eum invocan-
„ do, ut hujus vi omnia possimus, ac grati Filii Dei per imita-
„ tionem Filii ejus evadamus: Invenisse (c) vero ait, in ea quod in-
„ ter homines interque doctos nondum repererat, Spiritum Do-
„ mini Jesu, vita verbisque sese prodentem, ac per eam vividè in
„ cordibus, ut Magistrum decet cordium per instrumentum ve-
„ re suum operantem; ita ut ab ejus amicitia &, quantum fieri
„ potuit, consortio, quamdiu vixit, sejungi deinceps noluerit, id-
„ que insigni & nunquam pœnitendo animæ suæ profectu. Nam
„ & ipse publice fateri non dubitavit (d) futurum fuisse ut si

28. Quid in ea invenerit.

(b) ibid. §. 9.

(c) §. 8.

(d) *Irenic. Univ. Sect. V.* §. 17. *Confer. Monitum ad Libr. IV. Oeconom. Div.* §. VI.

Scriptis

„ Scriptis ac converſatione Virginis Burignoniæ caruiſſet, nihil
„ ſolide intellexiſſet non tantum in rebus divinis, ſed nec in
„ ipſis naturalibus; imo quod magis eſt, ſine divinis ejus lumi-
„ nibus jacuiſſet adhuc in tenebris ſuis atque in coecitate cordis
„ ſui, nec non in ſervitio atque idololatria Rationis ſuæ corrup-
„ tæ, in quibus ſi manſiſſet, optandum utique ſibi fuiſſet uti nun-
„ quam exſtitiſſet.

29. Cum ea in Friſiam Orient. contendit. Impreſſionem Scriptorum illius urget. Antoniæ mors.

29. Itaque non niſi cum ea anno inſequenti 1677, Junio menſe, Hamburgo abiit, ac per Bremam, Oldenburgum &c. in Friſiam Orientalem Lutzburgum ſe recepit. Et quamvis poſt aliquot menſes Hamburgum rediiſſet, unde & ad nonnulla negotia expedienda in Holſatiam excurrit, ſequenti anno, menſe Septembri, iterum indidem Lutzburgum ſe contulit. Cumque totum ſe Deo divinæque veritati publicandæ devoviſſet, Scriptaque B. Virginis Amſtelædami excuderentur, eò tendit annum iſthic 1679 integrum ejus impreſſionis urgendæ cauſa agens. Unde anno 1680 ipſis Calendis Januarii Lutzburgum repetiit; neque inde diſceſſit niſi cum ipſa Virgine, quando illa menſe Septembri ob novas perſecutiones Friſiam ad Orientem reliquit. Et Virgo quidem Franekeræ ſubſtitit, Poiretus inde Amſtelædamum regreſſus eſt, ut ibi loci refugium quæreret innocentiſſimæ Antoniæ; quæ vero tot vexationibus tandem ſuccumbens 20. Octobris Franekeræ diem obiit ſupremum. Quo triſti nuntio accepto ille quidem Franekeram rediit cum amico, ſed poſt curata quædam neceſſaria Amſtelædamum mox reverſus eſt.

30. Amſtelædami ſibi vivit.

30. In hac urbe florentiſſima per annos fere octo ſibi tantum & amicis ac Veritati vacans, commoratus eſt, niſi quod ſubinde cum amicis quibusdam in rus digrederetur, imo & ſub finem anni 1681 aliud iter trium vel quatuor menſium in Holſatiam ſuſciperet, rerum quarundam componendarum cauſa. Unde cum in Hollandiam remearet per Hamburgum febri tum temporis laborans, anno ineunte 1682 curru publico, quo vehebatur, Hamburgum inter & Oſnabrugam ſubverſo, brachioque ex lapſu luxato & fracto, a febri quidem triſti hoc atque inexſpectato caſu liberatus fuit; ſed cum nonniſi quinto poſt die Oſnabrugæ manum medicam experiri daretur, difficulter nec ſine doloribus brachium affectum in locum & uſum ſuum reſtitui potuit.

31. De-

31. Demum Anno 1688, menſe Auguſto, occaſione amici Doctoris Medici, in arte ſua pariter ac in rebus Scriptisque ſacris & myſticis exercitatiſſimi, Rhenoburgi prope Lugdunum in Batavis tum temporis degentis, (qui vero jam à viginti amplius annis Hagæ Comitis commoratur) in eundem locum, Abbatiâ ſeculari, ſeu nobilium virginum collegio olim illuſtrem, ſeceſſit; ibidemque reliquum quod ei ſuperfuit vitæ tempus, triginta inquam annos integros & quod excurrit, exegit, ita ut nonniſi perraro, & tum quidem ad paucos fere dies tantum, ob negotia quædam curanda, aut amicos inviſendos, inde abfuerit; unde de circumſtantiis viciſſitudinibusque quæ ad vitam ipſius exteriorem pertineant pauca dicenda ſuperſunt. *31. Rhenoburgum ſecedit.*

32. Vitam ejus interiorem quod attinet, viasque & gradus, quibus divinæ placuit Gratiæ operationes ſuas ſalutiferas in intimis ipſius inſtituere ac per varias ancipitesque, ut ferè ſolet, vices pedetentim ad finem usque provehere, cùm in iis cum aliis communicandis parcior ſemper fuerit Poireti noſtri modeſtia, pleraque & præcipua quæ huc pertinent, non poſſunt non alto nunc ſilentio obſignata permanere, in futura demum æternitate beata cum innumeris aliis divini amoris miraculis & arcanis, quæ in amicis & ſervis ſuis operatus eſt Chriſti Spiritus, ad Servatoris noſtri Optimi maximi gloriam retegenda. Paucula ex iis quæ de hiſce ab ipſomet primis præſertim temporibus in uſum ſuum privatum conſignata, aut in Scriptis etiam publicis paſſim delibata invenimus, in ſuperioribus ſuo loco attigimus. Quibus nunc ſubjicere liceat ea quæ de modo quo divina Bonitas eum ex innato amoris proprii fundo ad meliora non ſine gravi lucta interiore benigniſſime erigere cœperit, alicubi ingenue pandit digniſſimis quæ hic legantur verbis, non parum, ut ſpero, profuturis omnibus quotquot in ſe ipſos deſcendere volent, ſimili methodo ſeſe examinaturi & excuſſuri. Itaque, „ Et ego, „ inquit ille (a), perinde atque ceteri omnes in fundo amoris „ proprii & ſuperbiæ natus ſum & crevi. Aucta ſunt & illa „ mala cum accidiſſet ut eruditioni opera à me danda eſſet: e„ nimvero ego & qui mecum eruditionis aut adjutores aut „ condiſcipuli, loco doctrinæ ſanctæ, qua nobis viles & odio „ digni, tanquam creaturæ quæ ex ſe nihil, impotentes, rebelles *32. De Vita ejus interiore, ſalutiferisque divinæ Gratiæ in intimis ipſius operationibus.*

(a) *in Epiſt. ad Auctorem Biblioth. Univer. §. II. (Tome II. de Erudition.)*

„ belles ingratæque in Creatorem essent, nobis appareremus,
„ ut inde ad sapientiam corruptissimi operis reformatricem disceremus recurrere; horum, inquam, loco, operam vanissimis quisquiliis ita dabamus, ut inde superbia & amor proprius ingenitus crescerent & nutrirentur: etenim propter hæc laudabamur ab iis quos tanquam pretii rerum æstimatores æquissimos habebamus, qui cum idcirco gratum nobis animum testarentur, viderem que me propterea etiam aliis gratum esse, quæcunque idealiter studiis istis acquirebam, ea tanquam ornamenta vestesque decoras superbi amoris mei proprii, imo tanquam ipsam etiam vitam intuebar: unde iis adhærebam eo ardore, eaque pertinacia, ut illa non modo ab aliis impugnari nollem, sed & quæcunque vel istis opposita, vel ab iisdem diversa erant, ipse optavissem vel delere funditus, vel cum non possem, saltem irrisionibus efficere, ut aliis eadem contemnentibus ipsa per se caderent. Atque ut superbia mea sibi de solido aliquo fundamento congratulari posset, exactiora literarum humaniorum, linguarum & critices studia, quæ cortices, bullas & spumam esse jam videbam, non tam ob rei veritatem, quam forte ob animi fastum aspernabar, ut solidiora, Dei videlicet, opera, tum corporea & physica, tum spiritualia & metaphysica, ipsa etiam supranaturalia & Theologica, possem amplecti, è quorum acquisita cognitione judicarem & meum & aliorum de eruditione mea testimonium, casso non inniti fundamento. Sed quia Deus resistit superbis, hinc multas chimæras ideis meis sterilibus, concupiscentiasque meas infirmare impotentibus, admiscebam & coacervabam, Rationisque corruptæ Idolo tantum non ut Deo ita adhærebam, ut in omnem inde & vanitatem & hæresin potuissem labi nisi obstitisset cura benigna Optimi, Maximi, *qui vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire*. Hic adimebat mihi occasiones & physicorum experimentorum, mihi alias exoptatissimorum, & lectionis multæ, quæ jam mihi in pernicioso quodam Curcellæi libro legendo circa corruptionis nativæ negationem incipiebat esse damnosa; & vero sanctiora Kempisii, Theologiæ Germanicæ, Taulerique Scripta subministrabat; tum à pri-

„ primis annis divini timoris aliquantulum intus instillaverat,
„ servabatque, quo tangebar ante & citra omnem ratiocinationis actum, ita ut corruptionis meæ impetus eo refrænaretur, & sincere optarem omnia quæ haberem divinæ gloriæ inservire posse: quod bonæ voluntatis desideriolum (gratiæ ejus donum) sequebatur nonnulla, sed rudissima cognitio corruptionis, in qua mundus atque Christianismus hodiernus jacent omnino sepulti. Observabam protinus animæ purificationem non, uti æquum esset, commendari satis in Theologia, neque hanc inniti satis fundamento amoris Dei & proximi. Inde displicere incipiebant Sectarum schismata & rixæ. Cumque omnia in concordiam redire optarem, quicquid in diversis Sectis discors erat cum dogmatibus illis in quibus fueram educatus, conabar in optimam partem interpretari, & in unum quoad fieri poterat, concordiæ gratia, reducere, ne excepta quidem Socinianorum secta. - - - Verum mali eorum origo, Pelagianismus, latebat me. Hic enim unus est omnium Socinianismi errorum maxime capitalis & exitiosus, Pelagianismus sive propriæ, intimæ universæque corruptionis suæ negatio; nec non necessariæ gratiæ divinæ, omnia intrinsecus & extrinsecus purificantis, illuminantis & restaurantis, sublatio: sine quo mortifero errore si ipsi ad Deum humili animo opem lumenque sibi, ad intima usque omnino corruptis, implorantes recurrerent, eorum ceteri de SS. Trinitate Christique persona, & si qui alii, errores facile paulatim dissiparentur divina luce atque opera. At vero qui se neque corruptos & ægros uti sunt, agnoscere volunt, neque opitulatione atque medela Dei interna pro omnibus facultatibus suis egere; quin potius Rationis miseræ facultati actibusque suis ac viribus in divinis rebus perscrutandis & adipiscendis toti confidunt; eos etsi prius Orthodoxi in ceteris fuissent, necesse est in omnis generis exitiales hæreses ruere, & quandoque tandem in Atheismum dari præcipites. Usque adeo perniciosa est una hæc inter omnes hæresis capitalis, qua sine, omnes ceteræ paulatim collabuntur; qua vero posita, universæ inde certissime profluunt. Et fateor me, quod corruptæ Rationi nimis adhærerem, ab eo veneni fonte non fuisse valde remotum, etsi id nescirem distinctius. Quicquid

„ ſit, modis atque adminiculis hactenus dictis utcunque inſtru-
„ ctus, videbar mihi multis neque deterior, & forte melior
„ veritatique magis amicus, & à ſuperbia atque amore proprio
„ defecatior, tametſi nunquam carebam intus ſtimulo tacite
„ me dejiciente & obſcurius condemnante, quando per me-
„ dium multis aliis ludibrio habendum, (Virgo erat Antonia
„ Burignonia,) Deo viſum eſt mihi primo quidem generalius
„ meam omniumque univerſalem corruptionem, tenebras, er-
„ rores, vanitates plurimis luminoſis veritatibus oſtendere, quæ
„ quidem approbante judicio non poteram non amplecti: dein-
„ de vero ſpecialius ſuperbiam meam amoremque proprium
„ meum, (quæ in me valde minuta ex cœcitate putabam,)
„ vividiſſime ad intima usque ſauciare. Et ecce tunc in fundo
„ meo exſurgere advertebam repugnantiam adverſus divinam
„ veritatem me carpentem, uti & frigidam remiſſionem ac in-
„ differentiam, fugamque & odii adverſus eam, nec non con-
„ temtus & forte irriſionis etiam principia & motus. Tum ve-
„ ro obſtupui & horrui: meque ipſo, (qui talium affectuum
„ ac motuum adverſus id quod veritatem divinam ſciebam eſſe,
„ prius incapacem eſſe exiſtimaveram) aliquantum ſollicitius in-
„ ſpecto, expandi in magno angore animam meam coram Do-
„ mino, exponens & confitens ei miſerias meas, atque diabo-
„ licas fundi mei, usque adhuc mihi ea in re incogniti, diſpo-
„ ſitiones & malitias, eumque deprecans, ut vel eas in me ex-
„ terminaret; vel, ſi mala mea eſſent inſanabilia, ipſe me po-
„ tius extingueret quam ut pateretur tartareas iſtiusmodi radi-
„ ces fructus ſuos adverſus veritatem in gratiam meæ ſuperbiæ
„ & amoris proprii proferre: ſatius enim eſſe me tunc unum per-
„ ire, & ſolum damnari; quam ſupereſſe, & inſtrumentum
„ fieri hoſtile diminutionis glorioſæ ejus veritatis, nec non for-
„ te damnationis plurium aliorum. Atque ab eo tempore afful-
„ ſit ſpes, Dominum in bonam partem exaudiviſſe vocem de-
„ precationum mearum: namque inde Veritatem ſuperbiæ meæ
„ amorique proprio, nec non ornamentis & fulcris imaginariæ
„ vanæque eruditionis, ac diſpoſitionibus propenſionibusque
„ aliis adverſantem cœpi purius noſcere & diligere; tum opta-
„ re & precari ut ictibus ſuis potentius interiora mea percute-
„ ret: donec inde omnis planta quam non plantavit Pater cæ-

„ leſtis

„ leſtis tandem eradicetur; tum ſimul *decrevi veritatem* eandem „ *aliis quoque pro virili commendare* quocunque etiam calumniarum, oppoſitionum ac irriſionum genere ſuperbus meus amor „ proprius, (in ſuam utique qua opus habet, diminutionem „ meumque adeo bonum,) ab hominibus impetatur, modo tantum non deſit mihi ſperata Dei gratia; ſiquidem ex eventu „ modo dicto, didici de me deque mea erga veritatem fidelitate non amplius ſpondere: favere intime veritati, donum eſſe „ gratiæ Dei: in interioribus noſtris corruptiſſimis latere principia inimicitiæ adverſus Deum, & odii contra veritatem; & „ præterea eos qui contra veritatem odio feruntur, non omnes „ id facere ſcientes atque ex malitia animi præconcepta; ſed interdum ex fundo illo nativo ſuperbiæ & amoris proprii, cœcitati noſtræ adhuc occulto, in quem totum genus humanum „ eſt miſere collapſum: proinde Chriſtiana commiſeratione potius quam odio errantes pleroſque eſſe excipiendos.

33. Hucusque verba Poireti, qui quamvis ab omni tumultuaria commotione, magiſteriive aut Sectæ erigendæ affectatione longe ſemper fuerit alieniſſimus, adeo ut „ (*a*) ex quo publice „ dicere deſiit, (deſiit autem cum è Palatinatu A. 1676. diſceſſit,) nunquam ullum habuerit ſive publicum ſive privatum „ vel auditorem vel diſcipulum, nec ullum unquam optaverit„; nihilominus quod de propoſito ſuo veritatis quam internoſcere cœperat, quamque ipſe ſibi toto corde elegerat unicè ſequendam, pro virili commendandæ memorat; fideliter præſtitit, toto deinceps vitæ ſuæ tempore animum ſtudiumque eò intendens, ut eam omnibus quantum potuit inſinuaret. Nam ut nihil nunc dicam de religioſis converſationibus cum amicis in hiſce Provinciis, exteriſque ex omni ordine & religione, ſi qui eum convenirent quibus pietatem infucatam colere cordi erat, (conveniebant autem quam plurimi, & inter illos non pauci eruditionis imo & generis claritudine ac officiorum dignitate inſignes;) nec de Epiſtolis commemorem, quas per omnem ætatem bene multas, documentis ſalutaribus inſtructiſſimas, ſed & modeſtia ſingulari commendatiſſimas, ad omnis generis conditionisque, imo & religionis, homines, rogatus plerunque conſultusque dedit; non ita in iſthoc ſeceſſu ſuo, Amſtelædami inquam & Rhe-

33. Veritatem quam internoſcere cœperat commendare inſtituit.

(*a*) *Iren. Univerſ. Sect. V.* §. 10.

noburgi, ſibi ſoli vixit, ut proximum Scriptis egregiis tum ſuis tum aliorum quos ſe provectiores credidit, in lucem emittendis ad pietatem ſinceram amoremque Dei puriſſimum incendere negligeret.

34. Scripta & edita à Poireto.

(a) In Reſponſione ad Cenſuram Parrhaſii, Conſideratione ſpecialiori 13. (Tomo II. de Eruditione. p. 712. & ſeqq.)

34. Hinc tot orta volumina quæ Poiretus ex illo potiſſimum tempore cum publico communicavit, quæque ordine ſecundum temporis quo edita ſunt ſeriem in ſequentibus recenſere aggredimur. Quid enim aliud in vita Viri literati ac pii, & veritatis virtutisque ſtudio in ſe & aliis promovendo devoti, ut qui maxime, exſpectari poſſit? Cumque Beatus Vir alicubi (*a*) non ſine cauſa ibidem expoſita, Librorum quos ad illa usque tempora emiſerat tum titulos tum contenta ſummatim ipſe indicaverit, non abs re fuerit ipſiſſima illius de hiſce verba huc transferre; cum nemo melius Auctore ipſo noſſe & explicare poſſit quid ſcripſerit: quibus quæ deinceps acceſſerunt aliunde repetita ſuo loco ſubjungemus.

35. La Theologie Germanique in 12. 1676. *Cogitationes Rationales in 4to.* 1677. (*b*) §. 12. & §. 15. 16. 25.

35. Meminimus ſuprà ſuo loco (*b*) *Theologiæ Germanicæ* in Gallicum converſæ excuſſæque typis, 1676. ut & *Operis Cogitationum Rationalium de Deo, Anima & malo* quod 1677. lucem videre cœpit.

36. Toutes les Oeuvres de Mlle. Antoinette Bourignon en 19. Voll. in 8vo. 1679-1686. *Divine Viſion de Jean Engelbert des trois Etats. De Monito ad Acta Lipſienſia.*

36. Prodierunt deinde Poireti noſtri cura ab A. 1679. usque ad 1686. *Antoniæ Burignoniæ Opera* omnia XIX. voluminibus in 8vo. Gallice, ſi unum atque alterum librum excipias qui jam antè fuerant editi. Nihil ille contulit editionibus Germanicæ & Belgicæ duodecim vel quatuordecim voluminum; nihil Anglicæ, in qua tres vel quatuor partes jam comparent, cum Apologia Doctoris Theologi pro A. Burignonia; nihil etiam interpretationi Latinæ unius atque alterius libri. Licet autem quivis Liber ſeorſum haberi poſſit, maluit tamen Bibliopola compendii gratia ad totidem Tomos redigi omnes. Præpoſuit Poiretus *Præfationem Apologeticam*, ſubjuncta *Vitæ Virginis continuatione* ad obitum usque ejusdem. Annexuit toti Operi *Joannis Engelberti Divinam de Tribus ſtatibus, Eccleſiaſtico, Politico & Oeconomico Viſionem* Gallicè verſam. Ubi Opera illa primum ſimul comparuerunt XIX. voluminibus comprehenſa, *Relationem* eorum invidiæ plenam in Actis Lipſienſibus Eruditorum interſerebat aliquis; cui quidem reſpondere voluit Poiretus per *Monitum neceſſarium*

ad

ad ea Acta: verùm cum id *Monitum* ipſo abſente ita ab aliis edendum curaretur ut ejus dicendi modos, neſcio quo zelo, in duriores verterent, id, quantum ad dictionem, pro ſuo agnoſcere noluit. Ac Auctor Relationis inde exacerbatus, *Defenſionem Relationis* ſuæ ſcripſit, ſed defenſionis illius prodigio nihil replicandum duxit Poiretus quam aliquot pagellas quæ Librorum de Eruditione, de quibus mox, Editioni primæ fuerunt additæ. Poſtea autem cum *Defenſionis* Auctor fatis eſſet functus, ſibique perſuaderet Poiretus, ceteros Actorum Collectores nullam hac in re habuiſſe partem, illas pagellas à ſecunda Librorum eorundem Editione abeſſe juſſit, ne contemtui vel odio excitando aut fovendo occaſionem ullam præberet.

Librorum Antoniæ Burignoniæ ſcopus & ſubſtantia, ut non ſemel monuit (*a*) Poiretus, hæc eſt; ut homines corruptionis ab Adamo acceptæ atque propriis peccatis auctæ, vivam habeant cognitionem, eidemque renuncient moriendo vitæ Veteris Adami mundanæ ac diabolicæ per vim crucis Chriſti, quo purificati vaſa fiant apta ad recipiendum Spiritum S. à Chriſto promiſſum, ac per eum deinceps illuminentur, regantur & tandem glorificentur: compertumque eſt non paucos è Satanæ & mundi caſſibus per libros Virginis ſanctæ liberatos fuiſſe, ut nec immerito ſpes ſit non paucos inpoſterum per eosdem eſſe liberandos.

(*a*) *Confer. Irenici Sect. V.* §. XVII. *& Epiſtola de Auctoribus Myſticis* §. 64. *& ſeqq. it. Monitum ad Libr. IV. Oecon. Div.* §. *VI.*

37. Anno 1683. editi primum fuerunt Libri *de Imitatione Chriſti* quatuor, in gratiam Proteſtantium ſub titulo *Kempiſii Communis* dudum ante ita à Poireto in Gallicum verſi, ut Libri Quarti non tam ſenſum literalem quam paraphraſin aliquam ſecundum ſpiritualem & interiorem ſenſum exhibuerit, in ceteris item libris, at rariſſime, in locum unius alteriusque vocis particularius expreſſæ verba quædam ſubſtituerit generaliora, ſubſtantia tamen veritatis intacta ubique manente. Iidem deinde 1701. ſecundis & a. 1710. tertiis curis comparuerunt correctiores, ac nullis non Proteſtantibus gratiſſimi, qui editionem Poireti imitati ſunt idiomate tum Belgico Ultrajecti 1687. tum Germanico Tubingæ 1714. & iterum emendatius 1717.

37. *Kempis commun ou les IV. Livres de l'Imitation de J. C. traduits pour l'édification commune de tous les Chrêtiens. en* 12. 1683. 1701. 1710.

38. Anno 1685. prodiere ſecundis curis *Cogitationum Rationalium de Deo, anima & malo Libri*, Acceſſionibus quibusdam inſigni-

38. *Cogitationum Rationalium*

de Deo, anima & malo, Editio secunda. in 4to. 1685. ſignibus aucti, quæ quidem ſunt I. Meditatio ſive Diſcurſus præliminaris de Fide Divina ac Ratione humana atque huc pertinentibus &c. quæ ex fundamentis deducuntur. II. Notæ continuæ ad calcem paginarum, in quibus utiliores & nobiliſſimæ difficultates Metaphyſices tractantur & Spinozæ exitiales errores paſſim deteguntur & confutantur. III. Continuatio Capitis VIII. Libri III. inſtar Tractatuli de SS. Trinitate more Geometrico. IV. Continuatio Cap. X. ejusdem Libri de Dei Dominio, & Idearum origine, dependentia & natura. V. Continuatio Cap. XI. de Dei Bonitate. VI. Appendix, quæ à pluribus prioris Editionis exemplaribus aberat; nonnullas δευτέρας φροντίδες complectens cum profeſſione ingenua Auctoris quo inſtrumento divino ſolidiorum veritatum ſuarum cognitionem ipſi largitus ſit Deus. VII. Objectiones & Reſponſiones primæ circa totum contextum. VIII. Objectiones & Reſponſiones ſecundæ de Animæ immortalitate. (Objectiones Primæ ſunt Petri Bælii; Secundæ Viri Conſultiſſimi in Germania ejusdemque ad quam Epiſtola de Liberorum educatione ſcripta eſt.) IX. Fundamenta Atheismi everſa, ſive, Examen & confutatio principiorum & fundamentalium propoſitionum *Ethices Spinozianæ* & oppoſitarum demonſtratio, Geometrico more. Equidem Editionem iſtam nonnullis aliquantum diſplicuiſſe, Auctorem minime latuit, quod fortè vel in Diſſertatione præliminari Rationis, atque adeo *Religionis Philoſophicæ* in *Ratione* fundatæ, & interdum in *Atheiſmum* degenerantis, robur caſſum ac nullum oſtenderit; vel quod in Notis alia atque plurima de prædeſtinatione & de libertate propoſuerit: ſed eam ipſam ob rem fuit illa multis aliis, majorem longè numerum facientibus, eo acceptior; & debuerat primis quoque, niſi aliquid lævæ mentis ſubeſſet, non diſplicuiſſe quando videbant Editionem primam, quæ ipſis grata fuerat antea, in hac altera *invariatam* exſtare totam, atque ab Acceſſionibus diſtinctam; ſibique integrum eſſe has prætermittere, licet earum plurimas contextui Librorum prætulerit Auctor.

39. *L'Oeconomie Divine, ou Syſteme univerſel & de-*

39. Secutum eſt anno 1687. opus Gallicum *Oeconomiæ Divinæ*, ſeptem mediocribus in octavo, ut vocant, voluminibus, at ſex libris comprehenſum, quorum I. eſt de Creatione ejusque operibus. II. De peccato ſeu de origine mali. III. De Reparatione homi-

hominis ante Incarnationem Jeſu Chriſti. IV. De eadem poſt Incarnationem Jeſu Chriſti. V. De Operatione Dei & Cooperatione hominis. VI. De Providentia Dei. In eo ſcopus Auctoris fuit non Philoſophos tantum, ſed & veræ Theologiæ, & pietatis amantes quosvis adducere quam optimè potuit ac ſcivit & ad Deum & ad amorem proximi, talia proponendo principia quæ & cum Scripturis, & cum rerum natura, & cum pacifica dilectione inter Chriſtianiſmi Sectas, (quæ quidem ſalutis eſſentialia fundamenta agnoſcunt & probant,) penitus concordarent. Quo in argumento non paucis utique gratus fuit atque acceptus. Verum quia illic oſtendit *Religionis Philoſophicæ*, in Facultate *Rationis* & Arte *Critica* fundatæ, Pelagiana & Sociniana principia cum Chriſtianiſmi fundamentis principiisque vivis Operationum intimarum Spiritûs Chriſti, cumque ſalutis adeptione conſiſtere non poſſe, illaque paſſim confutavit uti ſæpe jacent in libris quibusdam à D. Clerico editis; eapropter Operi toti infenſus ille, ipſum in Bibliotheca ſua Univerſali talem in modum cavillatus eſt, ut diſſimularet vel inverteret Operis contenta, ut ab eo, ſi poſſet, averteret Lectores, quamvis tamen illic reperire ſit principia, quibus nova illa quæ cum D. Bælio ipſe & alii magno cum numero habuerunt certamina de *origine mali*, de *libertate* & ſimilia ab Atheis pro inenodabilibus nodis habita, facillimo negotio diſſolvuntur, uti non pauci inter eruditos acquieſcentiſſimo animo expertos ſe eſſe teſtati ſunt. Cæterum ad D. Clerici cenſuram aut cavillationes reſpondit Poiretus in *Epiſtola ad Bibliothecæ Univerſalis Auctorem* Libris ſuis de Eruditione ſubjectam, ut ſuo loco dicetur.

montré des Oeuvres & des Deſſeins de Dieu envers les Hommes. en VII. Voll. in 8vo 1687.

40. *Irenicum Univerſale, piis quibusvis mentibus quarumcunque Chriſtianismi partium pacificandis accommodatum* eodem anno 1687. Gallice prodiit in lucem occaſione acerbæ cenſuræ Theologi cujusdam in Epiſtolam quæ de iſto argumento à Poireto ſcripta erat & ab amico nonnullo publici juris facta. Illic à ſcopo ſuo, adducendi homines ad Deum atque ad amorem mutuum per praxin eſſentialem Chriſtianismi, ſeſe, ubi Dei & proximi amor id exigunt, iis accommodando quæ tantum acceſſoria ſunt, beneque uſurpari poſſunt, minime diſceſſit pius Auctor. Libellus nunc deſideratur, at prodiit (anno 1702.) in Germanicum idioma

40. La Paix des bonnes ames dans tous les partis du Chriſtianiſme. in 8vo 1687.

ma converſus è Gallico exemplari in quo ipſemet Auctor non pauca emendaverat. De ejusdem Latina traductione quæ in Librorum de Eruditione Editione altera Tomo ſecundo comparet, mox videbimus. Noviſſime vero iterata verſione Germanica Francofurti & Lipſiæ anno 1714. prodiit integer qualis in Gallica editione primum editus eſt.

41. De Idea Theologiæ Chriſtianæ ſecundum principia J. B. 1687.

41. Forte non ingratum erit Lectoribus nonnullis hic ſignificari, hoc eodem anno cum Amici quidam Libellum e Germania transmiſſum qui vocatur, *Theologiæ Chriſtianæ juxta principia Jac. Boëmii idea brevis*, publicari deſiderarent, Poiretumque rogarent ut eam in ſe curam ſuſciperet, eum quidem eorum ſeſe deſideriis accommodaſſe, additâ etiam Præfatiuncula, ſubjectisque *Sextii Pythagoræi Sententiis* verè divinis; ſed ita tamen ut candide deinceps de eodem hoc Libello ſententiam ſuam dicere non dubitaverit, aſſerens (a) eum nimium eſſe obſcurum, omnique neceſſaria explanatione nimium deſtitutum, quam ut lectoribus incipientibus, aut ſeculi ſapientibus inſervire poſſit pro introductione in principia hujusce Auctoris.

(a) *In Epiſt. de Auctoribus Myſticis* §. 46.

42. La Theologie du Cœur, ou Recueil de quelques Traités qui contiennent les lumieres les plus divines des ames ſimples & pures. en 2. Voll. in 12. 1690. 1697.

42. Hinc Anno 1690. in publicum emiſit Poiretus *Theologiæ cordis* tomos duos, collectione parvorum quorundam Tractatuum conſtantes. Et in primo quidem Tomo ſunt, 1. Tractatulus, dictus *Paſtor illuminatus*, de adoleſcentulo ovium paſtore, per cordis puritatem ac ſimplicitatem ad mirum Dei amorem, miramque ipſius & operum ſuorum cognitionem deducto. 2. De perfectione Chriſtiana fœminæ Mediolanenſi adſcriptus, ubi via ad ſtatum in quo quis puriſſime perfectéque à Deo regatur, per omnium quæ Deus non ſunt, abnegationem mirabiliter panditur. 3. Ejusdem de deſtructione Amoris proprii, cujus infinita latibula deteguntur, ut eo inde depulſo, locum in nobis inveniat tandem divina operatio atque præſentia Divinusque Amor. In altero Tomo: 4. Virginis ignotæ Libellus de Vita interiori, ubi argumentum & ſpecies Orationis haud vulgari ſimplicitate & perſpicuitate ſunt expoſita. Hic Libellus, ut obiter moneam, ipſiſſimus eſt quem P. *Caſparus de Figuera* è Soc. J. in *Summa Spiritualis* (b) quam vocat

(b) Ea ex Hiſpanico Latine facta prodiit jam ſexta vice Dilingæ 1692: Titulus eſt, *Summa Spiritualis, in qua reſolvuntur omnes caſus & difficultates occurrentes in via perfectionis.*

vocat Tractatu tertio publicavit impenſeque pro merito ſuo collaudavit. 5. Tractatus Religioſi à puero cœci, Fr. Joannis à S. Simſone, de Amore Dei per aſpirationes ad gradum maximum evehendo. 6. P. J. Rigoleuci Summa Theologiæ Myſticæ, ut quis poſſit per Orationem & mentis puritatem adhærere Deo. 7. Tractatulus eſt de Educatione Liberorum in modum Epiſtolæ ad Virum quendam Conſultiſſimum ſcriptus à Poireto. Qui toti Opuſculo Præfationem præmiſit, narratque alicubi (a) illuſtrem & eruditum R. Boileum eo lecto adeo fuiſſe affectum, illudque tanti feciſſe, ut Editori cum ſalutis voto gratam mentem ob illius editionem non multo ante mortem tempore curaret teſtari: quod & alii complures non minus genere, ſcientia, virtute illuſtres fecêre. Prima editione diſtracta ſecuta eſt 1697. altera auctior & emendatior: ex qua (b) poſtea Theologi graviſſimi eruditione ac pietate celebres totum Librum in Germanicum idioma converti ſimulque imprimi curarunt Anno 1702. Tractatulus ultimus de *Liberorum Educatione* poſtea non ſemel in forma Libelli recuſus eſt ſubinde ab Auctore auctus: eſtque optima Editio Gallica anni 1706. De argumento ejusdem Libelli probis omnibus probatiſſimi ejusque variis in varias linguas verſionibus & publicationibus nonnulla attigit Auctor in Operibus poſthumis, (b) unde ſuperfluum eſſet hic eadem repetere.

(a) *In Cenſuram Parrhaſ. Conſiderat. ſpeciali* 13. *p.* 712.
(b) *Vindic. contra Jager. Libr. I. Cap.* 3. §. 2.

43. Edita ſunt poſtea Gallice quoque anno 1691. ſub titulo *Theologia Amoris* illuſtris & ſanctæ Matronæ Catharinæ Adornæ Fieſcanæ, Proregis Neapolitani Filiæ, vulgo Stæ. *Catharinæ Genuenſis* tum *Vita* tum Opera, quæ ſunt *Dialogi tres*, Divinæ ſapientiæ methodo, ordine ac dexteritate omnem doctorum humanam artem ſuperantes, ſimulque ardentiſſimum atque puriſſimum ac omnino incomparabilem amorem ſpirantes: ex quo principio amoris ipſa etiam ſeparatim depingit naturam *Purificationis animarum poſt mortem* in Tractatulo Dialogis ſubjecto. Hic Tractatulus Germanicè a. 1711. prodiit, junctus alii de Purificatione animæ ante vel poſt mortem ex Poireti Oeconomia divina delumto. *Dialogi* verò Germanica Lingua in publicum emiſſi ſunt cum Vitæ ejus compendio, Halæ 1701.

43. *La Theologie de l'amour, ou la Vie & les Oeuvres de Ste. Caterine de Gênes. en* 12. 1691.

44. Anno 1692. lucem videre cœperunt *de Eruditione Solida, ſuperficiaria & falſa Libri tres*, in quibus oſtenſa veritatum ſolidarum

44. *De Eruditione ſolida, ſuperfi-*

ciaria & ſalſa Libri tres. in 8vo 1692.

darum via & origine, cognitionum ſcientiarumque humanarum, & in ſpecie Carteſianismi fundamenta, valor, defectus & errores deteguntur; præmiſſo Tractatu de vera Methodo inveniendi Verum; ſubjunctis etiam nonnullis Apologeticis, interque illa, *Epiſtola* cujus ſupra (§. 39.) meminimus, *ad Bibliothecæ Univerſalis Auctorem.* Ad generalem aliquam & fundamentalem *triplicis Eruditionis* ſive ſubjecti de quo in his Libris agitur, *ideam* exhibendam, ſufficiat obſervaſſe (*a*) quod in anima noſtra duplicis generis *facultates* agnoſcat Poiretus, quorum alias *reales* nominat, alias verò *ſuperficiarias:* has umbris ac picturis admittendis eſſe datas; illas eſſe factas fruendis rebus ſive objectis realibus, ſive hæc fuerint ſpiritalia objecta, ſive corporea. Quemadmodum autem reales ac ſolidæ facultates (in ſpiritalibus potiſſimum), intercedente peccato redditæ ſunt ineptæ quæ objectis ſuis realibus debito modo unirentur; id quod iſtam ab illis removet impotentiam, easque debitæ cum objectis ſuis applicationi reſtituit, vocari à Poireto, *Eruditionem* realem ſive *ſolidam.* Facultates ſuperficiarias quod attinet, illæ ſiquidem rerum picturis atque iconibus tantum recipiendis vel formandis datæ ſint, icones verò atque ideæ cùm tantum à rebus vel objectis per facultates reales poſſeſſis differant, quantum vera ac viva Dei in mente Angeli poſſeſſio differt ab inani & frigida Dei in mente hominis vani idea; quantum item Solis, ejusque luminis & caloris perfruitio, differunt ab ideis ſolis, caloris, luminis in homine qui mediis in tenebris ac frigoribus cogitationis ope ſibi illas excitaret: hinc exurget *Eruditio ſuperficiaria* quidem, ubi ideæ ac picturæ iſtæ objectorum verorum ac realium, ſimilitudinem repræſentant; *falſa* verò, quando ab iis abludunt, ſuntque abſurdæ ac chimæris potiſſimum annumerandæ. Cæterum libri hi paulo poſt ſc. 1694. Lipſiæ recuſi fuerunt præfixa D. Thomaſii diſſertatione quibus eosdem non parum commendabat, quamvis poſtea, uti ſuo loco monebitur, ſententiam hanc ſuam mutare voluerit.

(*a*) *Defenſio Librorum de Eruditione Addit. II. pag.* 603. *Tom. I. de Eruditione.*

45. De Chriſtiana liberorum educatione in 8vo. 1694.

45. Anno 1694. Libellum ſuum ſupra memoratum de *Chriſtiana Liberorum* è veris principiis *Educatione* in quo prima Religionis Vitæque Chriſtianæ fundamenta ac elementa ad omnium hominum captum & uſum proponuntur, Latine à ſe factum & auctum edidit Poiretus in octavo ut vocant, additis Miniſtro-

rum

rum Hamburgensium aliorumque Oppositionibus contra eundem Libellum cum Responsionibus Auctoris. Occasio hujus Scripti fuerunt notissimæ illæ turbæ Hamburgi à quibusdam Ecclesiastis concitatæ cum Germanicè primum ibidem per Pastorem ederetur & alîus Auctoris esse crederetur, quorum illi utrumque non parvo prosequebantur odio.

46. Anno 1696. è Latina Gallicam fecit & emisit Poiretus *Theologiam Crucis Christi Jesu*, quæ in Operibus ac vita Sanctæ Matronæ, Angelæ de Fulginio, seculo post natum Salvatorem decimo tertio viventis, ostendit quomodo anima Orationi sese dedens atque imitationi Vitæ Christi Jesu per viam Crucis ejus, pervenire possit ad scopum Creationis & Redemtionis nostræ, qui est purissimus Dei Amor, solida ac certa Veritatis cognitio atque possessio, & simul ad multos Dei ac divinarum ejus communicationum anticipatos gustus, quos pro lubitu quibus vult Dei amantibus dispensat Dei bona Sapientia. *Exercitia* quatuordecim, piissimi *Blosii de Passione Christi* addidit in fine Opusculi Poiretus Gallice à se reddita, Evangelii solidam substantiam non minus ac cetera quæ præcesserunt efficacissime ob oculos ponentia.

46. La Theologie de la Croix de Jesus-Christ; ou les Oeuvres & la Vie de la B. Angele de Foligni. en 12. 1696.

47. *Theologia realis sive Germanica* Gallice è Germanico de novo à Poireto conversa, annexis de hominis *Restitutione* deque ejusdem *Regeneratione* tractatulis duobus Belgico idiomate scriptis, Gallice ab eodem redditis, quibus *Aphorismi spirituales ac Mystici* præcipui è sublimissimi Fr. Joannis à S. Simsone operibus collecti adjunguntur; emissa est anno 1700. Huic Præfatio quadripartita præfixa est, vel ipsa Theologia Germanica auctior, in cujus prima Parte ea exstant quæ ad libellos ipsos attinent: in altera brevior & clarior Theologiæ Mysticæ idea exhibetur, & vel adstipulante ipsa Ratione humana, evidenter probatur. In tertia continetur *Theologiæ Mysticæ Apologia* adversus Gallicum (a) *Tractatum historicum complectentem Judicium Protestantis* Theologi de *Theologia Mystica*: cujus Tractatus fundamenta illic & contenta præcipua evertuntur. In quarta destruuntur itidem fundamenta libelli Gallici (b) cujusdam Abbatis Anonymi in eandem Theologiam. Toti Operi subjuncta est Epistola, (ad Virum Consultissimum, Amplissimumque in Belgio data,) de principiis

47. La Theologie réelle, vulgairement dite la Theologie Germanique &c. en 12. 1700.

(a) Traité historique contenant le jugement d'un Protestant sur la Théologie Mistique.

(b) *Le Christianisme éclairci sur les diferens du tems en matiere de Quiétisme.*

cipiis & characteribus quibus præcipui ultimorum seculorum *Auctores Mystici* & spirituales fuere instructi, cum Catalogo plurimorum Auctorum qui de rebus Mysticis aut Spiritualibus scripserunt. Ceterum *Epistola hæc de Auctoribus Mysticis*, uti & ex Præfatione modo dicta, *Theologiæ Mysticæ* Idea & *Apologia* exstant etiam Latinè, quippe quas, ab alio haud exactè non uno in loco conversas, Cl. Gothofr. *Arnoldus Historiæ* suæ *& descriptioni Theologiæ Mysticæ* quæ lucem vidit Francofurti 1702, subjecit.

48. *Le Chretien Reël ou la Vie du Marquis de Renty : & de la Ven. Mere Elisabet de l'Enfant Jesus en 2. Voll. in 12.* 1701.

48. Anno 1701. Poireti cura recusa est cum Præfatione nova sub titulo Christiani realis, duobus Tomis, Gallicè, primo *Vita Marchionis de Renty* sæpissime in Galliis prælum passa, sed tunc rarior; quæ quidem omnibus quotquot Deum & virtutem non prosequuntur odio non potuit non probari. Hinc quamvis Vir ille illustrissimus animo & factis Mysticus fuerit omnino, imo & Romano-Catholicus, nihilominus tamen coëgit veritas uti è Protestantibus Doctor Burnetius, postea Episcopus Salisburiensis testaretur, (a) *eam vitam nihil fabulosi redolere: elucere in ea Virtutes adeo præclaras, ut ille, qui easdem exercuit, merito tanquam unus è primariis quæ nostro ævo Gallia suppeditaverit exemplis haberi debeat.* In altero autem Tomo, exstat *Vita discipulæ cujusdam Religiosæ Domini de Renty*, in qua eædem atque in illo virtutes ac Dei gratiæ admirabiles prorsus ac solidissimæ, refulserunt. Solebat Virgo Burignonia gestare semper secum venerationis gratia libellum (b) in quo pleraque verba Salvatoris erant descripta, & cui nonnullæ *Exclamationes fervidissimæ de vita gratiæ*, erant subnexæ. Hasce ex eo libello curavit Poiretus huic secundo Tomo ad finem adjici.

(a) *Pref. sur la vie de M. Hale.*

(b) Titulus est: *Paroles de N. S. Jesus sur la pratique des vertus Chrétiennes* &c. à Mons 1632.

49. *Le saint Refugié ou la Vie & la mort édifiante de Wernerus. en 12o.* 1701.

49. Hoc tempore circiter cum Amicus quidam singularis eruditionis ac pietatis Poireto misisset historiolam vitæ ac mortis pii cujusdam juvenis ex eorum numero qui è Gallia ob Religionem Reformatam inhibitam profugi sunt, quam ille historiolam testis oculatus Gallice conscripserat; eam Poiretus sub titulo, *Sanctus Profugus*, *sive*, *Vita & mors exemplaris Werneri*** eodem anno 1701. edendam curavit. in qua quidem reperire est exempla ad Christianam vitam cum abnegatione seria & fidelitate summa ineundam vivide moventia.

50. Ca-

50. *Catechismus Christianus pro vita interiore à D. Olierio* scriptus cum frustra quæreretur, dedit (anno 1703.) exemplar quod habebat denuo edendum & huic etiam *Exclamationes illas* seu Elevationes inexpletæ abundantiæ animi fervidissimas *de vita gratiæ* subjungi curavit quæ apprime ad id argumenti conveniebant. Is siquidem Catechismus corruptionis nostræ immensâ nequitiâ & impotentiâ vividissime ostensâ, summam *gratiæ Dei* necessitatem, uti & excellentissimum Vitæ Christianæ à gratia Dei illustratæ statum ita præ oculis ponit, ut idem huc usque tam paucis, tam efficaciter, ipsisque etiam S. Scripturæ verbis frequentissimis, fecerint vel pauci vel nulli.

50. Le Catechisme Chretien pour la vie interieure par Mr. Olier en 12°. 1703.

51. Nactus deinde Gallicè vitam mirabilem pauperculæ ancillæ rusticæ ac omnino idiotæ, id omne quod de Theoria ac praxi Christiana atque mystica concipi possit superantem, eam præfatione præposita anno 1704. sub hoc titulo recudendam dedit: *Schola puri Amoris Dei, doctis juxta ac indoctis aperta in vita admiranda pauperculæ idiotæ, natu rusticæ, conditione ancillæ, Armellæ Nicolaæ, nuper in Britannia Armorica denatæ; per quandam sociam suam, Deo devotam.* In qua quidem vita admirabilitas, soliditas, & sublimitas rerum Christianarum, spiritualium atque divinissimarum, tam theoreticarum quàm practicarum, inter sese certare videntur, utra præ aliis palmam sit latura: adeo ut eo in genere nihil unquam simile quid comparuisse videatur. Unde profecto non sine ingenti stupore ab animo rerum divinarum gustu aliquo tacto legi poterunt quæ de hacce Vita omnino divina, paulo post contractius orbi exhibere voluit Auctor libellorum Gallicorum titulum gerentium, (a) *Historia Operum Eruditorum:* qui solidissimis quibusque ac primariis rebus suppressis, collegit de industria quotquot illic adventitia, externa & parvi momenti judicavit posse à quibusvis contemni vel rideri, præsertim quando illa de genere erant rerum externarum Catholico-Romanis propriarum, ac interdum ab ipso ridiculis modis expositarum: non advertens vel divina Kempisii, S. Bernardi volumina, ipsas etiam Scripturas posse eodem modo risui ac ludibrio omnium exponi. Imponit præterea Lectoribus, dum persuadere nititur Poiretum ea quæ sive hoc in opere, sive in aliis modo memoratis, interdum occurrunt de non-

51. L'école du pur amour de Dieu, dans La vie merveilleuse de la bonne Armelle en 2 Voll. in 12°. 1704.

(a) Histoire des ouvrages des Savans. Avril, May, Juin 1703.

nonnullis ad cultum aut opiniones Catholico-Romanorum ſpectantibus, emiſiſſe, defendiſſe aut præfationibus leniviſſe animo Proteſtantes alliciendi uti ſuas deſerant partes & alias amplectantur. Quod nunquam ipſi in mentem venit imo ipſius menti omnino adverſatur, quæ tantum fuit, ut homines, in quibuscunque vivant partibus, alii alios neque odio ob externa nonnulla proſequantur, neque contemnant quæ in aliis ſolidiſſima ſunt interdum atque diviniſſima, neve eadem rejiciant, propter quædam adventitia parvi admodum momenti, quæ licèt inter errata numerarent, attamen cum Amore Dei cumque gratiis ejus inſignibus poſſunt omnino conſiſtere. Verbo, voluit Poiretus, ut quivis ſine permutatione partium ſuarum aſſueſcat videre & agnoſcere in aliis operationes & vim Spiritûs Chriſti, licet vel circa ceremonias vel circa opiniones nonnullas ſuas imperfectiora quædam in iis ineſſent: & hoc quidem eum in finem, ut in Dilectione Chriſtiana, tantopere a Chriſto commendata, unà convenientes, viventes, creſcentes, idonei ſimus qui pleniorem Spiritûs Amoris, & Veritatis promiſſi menſuram recipiamus, atque eo tandem modo unum cum Chriſto Patreque ſuo in Spiritu Sancto, pro Chriſti Jeſu ardentiſſimis precibus, fieri poſſimus, cognoſcatque eo pacto mundus, Chriſtum eſſe à Patre miſſum Salvatorem verum, qui ſuos per Spiritus S. ſui communicationem a peccatis ſalvet ac ab odio diabolico, per Cainum & Satanam ob cultum externum introducto liberet, reſtituatque omnes in perfectam æternæ cum Deo unionis Charitatem, quæ eſt ipſa vita æterna. Hæc occaſione Vitæ hujus à ſe editæ monenda credidit Auctor: (a) quæ verò Vita unà cum Præfatione Poireti etiam Germanice prodiit Anno 1708. iterumque recognita anno 1719.

(a) *In dictâ conſider. ſpeciali* 13. *in Cenſuram Parrhaſii.*

52. Les Opuſcules de Madame J. M. B. de la Mothe Guion, nouvelle édition, augmentée de ſon rare Traité des

52. Eodem anno cum transmiſſum eſſet e locis peregrinis Scriptum adhuc ineditum celeberrimæ D. Gujoniæ, quod & maximi momenti viſum eſt Poireto, & veluti quædam omnium illius Matronæ Scriptorum clavis, conſtituit id non ſolum in lucem edere; ſed & quæcunque antea illius Auctoris prodierant, denuo ſimul recudenda curare. Equidem facta jam erat in Belgio A. 1699. libellorum ejus duorum editio; at in illa Poiretus nullam, præter nudum illos edendi conſilium, partem habuit,

habuit, ut ipſe alicubi (*a*) monuit, quia ſcivit nonnullos qui hoſce tractatulos pro merito magni faciunt, ægrè tuliſſe quod in Præfatione primæ iſtius Editionis, licet in bonam partem, uti decet, plerumque omnia flectat is qui ibi præfatur, nihilominus tamen viſus ſit non frigidè tantùm, ſed & ironice nonnulla expreſſiſſe. Quæ vero Præfatio Poireti neutiquam eſt; at illa duntaxat quæ præmittitur Editioni ſecundæ, titulum hunc Gallicè gerenti, *Opuſcula ſpiritualia Dominæ J. M. B. de la Mothe Guion, aucta Tractatu ejusdem adhuc inedito qui* TORRENTES *dicitur, ac Præfatione Generali de Auctoris perſona, doctrina & oppoſitionibus utrisque ſuſcitatis.* Opuſcula ea ſunt 1. *Brevis ac facillima Methodus Orationis*, quæ quidem tantopere omnibus bonis placuit, ut Belgice, Germanice, imo & Latine & Anglice etiam prodierit. 2. Rarus ille ac vere arcanus & incomparabilis Tractatus, verum divinæ Sapientiæ monumentum, *Torrentes*, in quo ſub torrentium aquarum emblemate deſcribuntur viæ fidei admirabiles per quas eæ animæ purificantur quæ hic puriſſimè Deo uniri debent, ejusque manus inſtrumenta in terris exiſtere inſignia. 3. Sublimiſſima atque ſolidiſſima *Cantici Canticorum Salomonis interpretatio*, quatenus illa ad easdem animas vere eſt referenda: ac 4. deinde anno ſequenti 1705. ejusdem Tractatulus Gallicus, *Regula pro ſociis Infantiæ Jeſu, perfecti exemplaris pro quibusvis conditionibus*, qui tractatulus ſerius ad Poiretum ex Anglia Illuſtri Viro curante transmiſſus erat. Ei poſtea acceſſit alius à *P. la Combe* conſcriptus *de perfectione Chriſtiana.*

TORRENS. en 12°. 1704.

(*a*) *in dicta Conſideratione* 13.

53. Edidit porro Poiretus eodem anno 1705 tractatulum Latinum, (ſelectis conſtantem Epiſtolis ab A. B. ſcriptis,) cum titulo *Virtutum Chriſtianarum inſinuatio facilis & quibusvis accommodata*, qui ipſi ab Amico erudito ac pio in manus eum in finem erat traditus, cujus vero argumentum titulus breviter, præfatio à Poireto præmiſſa explanatius proponit. Cumque poſtea tractatulus idem deſideraretur, eundem correctiorem & auctiorem anno 1711. recudi curavit.

53. *Virtutum Chriſtianarum inſinuatio facilis.* in 12°. 1705. 1711.

54. Prodierunt etiam hoc ipſo anno 1705. *Libri ſex Oeconomiæ divinæ* Francofurti duobus in Quarto voluminibus, idiomate *Latino*, quam interpretationem licet non fecerit Poiretus, legit tamen, recognovit, & interdum, ſed rarius, emendavit ante-

54. *Oeconomia Divina Libri ſex è Gallico Latinè redditi.*

II. Voll. in 4^to^. 1705. antequam prodiret, præmisso circa finem Præfationis monito de iis quæ ad illam pertinent. Hanc vero editionem cum insecutæ sint Oppositiones impotentissimæ pertinacissimæque Domini Jægeri, illæ tandem occasionem dederunt Poireto Vindicias conscribendi quæ in Posthumis ejusdem exhibentur, ubi tum de scopo & argumento contentisque totius Operis nonnulla specialius (*a*) memorantur, tum quæ contra illud moverat Tubingensis ille Cancellarius, dissipantur. De oppositionibus aliorum, & imprimis D. Joach. Langii tum ipse quædam attigit in Vindiciis contra Jægerum (*b*), tum & in Præfatione Posthumorum nonnulla fuerunt observata. Cæterum ipsum hoc Opus Oeconomiæ cum non pauci vulgaribus linguis, Germanica, Belgica, Anglica publicari desideraverint, his ut satisfieret prodiit A. 1713. Londini Anglice quatuor Voluminibus in octavo, adjunctis Responsionibus Auctoris ad J. Clericum ejusque Parrhasiana |: idem Belgice propediem edendum speratur, quippe dudum in hanc linguam conversum. Germanicè vero jam Anno 1711 prodierunt ex Libro V. Tractatio de animæ purificatione quæ Capitibus V. VI. & VII. ejus libri absolvitur.

(*a*) *Vid. Præfationem contra Jæger. Vindiciis præmissam §. V.*

(*b*) Vid. Lib. IV. Cap. 5. §. 11. & seqq. & in Accessione D. §. 6. & 7.

55. Librorum de Eruditione solida, superficiaria & falsa Editio 2^da^ Tom. II. in 4^to^. 1707.

55. Anno 1707. Libros tres *de Eruditione solida, superficiaria & falsa* correctiores & auctiores secundis curis edidit in Quarto Poiretus addita eorundem *Defensione contra G. Titium Lipsiensem*; quibus adjunguntur in Volumine altero *De Eruditione solida, specialiora* tribus Tractatibus; estque I. *Libellus de Educatione Liberorum* cum Responsionibus ad Oppositiones variorum (Ministerii Hamburgensis, Doctorum Meyeri & Pfeifferi &c.) qui jam anno 1694. in octavo editus fuerat. II. *Irenicum Universale, piis quibusque mentibus quarumcunque Christianismi partium accommodatum* è Gallico Latinum factum interprete amico quodam Auctoris, qui vero in eo multo plura quam in Germanica Editione anni 1702. mutavit ac emendavit. III. *Theologiæ Mysticæ Auctorumque præcipuorum qui de ea scripserunt Idea generalior*; Latine exhibens tum quæ in Theologiæ realis seu Germanicæ Præfatione Parte II. de Theologia Mystica Gallice dicta fuerant generalius, tum & illi Theologiæ subjectam Epistolam de Characteribus Mysticorum: Utraque ab Amico La-

Latinè reddita jam antè 1702. in publicum emissa fuerant in libello cui titulus: *Theologia Pacificæ itemque Mysticæ ac hujus Auctorum Idea brevior in gratiam eruditorum, qui sine multa lectione succinctam simulque solidam ac fructuosam rerum Theologicarum & spiritualium expositionem desiderant:* ea verò Auctor pro jure suo in librorum suorum de Eruditione Editionem hanc alteram transtulit, ubi ab ipso non recognita tantum, sed & interdum, Epistola maximè cum Catalogo annexo, auctiora reddita comparent. Subnectitur in fine *Principiorum Theologiæ solidæ ac interioris Defensio*, tum in *Epistola* ad Auctorem Bibliothecæ Universalis denuo recusa, tum in *Responsione* ad ea quæ Parrhasius hac de re Poireto opposuit; in qua præter multa utilia de Theologia Mystica & de arte Critica legi meretur Dissertatio interposita: *Quomodo sine Critica possit Scripturarum vera interpretatio & salutaris sensus acquiri.*

56. Cum nonnulli, ipseque etiam Bibliopola, ægre ferrent, supra indicato libello: *Theologiæ Pacificæ itemque Mysticæ, hujusque Auctorum Idea brevior*, nomen Auctoris præfixum non esse, hic quidem eorum desiderio facile consensit non solum nominis sui appositione, verùm etiam annotationibus non paucis quæ aberant ubi liber primum prodiit. Hinc Nata 1708 in Octavo *P. Poireti Bibliotheca Mysticorum selecta* tribus constans partibus I. Theologiæ Mysticæ Idea generaliori, II. Epistola de Auctorum Mysticorum principiis ac characteribus præcipuis. III. Eorundem Catalogo ac de plerisque judicio, quibus præmittitur præparationis loco Clariss. Viri Jacobi Garden Theol. Doctoris & Professoris Dissertatio de *Theologia Pacifica* seu *Comparativa*, sive de Theologiæ Christianæ essentialibus & accessoriis discernendis. Hac occasione Auctor præter illa quæ Epistolæ de Auctoribus Mysticis addiderat, ubi in Volumine altero de Eruditione (Editionis novissimæ in Quarto) insereretur, quæque inde huc transsumsit omnia, iisdem adjecit insuper multis in locis & nova alia: quæ vero universa hic ad finem ipsius Epistolæ quæri ac reperiri poterunt, titulo, *Auctoris in praecedentem Epistolam Annotationes & Additiones.* Ipse quoque qui has Annotationes sequitur *Catalogus Auctorum Mysticorum*, non parum est prioribus plenior. De tractatulo *Theologiæ Pacificæ seu Comparativæ* non est

56. Bibliotheca Mysticorum selecta in 8vo. 1707.

eſt ut hîc loci quicquam ſpecialius addatur, præſertim cum eundem ab oppoſitionibus D[ni]. Jægeri liberatum videre poſſit Lector in Poſthumis (*a*)

(*a*) Vindiciar. Lib. IV. cap. 10. §. 6. & ſeqq.

57. *Fides & Ratio collata.* in 8vo. 1707.

57. Eodem anno 1707. prodiit, Poireto edente, Viri illuſtris non minus eruditione quam pietate aliisque prærogativis præclari Tractatus egregius, cui titulus: *Fides ac Ratio collatæ* ac ſuo utraque loco redditæ, adverſus Principia Joannis Lockii, inſertis non paucis quibus Revelationis divinæ ac Religionis Chriſtianæ Capita digniora profundius confirmantur & explicantur; cum Acceſſione triplici 1. De Fide implicita ſive nuda. 2. De SS. Scripturarum certitudine ac ſenſu. 3. De Perfectione & Felicitate in hac vita. Præfationem toti Operi præmiſit Poiretus, in qua tum de præcipuo Libri argumento, Fide ſcilicet Divina, ceu unico ad Vitam æternam medio, ut & de *Rationis* humanæ inanibus operibus mediisque pictis, quæ vel inde a primo Chriſtianiſmo divinæ Fidei oppoſita fuerunt, & quidem per Eruditiores & Philoſophos, diſſerit; tum vero occaſione Acceſſionis tertiæ oſtendit, ſententiam de *Juſtificatione inhærente* eandem eſſe quæ SS. Patrum antiquioris Chriſtianiſmi & ſpeciatim Auguſtini, vel Proteſtantibus fatentibus & interdum approbantibus, tum denique *principia innata* divinitusque mentibus impreſſa rationibus & auctoritatibus divinis humanisque contra J. Lockium aliosque recentiores Philoſophos vindicat. Cæterum Acceſſio illa prima de Fide nuda, (cujus expoſitionem fruſtra quæras alibi ita ut hic inſtitutam, ita explicatam, ita accuratam, nervoſam ſimulque ad omnia Chriſtiani hominis officia & exercitia ita utiliter extenſam,) jam anno 1706. Germanice publicata fuit, inſerta quippe Capiti VIII. inſignis libri Hilarii Theomili, cui titulus *Die Stete Freude des Geiſtes:* hoc eſt, *Hilaritas animi* (ſeu ſpiritus) *perpetua*; qui liber publico ita gratus fuit ut jam anno 1719. tertiam editionem ſubierit inſertis multis, præſertim ex nobiliſſimæ Matronæ D. Gujoniæ Literis ad Orationem interiorem potiſſimum animæque introductionem in eam ſpectantibus. De quo libro hic obiter monere liceat Epiſtolam de variis orationis ſpeciebus, quæ ejusdem Caput VI. abſolvit, eſſe Poireti. Tertia vero Acceſſio & ipſa Germanicè edita eſt ſeorſumque prodiit anno 1705. ſub titulo *Alethophili de vera perfectione ac felicitate*

hac

hac in vita &c. iterumque auctior 1708. Totus liber simul cum tribus Accessionibus suis exstat & Belgicè impressus Leowardii 1710: idemque Londini Anglice prodiit 1713. sed sine Accessionibus.

58. Anno 1709. cum Poireto nostro in manus venisset Collectio quædam Gallica præcipuorum quorundam Tractatuum Mysticorum à Collectore Nobilissimo elegantiori stylo ornatorum, præmissa Introductione in principia vera & solida Theologiæ tum Christianæ tum Mysticæ, eandem publicis typis exscribendam curavit sub Titulo *Praxis Theologiæ Mysticæ veræ.* Continentur in Opere ipso (1) Compendium Praxis facilis elevandi animam ad Contemplationem, Franc. Malevalii. (2) Compendium Tractatus Dni Bernierii de Oratione, (3) Castelli Animæ Stæ Theresiæ, (4) Tractatuum Bernerii de Communione & (5) De crucibus tum interioribus tum exterioribus, (6) Axiomatum & Monitorum ejusdem ad Vitam spiritualem spectantium. Quibus omnibus *Exclamationes de Vita gratiæ*, de quibus supra, subnectuntur. Argumentum & institutum Introductionis in eo potissimum versatur (1) ut quæ sint Theologiæ Christianæ principia vera exponat, Regulamque simul certam piis mentibus tradat idoneam scrupulis eximendis quibus sæpe torquentur, dubiæ quam viam ex iis quæ ad salutem ducunt inire aut eligere debeant. (2) Ut ostendat principia vitæ tum Christianæ tum Mysticæ una plane eademque esse.

58. La Pratique de la vraie Théologie Mystique. en II. Voll. in 8vo 1709.

59. Hinc cum desiderarentur *Fratris Laurentii Religiosi Carmelitæ*, ante hosce triginta annos Parisiis mortui Opuscula Gallica, assiduum coram Deo & cum Deo ambulandi exercitium exemplo vivo & monitis excellentissimis tradentia, ea methodo quæ simplicitate sua, sincera teneritudine, facilitate & soliditate cæteris omnibus antecellit; quæ quidem Opuscula in Hollandia primum Opusculis Dominæ Gujoniæ primæ editionis 1699. annexa fuerant cum quibus & Germanice 1700. & 1706. prodierunt; eadem anno sequenti 1710. denuo sub titulo *Theologiæ præsentiæ Dei* lucem viderunt curante Poireto, qui iisdem addidit Tractatulum integrum de *Exercitii præsentiæ divinæ* insigni *præstantia fructibusque* saluberrimis, auctoritatibus exemplisque plurimis tum divinis tum humanis illustratum ac confirmatum. Hanc editionem verterunt & ediderunt Germanice a. 1714. sed mendose. Tractatulum de

59. *La Théologie de la présence de Dieu. en* 12. 1710.

divinæ præſentiæ præſtantia quarta vel tertia parte auctiorem dudum fecit Auctor, ſuo Deo volente tempore edendum.

60. Sacra Orationis Theologia. in 12. 1711.

60. Circa hæc tempora nactus beneficio Illuſtris Viri Angli, ejusdem qui antea Tractatulum Gallicum de *Infantia Jeſu* cum ipſo communicari curaverat, apographum Libri tunc perrari, licet jam 1686. Vercellis impreſſi, R. P. *Franciſci la Combe*, dicti *Analyſis Orationis mentalis*, eundem anno 1711. in publicum emiſit, juncto alio non diſſimilis argumenti, additis etiam utrique notulis quibusdam cum Præfatione generali, Titulumque utrique præfixit: SACRA ORATIONIS THEOLOGIA duobus Libellis, quorum alter theoreticus & recentior *Analyſis Orationis* mentalis per *R. P. Franciſc. la Combe*; alter vero practicus & antiquior, *Soliloquia divina Gerlaci Petri*, alterius Kempiſii dicti. Subjunxit utrisque Libellum alium non minus pium quam rarum & antiquum ſingulos Aphorismos de Amore Dei in totos anni dies continentem, *Blaquerna* ſcilicet *Anachoretæ Interrogationes & Reſponſiones CCCLXV. de Amico & Amato*, Auctore Raymundo Lullio Tertiario Eremita. Patrem la Combe quod attinet, ſi quis fata ejusdem perſecutionesque, quibus adverſariorum ſuorum artibus dicam an fraudibus involutus fuit, cognoſcere deſideret, adeat ſi placet Tomum alterum & tertium Vitæ Nobiliſſimæ Dnæ Gujoniæ, cui ille à Confeſſionibus ſacris vel à Conſiliis, aut ut vocant à Directione ſpirituali fuerat, ab ipſamet conſcriptæ de qua mox videbimus.

61. Les Opuſcules de Mad. Guion. Vol. 2. en 12. 1712.

61. Cum deinde ad manus Poireti perveniſſent Nobiliſſimæ & Celeberrimæ hujus Matronæ Dnæ Gujoniæ nova quædam Opuſcula quæ lucem nondum viderant, item Apographa duo Tractatus ſupra indicati, qui *Torrentes* dicitur, non tantum correctiora & multis in locis ampliora, ſed & tota ſecunda Parte, quæ argumentum ſublimiſſimum Vitæ divinæ & Apoſtolicæ, cujus ſaltem initia Pars prima attigerat, particularius exponit atque abſolvit, auctiora; hæc omnia anno 1712. in lucem produxit, edito Gallice novo & *ſecundo Opuſculorum Dnæ Gujoniæ Volumine:* de cujus contentis ordineque quem in iis diſponendis tenuit cum aliis ad eam rem ſpectantibus in Præfatione diſſerit Poiretus. Continentur autem hoc ſecundo volumine I. Apologia brevis Methodi orationis. II. Tractatus qui Torrentes dicitur, recognitus & auctus, addita nunc ſecunda

Parte

Parte quæ à priori editione plane aberat. III. Tractatus de Purificatione animæ post mortem. IV. Compendium viæ ad Deum unionisque cum eo recuperandæ. Subjunguntur ut moles voluminis primo respondeat, Tractatuli duo qui post priorem Editionem absolutam superadditæ fuerant, puta V. Tractatus de Infantia Jesu; & VI. P. *La Combe* brevis Institutio qua ratione ad perfectionem Christianam tuto tendere liceat: adjectis VII. Regulis spiritualibus ejusdem quæ lucem nunquam viderant.

62. Hæc opuscula subsecuta sunt porro ejusdem piissimæ Matronæ Opera reliqua, sublimissima & intima Vitæ Interioris adyta summa simplicitate, perspicuitate & soliditate pandentia, miris divinæ Providentiæ viis in hasce oras delata (*a*), quæ quidem suo, id est, Gallico idiomate sequenti ordine prælo paravit & cum publico communicavit Poiretus, additis de suo Præfationibus Lectores de variis ad hos libros eorumque argumenta spectantibus instruere idoneis, ut & Indicibus Alphabeticis rerum præcipuarum in libris hisce tractatarum.

62. La sainte Bible avec des explications & réflexions qui regardent la Vie interieure en XX. Voll. in 8vo. 1713. 1714. 1715.

(a) Vide Præfationem Commentariis in Novum Testamentum præmissam.

Prodiit itaque ex his Operibus anno 1713. *Novum Testamentum Domini nostri Jesu Christi cum Explicationibus & Observationibus ad Vitam Interiorem spectantibus*, Tomis octo in 8vo, ut loquuntur, constans.

Secuti sunt postea annis 1714. & 1715. *Libri Veteris Testamenti cum Explicationibus & Observationibus ad Vitam Interiorem spectantibus.* Tomis duodecim in 8vo.

63. Cùm etiam Libri *Cogitationum Rationalium* editiones binæ ann. 1677. & 1685. jam à longo satis tempore desiderarentur, demum anno 1715. post longas moras quas nescio quo fato sub prælo passa erat, *tertia* comparuit *Editio*, ab Auctore recognita & aucta Dissertatione nova de duplici discendi methodo, altera Emendationis, altera Curiositatis, deque simulato P. Bælii contra Spinozæ Atheismum certamine. Inter ea quæ in hac Editione Tertia recognovit, est præcipuè Continuatio Capitis VIII. Libri III. seu Tractatulus de SS. Trinitate. Cùm enim videret (*b*) procedente tempore sententiam ibidem in Editione altera eo de subjecto expositam, incompletam esse, imò & magis deficientem quam primum putaret, hinc postquam circa vocem Personæ, quæ maxime difficultatem figebat, notionem & significationem

63. Cogitationum Rationalium Editio tertia. in 4to. 1715.

(b) De Natura Idearum Part. III. Sect. II. argum. 9. p. 184, 185.

tionem clariorem viſus ſibi eſt aliquantum deprehendiſſe, reſumſit illum Tractatulum, reſponſionem ad inſtantias Viri Docti inſeruit, & pro Propoſitione decima ſexta eique ſubnexis, in quibus de verbis agitur ad exprimendam SS. Trinitatem adhiberi ſolitis, poſuit quæ ipſi deinde viſa ſunt evidentiora, pleniora, quibusvis quoque utiliora, ſperans ea omnibus bonis non eſſe nunc quidem diſplicitura amplius.

64. Vera & cognita omnium prima, ſive de Natura & Origine Idearum. 1715.

64. Interea cum in manus Poireti incidiſſet, licet ſerius, *Dni Abr. Pungeleri, Theologiæ Profeſſoris Herbornenſis* Scriptum cui titulum fecit: *Diſſertatio de rerum poſſibilium ideis oppoſita Cl. Poireto*, Herbornæ anno 1712. impreſſum, impetravit à ſe ut novo huic Adverſario reſponderet, Reſponſionemque hanc ſuam publicavit anno 1715. hoc titulo inſignitam: „ *P. Poiret Vera „ & cognita omnium Prima, ſive De natura Idearum ex origine ſua „ repetita, aſſerta & adverſus Cl. Abr. Pungelerum defenſa, Diſ„ quiſitio Theologico-Philoſophica:* in qua Spinoziſmus & Socinia„ niſmus tutò prævertuntur; neceſſarium & ſufficiens ſolius DEI „ Eſſe, ceterorum Nihilum primum radicitus pateſiunt; ac non „ paucis in Theologia & Philoſophia momentoſis difficultatibus „ profundiùs dilucidandis via aperitur. „ Summa eorum quæ in hoc Tractatu diſputantur eò redit: DEUM, Ens realiſſimum, perfectiſſimum, omnipotentiſſimum, activiſſimum, intelligentiſſimum, optimum, feliciſſimum, infinitisque virtutibus ac realitatibus præditum, cum per productionem Verbi & Spiritus ſui omnes virtutes ſuas ſibi perfectiſſime manifeſtaverit, hoc ipſo ſibi ſuisque virtutibus perfectiſſime ſufficere: ceteraque adeo alia objecta idealia nequaquam eſſe Deo neceſſaria ac naturalia ſive eſſentialia; quæ ſententia eſt tum Scholaſticorum tum Pungeleri, manifeſto contraria Sufficientiæ Dei, qui ſe ſolo contentus è mero arbitrio ideas excogitavit, potuitque eas non excogitaviſſe vel etiam alias excogitaviſſe. Quæ ut facilius capiantur proponitur diſtinctio imprimis obſervanda inter *attributa Dei*, alia *eſſentialia*, alia *arbitraria*, quæ & acceſſoria & libera dici poſſunt, qualia è conſtitutione idearum, rerum creatione, regimine, redemtione voluit Deus ſibi libere adſciſcere. Cæterum obſervari inter alia in hoc Libello merentur tredecim poſitiones (*a*) quibus Poiretus ſententiam ſuam de *SS. Trinitate* hîc loci ita explicat ut nullis ortho-

(*a*) Parte III. Sect. II. argum. 9.

orthodoxis suspecta esse possit, itemque Cogitationes ab eodem expositæ (a) de *processu omnium ex una Origine* (Deo) iis modis qui cum DEI Majestate, Sapientia, Bonitate &c. maxime conveniant: ut & Conclusio libri, (b) quæ hæc est, Eos qui alioqui essentiales Christianismi doctrinas, (paucis ibidem memoratas,) retinent, quamvis in multis præterea aliis ex infirmitate errarent, esse tamen fraternum in modum tolerandos.

(a) *Parte IV. Sect. II.* §. 10.
(b) *Parte IV. Sect. IV.* §. 9.

65. Post breve hoc intervallum quoad dudum omissam philosophandi consuetudinem, quam ista utique requirebant, veluti postliminio propter rei ipsius momentum redire voluerat Poiretus, ad ea quæ per se veritati & saluti essentialia sunt, animabusque ad amabilem finem summum, ad quem sumus conditi, præparandis promovendisque directò inservire possunt, seque & labores suos, quantum per ætatem provectiorem viresque jam declinantes licuit, iterum convertit, in lucem protractis ejusdem Nobilissimæ Matronæ, quam supra jam aliquoties laudavimus, *Discursibus Christianis & spiritualibus de variis subjectis ad Vitam Interiorem spectantibus*, partim è Scriptura S. desumtis. Quos quidem anno sequenti 1716. imprimendos curavit tomis duobus in 8vo, quibusque Præfationem præposuit, eò spectantem ut post nonnulla de argumento libri & ordine in eo servato exposita, pias mentes præmuniat ne caliginem sibi offundi patiantur oppositionibus speciosis, at vere iniquissimis, quibus mercenarii homines vel etiam Doctores doctrinam Amoris puri & quæ ad eam pertinent oppugnant, ostendatque veritatem & soliditatem eorum quæ in viis hisce interioribus vel sublimissima sunt, à sanctissimis probatissimisque agnosci & commendari. Tomo altero præmissa est Introductionis loco, *Institutio Christiana juventutis* ejusdem Auctoris.

65. *Discours Chrétiens & spirituels sur divers sujets qui regardent la Vie intérieure. en II. Voll. in* 8vo. 1716.

66. Anno proxime sequenti 1717. edidit aliud ejusdem Auctoris monumentum lingua versa scriptum, hoc titulo: „ *Anima* „ *Dei sui amans* exhibita in *Emblematis*, tum Hermanni Hugo„ nis pia sua Desideria illustrantis, tum Othonis Vænii de A„ more divino, cum figuris novis ac perelegantibus, carmini„ busque quæ eadem ad habitudines affectusque essentialissimos „ Vitæ interioris applicant. Addidit Præfationem de usu salutari rerum externarum, visibilium & emblematicarum, menti

66. *L'ame amante de son Dieu représentée dans les Emblêmes de Hugo & de O. Vanius avec des vers qui*

ad invisibilia & æterna elevandæ inservientium ; & de excellentia Viæ Amoris ac cordis ad quam Emblemata hic recusa ab Auctore referuntur.

67. Curavit etiam Poiretus eodem anno addita Præfatione recudi sub titulo: *Sanctus Indiarum Anachoreta*, Vitam *Gregorii Lopez* incomparabilem ad interpretationem Gallicam Dni Arnaldi Andilleï exactam ; *Actum* quem vocant *continuum Contemplationis & Amoris Dei*, novissime a Theologis Scholarum non semel damnatum, exemplo insigni & vivo firmantem.

68. Inde anno 1718. *Dnæ Gujoniæ Epistolæ Christianæ & spirituales de variis rebus ad Vitam Interiorem seu spiritum veri Christianismi spectantibus*, tomis quatuor in 8vo. lucem publicam viderunt curante Poireto, qui & Præfationem toti Operi præmisit, & Epistolas eo quo comparent ordine disposuit, ac singulas lemmatibus suis instruxit.

69. Eandem operam & accommodavit, (ut quæ de Scriptis ab eo editis una serie absolvamus,) tum *Operibus spiritualibus* Dni Fenelonii, Illustrissimi dum viveret Præsulis, Archiepiscopi Cameracensis quæ eodem anno 1718. prodierunt tomis duobus in 8vo. quorum posterior Epistolis constat antea plane ineditis ; quamvis præposita his Operibus Præfatio Poireti non sit:

70. Tum & *Vita Dominæ Gujoniæ* ab ipsamet ita conscriptæ, ut quotquot ad eam cum sinceritate & simplicitate cordis legendam accedent, non possint non fructus saluberrimos ex ea consequi, progressumque insignem facere in cognoscendis viis Dei intimis & divinissimis, earumque salutari praxi: videbuntque in ea, Scripta & lumina Animæ hujus selectæ nequaquam adnumeranda esse productionibus idealibus & operoso studio quæsitis Rationis humanæ, quæ fere non nisi speculationes imaginesque vanas dare potest, sed ea vere res esse seu realitates animatas, justa & solida experientia constantes, esse re vera productiones vivas animæ quæ in Deo jam transierat, quæ in eo vitam, radicem & vigorem ceperat, quæ in ipso jam firmata & roborata ex ipso hauriebat omnia, quæ ab ipso regebatur, imo & electa ab eo erat, donisque extraordinariis & gratiis superabundantibus ad hoc instructa, quo per eam easdem communicaret cum aliis ad quorum salutem promovendam ipsâ uti voluit, posteaquam eam

sibi

en font l'application aux dispositions les plus essentielles de la Vie Intérieure. en 8vo.

1717. 67. *Le Saint Solitaire des Indes*, ou *La Vie de Gregoire Lopez.* en 8vo.

1717. 68. *Lettres Chrétiennes & spirituelles sur divers sujets qui regardent la Vie Interieure ou l'esprit du vrai Christianisme. en IV. Voll.* en 8vo.

1718. 69. *Les Oeuvres Spirituelles de Messire Fr. de Salignac de la Mothe Fenelon Archevêque Duc de Cambrai. en II. Voll.* en 8vo.

1718. 70. *La Vie de J. M. B. de la Mothe*

ſibi eum in finem præparaverat per tot probationes purificantes, incredibilesque ac perpetuas cruces, quæ in hac Vita nusquam non occurrunt. Prodiit ea anno 1719. tomis tribus in Octavo, mox poſt mortem Poireti, qui Præfationem paucis antè diebus, quam in ultimum decretoriumque morbum incideret, conſcriptam, ſecundis curis ad examen revocaturus erat ſi fata ſiviſſent, itemque abſoluturus præparationem partim jam inchoatam editionemque eorum quæ è Scriptis ejusdem Auctoris adhuc edenda reſtabant; quæ quidem ſunt:

Guion écrite par elle-même. en III. Voll. en 8vo. 1719.

71. *Opuſculorum Spiritualium Editio nova* in eadem forma qua reliqua ejus opera prodiere, puta in Octavo, correctior & auctior, quæ vero lucem jam vidit anno præterito 1720. in qua Tractatus, qui ab Auctore *Torrentes* inſcribitur, recognitus exſtat juxta exemplar ab ipſa reviſum, inſertâ etiam ex Tomo altero Diſcurſuum, *Inſtitutione Chriſtiana juventutis.*

71. Les Opuſcules Spirituels de Me. Guion nouvelle Edition corrigée & augmentée. en II. Voll. en 8vo. 1720.

72. *Juſtificationes* ab ipſamet conſcriptæ, juſſu DD. Epiſcoporum Examinatorum ſuorum, compendio ſiſtentes veluti Medullam quandam ſeu Clavem totius Theologiæ Myſticæ, egregiumque de præcipuis argumentis ad eam Theologiam ſpectantibus Commentarium, ex Myſticorum optimis probatiſſimisque feliciter collectum, quorum hic cum ſcriptis & doctrina Auctoris conſenſus oſtenditur, difficultatesque variæ ad Vitam Interiorem ſpectantes paſſim dilucidantur. Hoc opus & ipſum jam comparuit anno 1720. tribus tomis in 8vo: ſubnectiturque ei *Examen* adhuc ineditum *Collationum Caſſiani IX. & X.* de ſtatu fixo orationis continuæ, Traditionem SS. Patrum Anachoretarum de hocce ſubjecto evolvens, per Dnum Fenelonium Archiepiscopum dum viveret Cameracenſem.

72. Les Juſtifications de Me. Guion écrites par elle-même en III. Voll. en 8vo. 1720.

73. *Poëmata* item *& Cantica Spiritualia*, Veritates & vias eſſentialiſſimas Vitæ Interioris mira ſimplicitate ac ſuavitate, nec ſine unctione plane divina explanantia, propediem volente Deo lucem quoque viſura.

73. Poëſies & Cantiques Spirituels de Made. Guion.

74. Scripſerat denique ſub initium anni 1718. Poiretus ad eruditum & pium quendam Unitarium *Epiſtolam de vera Deitate & æterna Generatione Jeſu Chriſti*; cui Epiſtolæ poſtea, cum amicorum rogatu de eadem edenda cogitaret, ſubjecerat *Nubem Teſtium, ſive SS. Martyrum Teſtimonia de Deitate Jeſu Chriſti.*

74. P. Poireti Poſthuma. in 4to. 1721. *De ejusdem Epiſtolis.*

Absolverat etiam dudum antè, *Defensionem Methodi inveniendi Verum contra Cl. D. Thomasium JCtum*, qui postquam Libros de Eruditione Lipsiæ 1694. recusos Dissertatione peculiari præmissâ non parum commendaverat, eosdem in altera Editione (*a*) Francofurtensi & Lipsiensi anni 1708. Dissertatione alia præposita, mire mutatus à se ipso, improbare voluit: in qua *Defensione* simul capitaliora vitia Libri *de Libertate cogitandi*, principiorum item *Lockianismi*, uti & *Enthusiasmi fanatici*, breviter ostenduntur. Inde cum porro consilium cepisset *respondendi* perpetuo suo in Germania adversario *Dno. Wolfgango Jægero*, Academiæ Tubingensis Cancellario, cœpit deinceps, quantum per vires & valetudinem licuit, ut & per labores alios quos in Scriptis reliquis Dnæ Gujoniæ prælo parandis hoc nomine abrumpere nefas sibi credidit, Operi huic Apologetico scribendo vacare, eo animo consilioque ut isthæc omnia uno volumine, si Deus vitam protrahere voluisset, aliquando publicam in lucem emitteret. Hinc cum Numini placuisset eum, postquam opus hoc ultimum tantum non absolvisset, exilio hoc evocatum in cœlestem patriam recipere, nata sunt ista quæ nunc in lucem prodeunt *Posthuma*, de quibus non opus est ut post modo dicta, ut & in eorundem Præfatione commemorata, quicquam moneatur specialius.

(*b*) *Suprà* §. 33.

De edendis *Epistolis*, quibus tam Gallica quam Latina lingua scribendis (*b*) non minimam vitæ suæ partem consumsit Vir Beatus, nihil certi adhuc affirmare licet. Dies forte & Divini imprimis Numinis Providentia, quæ alienata à se mortalium corda mediis omnibus ad se reducere satagit, spem aliquando occasionemque suppeditabunt, ut ex iis quæ supersunt, selectiores quædam colligi, & in salutarem usum solatiumque eorum qui veritatem quæ secundum pietatem est amant, in publicum protrahi possint.

75. *Librorum hucusque recensitorum character.*

75. Et hi quidem fuere labores quibus vitam totam ad extremum usque exercitam habuit Poiretus, hi Libri quibus tum componendis tum edendis proximum, præsertim ex quo non sine

(*a*) *Editionem hanc Francofurtensem & Lipsiensem anni* 1708. *in* 8vo, *qua primum Volumen tertia parte Anti-Titiana pernecessaria truncavit, totumque secundum Volumen abjecit, merito pro sua non agnovit Auctor.*

ſine Dei providentia libertatem ſibi vivendi nactus eſt, pro menſura gratiæ & talentorum ſibi à benigniſſimo Numine liberaliter conceſſorum, juvare maluit quàm ad publica munera ſive in Scholis ſive in Eccleſia obeunda iterum adſpirare: Neque opus eſſe arbitror de ſingulorum contentis peculiarique charactere, poſt ea quæ ſummatim ſuprà ipſiſſimis fere verbis Auctoris expreſſa adduximus, quicquam ſpecialius ſubjicere. In genere obſervare liceat, Veritates plane capitaliſſimas multis difficultatum nodis paſſim apud alios implicatas, quales ſunt, de ſufficientia & eſſe neceſſario ſolius DEI, deque ceterorum omnium puta non rerum tantum ſed & idearum nihilo primo; de diſtinctione inter attributa Dei alia eſſentialia, alia arbitraria; de adorando SS. Trinitatis Myſterio; de Dei decretis ejusdemque præſcientia & providentia; de libertate; de natura & origine mali ejusque ſequelis funeſtiſſimis, peccato inprimis originali; de natura item mentis hujusque immortalitate & facultatibus variis; de natura & diſtinctione Rationis & Fidei; de immediata Dei in homine operatione ſalutifera; de natura Religionis ejusque tum eſſentialibus tum minus eſſentialibus; de natura Sacrificiorum & Ceremoniarum omnium ſacrarum; de Sectarum & ſchiſmatum origine ac remediis; aliasque bene multas, ita radicitus ac perſpicue ex ipſiſſima origine ſua ab ipſo evolvi, ut bonis mentibus, poſtquam hæc principia penitius inſpexerint ac recte apud animum ſuum digeſſerint, nullus de iis ſcrupulus ſupereſſe poſſit. Lectores utique ſolida & ſana rerum principia dignoſcere apti nati, nec ad divina prorſus ſtupidi emortuique videbunt facile & ſentient, Auctorem veriſſimè quondam dixiſſe (*a*): „ Si quid in ſcientiis mundi præcipuis exſtet vel exſtare „ poſſit, quod lectores ſuos evaneſcere non permittat, quod „ ad animi æquitatem, probitatem felicitatemque diſponat, „ quod impietatis radicalia, ut ita loquar, fundamenta evellat, „ id ſe conatum eſſe, ut è fundamento ſolide Mathematica „ certitudine erutum, demonſtratum exhiberet ". Addo ſi quid vel antiquitas tum ſacratum profana, vel inferiora ſecula, vel noſtra etiam parentumque noſtrorum memoria tulerint, quod ad pietatem ſolidam & fructuoſam, ad Reverentiam Cultumque & Amorem intimum puriſſimumque erga Majeſtatem Dei

(*a*) *in Epiſt. Dedicatoria Cogitationum Rational. Edit. ſecunda ad Sereniſſ. Electorem Palatinum Carolum.*

Dei Optimi Maximi magnificentiſſimam & Jeſum Chriſtum Filium ejus unigenitum & æternum, & ad ineffabilia quæ eò ſpectant myſteria & magnalia ſalutariter conſideranda, animos à Deo tactos accendere & provehere poſſit, eorum omnium (dicto abſit invidia) ſummam quandam atque compendium cauto judicio ſelectum, fundamentaque & principia tutiſſima, pericula undecunque & à dextris & à ſiniſtris imminentia, Spiritûs S. imprimis gratia favente, prævertere idonea, paſſim in Scriptis ſupra recenſitis inveniri; in Scriptis inquam non tantum Poireti noſtri, ſed potiſſimum in iis quos ab ipſo vel commendatos vel luci reſtitutos enarravimus. Quod ſi quibusdam in hiſce forte videamur modum excedere, aut „ ſi Poiretus etiam „ ipſe videatur Auctores quosdam interdum nimium extuliſſe, „ reſpondere iis liceat verbis Auguſtini, Matrem ſuam laudan- „ tis, (a) *Non ejus* (Domine) *ſed tua dicam dona in ea.* Omne „ quippe donum & perfectum donum (quod Amorem Dei & „ æterna ſapit,) cum ſit à Domino, ſintque opera Dei in „ Sanctis ſuis mirabilia, non poſſunt ea non ſatis digne à nobis „ æſtimari, ut inde glorificetur Pater qui eſt in cælis; præſer- „ tim verò quando iſta nihil aliud ſunt quam ſtimuli, documen- „ ta & hortationes ad amandum, ad laudandum, ad magnifacien- „ dum UNUM DOMINUM, ac contemnenda cætera omnia, „ quæ extra eum ſunt nec ad eum ducunt". Quæ verba ſunt Viri Venerandi (b), qui ad hoc à Deo ſuſcitatus fuiſſe videtur, & ſi quid ſibi muneris divina vocatione injunctum crederet, id hoc ipſum eſſe inter familiares identidem agnovit, ut palam faceret magnalia quæ in animabus ſanctioribus, iis præſertim quibus tanquam organis ad veritatem ſuam renovandam, mendaciumque & fraudes inimici & naturæ corruptæ detegenda & confundenda, ultimis hiſce temporibus uti voluit, in mortalium ſalutem operata eſt divina Bonitas & Sapientia, impediretque ne plane ab hominibus illarum Scripta in ſui perniciem negligerentur aut rejicerentur. Quæ quidem Scripta noſter tanti facere ſolebat præ ſuis, ut vel unam illorum lineam propriis voluminibus omnibus præferre non dubitaverit; à quibus componendis facilè abſtinuiſſet, ſi quidem homines ita affectos vidiſſet, ut nulla impedimenta obſtarent, quo minus ab Inſtrumen-

(a) *Confeſſ. libr.* 8. *Cap. I.*

(b) *Tomo II. de Eruditione in Præfatione de Theologia & Auctoribus Myſticis. p.* 464.

mentis ipsis Dei, tum antiquis in Scripturis utriusque Fœderis, tum recentioribus temporum inferiorum & nostrorum, Veritatem puram reciperent. Dici profecto non potest quanto cum affectu laudatissimæ Matronæ Gujoniæ Scriptis publicandis ultimos vitæ suæ annos impenderit, qui non semel inter familiares asseveravit, hoc sibi videri ultimum opus à Deo sibi demandatum, quo peracto lætus dicturus sit; *Nunc dimittis servum tuum Domine in pace.* Quo factum est ut, licet valetudinem viresque sensim declinare sentiret, ab eo labore desistere religioni sibi duxerit, ad propriaque, quæ subinde adhuc resumenda credebat, Scripta componenda quodammodo invitus deflecteret.

76. De peculiari charactere Beati Viri vix est ut quicquam specialius addamus, cum ex dictis plus satis appareat, eum imprimis purissimo veritatis amore sine ullo ad se suaque, aut ad aliena quæcunque respectu sinistro, tum vero pacis conservandæ tranquillitatisque religiosæ conciliandæ studio singulari, ut & sui ipsius despicientia ac humilitate sincera nec non simplicitate mira, & in tam profunda rerum solidarum cognitione perrara, præ multis emicuisse. Liceat tamen, pace Lectoris, de veritate ab ipso sincere amata referre, quæ non nemini alia omnia gratis ei tribuenti confidenter publicè reposuit, quando „ Optarem, inquit (*a*), si e re veritatis futurum esset, ut noster „ cordis & animi mei quantum ad hæc scrutator atque detector „ posset esse: nihil aliud de eo videret quàm me ab ineunte ætate „ veritatis divinæ & solidæ salutarisque, prout eam nosse licuit, „ amore captum fuisse adeo sincero, ut illam sine respectu ad partes, ad homines, ad commoda atque incommoda, omnibus prætulerim, etiam mihi duram meque & in posterum porro reprehensuram donec totus ad ejus rectitudinem restitutus sim; quod „ quidem ego ab illa spero, traditus ac confisus illi, quæ non dedignata est aliquo lucis suæ radiolo tenebris meis illucescere“. „ Et paulo post (*b*), „ Improbat ille me de Virgine A.B. bene existimare, qui tamen ei non tam adhæreo quam ipse vel Calvino vel Synodis humaniora passis. Ego verò contrà, ad solam „ Dei Veritatem & Sapientiam respexi, nihil laborans quonam „ instrumento eam mihi Deus declarare vellet, per virum an „ per fœminam, per eruditum an per idiotam, per Catholico-Ro-

76. Character Poireti. Veritatis amor sincerus.

(*a*) *Iren. Univers. Sect. V. §. 7.*

(*b*) *ibid.* §. 11.

„ Romanum an per Calviniſtam vel Lutheranum, imo verò „ per Judæum aut Gentilem. Omnes perinde mihi grati modo „ veritatem habeant, & quouſque habent, nec ultrà."

Et revera quamvis gratus agnoſceret, placuiſſe Deo, miniſterio Scriptorum & converſationis Antoniæ B. ſingulariter uti, ut eum ad intima veritatis amoriſque ſui adyta magis magiſque deduceret, non tamen ille ideo alios, qui ex divino lumine ac mandato vel antiquioribus vel noſtris temporibus ſcripſerunt, vel contemſit vel minoris fecit, ut ſæpe fit per invidiam quandam ſpiritualem ab iis, qui Auctoris cujusdam illuminati ſectatores audire geſtiunt, cum contrà noſter omnium quos noſſe licuit dona & lumina agnoſcere, laudare, mirari, venerari & commendare Scripto luculentiſſimo (*a*) inſtituerit, unum pulcherrimumque ſcopum intendens, gloriæ Dei ac ſalutis animarum promotionem per quæcunque demum media illa obtineri poſſit.

(*a*) *Epiſt. de Auctoribus Myſticis.*

77. Studium pacis & concordiæ religioſæ. Quid de Socinianis ſenſerit.

77. Ideoque non eſt quod miremur, ſummum in eo fuiſſe ſtudium pacis fraternæ ac dilectionis tolerantis erga pios omnes, ut ut in diverſis partibus aut Sectis quibus Chriſtiani infeliciter dividuntur, conſtitutos; inter quos etiam conatus eſt concordiam fraternam inſinuare turbandi & rixandi ignariſſimus, iis viis, quæ ſolæ, quicquid obmurmurent homines Sectarii, inauſpicatiſſimis illis diviſionibus ſanandis idoneæ videntur: quæque eò redeunt ut „ (*b*) piæ mentes unius Religionis, alias quæ in aliis „ Religionibus verſantur, non contemnant, non condemnent, „ non pro errantibus ac hæreticis habeant, ſed ament potius, „ conſiderando Chriſtum ipſum id & velle ut faciant, & ipſum „ id facere, quò ſic præludium aliquod hac in vita ſit inter pios „ quarumvis partium, unionis, dilectionis ac pacis illius quæ „ in vita æterna utique inter eos futura eſt perfectiſſima, ut ne„ mini dubium eſſe poteſt." Quæ ipſa vero potiſſimum (*c*) ad tres illas notiſſimas Chriſtianæ gentis partes majores extendit; quamvis & in genere ſtatueret, (*d*) „ ubi eſſentiales Chriſtianiſmi „ doctrinæ ſunt ſanæ, ubi ſincere agnoſcitur, hominem, opus „ manuum Patris, Filii & Spiritûs S. in juſtitia & ſanctitate „ ab illis creatum, deſciviſſe in ſtatum injuſtitiæ & impurita„ tis, tenebrarum, errorum, concupiſcentiarum malarum at„ que

(*b*) *Vid. Vindic. contra Jagerum Libr. II. Cap. 5. ibique §. 5. & 9.*

(*c*) *Vindiciar.* Libr. II. cap. 5. §. 1. 3. &c.

(*d*) *De Natura & Origine Idearum.* Part. 4. Sect. 4. §. 9.

„ que mortis æternæ; unde ut liberaretur misit Pater Filium
„ inter nos qui vita, morte ac resurrectione sua Spiritum S.
„ nobis impetraret, per quem nobiscum veritas amorque divi-
„ nus, sanctitas ac justitia communicarentur, quibus possemus
„ cum Deo iterum extra peccata ac tenebras societatem ini-
„ re, ac ambulare perpetim coram illo; ubi inquam ista ex animo
„ agnoscuntur & admittuntur, cetera præterea, veluti acces-
„ soria errata infirmitatis humanæ omnino toleranda esse, do-
„ nec lux paulatim veniat plenior, unde tenebræ erroris sen-
„ sim dissipentur.

Hinc & factum est ut nullas partes, nec ullius partis ritus ac sacra despexerit, reverenter de quibusvis mediis quibus piæ animæ quarumcunque partium utuntur, ut se in Deo colligant loquens, solam animorum pravam constitutionem sacris illis non congruam iisque abutentem improbans.

Ita nullis partibus præfracte & cum ceterarum contemtu adhærescens, omnibus bonis sine discrimine partium quibus inter se diffident, prodesse cupiit, & Domino benedicente re ipsa profuit: quod grati agnoverunt non pauci ex præcipuis quæ inter Christianos celebrantur sectis, puta non ex Reformatis tantùm, à quibus nunquam secessionem fecit, & Lutheranis aliisque qui à Romanensibus secesserunt; sed ex ipsis etiam Romano-Catholicis, & inter hos quidem nonnulli sacerdotali dignitate conspicui, quibus, si fortè ad suas eum partes amplectendas, ut fere solent qui hujus sunt Ecclesiæ, attrahere tentarent, cordatè semper ac constanter respondit, rationibusque gravissimis comprobavit, id sibi per conscientiam suam non licere.

De cetero vel ex modo dictis patet, eum, utut pacis fuerit studiosissimus, à *Socinianorum* tamen placitis & partibus longe semper fuisse alienissimum; quod & publice solenniter contestatus est *(a)* „ declarans se summopere abominari Socinianorum do-
„ ctrinam, quæ nec necessitatem Jesu Christi Liberatoris, ne-
„ que magnitudinem & efficaciam infinitam meritorum ipsius,
„ neque Divinitatem ejus æternam (quæ necessaria est ad fa-
„ ciendum opus Redemtionis nostræ,) imo neque fundum mi-
„ seriæ & ægritudinis humanæ, neque verum ejus remedium,
„ gratiam Dei internam agnoscit. Nolui, pergit, multum tem-

(a) *Oecon. divinæ* Libr. III. Cap. 4. §. 23. p. 644.

„ poris in impiis eorum Scriptis legendis perdere; verùm pau-
„ ca illa quæ illic vidi, ſufficiunt, ut certò pronunciare poſſim,
„ homines hoſce cœcos nunquam Dei lumen vidiſſe, & non
„ eſſe niſi mancipia quædam Rationis humanæ corruptæ & à
„ Satana excœcatæ.

Sed & privatim, ſi quando, quod rariſſime fiebat, inviſeretur à quibuſdam qui forte ad illorum dogmata propenderent, quales vulgo notum eſt non deeſſe inter eos, aut certe inter eorum primores, qui ex toto fere Belgio bis per annum ſtatis temporibus Rhenoburgum confluunt ad ſacra ſua ſolennemque Euchariſtiam, multis plerumque aliis quos curioſitas (à Poireto ea in re longe ſemper alieniſſima) attrahit, coram ſpectantibus, celebranda, quique à Collegiis ſuis quæ in variis Belgii locis & urbibus frequentant nomen (a) ferunt; tunc per amicabilem converſationem principia contraria, præſertim de innata omnibus intima univerſalique Rationis & cordis corruptione, deque gratiæ divinæ omnia intus & foris purificantis, illuminantis & reſtaurantis neceſſitate, placidiſſime ac diligentiſſime iis inſinuare ſtudebat, id quod & apud ſimpliciores quoſdam, qui à via cordis & amoris propius aberant, non ſine fructu fuiſſe omnino conſtat.

(a) Collegianten.

Ad pacis etiam conſervandæ ſtudium referri debet, quod cum paſſim noſtris temporibus in variis Eccleſiis turbæ concitarentur, tum ob novellos quoſdam Prophetas, tum ob Separatiſtas quos vocant, ſeu eos qui à cœtibus Eccleſiæ ſuæ publicis ſeſe ſeparant, Poiretus à non paucis, & variis ex locis non tantum Germaniæ, ſed & Angliæ Scotiæque de hiſce conſultus, omni opera (b) verbisque „ & literis privatis conatus fuit,
„ eos ab Enthuſiaſmi & Separatiſmi periculo retinere & abſter-
„ rere, ad quod forſitan propenſiores fuiſſent, hoc maximè tem-
„ pore, in quo novi tot Prophetæ Enthuſiaſtici excluſi ſunt ſe-
„ que quaquaverſum diſſeminarunt, nec paucos ſuis Enthuſiaſ-
„ mis mirisque & motuum & revelationum jactationibus vel in-
„ tempeſtivis Separatiſmis ſeduxerunt atque perturbaverunt,
„ à quibus ſemper & abhorruit & alios contrà præmonuit Poi-
„ retus.

(a) *Defenſio contra Thomaſium Sect. IV. §. 14.*

78. Humilitas & ſimplicitas.

78. Sed nec minor in eo fuit, tum humilitas ſincera, tum ſim-

ſimplicitas candida, veræ prudentiæ mater, quarum virtutum, in Viris præſertim ingenio & doctrina pollentibus, rariſſimarum amore ille mirificè captus, ſingulari inde devotionis affectu ferebatur erga Myſterium ſanctiſſimæ Incarnationis & Infantiæ Θεανθρώπȣ, ſtupendæ humilitatis innocentiſſimæque ſimplicitatis prodigium, cujus cultum adorationemque in lectiſſimis quibusdam animabus haud ita dudum, non ſine fructu ſalutifero, divina renovare voluit Bonitas & Sapientia. Enimvero teſtes eſſe poſſunt quotquot Poiretum cominus noverunt, infantilem quandam innocentiam, uti ab omni artificio, ita & à vano tumore alienam, in tota vita & converſatione ejus, ſemper regnaſſe; teſtanturque Scripta ipſius tantum non omnia, quam modeſte ſemper de ſe cognitionibusque ſibi datis ſenſerit *(a)* quantaque cum animi demiſſione & ſui ipſius ſuorumque donorum & luminum deſpicientia obſequium & velut homagium (venia ſit verbo) Gratiæ divinæ ſolenniter præſtare non dubitaverit, in agnoſcendis, & pro merito æſtimandis ac publice commendandis iis, quos lumine ſuo colluſtrare dignatus eſt Dei Spiritus, licet forte ſimpliciores aut idiotæ fuerint, vel etiam puellæ ac feminæ, non tam rationis omnia examinantis ductum, quam charitatis omnia credentis lumen ſecutus. Imo quo ſimpliciores eſſent Scriptores divini ac ſpirituales, eo intimius iisdem affici ac delectari ſolebat: quæ cauſa fuit ut mire ipſi placerent Joannes Engelbertus, Frater Laurentius ſimilesque, inprimis vero Kempiſii aureus de imitando Chriſto libellus, quem adeo charum habuit ut per plures ante beatum obitum ſuum annos diem nullum dimiſerit quin ex eo caput aliquod relegeret. Ut taceam Scripturas ſacras, non minus ſimplicitate quam Majeſtate ſua & divina auctoritate Chriſtianis omnibus venerabiles, quas quotidiano uſu & aſſidua lectione familiariſſimas ſibi habebat; poſt quas vero proximo loco ponebat Scripta SS. Patrum Apoſtolicorum ut & è ſequentibus ſeculis Sancti Patris Macarii opera vere divina, nec non Acta primorum Martyrum ſincera, de ceteris antiquioris Eccleſiæ Chriſtianæ Patribus non minus reverenter ſentiens, ita ut non parum miraretur, Viros alioqui piiſſimos & veritatis ſtudioſiſſimos, Criticorum quorundam cavillationibus eò abreptos fuiſſe, ut de genuinis illis primitivæ veri-

(a) Vide ſpeciminis loco Præfationem in Libr. V. Oeconomiæ.

veritatis & pietatis Assertoribus durius pronunciasse videantur.

Quodsi vero quandoque vel verbis vel literis ipsi conferre daretur cum piis animabus de quibus apud se convictus esset, eos per cordis puritatem commercium cum Deo recuperasse, tunc Spiritum Dei in iis præsentem operantemque venerabundus audire eidemque lubens cedere in omnibus solebat. Sed & inter amicos familiares & domesticos tanquam unus illorum semper ad extremum usque vixit, imo nec infra se duxit exercitiis etiam externis, quoad per vires animi ac corporis licuit, occupari: vivente vero Antonia, cum Amstelædami impressionem Scriptorum ejus Virginis curaret, à falso fratre [tum personatò, quem eo in opere socium habebat, indignissimis sæpe modis habitus, illum cum tacita sui ipsius accusatione & dejectione, semper apud animum suum extra culpam posuit, ex lege charitatis optime de eo sperans & sentiens, sibique eum multis nominibus præponens.

79. Corporis habitus. Animi dotes.

79. Corpus sortitus erat Poiretus vigori animi fere impar, texturæ satis debilis, quæ ab aëris intemperie facilè turbabatur, unde identidem catharris gravissimis infestari solebat. Statura ei fuit communis, facies læta & serenior quàm in effigie exhibetur, nec non, sequentibus præsertim temporibus, paulo plenior, ita ut vergente jam ad senectutem ætate vix quinquagesimum excessisse annum dixisses: Sensuum vigor ad finem usque integer, nisi quod oculorum acies (alioqui acerrima) sine vitrorum subsidio non nisi paulo propiùs admota discerneret, quodque graviter, provectiori inprimis ætate, audiret; quod ipsum vero ei causam præbebat multa inutilia ignorandi, imo & medios inter familiares & domesticos sibi plerumque & Deo suo recollecta mente & corde libero vacandi. Mores ipsi ingenui ac placidi, affabilitas summa, conversatio festiva, seria licet in gravibus, imaginatio vivacissima vel ex delineatione Virginis A. B. dudum demortuæ conspicua. Memoriam non infelicem testantur progressus in literis tam modico tempore facti, Scripturarumque sacrarum notitia non tralatitia sed exacta, quippe quas ita in succum & sanguinem verterat, ut vix locus alicujus momenti occurreret, quin sedem ejus & ubi quærendus esset,

eſſet illico indicaret. Quibus omnibus inprimis accedebat ingenium non ſagax tantum ſubactiſſimumque, ut vel iniquiores fatentur adverſarii, ſed & varium ac multiplex, ea etiam quæ ab uſu ejus remotiora videbantur, optime veluti ex ſenſu diſcernens, à tricis tamen ac inanibus quiſquiliis penitus abhorrens, quippe quod naturæ veluti inſtinctu ad res ſolidas, ſublimes & æternas ferebatur, in iiſdem tractandis principiorum quæ ex prima origine ſua concinne, ſi quis alius, derivare noverat Poiretus, ubertate & claritate, difficillima quæque penitiſſime introſpiciens & luculentiſſime explanans, id quod Libri ipſius nunquam intermorituri, quamdiu eruditioni ſolidæ, ac haud fucatæ pietati ſuum conſtabit pretium, ignorare non ſinunt.

80. Valetudinem quam adoleſcentiæ tempore annisque ſequentibus, ut vidimus, ſatis imbecillem expertus fuerat, poſtea etiam febribus tam tertiana quam quartana aliquoties infeſtatam habuit, deinde & effuſionibus bilis ſtomachique debilitate fere continuis; quibus vero ingraveſcente ætate aliquamdiu minus laborare cœpit, niſi quod ante hos decem annos rheumatiſmo acerbiſſimo per quatuordecim dies impetitus fuit. Demum tribus ferè ante beatum exitum ſuum annis hæmorrhoidum internarum ærumnis afflictari cœpit, quibus ſenſim incrudeſcentibus, doloribus tantum non continuis, aliisque malum hoc ſtipantibus incommodis, nunc gravius nunc levius torquebatur, quo factum eſt ut per totum illud tempus pedem raro è domo, è pago vero nunquam extulerit, cum nec currus agitationem ſuſtinere poſſet; inter quæ vero patientiam & reſignationem animi inconcuſſam ſemper ſervavit, nihiloque ſecius in operibus quæ ſub manibus habebat, vel aliorum vel ſuis inſtanter pro viribus perrexit. Verſus initium tandem Maji 1719. rheumate impeti cœpit cui paucos poſt dies febris catarrhalis acceſſit, qua circa medium ejusdem menſis in ardentem continuam degenerante, fluxione thoracis pertinaciſſima, dum incommoda ordinaria ceſſabant, comitatam, die Solis vigeſimo primo Maji quadrante circiter poſt horam ſeptimam matutinam, anno ætatis ſuper ſeptuageſimum tertio hebdomadibus quinis amplius exacto, inter amicorum lacrymas & vota, plenus Fidei, Spei & Amoris, cœlo jam maturus placide exſpiravit, poſtquam in

80. Invaletudo & beata mors.

ipſo agone medios inter æſtuoſiſſimos ardores febriles pectoriſque ſuppreſſi angores graviſſimos, ſpiritu ſemper vegetus nec ſenſibus collapſus, amabiliſſimæ Dei & Salvatoris Chriſti, (quem omnia in omnibus, omnia in ſe, omnia in Amicis aſtantibus identidem moribundus prædicabat vovebatque,) voluntati ſe iterum iterumque verbis ignitiſſimis pronus ac lubens pleniſſima reſignatione commiſerat.

Beati qui in DOMINO *moriuntur. Apoc.* 14. ℣. 13.

Utinam ipſe eadem morte moriar, quâ probi; ſitque meus idem qui eorum exitus! Numer. 23. ℣. 10.

CON-

CONSPECTUS POSTHUMORUM PETRI POIRETI.

I.

SOCINIANISMUS REPRESSUS

SIve Epistola de vera Deitate et æterna generatione Jesu Christi, ad eruditum Unitarium. pag. 1
Nubes Testium, sive Sanctorum Martyrum Testimonia de Deitate Jesu Christi. 24

II.

DEFENSIO METHODI INVENIENDI VERUM
Contra Cl. D. Thomasium JCtum.

Monitum de sequenti Defensione hic subjungenda. 87
Prooemium de occasione & contentis Defensionis hujus. 90
Sectio I. Continens generalia quædam præmittenda de Eruditione vera, quærenda per Veritatis cognitionem secundum Methodum meliorem. 94
Examen valoris libri novissimi de Libertate Cogitandi. 103
Sectio II. Rationis insolentiam, ejusque intempestivas operationes moderari, non esse idem ac Rationem ipsam abjicere ejusdemque usum. Prius ab Auctore factum esse; non posterius. 109
Sectio III. Defensio Regularum sex Methodi inveniendi Verum. 125
Sectio IV. De Enthusiasmi periculis ejusdemque cautione. 147
Sectio V. De Cl. Thomasii judicio mutato circa Libros Auctoris. Item de Scriptoribus Mysticis, & de J. Lockio. 162

VIN-

III.

VINDICIÆ VERITATIS & INNOCENTIÆ

Perpetuis duodecim annorum accusationibus & criminationibus D. JOH. WOLFGANGI JÆGERI *Acad. Tubing. Cancell. Controv. Prof. &c.* præcipue vero ejus EXAMINI, quod vocat, THEOLOGIÆ NOVÆ, oppositæ.

PRÆFATIO causas aperiens Vindiciarum contra Jægeri accusationes harumque initia, progressus & fontes. 179

LIBER PRIMUS.

In quo post excussas rationes à Jægero pro Scriptione sua allatas, Obices ab eodem oppositi generaliores removentur.

CAPUT
I. De Rationibus quas scriptioni suæ prætexit Jægerus. 191
II. De primo Obice generaliori à Jægero opposito: Potestatibus summis periculosa esse principia Poireti. 203
III. De Obice secundo generaliori: Christianismo periculum imminere ex doctrina Poireti. 208
IV. De tertio Obice generaliori: Poiretum non Scripturas sed Illuminationes immediatas fanaticas pro principio Theologiæ habere. 217
V. De quarto Obice generaliori: Oeconomiæ Divinæ scopum esse tractare Mystica. 246
VI. De quinto Obice generaliori: Methodi qua Poiretus usus sit, prætenso defectu & nullitate. 256

LIBER SECUNDUS

Obices quosdam à Jægero oppositos speciales circa media salutaria externa, recensens & removens.

CAPUT
I. De accusatione falsissima, Dominum nostrum Jesum Christum à Poireto asseri peccatorem. 271
II. De Verbi & Sacramentorum efficacia, utrum ea pendeat à Ministro. 276
III. An Sacramenta sint tantum meræ ceremoniæ sine realitate. 281
IV. De Baptismo infantum, & an requiratur fides administrantis. 285
V. De S. Cœna in diversis partibus Christianorum. 289
VI. De suasione prætensa cultus externi simulati. 296

LIBER TERTIUS,

Complectens & repellens Obices ſpecialiores oppoſitos circa media ſalutis interna.

CAPUT
I. De peccati originalis imputatione, hujusve negatione objecta. 301
II. De Fide. 309
III. De pœnarum peccati æternitate, & an ea ſit ex Juſtitia Dei. 322
IV. De Merito & Satisfactione Chriſti,
Sectio 1. De Oppoſitionibus Jægeri circa hunc articulum. 334
Sectio. 2. Duobus Jægeri falſis oppoſita, totamque rem Reparationis ab ovo exponens. Teſtimonia Doctorum. 347
Reparationis hominis ordo & Oeconomia. 357
V. De Meriti & Satisfactionis Chriſti apud quosdam abuſu. 377
§. De ſententia A. *Burignoniæ*, & falſiſſimo Jægeri ea de Virgine teſtinio. 390
VI. De Cooperatione hominis cum Deo. 406
VII. De Juſtificatione hominis coram Deo. 434
VIII. De Regeneratione, & obſervatione Mandatorum Dei. 451
IX. De morali lege à Chriſtianis ſervanda ex doctrina Scripturarum Patrumque Apoſtolicorum. 474
X. De morali lege ſervanda ex doctrina Patrum aliorum Doctorumque Chriſtianorum. 489
Concluſio. 514

LIBER QUARTUS.

Specialiores Obices circa Problematica nonnulla oppoſitos removens.

CAPUT
I. De cogitationibus ſeu conceptibus quibusdam peculiaribus circa SS. Trinitatem. 518
II. De vocibus ἀγράφοις in explicandis myſteriis SS. Trinitatis aliisque. De ſcientia divina; Generatione Filii Dei; & Tribus Perſonis in SS. Trinitate. 532
III. De aſſumta à Filio Dei Humanitate ante lapſum 547
IV. De Creaturarum Origine ex parte Dei. 553
V. De Origine Animæ, an ſit ex nihilo. 560
VI. De Imagine Dei in homine; Primi Hominis Corpore; Uxore ex eo orta: & de ſemine mulieris. 580

CAPUT
VII. De salute Gentilium per Christum sine Verbo externo. 590
VIII. De Purificatione Animæ post mortem. 612
IX. De Regno Christi in terris futuro. 637
X. De Epistola & Judicio Examini annexis; deque Controversia mota contra Libellum Theologiæ Comparativæ. 645
XI. De iis quæ in Scriptis suis passim interspersit Jægerus contra alios, v. g. Taulerum, Theresiam, Weyerum, Boëmium, Gujoniam & A. Burignoniam. 665

VINDICIARUM INNOCENTIÆ ET VERITATIS ACCESSIONES.

ACCESSIO A. Quæ est EPISTOLA D. JÆGERI PRIVATA AD AUCTOREM Vindiciarum, qua oppositionum suarum sinceritatem contestatus, tria potissimum postulata exponit. 691
ACCESSIO B. Quæ est AUCTORIS Vindiciarum ad Literas præcedentes & ad tria postulata in iis exhibita RESPONSIO. 692
ACCESSIO C. *Ad D. Jægeri Epistolam Examini* Theologiæ, quam vocat, Novæ *adjectam* RESPONSORIÆ ANONYMI; quibus demonstratur quam nihil in ea Epistola sit vel solidæ ratiocinationis vel honesti candoris. 697
ACCESSIO D. seu Responsum Auctoris ad Amicum. *De nullitate difficultatum ab Adversariis objectarum.* 767
ACCESSIO E. Operis OECONOMIÆ DIVINÆ *conspectus*, summam & seriem contentorum exhibens. 779
ACCESSIO F. Elenchus *Controversiarum*, quas in *Examine Theologiæ*, quam vocat, *Novæ* movit D. Jægerus; adjectis locis Vindiciarum, ubi ad singulas respondetur. 789
ACCESSIO G. ΔΩΔΕΚΑΜΩΡΙ'Α LANGIANA in Dodecade *Dissertationum Anti-Poiretianarum* & simul *Anti-Socinianarum* conspicua; sive in dictas Dissertationes STRICTURÆ *breves*. 791

SOCINIANISMUS REPRESSUS,

ſive

EPISTOLA DE VERA DEITATE ET ÆTERNA GENERATIONE JESU CHRISTI,

ad Eruditum Unitarium:

cum

NUBE TESTIUM, ſeu PRIMORUM MARTYRUM TESTIMONIIS

DE JESU CHRISTI DEITATE.

SOCINIANISMUS REPRESSUS,
SIVE
EPISTOLA
DE VERA DEITATE ET ÆTERNA GENERATIONE JESU CHRISTI,

Ad eruditum Unitarium.

DOCTISSIME VIR,

1. SCriptum illud parvum meum, quod tecum communicavit dilectus Dn. **, non dederam illi eo animo ut veluti meum aut à me tibi transmitteret: sed ut ipse eo, si vellet, uteretur aut secus in sua ad te responsione, me minimè nominato, quippe qui nullam aliis controversiam sponte movere vel agitare gestiam: neque ei illud scripsissem, nisi ille eò controversiæ à te adactus, literas tuas mihi ostendisset. Nec tamen mihi displicet lectum esse à te scriptum hocce qualecunque meum: Sed optavissem, ut si quidem contenta (quæ paucissimis verbis indicavi solùm) bene perpendere deque iis rectè judicare velles, animadvertisses illico qua via ostenderim ex Scripturis hìc incipiendum & procedendum esse, eamque secutus fuisses; primò videlicet viam cordis & fidei, sive cordis credentis, non autem rationis ratiocinantis, quæ velit primùm comprehendere, & deinde judicare atque affirmare vel negare credenda. 1. *Via qua ex Scripturis hic incipiendum est & progrediendum.*

2. Namque quando agitur de Deo rebusque divinis de quibus revelavit Deus sua in Scripturis sacris testimonia, ipsemet declarat se velle ut primò sibi testimoniisque suis simpliciter corde credamus, etiamsi rem vel modum rei de qua loquitur non comprehendamus, ejusve nullam habeamus distinctiorem ideam. Postea verò ubi corda nostra per fidem 2. *Est via cordis credentis; cui Deus postea vel intellectum*

circa revelata aperit, vel acquiescentiam ingenerat plenissimam.

sibi verè videt submissa & in humilitate fundata, tunc demum vel aperit plus minusve & quantum animæ saluti conducere judicat, intellectum circa rem revelatam; vel si plane hac in vita non aperit, (quia id nobis judicat esse tutius,) ingenerat tamen in mente humili tantam acquiescentiam, pacem, confidentiam, certitudinem de re credita & non percepta, ut homo millies malit totam vitam degere in fide illa obscura, implicita & tranquilla, quam omnibus omnium Angelorum distinctissimis luminibus illustratum esse.

3. *Qui alterâ ingrediuntur viâ, quæ* rationis *est* ratiocinantis, *frustra sunt.* (a) 1 Cor. 2. ℣. 11, 14.

3. Quotquot alia via procedunt, ii obsistunt Deo, qui illis lumen suum denegat ob superbiam eorum rationis, quæ subjici divino testimonio recusans, præsidere gestit fidei; ac judicis oculati instar, vult rem ipsam de qua agitur, primùm pro arbitrio concipere, & deinde pro conceptu suo de ea decidere, oblita angustæ capacitatis suæ, magnæ suæ post peccatum corruptionis, veritatis Divini testimonii asserentis (a) hominem animalem, sive naturalem, uti nunc est, neque capere, neque posse capere ea quæ Spiritûs sunt, quæque à solo Spiritu Dei ac à mente illo prædita cognosci possunt. Ac proinde fieri non potest quin quicunque hoc modo se gerunt, conceptus de hisce habeant falsos & absurdos: nihil autem videant in ipsissimis Dei testimoniis quod suum errorem destruat: imò etiamsi Deus eis de cælo contrarium eorum errori testaretur, id neque viderent, & contrà interpretarentur in modum prorsus oppositum, quamlibet omnino absurdum & fictum.

4. *Hac incedisse videtur Vir Doctus.*

4. Et hoc ipsum quidem, pace tua, Doctissime Vir, videris mihi in epistola ad me tua effecisse, quando dicis, te in Scripto meo *argumenta contra sententiam* tuam *non legisse* sive non vidisse, licet non una coràm adessent Dei ipsius testimonia. Tum ad Rationem confugiens, atque ex ea fundamentum tibi contra vim divinorum testimoniorum quærens, eo invento, sensum prorsus fictitium & à vero alienissimum ipsis Dei verbis assignasti.

5. *Testimonia SS. Literarum de Dei Filio, totidem ejus* Deitatis *argumenta, à corde humili simplicique admitti, non vero ad rationis examen revocari.* (d) Coloss. 1. ℣. 16, 17.

5. Patere, quæso, Domine, ut ex amore Veritatis ac tui ipsius, hæc ipsa resumam ac paucis retractem. In literis meis legere potuisti hæcce Dei ipsius concepta verbis Scripturæ testimonia de Filio suo: scilicet: „ (b) Quod Deus habeat Filium unigenitum. Eum Filium esse „ Verbum suum. Hoc Verbum fuisse ab initio cum Deo: fuisse Deum: „ (c) & Deum super omnia benedictum in secula. Per quod Verbum „ mundus sit factus. (d) Per quem Filium condita sint universa in cœ„ lis & in terra, visibilia & invisibilia, throni, dominationes, prin-

„ cipatus,

(b) Vid. Joan. 1. ℣. 1, 2, 3, 10, 18. (c) Rom. 9. ℣. 5.

„ cipatus, poteſtates, omnia: quæ ſint etiam pro eo (vel ad eum): „ omnia in ipſo conſiſtere (vel ſubſiſtere). Illum (*a*) omnia portare „ verbo virtutis ſuæ. Eum (*b*) eſſe vitam: & (*c*) vitæ auctorem atque „ originem. quem adorare & (*d*) honorare debeamus ſicuti Patrem ho- „ noramus. Omnes (*e*) Dei Angelos ipſum etiam debere adorare. Fi- „ dem (*f*) noſtram & ſpem debere in eo poni. Ei (*g*) ſpiritum noſtrum „ etiam morientes committere": prætermiſſis quam plurimis utriusque Teſtamenti teſtimoniis Dei aliis, in hoc conſpirantibus, quod in Veteri aſſeratur ſæpius (*h*) Salvatorem Iſraëlis eſſe ſolum Deum, eſſe Jehovam, præter quem nullus alius Salvator ſit; in Novo id ipſum (*i*) Jeſu Chriſto applicetur non ſemel ab ipſomet & ab Apoſtolis ſuis. Nunc, dic, quæſo, quis eſt qui bono, humili, ſimplici, infantili, credente corde ac animo præditus, hæc ſibi dici à Deo audiens ac legens, cogitare poſſit ac dicere, ſe in his de Filio Dei, vero ac æterno, audire vel *legere nulla argumenta?* Certiſſimus plane ſum fore nullum inter eos, qui humili, fideli ac infantili corde erunt præditi, (quales exigit Jeſus Chriſtus (*k*) ſi velint ea videre quæ ſunt regni Dei, ſi cupiant ex illis eſſe quibus Pater Filium ſuum manifeſtare vult,) nullos, inquam, inter eos fore qui hæcce Patris de Filio ſuo audientes, eum cum Thoma non parati ſint ex animo adorare, & compellare; (*l*) *Dominus meus*, & *Deus meus*; & cum Joanne: (*m*) *Ei qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo: Ei qui eſt α & ω, principium & finis; qui eſt, qui erat & qui venturus eſt, omnipotens; ipſi gloria & imperium in ſecula ſeculorum!* Quæ verò ſoli Deo propria ſunt.

(*a*) Hebr. 1. ℣. 3.
(*b*) Joan. 1. ℣. 4.
(*c*) Act. 3. ℣. 15.
(*d*) Joan. 5. ℣. 23.
(*e*) Hebr. 1. ℣. 6.
(*f*) Joan. 3. ℣. 36.
(*g*) Act. 7. ℣. 58.
(*h*) Iſa. 43. ℣. 3. & 11. Cap. 45. ℣. 15. &c. &c.
(*i*) Matth. 1. ℣. 21. &c. &c.
(*k*) Matth. 11. ℣. 25. & Cap. 18. ℣. 3. Joan. 3. ℣. 3. 1 Petr. 2. ℣. 1, 2.
(*l*) Joan. 20. ℣. 28.
(*m*) Apoc. 1. ℣. 5, 6, & 8.

Perperam ſane prætermittitur tuta iſta ac humilis fidei cordis via ut protinus ad ratiocinandum cum Deo & ad controvertendum ejus teſtimonia ſe proruant. Nemo magiſter, vel Rex, vel dominus, vel paterfamilias, præſertim quando ſapientia inſigniter pollent, pati poſſint à ſuis diſcipulis, ſubditis, ſervis vel filiis ut quæ illis ſæpius claris ac evidentibus verbis edixerint, non admittantur ſubmiſſa fide, ſed ad examen ratiocinationum quamprimum revocentur, uti inde judicent utrumne ita ſe habeant, nec ne.

6. Sed & præter hanc prævaricationem ac deſertionem veri fidei principii, accedit & illud; ineptum eſſe omnino hoc aſylum ſive refugium ad humanam Rationem; quippe anguſtiorem & corruptiorem quàm ut res divinas capere & judicare poſſit. Utrum eam corruptam agnoſcas, neſcio; & hujus corruptionis demonſtrationes copioſiores ſunt quàm ut hic poſſint à me apponi, qui recenſui eas (*n*) in alio opere: ſed

6. *Rationis in divinis impotentia. Regula* de contradictoriis non admittendis *fallit in objecto non plane cognito:*

(*n*) De Erudit. in tractatu de Methodo inveniendi verum. Part. 1. §. xxxv. & ſeq.

ſed captûs ejus anguſtiam arbitror tibi non eſſe dubiam : & credis tamen ei virium & capacitatis ſupereſſe ſatis ut concipiamus *contradictoria de ulla re nobis non eſſe credenda.* Fateor hanc regulam in genere & in abſtracto à ratione jure merito pro vera agnoſci. Sed ubi ejus applicatio facienda eſt ad objecta in quibus multa inſunt nobis incognita & incomprehenſa ; quamdiu ea nobis incomprehenſa ſunt & captum noſtrum ſuperant, patet iis incomprehenſis nec poſſe nec debere hactenus applicari regulam de contradictoriis. Videlicet, ſi ſint in objecto non funditus cognito plura penitus mihi non cognita, ſed tantum ex parte nota & imperfectè, ego dum ex illis pluribus unum imperfectè cognitum aſſumo, & aliud itidem non perſpectum cum illo confero, tutò judicare non poſſum utrum illa re vera ſibi contradicant etiamſi illud ita mihi videatur. Poſſunt enim ſubeſſe in utriuſque fundo & partibus incognitis quæ apparentem contradictionem plane diſſolvant. Exprimam me exemplo.

7. *Quod exemplo oſtenditur.*

7. Inquirunt Phyſici cum Mathematicis, utrum corpus quodcunque finitum ſit diviſibile in partes finitas quæ deveniant tandem indiviſibiles, vel in partes infinitas. Alii dicunt, ſic; alii, aliter: Utrique ſuas habent in promptu demonſtrationes (quas dicunt) plane inter ſe oppoſitas. Qui dicunt diviſionem finiti non poſſe fieri in infinitas partes, evidentiſſimam hanc proferunt rationem, quod alioqui finitum eſſet infinitum. qui affirmant diviſibilitatem finiti in infinitum, dicunt; concipi non poſſe corpuſculum tam parvum quin ſuperficiem habeat & in ea latus dextrum, ſiniſtrum, ſuperius, inferius, ſub quibus diverſis ſuperficiei partibus ſubſit diverſa ſubſtantia. particulam, quæ indiviſibilis ſupponeretur, ſi alii particulæ adjungatur, eam vel ex parte contacturam, adeoque habere & alias partes ; vel ex toto, atque ita eam penetraturam, nec majorem locum occupaturam ; quo pacto mundus univerſus, ſi ex indiviſibilibus conſtaret, in unico puncto poſſet totus latere &c. Neque ullus eſt qui hanc poſſit oppoſitam litem componere; fatenturque æquiores pro nulla contradicentium parte rem à ſe decidi poſſe ea de ratione, quod natura materiæ ſive ſubſtantiæ corporeæ nobis non ſit penitus cognita. Nunc, ponamus, ſi placet, Deum, cui ea natura penitus eſt cognita, rem decidere in utramvis partem; ac curare uti diſceptantibus reveletur ab ipſo Deo, materiam v. g. non eſſe diviſibilem in infinitum: poſtulo à te, utrum pars quæ contrarium ſuſtinet, ageret ex æquo ſi diceret; ſe *nulla* in hoc Dei teſtimonio *videre argumenta contra ſe:* quia ratio ipſi dictat, quod *non debeat contradictoria de ulla re credere:* eſſe autem contradictorium ſi concipiat

ſub-

ſubſtantiam, quæ ſit corpus & extenſa, & tamen indiviſibilis &c. Nonne ſatius eſſet in ea re teſtimonio Dei adhibere fidem quanquam rem non concipiamus, videaturque nobis contradictio in ea Dei aſſertione ac deciſione ineſſe? In ſimile incommodum incurretur ſi ſupponere velimus, Deum pro altera parte teſtimonium ſuum revelaviſſe: itidem enim poſſit ei eundem in modum opponi, *contradictorium* nobis videri rem finitam in infinitum eſſe diviſibilem.

8. Talis autem fuit, mi Domine, in ſubjecto noſtro tuus agendi modus; immo tanto hocce exorbitantior, quanto infinita & incomprehenſibilis Divinitatis Majeſtas ſuperat minimum materiæ pulviſculum. Allegavi de Divinitate æterna Filii Dei, Jeſu Chriſti, teſtimonia è multis pauca quidem, at Dei ipſius, tam perſpicua, ut evidentiſſime pro ea motam quæſtionem decidant. Tu vero qui ea teſtimonia rejicere non potes, eorum vim declinas dicendo, te *nulla* videre vel *legere* in iis *argumenta contra ſententiam* tuam; ſiquidem confugiendo ad Rationem tuam, res, quæ in teſtimoniis divinis clare deciſa patet, tibi videatur *involvere contradictoria*, ſive quædam quæ ſibi repugnant. Quaſi vero comprehenderes funditus ac ex omni parte illa ipſa de quibus agitur, quæque ſunt, incomprehenſibilis & omnipotens Divinitas, & quæcunque agit & patitur in ſe à ſe ipſa, proindeque divina in ea generatio, activa in Patre, paſſiva in Filio, quam nemo præter ipſum Deum poſſit comprehendere, omnes autem incomprehenſam credere teneantur accedente Dei teſtimonio, quamvis hoc nobis ea proponat quæ Rationi noſtræ, temerariè ea ſcrutari volenti, apparent repugnantia!

> 8. *Maxime vero ea fallit regula circa* Divinitatem *creatæ menti incomprehenſibilem.*

9. Videamus autem ex abundanti quænam illa ſint quæ tibi videntur contradictoria. Scilicet, *ſi Deus produceret ſibi ſimilem, produceret eum qui eſt à ſe: à ſe autem eſſe & produci ab alio, contradictorium eſt, fieri nequit. Qui vero Aſeitatem, unum ſummi Dei attributum non habet, nullum habet*; *nam attributa ſummi Dei ab invicem divelli nequeunt.* Unde concludendum reſtat Jeſum Chriſtum creaturam eſſe, & quidem meram eſſe creaturam, quippe qui *nullum Dei ſummi habeat attributum*. Permitte, rogo, ut quoniam video totius difficultatis tuæ vim in hac tua inſtantia & ratiocinatione incluſam eſſe, repræſentem tibi nonnulla quæ eam penitus infringant.

> 9. *Reſponſio ad Objectionem Viri Docti:* Eſſe à ſe & produci, eſſe contradictoria.
>
> (1.) *Ex aſeitate ſequi poſſe quæ Rationi videntur contradictoria.*

Dico igitur primo, quod quando agitur de ſubjecto vel de ſubjectis quæ ſunt *à ſe*, vel quæ reguntur *à ſe*, vel quæ reale quid producunt *à ſe*, talia de ipſis dici poſſunt, & re vera dicuntur & aſſeruntur, ex quibus conſequentiæ elici poſſunt quæ Rationi videantur contradicto-

riæ, & nihilominus tamen veritas assertorum constet cùm ex ipsis factis tum testimoniis Dei & conscientiæ; quæque adeo admittenda sunt omnino, & revera admittuntur à sanioribus, non obstante contradictionis apparentiâ, ut sic dicam, evidentissima: quia saniores præferunt certitudinem facti & testimonia Dei & conscientiæ, certitudini rationis suæ limitatissimæ ac corruptissimæ.

10. *Id probatur exemplo Libertatis homini & Angelis à Deo concessæ.*

10. Exempli gratia: Deus est *à se*, & ejus libertas est *à se* & regitur *à se:* & tamen produxit Deus entia, sive spiritus angelicos & humanos qui cum in sui regimine liberi sint, reguntur *à se*, determinantur *à se*, & non à Deo. Hoc videtur rationi contradictorium; scilicet quod ens à se & à quo sunt omnia, producat ens quod nihil est à se, & tamen quod agat à se, faciatque realitatem (sive determinationem sui) à se. Ita ergo illa in creatura realitas, determinatio, & liberum regimen sui à se, erit à se, ex suppositione; & tamen debet esse ab omnium realium uno Creatore Deo, hoc est, non à se. Hac difficultate quotquot pressi limitatæ Rationis suæ ratiociniis pertinaciter adhærere decreverunt, maluerunt apertè libertatem negare, fieri fatalistæ, libertini, Epicurei, negare omne principium virtutis & vitii, justi & iniqui, turpis & honesti, omnemque revera religionem tollere, testimoniis Dei conceptis de nostra libertate eligendi per nos & à nobis inter bonum & malum, ipsique etiam communi omnium conscientiæ instinctui & convictioni valedicere, (quod non pauci è doctissimis faciunt & fecerunt,) quàm agnoscere, in rimando rerum intima, eorumque inter se invicem conciliationes, non esse innitendum Rationis nostræ actibus ac ratiociniis quando testimoniis Dei, conscientiæ, ac rerum factis adversantur. Equidem haud ita difficile est concipere quod Ens omnipotens faciat ens aliud quod possit facere aliquid: sed non ita, quod ens productum & dependens faciat aliquid *à se* ipso, aliquid quod independens sit ab alio, imo aliquid quod sit oppositum Enti Omnipotenti, quod resistat ei, quodque fiat eo invito. Id autem est quod Deus, conscientia & facta quotidiana evincunt, scilicet Deum omnipotentem velle ut omnes eum diligant, mandatis suis obsequantur, ac denique salvi fiant: homines contrà, ut ut impotentes, Omnipotenti revera resistere, & contrarium ex libertate sua facere. Tu qui hæc credis proculdubio, concipisne ea clarius per tuam ratiocinationem, quam quod *Ens à se possit producere ens à se*? aut ea negabis, quia contradictionem involvere videntur?

11. Esse à se *seu aseitas æquivocum est.*

11. Sed &, secundò, (ut directè difficultati tuæ satisfiat) notandum est hisce in verbis, *esse à se* & *aseitas*, subesse sensum æquivocum, quo

quo animadverso, dissipatur tota contradictio à te opposita. *Aseitas* enim, vel *ens à se*, significat vel ens increatum carentiamve initii ut & finis existendi, sive talem existentiam & naturam *ante quam fuit nulla alia res*, nullum aliud ens, cui etiam à nullo ente finis vel cessatio imponi possit. Et hoc sensu, Deus Pater est à se, & Filius Dei est *à se* quoque, & non à Patre, hoc est, Pater illum non produxit uti creaturas produxit, uti ens quod habeat initium, quod è non existente fiat existens, & ex existente fieri possit non existens, ut qui prius non fuisset; denique uti ens cujus existentiæ præexstiterit & post existere possit aliud quid, vel Pater ipsemet; quo etiam sensu appellatur Jesus Christus in Scriptura sacra α & ω, ante quem nihil est ac præcedit, & post quem nihil est ac sequitur. Altera significatio vocabuli *Aseitas* vel τῦ *esse à se*, notat idem ac carere origine vel principio, vel auctore aut generatore aliquo. Hoc autem sensu, solus Deus Pater est à se: Filius vero Dei non ita est à se, sed est ab alio, à Patre tanquam ab origine sua, à principio cui subordinatur, ab auctore cui debet id quod habet, à genitore à quo accepit id quod est; & hoc quidem ab æterno, sine initio existentiæ, cujus existentiæ non præextitit vel τὸ nihil sui, vel ulla prorsus res, ne quidem ipse Pater. Vides inde qui Filius Dei dici possit & dicatur, summus Deus à se; & tamen *Deus à Deo*, vel *ex Deo, verus Deus è vero Deo*, uti antiqui locuti sunt Christiani in Symbolo Nicæno, idque sine contradictione illa à te opposita, quippe quæ nulla sit ob diversitatem sensuum in verbis. (†)

12. Hisce animadversis, nihil video quod à te opponi possit æternæ Filii Dei à Patre generationi, nisi fortè, quod illa à Ratione tua concipi non possit, atque propterea neque corde credi fideque admitti. Sed quantum ad Rationem, cum suprà viderimus multa in rerum natura esse atque credi quæ tamen imbecillis ac limitata Ratio nostra capere non potest, imo in quibus eidem, quoquo vertat judicium suum, disceptantibus & ratiocinantibus nobis apparent inesse contradictoria; quid absurdius, si nunc ob sui captûs similem impotentiam ac difficultatem, negare velit in infinito, incomprehensibili ac Omnipotente Deo

12. *Cùm & in naturalibus credantur multa quæ Ratio non capit; absurdum plane est, negare* generationem Filii Dei à Patre, *ex eo quod Ratio ea m non capiat.*

(†) Possit etiam dici (quod fere eodem redit) *Aseitatem*, vel τὸ *esse à se*, attributum Dei esse quidem, sed quatenus per solam naturam sive per naturæ solius lumen, hominibus lapsis nunc generalius notus est Deus. Verum quatenus ipse notum se fecit singularius per revelationem eorum quæ in se sunt intima, declaravitque nobis mysterium intra se absconditum de generatione Filii sui in se ipso; tunc id attributum, *Aseitas*, soli Patri competere, non autem Filio, quippe qui à Patre sit, Deus Filius à Deo Patre & genitore æterno. Quod nedum ejus divinitati præjudicet, ejusdem est basis & ratio.

Deo dari generationem quam nec omnes Angelorum captus compre-
(*) Prov. 30. vſ. 4. hendere poſſint? *Quis aſcendit in cœlum atque deſcendit*, inquit Vir Sapiens, (*) *quis ſuſcitavit omnes terminos terræ? quod nomen ejus? & quod nomen* FILII *ejus, ſi noſti?* ubi per *nomen*, pro more Scripturæ, intelligitur ipſa res, ipſum ſubjectum & ejus natura, atque operationes, id eſt, *quid* ſit, *quomodo* genitus & natus ſit, Dei Filius: alioqui *nomen* literale vel vocale *Dei* & *Filii ejus* non ſemel è Scriptura omnibus notum eſt. Sed & innumera prætere a Dei ipſius in Scripturis ſuis teſtimonia eandem illam ponunt & aſſeverant Dei re ipſa exiſtentem generationem ejuſque terminum Dei Filium, (*a*) *Patris unigenitum Filium, qui ſit* (*b*) *imago Patris*; Filium, qui ſit (*c*) *ſplendor ejus gloriæ & character ejus hypoſtaſeos, omnia portantem verbo ſuo potenti, æqualem* (*d*) *Deo Patri.* quo pertinent ea quæ ſuprà vidimus, & alia innumera, quæ ſcis fuiſſe vobis non ſemel à Theologis è divino Codice prolata.

(a) Joan. 1. vſ. 18.
(b) Col. 1. vſ. 15.
(c) Hebr. 1. vſ. 3.
(d) Phil. 2. vſ. 6.

13. *Negando Deum Patrem poſſe generare, negari ejus omnipotentiam.*

13. Addo, non poſſe à vobis obtendi (uti facit veſter Wolzogius) Deum Patrem non poſſe generare, quin eodem pacto negetis Dei Patris Omnipotentiam. Nam ſi Deus eſt omnipotens, & omnipotentia quidem actuoſiſſima, poteſt ergo producere actum in quo omnem illam ſuam potentiam perfecte exerceat, explicet, exſerat atque expleat; ſive, quod idem eſt, poteſt producere actum potentiæ ſuæ adæquatum & coëxtenſum, actum tantum quanta eſt ipſa ſua Omnipotentia, actum proinde cujus terminus, cujus objectum, adæquentur ſuæ omnipotentiæ. Atqui ſolus actus generationis Filii ſui, Dei veri & æqualis Deo Patri, talis actus eſt omnipotentiæ ſuæ adæquatus & coëxtenſus. Quamvis enim creaverit Deus univerſum mundum, & plures alios inſuper condidiſſet, in hoc tamen creationis actu minime dici poteſt ejus Omnipotentiam quantam quantam fuiſſe exercitam, tàmque plene, tam infinite quàm magna & infinita illa eſt: quod ſolum de generatione Filii Dei, Deo Patri æqualis, dici poteſt; quam proinde negare, vel eſſe poſſibilem negare, perinde eſt ac negare Deum pro Omnipotentiæ ſuæ extenſione infinitâ poſſe agere, hoc eſt, negare Deum eſſe revera omnipotentem. (†)

14. Sed

(†) De Filio Dei etiam Omnipotente idem ſi urgeas & exigas, is Omnipotentiam ſuam actu adæquato & coëxtenſo exercet cum ex Patre & ex ipſo procedit Spiritus Sanctus, illis æqualis: qui ſuam æque exſerit in ſcrutando ac movendo profunda & infinita Patris & Filii, gaudiumque infinitum in illis excitando; ac præterea in effundendo & diſtribuendo ad extra infinitas divitias Patris & Filii, quorum etiam vehiculum eſt cum in mentes introducendi ſunt in quibus æternùm maneant.

14. Sed & divinæ vitæ, imo omnis vitæ proprietatem naturalem tollunt qui negant generationem posse in Deo locum habere. Inter omnis vitæ naturales proprietates ex primariis est fertilitas sive fœcunditas & productio sui similis. Omne vivens, quodcunque novimus, est, auctore Deo, productivum sui similis, tametsi nullius generationem, nostri autem, sive hominis, minime omnium, ullus hominum intelligat, neque etiam capiamus quî fiat uti ens quod non est à se, nempe homo, producat ens in quo inest principium regiminis à se: imo nec concipimus quî cogitationes nostræ aliæ ex aliis nascantur & producantur iis similes, interdum & excellentiores. Solusne vivens & omnipotens Deus, qui dedit aliis τὸ generare sibi simile, id sibi negaret, vel eo careret? Solus vivens sterilis, solus infœcundus, solus sui similis non productivus existeret, quia scilicet illud intellectulus noster parvulus, nostra re vera insaniens ratiuncula, quæ sui, quæ minimi viventis fœcunditatem capere non potest, causatur illam sine difficultate ei insolubili non posse ab ipsa in Deo comprehendi? Apage audacem temeritatem à modestis ac suæ imbecillitatis & impotentiæ consciis mentibus, maximè postquam testimonia ipsius Dei hanc ipsam veritatem asseverantia, quæque nunquam sunt a considerationibus hisce & ceteris separanda, sed fundamenti instar semper hic ponenda, intelleximus; neque eorum vim ac sensum simplicem & evidentem quæramus data opera in gratiam præjudiciorum infirmæ Rationis & educationis pristinæ enervare, ac pro arbitrio absurde interpretari, quemadmodum factum esse in illis quas adducis ad quædam scripturæ loca interpretationibus, vel quivis animus qui in simplicitate & sinceritate veritatem quærit, animadvertere potest.

14. *Omne vivens est productivum sui, licet modus producendi à nemine capi possit. Ergo & multo magis vivens Deus & omnipotens.*

15. Et quidem interpretatione illa, quæ adducitur in epistola tua ad primos versiculos Evangelii Joannis, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum &c.* nihil dari potest magis violentum atque incongruum. Ibi, *principium* absolute positum, & bis absolute repetitum, significat idem ac *non-principium, sed tempus* aliquod posterius Joanne, ejusque prædicatione: *erat Verbum*, significat, *erat homo Christus: & Verbum erat apud Deum*, hoc est, *non erat apud Deum*, sed postea *ascendit* ad Deum; (figmentum!) & *Verbum erat Deus*, significat, *Verbum non erat Deus*, sed creatura quædam singularibus donis prædita, at *nullum summi Dei attributum habens. Omnia per ipsum facta sunt*, id est, non *omnia*, sed quædam tantum; non *facta* sunt, sed dudum ante Verbum facta, demum sunt restituta: *& sine eo nihil factum est quod factum est*, hoc est, non sine

15. *Nihil magis incongruum allata explicatione verborum* Joann. I. vs. I. &c *qua verba vindicantur.*

eo, quod in principio erat, sed sine ejus humana & temporaria cognitione, voluntate & directione nullus è paucis qui restituti sunt, restitutus est. (Atqui antea per ejus gratiam salvati sunt (a) Patres.) *In ipso vita erat*, hoc est, in ipso non erat ipsa vita; sed instructio & doctrina de vita &c. Pudet me pluribus reliqua persequi commenta ipsismet Euangelistæ verbis hic & alibi exstantibus è diametro opposita. Nam *principium* in quo Verbum, sive Filius Dei, erat, ostendit alibi Joannes esse principium quod sit (b) ante Abrahamum, imo quod sit (c) *antequam mundus esset*, & *in ipso Patre*, cujus *gloriam* tunc Dei Filius *habebat*. Quod *Verbum erat Deus* verus, non Deus ex creatura in Deum veluti canonisatus (ut sic dicam) dicit idem Apostolus, (d) *Sumus*, inquit, *in vero*, *in Filio ejus* (Dei) *Jesu Christo: hic est verus Deus & vita æterna*. Quod *omnia quæ per ipsum facta sunt*, sint *mundus*, & quidem mundus non fidelium tantum & restitutorum, sed mundus in quo sunt impii, eum ignorantes & rejicientes, qui *sui* erant antequam ad eos veniret, id in versiculis paulo post sequentibus (e) exprimit Apostolus. Quod *vita quæ erat in ipso*, non sit doctrina, instructio vel prædicatio de vita, sed (f) *vita ipsa æterna, quæ erat apud Patrem*, quæ *manifestata est* in carne, quam *oculis vidimus & manus nostræ contrectaverunt*, ipsusmet explicat Joannes ab initio Epistolæ suæ primæ: & Christus apud eundem in Euangelii sui Cap. 6. se auctorem & originem vitæ affirmat, dum se dicit (g) *panem qui descendit de cœlo & dat vitam mundo, de quo si quis manducaverit vivet in æternum.*

(a) Act. 15. vs. 11.
(b) Joan. 8. vs. 58.
(c) Joan. 17. vs. 5.
(d) 1 Joan. 5. vs. 20.
(e) Joan. 1. vs. 10. 11.
(f) 1 Joan. 1. vs. 1, 2.
(g) Joan. 6. vs. 51, 52.

16. *Scripta ea sunt contra Cerinthum & Ebionem; unde sensus eorum clarus.*

16. Euangelium Joannis asserunt Veteres scriptum esse adversus errores non solum Cerinthi, ut agnoscis; sed etiam Ebionis, qui Jesum Christum pro mero homine habebat. Cerinthi deliria, quæ singularius videri possunt apud Irenæum Libr. I. Cap. 25. & Libr. III. Cap. 11. huc redeunt præcipue. 1. Mundum non esse factum à primo Deo; sed à quodam fabricatore Deum ignorante. 2. Jesum fuisse filium istius fabricatoris Deum non cognoscentis. 3. Christum, sive λόγον, esse filium cujusdam Monogenis sive unigeniti, & hunc Monogenem, Christi patrem, non esse æternum, sed (quæ verba sunt Irenæi) *initium fuisse Monogeni*. Huc redibant omnia; Jesum Christum (1) non esse λόγον qui sit æternus. (2) Non esse verum Deum. (3) Omnia per ipsum facta non esse. Quibus monstris quid clarius est quam opposita esse & verba & sensum Joannis. I. *In principio erat λόγος, Verbum, & erat apud Deum.* II *& Verbum erat Deus.* III *& omnia* (mundus vs. 10.) *per ipsum facta sunt?* Ista sic per se clara sunt, ut vel simplicissima eorum consideratio omne dubium excludat.

17. In-

17. Interpretationes alias quas locis à me adductis de Creatione omnium per Dei Filium apponis, non minori cum admiratione quam præcedentes potui legere. Scilicet quando Paulus dicit (*a*) *In ipso* (Dei Filio) *condita sunt universa, in cœlis & in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum & in ipso* (vel pro ipso) *creata sunt*: id sic erit intelligendum; Nulla eorum quæ sunt in cœlis & in terra, visibilia & invisibilia, proprie & re verâ in Filio Dei & per eum creata sunt: Sed *Angeli in cœlo post lapsum Diaboli remanentes, cum labiles fuissent semper* (figmentum!) *per Christum in bono sunt confirmati.* Et hæc est illa Creatio omnium in cœlis & in terra de qua Paulus. Ad hæc sane mira nihil opus est uti dicam, nisi quod solum incidat quærere, utrum etiam Diaboli ad illam creationem pertineant nec ne? Certe Paulus angelos lapsos ab hacce *omnium* visibilium & invisibilium quæ in cœlis sunt & in terra, creatione non exclusit: & ipse alio in loco (*b*) similibus & proximis nominibus eosdem designat, qui tamen non ad novam creationem vel restitutionem, sed ad primam, veram & propriam creationem unice pertinent.

17. *Vindicatio loci* Col. 1. vs. 16. *de Creatione Angelorum Filio Dei attributa.*

(*a*) Col. 1. vs. 16.

(*b*) Rom. 8. vs. 38.

18. Unam adhuc tangam è tuis ejusmodi interpretationibus novis, eam scilicet qua insinuas locum Apostoli Hebr. 1. (*c*) de creatione cœlorum & terræ è Psalmo 102 (*d*) desumptum, de nova creatione, hoc est, de restitutione hominis intelligendum esse. Hoc si ita est, ista igitur verba Scripturæ: *Tu in principio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli: ipsi peribunt, tu autem permanes*, &c. interpretanda erunt hunc vel similem in modum: „ Cum Joannes Baptista inciperet prædicare Euangelium, tu, Domine, mera creatura, „ sed donis Dei exaltata, incepisti jacere per doctrinam tuam fundamentalia fidei dogmata in nonnullis hominibus; & effectus hujus „ doctrinæ tuæ est restitutio illorum, qui tamen debent *perire* & corrumpi ut mutentur de bono in melius: sed tu (qui factus es ex nihilo, & mutatus in id quod nunc es) idem permanes qui factus es, „ sine ulteriore mutatione iteranda. „ Obsecro tuam & cujusvis hominis conscientiam coram Domino, utrum credibile sit homini simplici, qui à præjudiciis omnibus liber esset & legeret cum timore Dei & corde humili, ac tremente ad verba Dei, divinum hoc & admirabile ac emphaticum effatum; *Tu, Domine, in principio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli* &c: utrum, inquam, credibile sit ejusmodi homini talem sensum in mentem esse unquam venturum, qualis est ille vester & ceteri ei consimiles modo ad alia loca

18. *Item* Hebr. 1. vs. 10. *de creatione Cœlorum & terræ eidem asserta.*

(*c*) vs. 10.
(*d*) vs. 26, 27.

 ostensi,

ostensi, qui tanto labore, tanta animi contentione, sagacitate, subtilitate, ne dicam astutia & tergiversatione, idque in gratiam & ad defensionem præjudiciorum & ratiocinationum angustæ ac ægræ rationis vestræ, quæri & excogitari debuerunt; & tamen modo adeo sensibili suis scripturæ textibus repugnant? Condona mihi ingenue ex te petenti, an non unquam animadverteris nonnullis inter vos excidisse, ut testarentur se dolere, quod testimonia Dei in scripturis hocce de subjecto tam clare expressa essent atque tam valide; seque optare ut aliter & pro voto suo ibidem extitissent. Certe eorum hac in re ardens & perseverans agendi modus simile quid insinuare videtur. Nihil tamen ea de re affirmo. Videt Deus & scrutatur omnia.

19. *De voce λόγος, quare à Joanne adhibita.*

19. Quod dicis, Joannem usum esse in Euangelio suo voce λόγος ea de causa, quod jam eodem vocabulo in Epistola sua usus esset, id neque tuæ causæ prodest, nec veræ causæ satisfacit. Tuæ non prodest: nam in Epistolæ Cap. I. (vs. 1, 2.) quando hac voce utitur, *Verbum vitæ*, addit quæ ostendant id Verbum vitæ esse vitam ipsam, & æternam quidem, *quæ erat apud Patrem*, & quæ deinde *manifestata est*, & *oculis visa* & *manibus contrectata*, de qua etiam dicit in fine Epistolæ, *Novimus quod Filius Dei venit, -- & sumus in Filio Dei Jesu Christo: hic est verus Deus &* VITA *æterna.* Non etiam dicis satis. Cur enim Joannes, qui sciebat vim & causam creationis in primo capite Mosis vel decies exprimi per prolationem Verbi Dei, vel per τὸ *Dixit Deus*; qui è Psalmo didicerat (*a*) VERBO *Domini cœlos esse factos*; qui viderat ipse antea in visione divina Dei Filium (*b*) *cujus vocatur nomen*, ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, hoc ipsum vocabulum inde non retineret in Euangelio?

(*a*) Ps. 33. vs. 6.
(*b*) Apoc. 19. vs. 13.

20. *Falsitas fabulæ*, quæ de λόγῳ scripsere Patres, ex Platone desumta esse; *ejusque novitas.*

20. Quod addis de *Platonismo*, Justino & antiquis Patribus à nonnullis impacto, qui dicunt eos ex Platone desumsisse illa quæ de λόγῳ scripserunt ac senserunt; miror te non adhuc advertisse fabulæ hujus falsitatem, inventionem novissimam, refutationem non diu factam, ejusdemque insignem absurditatem.

Fabulæ *falsitas* ex eo patet, quod Moses, David, Liber Sapientiæ (Cap. 9. vs. 1.) Paraphrastæ (*) Chaldaici, Joannes ipse, certe non erant

(*) De his videatur Steph. Rittangelii LIBRA VERITATIS: cui vero etsi opposita sit nuper *Bilibra Veritatis* (fœtus revera impotentis animi) tantum abest ut illi noceat, ut potius illustriorem reddat, idque judicio viri in hisce nunc omnium versatissimi, Cl. D. Meyeri, Theol. Prof. in Acad. Harderovicensi, in *Dissertatione sua Theologica de Mysterio SS. Trinitatis ex solius Vet. Test. libris atque ex veterum & recentiorum Rabbinorum, præsertim Cabbalistarum rarissimis monumentis illustrata,*

erant Platonici; & tamen de λόγῳ ſcripſerunt, & de illo eadem dixerunt quæ nunc in aliis, quantum ad rem & vocem ipſam, Platoniſmi inſimulatis. Adde neque Platonicos fuiſſe Barnabam, Hermam, Clementem Romanum, Ignatium, Irenæum, Cyprianum, Martyrum (*a*) plurimos etiam ex plebejis; & tamen de Deitate Filii Dei, Jeſu Chriſti, quem eſſe Verbum Dei agnoverunt, eadem dixerunt cum illis quibus Platoniſmum vobis nunc lubet impingere.

(*a*) Vid. in Teſtimoniis annexis.

Novitas fabulæ ex ejus auctore & propagatoribus evidens eſt. Ille fuit Daniel Zwickerus Boruſſus, ſeculi proxime elapſi ſcriptor Socinianus. Propagatores fuere J. Clericus in ſcriptis ſuis paſſim, (ſpeciatim in Bibliotheca ſua univerſali,) & Miniſter Eccleſiaſticus Gallus depoſitus, Souverain appellatus, auctor Libri (uti ex te audivi) dicti *Le Platoniſme dévoilé*, impotentibus animi affectibus perpleni, nec non irriſionibus & apertis inſultationibus in SS. Trinitatem (pag. 85. 237. 259.), in Verbum ſeu Filium Dei, (pag. 160. 382.) & in Spiritum Sanctum. (pag. 380. 382.) quæ ſane dicteria pro blaſphemiis non ignoravit eſſe habenda.

21. *Et refutatio ab aliis facta.*

21. *Refutationem* figmenti ſolidam miror te vel ignoraſſe, vel ad eam non attendiſſe. Rev. & Celeberrimus Bullus integro contra Zwickerum libro, cujus titulus eſt, *Primitiva & Apoſtolica Traditio dogmatis de Jeſu Chriſti Divinitate* &c. Zwickerum eſſe merum fabulatorem demonſtravit: quam refutationem J. Clerico incognitam fuiſſe liquet, Souverainio cognita eſſe non potuit, quippe poſt ejus obitum demum edita Londini 1703. Sed & Clericus quoque integro, ac ob teſtimoniorum ei oppoſitorum copiam magno ſatis volumine, Pariſiis anno 1711. ſub titulo *Défenſe des SS. Péres accuſés de Platoniſme* in 4to. paginis plus ſexcentis emiſſo, confutatus eſt à Patre Balto, Jeſuita erudito: quo pacto & corruit ſimul ipſe Souverainius, niſi hic dicendus ſit cauſam refutationis ſuæ oſtendiſſe atque approbaſſe in libro proprio, dum pro lege ac judicibus cauſæ decidendæ provocat (*a*) *ad antiquos*

to, edita Anno 1712. In cujus Cap. II. §. LVIII. pag. 72, 73. hæc habet, §. LVIII. *Nec hic leve momentum habent* Targumim, *ſive* Paraphraſes Chaldaicæ, *in quibus frequentiſſima mentio* מימרא דיי׳ VERBI DOMINI, *quo non minus ac Pſalm.* 33: 6. *reſpicitur ad illud* ויאמר ויאמר, ET DIXIT, ET DIXIT *Gen.* 1. *Per quod* VERBUM DOMINI *ubique ſignificatur* Schechina, *ſive* רוח Spiritus *ille qui Sephiris ineſt, ideoque non tantum* מימרא Verbum *dicitur, ſed* מימרא דיי׳ Verbum DOMINI. *Quod eleganter oſtendit* RITTANGELIUS *contra* Irenopolitam, & TRIUMPHUM EGIT, QUICQUID IMPERITI ADVERSARII (reſpicit ad Auctorem Bilibræ & ſi qui ſimiles OBLOQUANTUR.

(*a*) Platoniſme dévoilé. pag. 301. &c.

Martyres, eorumque teſtimonia & Confeſſiones, ſpeciatim Polycarpi & Juſtini, quorum quidem verba aliquot allegat, ſed ſupprimit alia, per quæ evidentiſſime cauſâ ſuâ cadit.

22. *SS. Martyrum* Polycarpi *&* Juſtini, *aliorumque ad quos fabulæ ejus propagatores provocant*, Confeſſiones de Deitate Jeſu Chriſti.

22. En ultima verba Polycarpi ad Deum ante ipſos ignes: -- *Benedico te in omnibus, & glorior per* ÆTERNUM (*a*) *Pontificem* OMNIPOTENTEM *Jeſum Chriſtum, per quem tibi, & cum ipſo, & cum Spiritu Sancto, gloria nunc & in futurum in ſecula ſeculorum. Amen*. Quis non ſtupeat, videns hunc teſtem, hanc ejus depoſitionem, contra fidem de S. Trinitate deque Jeſu Chriſti Deitate adduci? Verùm in eo adducendo vocem *Omnipotentem* ſuppreſſit allegator, vocem *æternum* dicit ludificando pertinere ad diviniſationem illam de qua Pearſonius dixerit, quod Catholici antiqui Chriſtum ἐθολόγȣν (diviniſaverint). Atqui Pearſonius (*b*) eo in loco totus eſt, ut ſignificet quomodo antiqui Chriſtiani Chriſto Divinitatem tribuebant Θεολογȣ͂ντες, ut *Ebionitis* Chriſti Divinitatem negantibus ſeſe opponerent. Unde clarum eſt ex mente Pearſonii & rei veritate, hic intelligi, non nominalem aliquam Divinitatis attributionem; ſed per hoc agnoſci in Chriſto & exprimi (quæ ſunt ipſa Pearſonii verba) *divinam prorſus naturam & generationem quam Ebionitæ ei denegabant.*

Quantum ad ſancti Juſtini Confeſſionem, quam ita magni facit Platonificus alioqui accuſator, ut de ea dicat, (*c*) *hinc Plato exulat: hic ſimpliciter & conformiter cum Scriptura res exponitur: non Juſtinus Philoſophus, ſed Juſtinus Confeſſor & Martyr hìc intervenit:* poſtquam ille ejus Confeſſionis de *Domino Jeſu Chriſto Dei Filio* coram Præfecto Romæ factæ partem aliquam retulit, ſupprimit cetera Martyris verba ſequentia: *Ego quidem, ut homo, imbecillis ſum & longe minor, quàm ut de* INFINITA ILLIUS DEITATE *aliquid magnum dicere poſſim. Prophetarum munus hoc eſſe fateor*. En Jeſu Chriſti Divinitas; & ſimul declaratio fontis unde haurienda duxit Martyr quæ de Filio erant docenda & ediſſerenda, e *Prophetis* nempe, non autem ex Platone Philoſopho. Sed & *Acta ſincera* (*d*) *primorum Martyrum* conſulere volenti, apparebant paſſim in ore ſimplicium fœminarum, infantium, militum, idiotarum aliorumque Martyrum non parvo numero Confeſſiones complures de S. Trinitate, de Divinitate Chriſti ac Spiritus ſancti, ita conceptæ, ut nullo eludi poſſint artificio,

(*a*) In Græca Editione Cotelerii hîc legitur σὺν ἀιωνίῳ καὶ ἐπȣρανίῳ Ἰησȣ͂ Χριστῷ ἀγαπητῷ σȣ͂ παιδί: *cum æterno Filio* -- (*b*) Vindic. Ignat. Part. II. Cap. I. in Patr. Apoſtol. Edit. Amſtel. 1700 Tom. II. pag. 344. (*c*) Plat. Dév. pag. 302. (*d*) Vide Teſtimonia ex iis collecta, quæ Epiſtolæ huic ſubjiciuntur.

cio, multo minus per Platonificum aliquod ludibrium nudius tertius excoctum enervari.

23. *Absurdam* ultimo suprà dixi esse illam Zwickeri fictionem Platonificam. Quid enim absurdius est quam sugillare Patres, ac Platonismi ea de causa accusare, quod ad refutandam Ethnicorum idololatriam utque eos ad Christianismum allicerent, laudaverint nonnullas Platonis sententias, quas simul etiam ostenderunt ab Hebræis esse desumtas, & quidem ita, ut Platonem & sui similes suos nævos erroneosque conceptus iis immiscuisse monstraverint, ac proinde ad solas S. Scripturas tuto tandem redeundum esse concluserint? An inde, quæso, sequitur Platonis doctrinam à S. Justino & Patrum nonnullis fuisse adoptatam, eosque ex illa docuisse Christianam plebem; atque inde totam ubique Ecclesiam per universum terrarum orbem factam esse plane Platonicam? Paulus Apostolus, ut adduceret Gentiles idololatras ad Christianismum, laudavit in Gentilibus (*a*) notitias de Deo, dictamina conscientiæ, dicta Poëtarum quod (*b*) genus Dei simus, quod in eo vivamus, moveamur & simus, quod (*c*) mala consortia corrumpant bonos mores, quod (*d*) Cretenses sint mendaces &c. Ergo Paulus Ethnicismum, Poëticen & Poëtas adoptavit & propagavit. Eat Christianus aliquis inter Turcas, illos ad Christianismum convertendi gratia, utatur erga eos nonnullis, quas ex Alcorano laudet, sententiis, egregiis de Deo & pietate quæ ibi sunt, testimoniis, item quæ ex Euangeliis Mahumetes (veluti sua à Prophetis & Judæis Plato) desumserat, de Christo, qui ibi laudatur ut *probus vir*, ut *Propheta*, imo ut *Verbum Dei*, atque adeo ut is cujus dictis attendere æquum sit; trahat ita eos ad audienda & legenda Christi Euangelia, ad veritatem proinde Euangelicam, per quam postea Alcorani erroribus valedicant, & ad Christianismum se plene recipiant: illene propter Alcorani Mahumetici adhibitum usum & laudatas ex eo de Christo sententias, Mahumetismi, uti Patres à vestratibus Platonismi ob simile quid, accusandus erit? Etenim Patres erga Ethnicos tantùm eodem prorsus modo adhibuerunt & laudaverunt Ethnicorum & Platonis dicta quædam, detectis insuper erroribus admixtis, ut ad Scripturas sacras & ad Christianismum Ethnicos adducerent. Erga plebem autem Christianam ac fidelium chorum nunquam adhibebant, quò eos docerent Philosophorum scripta & testimonia; sed è solis Scripturarum divinarum thesauris & auctoritatibus instructiones ac sermones suos comprobabant, uti eorum scripta testantur: & tamen eandem plebem & hominum reliquos per totum orbem ad hanc usque diem eo pacto reddiderint, scilicet, Platonicos!

23. *Absurditas ejusdem fabulæ.*

(*a*) Rom. 1. ℣. 19. 21. & Cap. 2. ℣. 15.
(*b*) Act. 17. ℣. 28, 29.
(*c*) 1 Cor. 15. ℣. 33.
(*d*) Tit. 1. ℣. 12.

24. Non

24. *Character libri* Platonismus revelatus, *eandem fabulam centies recoquentis.*

24. Non potui, fateor, ſine indignatione, imo ſine horrore, ineptam iſtam de *Platoniſmo* accuſationem ſexcenties recoctam & repetitam legere in libro *le Platoniſme dévoilé*: qui liber tantum abeſt ut exhibeat, quemadmodum ejus Præfator loquitur, *viri excellentis & magnæ pietatis* caracterem, ut potius oſtendat ſpeciem hominis irriſoris perpetui, ludionis profani, ſophiſtæ vitilitigatoris, qui in eo totus eſt ut torqueat divinas Scripturas, vexet ac calumnietur Sanctiores Patrum, quique auſus eſt ſine ullo pietatis & modeſtiæ indicio tractare ſtylo impotenti ac plane ſatyrico à libri initio ad finem uſque, materiam adeo ſeriam & gravem, adeo venerandam ac tremendam, uti ea eſt in qua agitur de ipſa Divinitate, de ipſiusmet Dei Filio, (quem utique venerandum imo adorandum ipſimet agnoſcitis,) de Spiritu item Dei ſancto, (quem quoque magnifaciendum profitemini verbis,) & quæcunque dici de Deo, & quo ſenſu dici debeant, aut ſecus: quæ ſane omnia non erant tractanda ſine ingenti reverentia, non ſine timore ſancto ac tremore, non ſine precibus piiſque ad Deum gemitibus, quemadmodum feciſſe dicitur celebris ille Joſua Placæus, qui de hiſce contra vos ſcribens, ſæpius inventus ſit humi proſtratus coram Domino precibus incumbens ut ab eo lumen & auxilium reciperet. Largiatur Deus contritum cor ac pœnitens iis qui infelicem fœtum ex tenebris ſuis, in quibus æternum relinquendus erat, ad publicam lucem curaverunt protrahi.

25. Spiritus S. Divinitas *quomodo agnoſci poſſit.*

25. Quod attinet ad ea quæ de Spiritu Sancto pagina integra profers, à ſententia quidem Socini diſcedens, ſed tamen Spiritum Sanctum eſſe creaturam ſtatuens, non Deum ſupremum, nihil hîc (longiore jam exiſtente epiſtola) adjicere velim; tum quia non libet ad novum ſubjectum, de quo neque tu in priori ad amicum epiſtola tua, neque ego in meis ad illam cogitatis quicquam diximus, aperire novum diſputandi campum; tum hac maxime de cauſa; quod ſcilicet ſi fideli ac humili corde amplecti velis ipſa Dei de Filio ſuo teſtimonia, poſtpoſitis rationis infirmæ ac anguſtæ ratiociniis, quemadmodum ſuperius faciendum eſſe oſtendi, tunc de Filii Dei Divinitate perſuaſus, nulla præterea difficultate agnoſcere poteris Spiritûs ſancti Divinitatem veram atque ſummam. Sin hanc planam viam libet negligere, tuæ vero lubricæ rationi veluti anchoræ immotæ mavis adhærere quam Spiritûs Dei de ſe ipſo teſtimoniis dare in corde locum, fruſtra tibi vel centum volumina Angeli de cœlo, imo ipſe Deus, conſcribi curarent.

26. Cognitio *fi-deſque* ra-

26. Imo, quod longe excedit, quamvis etiam per Rationis activitatem ejuſdemque convictionem perſuaſus eſſes de veritate S. Trinitatis,

tis, deque Divinitate Filii ac Spiritus S. in illa, non tamen propterea haberes vivam, realem, divinam, ſalutiferamque Patris, Filii & Spiritûs Sancti, totiuſque adeo SS. Trinitatis cognitionem; ſed tantùm mortuam, idealem, pictam, humanam & infructiferam, qua in ſalutis negotio eſſes minime promotior. Iſta rationalia & idealia oſtenta rem non conficient. Diaboli namque ipſimet talem de illis habent cognitionem; & hodie maxima pars eorum qui ſe Chriſtianos Orthodoxos dicunt, docti & indocti, cum iſtiusmodi de SS. Trinitate confeſſione & perſuaſione & fide minime ſalvabuntur niſi longe diviniorem adepti ſint. Divina autem illa, realis, viva ac ſalutaris cognitio, eſt Dei ipſius operatio & manifeſtatio in corde ſimplici, humili, infantili, puro, Deum amante, Chriſti mandatis, abdicato mundo & quæ in eo ſunt, fideliter ſe conformante, ſcholam Spiritûs Sancti ingreſſo, precibuſque indeſinenter dedito: hæc ſiquidem Chriſti ipſius ea de re ſint teſtimonia: (*a*) *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum,* & MANIFESTABO EI ME IPSUM. -- *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus &* MANSIONEM APUD EUM FACIEMUS. (*b*) *Nemo novit Filium niſi Pater; neque Patrem quis novit niſi Filius, &* CUI FILIUS VOLUERIT REVELARE. (*c*) *Quæ ſunt Dei nemo cognovit niſi Spiritus Dei. Nos autem* -- ACCEPIMUS SPIRITUM QUI EX DEO EST, UT COGNOSCAMUS QUÆ à DEO DONATA SUNT NOBIS: donavit autem Deus etiam Filium ſuum & Spiritum Sanctum). (*d*) *Si quis indiget ſapientia,* POSTULET à DEO, QUI DAT OMNIBUS *affluenter, & non improperat;* & DABITUR EI. (*e*) *Petite & dabitur vobis.* (*f*) *Si vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter de cœlo dabit* SPIRITUM SANCTUM *petentibus ipſum*? (*g*) *Unctio, quam accepiſtis ab ipſo, in vobis manet; & non opus habetis ut aliquis doceat vos: ſed ſicut ipſa Unctio docet vos de omnibus, & vera eſt, nec eſt mendacium, ita manete in ea pro ut vos docuit.* Hanc viam ingreſſi ſunt Sancti Apoſtoli & Diſcipuli Domini, Chriſtiani primitivæ Eccleſiæ, Martyres illuſtres, & quotquot vera animi pietate & ſanctimonia Deo accepti ac amici facti ſunt, atque ab ejus Spiritu divina edocti, etiam in ultimis proximè ante nos ſeculis, quales erant Myſtici Scriptores (*) diviniores, è quibus unum atque alterum tantùm tibi hìc nomi-

tionalis & idealis de SS. Trinitate *non ſalvat, nec* viva, realis & divina *eſt cognitio* Patris, Filii & Spiritus S. *quæ vero ſola ſalvat. Via quæ ad hanc ducit, quamque Sancti omnes ingreſſi ſunt.*

(*a*) Joan. 14. ℣. 21. & 23.

(*b*) Matth. 11. ℣. 27.

(*c*) 1 Cor. 2. ℣. 11, 12.

(*d*) Jac. 1. ℣. 5.

(*e*) Matth. 7. ℣. 7.

(*f*) Luc. 11. ℣. 13.

(*g*) 1 Joan. 2. ℣. 27.

(*) De his ſcripſi librum cui titulus: *Bibliotheca Myſticorum ſelecta.* 1708. in quo Auctores inſigniores, eorumque characteres & ſcriptorum contenta paucis indicantur.

nominabo, & ex viris quidem, Susonem, Rusbrochium, Taulerum, Thomam Kempisium, (quem commendat ipse Wissowatius,) Dn. Bernerium & Fr. Laurentium: è fœminis vero, Sanctas Gertrudem, Brigittam, Angelam, Catharinam Genuensem, mitto ceteras, cum nuperrima Dña Gujonia, (*a*) interiorum rerum insigni plane & admiranda explicatrice; quorum vero omnium mentes nullis studiis humanis, nullis ratiocinationibus philosophicis corrumpi potuerunt; sed vero & vivo Dei lumine puris sanctisque animis promisso repleri: qui eos de Deo Patre, Filio & Spiritu Sancto, uti & de aliis rebus divinis instruxit certosque fecit vivo ac salutari modo.

27\.

Sola hæc via omnia tollit diffidia.

Votum & exhortatio de ea ineunda.

27\. Hanc viam si secuti essent eruditi, Doctores, speculatores & ratiocinatores quotquot de divinis quæsiverunt disceptare, nunquam diffidia ulla, nunquam hæreses & sectæ Christianam Ecclesiam misere afflixissent: & per viam hanc solam, eam si inire esset animus, etiam nunc temporis redire omnes possent in unitatem fidei vivæ veræque charitatis. Si Jesus Christus, verus & unus Magister noster, veniat in cor nostrum, si lux mundi & omnis hominis fundum animi pro solo Deo factum inhabitet ac illuminet; tunc sine ulla inanium ratiocinationum ope cognoscemus illico & percipiemus funditus, modo omni creaturæ inimitabili, simulque plenissimo & indubitabili, quisnam sit adorandus ille hospes, auctor ille & fundamentum unum salutis ac vitæ æternæ, qui dicit (*a*) *animæ, Salus tua ego sum:* (*b*) *Ego sum veritas & lux:* (*c*) *Ego sum resurrectio & vita: qui in me credit, etiamsi mortuus sit, vivet; & qui vivit & in me credit nunquam morietur*; , (*d*) qui *implet omnia*, qui omnium corda vult inhabitare, qui sibi exigit à nobis intimam, sinceram, plenam adorationem, fidem, spem & amorem, ut sic satisfaciamus scopo ac fini ad quem sumus creati & redempti. In hujus divina Schola ut omnes, tuque & ego, discipuli fiamus, simulque docti à Deo, votum meum est. Patere idcirco ut pro plenaria & salutari difficultatum tuarum solutione, te exhorter ut huc te recipias simplicis ac (ut Apostolus ait) (*e*) *modogeniti infantis instar*, non attendendo ad præjudicia πατροπαράδοτα, & ratiocinia pristina; sed confitendo mentis nostræ omniumque ejus facultatum corruptionem & tenebras ingentes, precando ut dispellendis eis manum ille omnipotentem admoveat, & exspectando sine rationis nostræ agitatione ut paulatim divina sua operatione regeneret ac formet nos inter-

(*a*) Ps. 35. ℣. 3.
(*b*) Joan. 8. ℣. 12. & Cap. 14. ℣. 6.
(*c*) Ibid. cap. 11. ℣. 25, 26.
(*d*) Ephes. 4. ℣. 10.
(*e*) 1 Petr. 2. ℣. 2.

(*a*) Ejus Operum prodierunt jam Tomi viginti in totam Scripturam: quatuor variis de Sacris, & quatuor Epistolarum spiritualium: omnia Gallicè: pauciora Belgicè, Germanicè, Anglice.

internis modis, rationem noſtram ſuperantibus ac etiam ſenſui imperceptibilibus, eodem plane modo quemadmodum infantulus in utero materno per vim naturæ formatricem generari ac formari ſe patitur, ſine ſuæ rationis activitate ſuoque ſenſu, commiſſus ſolum ſine reſiſtentia ulla, virtuti quæ eum conformat.

Vides, mi Domine, vel ex hac mea concluſione, quòd contentionis ſerram tecum reciprocare non ſit mihi animus. Quod ſi enim hiſce conſenſeris, bene eſt, neque diſputationis prolongandæ erit ampliùs materia: ſin aliter eveniat, remittam te, pace tua, ad Scholam Domini modo indicatam, in qua ille te, me, omneſque qui eum ibi audire voluerint, doceat omnem veritatem ad gloriam Patris, Filii & Spiritûs Sancti. Amen! Huic te ex animo commendat

Tuus ad officia quæque in Domino paratiſſimus

Rhenobourgi. 31. Jan. 1718.

P. POIRET.

P. S.

28. Epiſtolam relegenti incidit ex occaſione eorum quæ ibi dicta ſunt (*a*) de fœcunditate Dei, poſſe à te vel ab alio quovis objici, ex eo principio nil obſtare quin plurium vel infinitorum Deorum productionem ex Deo Patre concludamus, vel ejus poſſibilitatem concipiamus. Verùm quo minus id concludamus vel concipiamus, impedit vel ſola conſideratio quod Deus Pater deſiderans per naturalem fœcunditatem gignere Filium ſibi ſimilem, æqualem ac æque perfectum, hoc ipſo uno actu omnipotenti totum ſuum gignendi naturale ac paternum deſiderium perfecte implevit eique ſatisfecit: proinde ſufficit ei naturaliter unus Filius, objectum in quo invenit ubi pleniſſime acquieſcat: ita ut ſi præterea vellet alios filios, id non eſſet ex naturali ac neceſſaria paternæ eſſentiæ ſuæ proprietate, ſed è mera libertate & placito; id ei indifferens eſſet; poſſet id omittere; poſſent ii filii arbitrarii non eſſe; non haberent æternum eſſe ac neceſſarium; atque ita prius non eſſent, deinde eſſent; non eſſent igitur æquales Deo ut Filius Dei, qui propterea dicitur *Unigenitus* Dei Filius quod æquales vel ſimiles habere non poſſit: ceteri arbitrarii qui producerentur ex non-eſſe ad eſſe, eſſent creaturæ prius nihilum participantes. Quales re vera filios voluit etiam ex arbitrio habere Deus cum Spiritus creatos produxit. Porro, cum

28. *Diluitur* objectio contra fœcunditatem ſeu generationem Dei. *Ex ea non ſequi poſſibilitatem productionis plurium Deorum ex Deo Patre.*

(*a*) §. 13. & 14.

cum Filius Dei unigenitus inveniat in Patre Objectum plenum & perfectum desideriorum suorum, sicuti Pater in Filio, horum deliciosorum desideriorum occursus mutuus & æternus ortum dedit æternum Spiritui Sancto ab utroque procedenti, quique totius Trinitatis veluti sigillum est, complementum ac terminus; ita ut si quid præterea hi tres velint, id non Deum ipsum sed ejus arbitrium liberrimum, cujus terminus sunt creaturarum ideæ ipsæque creaturæ, ac Dei cum illis lusus ac delectatio arbitraria, respiciat. Et hæc quidem diviniores Theologiæ interioris Scriptores pluribus modis hisce similibus adumbrarunt fusius ac sæpius: nobis autem ad Fidei fundamentum sufficiant Dei ipsius in Scriptura loquentis testimonia, quæ Unicum tantum Dei Filium, unum dilectum in quo sibi complacuit Pater, unum quoque Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedentem asserunt; atque ut Deo uni consecremur toti & perfecte, baptizari in Nomine Patris, Filii & Spiritûs Sancti jubemur.

29. Mantissa. Nihil ad vitæ sanctitatem ingenerandam efficacius exemplo ipsius Dei: Ejus Amor *erga nos verè immensus, qui Filium suum sibi æqualem pro nobis morti tradidit.*

(*a*) Joan. 3. ℣. 16.
(*b*) Rom. 8. ℣. 32.
(*c*) 1 Joan. 4. ℣. 9, 10.

29. Concede quæso, ut quod superest chartæ, uni adhuc impendam considerationi & quidem non infœcundæ seu infructuosæ. Consensus omnium est, Religionis Christianæ dogmata eo pluris esse facienda, quo majorem pietatem amplioremque sanctitatis fructum animis ingenerare apta nata sunt. Omnis autem pietas, sanctitas, virtus ac perfectio Christiana his duobus includitur, humilitate tanquam omnium fundamento, & Amore Dei, omnium essentia & complemento. Ad quas vero virtutes nullum efficacius motivum & exemplar dari & excogitari potest quam ipsius Dei, quando illæ in eo nobis excellenter ostenduntur. Et de Amore quidem Dei erga nos ita Christus & ejus Apostoli: (*a*) *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret.* (*b*) *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* (*c*) *In hoc apparuit Charitas Dei erga nos, quod Filium suum unigenitum miserit in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est charitas, quòd ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Certe si Filius Dei quantum ad naturam suam sit creatura è nihilo facta, tollitur plane magnitudo illa tantopere celebrata amoris Dei erga nos, quippe superata ab amore quem Abrahamus habuit erga Deum. Abrahamus namque proprium FILIUM, ejusdem naturæ, SIBI ÆQUALEM, quem non minus quam se ipsum amabat & æstimabat, tradidit morti in testimonium amoris sui erga Deum; Deus autem minus quid fecisset, & creaturam immense sibi inæqualem, punctulum è nihilo desumptum, pro nobis impenderet, & tamen in hoc incomparabilem ac incomprehensibilem erga nos testatum

amorem prædicaret, ne dicam jactaret ac ostentaret! Apage assertionem injuriosam in Amorem Dei erga nos immensum, inque motivum nostri erga illum amoris debiti omnium efficacissimum!

30. De humilitate in Deo ita Paulus, eam in ipso Dei Filio, Patri æquali, ostendens, ejusque inde imitationem commendans: (*a*) *Hoc sentite quod & in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semet ipsum exinanivit formam servi accipiens, --- Humiliavit semet ipsum factus obediens usque ad mortem.* Ubi notandum est, [contra quam asserit celebris Criticus in notis suis Gallicis ad hunc Paulli locum.] humilitatem veram proprie de solo Deo, vel de eo qui Deo æqualis est, posse asseri: solus enim ille est qui cum in se vere sit omne bonum & super omnia, potest ex alto statu suo descendere, se subjicere inferiori, fieri servus, & quæ servi sunt agere & recipere: quando contrà, creatura, quæ ex se & per se nihil plane est, si se ad statum nihili redigat, seque consideret ac gerat ut quæ sit res nihili, non se per hoc proprie deprimit, non descendit ex aliquo suo alto statu naturali infra id quod ex se est; sed ad statum ita suum debitum, ex vero & æquo sibi competentem se componit: neque eadem dici potest humiliare se nisi comparative ad superbiam suam antecedentem, qua sibi absurde & inique arrogabat quæ sua non erant, seque fatua imaginatione eò elevaverat quò non oportebat; ex qua vero superba falsaque opinione dum descendit ad statum debitum, *humiliari* secundario sensu dicitur. Et ad hanc quidem humilitatem relatam, nobis tamen adeo exosam, vera & primaria Dei humilitas & descensio nos incomparabiliter & inexcusabiliter adstringit verbis Apostoli, uti & his similibus quæ sic per divinum virum Kempisium expressit: (*a*) *Quid magnum si tu, qui pulvis es & ni-*

30. Ejusdem Humilitas. *Humilitas vera proprie soli Deo, aut ei qui Deo æqualis est competit; non* homini, *qui per se nihil est.*

(*a*) Phil. 2. ℣. 5. &c.

(*a*) De Imit. Christi. Lib. III. Cap. 13. Idem sanctus vir ostenderat paulo ante (Cap. X.) humilitatem Dei tantam esse, ut is sit potius servus noster, quam nos servi ejus: *Tu* (inquit ille Deo) *magis mihi servis quam ego tibi. Ecce cœlum & terra quæ in ministerium hominis creasti! -- quin etiam Angelos in ministerium hominis ordinasti. Transcendit autem hæc omnia quia tu ipse homini servire dignatus es, & te ipsum daturum ei promisisti.* Divinus Franciscus ea de consideratione inter laudes Dei *humilitatem* recensebat, acclamans ei inter plura: *Tu es amor & charitas! Tu es Sapientia! Tu es* HUMILITAS! *Tu es patientia!* Adderem hîc modum mirabilem quo Deus olim menti cuidam purissimæ humilitatem divinam suam spectandam intime præbuit, nisi forte id superciliosis nonnullis contemtui esset. Verum sit ita; quid refert? sic igitur illa ea de re: *Et dixit mihi* (Deus,) *Vidisti aliquid de potentia mea: modo videas* HUMILITATEM MEAM, *& videbam tantum profunde humilitatem Dei, & ad homines, & ad omnia, quod comprehendens anima potentiam*

nihil, propter Deum te homini ſubdis, quando EGO OMNIPOTENS ET ALTISSIMUS, *qui cuncta creavi exnihilo, me homini propter te* HUMILITER *ſubjeci? Factus ſum* OMNIUM HUMILLIMUS ET ULTIMUS, *ut tuam ſuperbiam* MEA HUMILITATE *vinceres. Diſce obtemperare pulvis. Diſce te humiliare, terra & limus, & ſub omnium pedibus incurvare* -- Hoc quiſquis fecerit, facile humiliabit non tantum voluntatem ſuam, ſed etiam intellectum ſuum ſub ipſius Dei de ſe ipſo teſtimoniis ut ut rationi ſuæ incomprehenſibilibus. Quod ut in omnibus fiat, adjuvet nos ipſe benedictus in ſecula!

tentiam inenarrabilem, & videns TAM PROFUNDAM HUMILITATEM, *mirabatur, & reputabat ſe nihil omnino; & nihil videbat in ſe niſi ſuperbiam: & incepi mecum cogitare, & reputare me omnino indignum communione* ſacra, *ita ut nollem communicare.* (Vit. Angel. de Fulgin Cap. 22.) Cur eruditi huc uſque inter attributa Dei, ſaltem quæ ad creaturas relativa ſunt, *humilitatem* non poſuerint, equidem neſcio, niſi quod forte plerique ſibi conſcii e ſuperbiæ ſuæ ſenſu, ſe, ſi potentes & in altum gradum evecti eſſent, non eſſe eo animo ut poſſint & velint eſſe humiles, ex ſenſu illo ſuo altiſſimum Deum judicaverint, adeoque humilitatem vel in eo non agnoverint, vel etiam a Deo removerint, quanquam coram oculis habebant ipſum locum ubi Paulus in Jeſu Chriſto, Deo Patri æquali, humilitatem omnium profundiſſimam agnoſcit & imitandam commendat.

PROVERB. XXX. VS. 4.

Quis aſcendit in cœlum atque deſcendit? Quis continuit ſpiritum in manibus ſuis? Quis colligavit aquas quaſi in veſtimento? Quis ſtatuit omnes terminos terræ? Quod Nomen eſt Ejus? & quod NOMEN FILII EJUS, *ſi noſti?*

Archangeli neſciunt: Angeli non audierunt: ſecula non tenent: Propheta non ſenſit: Apoſtolus non interrogavit: Filius ipſe non edidit: ceſſet dolor querelarum. Nonne æquanimiter ignorabis NATIVITATEM CREATORIS, *ignorans Originem Creaturæ?*

HILAR. LIB. II. DE TRINIT.

NU,

NUBES TESTIUM,
SIVE
SS. MARTYRUM TESTIMONIA
De vera & æterna DEITATE JESU CHRISTI.
ELENCHUS ARTICULORUM.

I. Ignatius.
II. Symphorosa.
III. Felicitas & filii.
IV. Polycarpus.
V. Justinus & Liberianus.
VI. Martyres Lugdunenses.
VII. Epipodius & Alexander.
VIII. Symphorianus.
IX. Martyres Scyllitani.
X. Martyres Carthaginenses.
XI. Pionius, Theodota & Asclepiades.
XII. Achatius.
XIII. Petrus, Andreas, Paulus & Dionysia, &c.
XIV. Tryphon & Respicius.
XV. Lucianus & Marcianus.
XVI. Cyprianus.
XVII. Nicephorus.
XVIII. Claudius, Asterius, Domnina.
XIX. Mauritius & Socii.
XX. Donatianus & Rogatianus.
XXI. Bonifacius.
XXII. Victor.
XXIII. Maximilianus & Marcellus.
XXIV. Martyres Alexandriæ.
XXV. Martyrum urbs tota in Phrygia.
XXVI. Theodotus.
XXVII. Felix.
XXVIII. Vincentius.
Item e Prudentio, Romanus; infans anonymus; Laurentius.
XXIX. Saturninus.
XXX. Euplus, vel Euplius.
XXXI. Philippus.
XXXII. Tarachus, Probus & Andronicus.
XXXIII. Crispina.
XXXIV. Afra.
XXXV. Vitalis.
XXXVI. Julitta cum infante.
XXXVII. Theodorus.
XXXVIII. Phileas cum Philoromo.
XXXIX. Quirinus.
XL. Gordius.
XLI. Julitta.
XLII. Petrus Balsamus.
XLIII. Arcadius.
XLIV. Faustus, Januarius & Martialis.
XLV. Leo.
XLVI. Julius.
XLVII. Patricius.
XLVIII. Martyres in Ægypto.
XLIX. Sadoth.
L. Basilius Ancyranus.
LI. Theodoritus.
LII. Bonosus & Maximilianus.

NUBES TESTIUM,

SIVE

SANCTORUM MARTYRUM TESTIMONIA DE DEITATE JESU CHRISTI.

1. *Provocatio Auctoris Sociniani ad* Confessiones Martyrum. (*a*) pag. 301.

1. SOcinianus Auctor Libri Gallici, *le Platonisme dévoilé* dicti, ut suam de negata Jesu Christi Deitate sententiam confirmaret, non dubitavit SS. Martyres ea in re uti Judices considerare, & provocare ad eorum TESTIMONIA in Libri sui Parte altera, Capite II. (*a*) hisce verbis: *Ma seconde preuve est tirée de la Confession des anciens Martirs. On ne peut pas douter que ces* FIDELES TEMOINS *de Jesus-Christ n'aient rendu à sa Personne le témoignage le plus illustre & le plus honorable qu'ils ont pû lui rendre, & qu'ils n'aient poussé leur Théologie aussi loin qu'ils la pouvoient porter sans s'écarter de la Foi.* ECOUTONS DONC *ce que nous en disent les* ACTES DE LEURS MARTIRES. Quæ sic Latine reddi possint: *Altera probatio mea ex antiquorum* MARTYRUM CONFESSIONE *ducitur. Dubitari nequit quin* FIDELES ILLI JESU CHRISTI TESTES *Personæ ejus testimonium quam quidem possit illustrissimum ac honorificentissimum reddiderint, suamque Theologiam quousque sine Fidei detrimento potuerunt, extenderint.* AUDIAMUS *ergo ecquid ea de re nobis dicant eorumdem* MARTYRIORUM ACTA.

2. *Harum ingens pondus, quamvis argumentum ex iis negativum nihil concludat.* (*b*) Marc. 13. ℣. 9. 11.

2. Quibus ex verbis patet Auctorem pro se ac parte sua in hoc negotio ingens momentum testimonii Martyrum agnoscere & admittere, quod & nos quoque admittimus, nixi hac ipsa Jesu Christi declaratione ac promissione fallere nescia, eam auctoritatem stabilientis & confirmantis, quando suis dicit discipulis: (*b*) *Tradent vos in conciliis, & in Synagogis vapulabitis, & ante præsides & reges stabitis propter me & in* TESTIMONIUM *illis --. Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini: sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini.* NON ENIM VOS ESTIS LOQUENTES; SED SPIRITUS SANCTUS.

Notandum tamen, secus ac insinuare videtur auctor ille, non esse semper exspectanda a Martyribus testimonia, iis modis ac verbis expressa, quæ hæresi de negata Christi Deitate veluti ex professo opposita esse cerne-

cernerentur, sive quod non omnia Martyrum verba scriptis consignata sint, sive quod de eo speciatim articulo non essent interrogati, sed tantum, *Utrum Christiani essent, nec ne?* Quo affirmato, plura audire nollent persecutores: Sive denique quod eorum generalior *Christianismi professio* continere censeretur totam fidei doctrinam & omnia quæ de Christo Deo, deque Patre & Spiritu Sancto testatæ sunt sacræ literæ. Ita ut non valeat hujusce modi de Martyrum confessionibus argumentum negativum: Hic aut ille Martyr de Christi æterna Deitate non facit conceptis verbis mentionem; ergo eam non credidit. Absurda consecutio: quasi martyres nil crederent quàm id quod ex eorum relatis verbis exprimitur; in quibus sane interdum neque fit mentio Patris æterni, quem tamen nemo propterea non credi ab illis audebit asserere. At si quid illi verbis notatis vel relatis expresserint, id ab iis creditum esse, argumento positivo evincitur; idemque verum esse, è Christi verbis modo ostensis consequitur sine ullo dubio, fatente etiam auctore, cujus provocationem ad Testimonia Martyrum modo audivimus; & cui jam quoque obtemperabimus. *Audiamus ergo, uti vult, ecquid ea de re nobis dicant Sanctissimi Martyres antiqui.*

§. I.

S. IGNATIUS *Episcopus Antiochenus.*

I. 1. Testimonium Ignatii *ex ejus Martyrii Actis;*

1. Apostolicus hic sanctus vir, Apostolorum discipulus, inter antiquos Martyres è primis est, quippe Martyrium passus sub Trajano circa annum Dni. 107. Hic cum a Syria, ubi ab ipso Imperatore condemnatus fuerat ad bestias, duceretur ad Martyrium, quod Romæ subire debebat, scripsit eo in itinere Epistolas quæ nobis supersunt septem, aliquoties editas, Latine quidem a celebri Usserio, Græce vero a Vossio & Cotelerio, in quibus de CHRISTO DEO insignia exstant testimonia, quæ modo videbimus. Ipsa autem Acta ejus martyrii sincera postquam primus Latine reperisset & edidisset Usserius, ea haud ita diu Græce, cum Latinis conspirantia invenit & publicavit una cum genuina Martyris ad Romanos prius desiderata Epistola, P. Ruinartus in Libro cui titulum fecit: *Acta primorum Martyrum sincera & selecta, Parisiis* 1690, & qui nuper (*) recusus est Amstelodami emendatior atque auctior: ex quo plura deinceps proferemus.

In iis Actis refertur, quod Ignatius, qui & Theophorus sive Deifer no-

(*) Anno 1713. apud Wetstenios.

nominabatur; coram Trajano sisteretur, eumque Trajanus interrogaret, *Quis est Theophorus*, (sive Deifer)? Respondit Ignatius rationem redditurus cur nomine diceretur ferre Deum, *Qui* Christum „ *habet in pectore*, evidenter agnoscens Christum eundem esse atque Deum ipsum, sive, idem esse, Deum ferre ac Christum ferre: uti etiam hæc ita ipse intellexit Trajanus, qui & privilegium istud, *ferendi Deum*, sibi arrogare volens, petebat à Theophoro; *An igitur tibi videmur Deos in mente non habere*? Respondet Ignatius, ostendens quem ipsemet vere Deum intelligat: *Gentium dæmonas Deos* „ *errans appellas. Unus enim est Deus qui fecit cælum* „ *& terram & mare & omnia quæ in ipsis continentur, at-* „ *que unus est Christus Jesus, filius Dei unigenitus.* Pugnaret in se ipsum Theophorus si mens ejus non esset Christum Jesum esse cum Patre unum eundemque Deum, quem in se fert. Quod etiam ipsemet Trajanus ita intellexit, & confirmavit Ignatius, uti e sequentibus verbis videre est. *Trajanus dixit:* ILLUM DICIS *qui sub Pontio Pilato crucifixus est*? *Ignatius dixit:* Illum dico *qui meum pec-* „ *catum cum suo inventore crucifixit, omnemque dæmoni-* „ *cum errorem & malitiam subjecit sua sententia sub pedi-* „ *bus illorum qui* ipsum in corde ferunt. *Trajanus dixit: Tu ergo in te ipso* CRUCIFIXUM *geris? Ignatius dixit:* Etiam. „ *Scriptum enim est; Inhabitabo in ipsis & inambulabo.* Atqui ille qui dixit, (*a*) *Inhabitabo in ipsis & inambulabo*, est Deus summus ac vivus, apud Mosem & Apostolum: quem hic Ignatius CHRISTUM CRUCIFIXUM, ac IN SE HABITANTEM esse fatetur, agnoscitque iterum Trajanus, in eum hanc sententiam pronuncians: *Ignatius qui in se ipso* CRUCIFIXUM FERRE *dicit, præcipimus vinctum a militibus duci in magnam Romam, cibum bestiarum ad populi delectationem futurum.*

(a) Levit. 26. vs. 12. 2 Cor. 6. ℣. 16.

Notabile est, quod horum Actorum Scriptores, qui Ignatium in itinere ad mortem comitabantur, ex ejus auditoribus & discipulis erant, & suis omnia perspexerant oculis, (*horum*, ut inquiunt, *nos ipsi spectatores facti*,) quique adeo in eadem cum Ignatio fide erant unanimes, Acta hæcce claudere solenni SS. Trinitatis collaudatione, his verbis: *Pii sui desiderii cursum perfecit in* CHRISTO JESU *Domino nostro, cum quo* PATRI *gloria & potentia cum* SANCTO SPIRITU *in secula, Amen.*

2. Veniamus nunc ad Martyris testimonia in Epistolis, cum iret ad mortem, scriptis exstantia. Citabimus autem ea prout sunt in Editione ac versione Cotelerii, qui commodius Epistolas in capita distinxit: at ordinem sive seriem Epistolarum, pro ut est in Editione Vossiana, atque inde in Lipsiensi Ittigii, retinebimus. 2. *Ex Epistolis ejus genuinis;*

Epistola Martyris *ad Smyrnæos* sic incipit: Δοξάζω Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Θεὸν τὸν οὕτως ὑμᾶς σοφίσαντα. *Glorifico* Jesum Christum Deum, *qui tanta vos sapientia donavit.* Vide hinc 1. Christum Deum. 2. Christum datorem, imo auctorem & fontem sapientiæ (σοφίσαντα) qui in Scripturis solus Deus est. 3. Christum Deum fontem Sapientiæ propterea glorificandum. En gloriam quæ Deo & auctori Sapientiæ debetur, Christo redditam!

In Epistola *ad Polycarpum*, Cap. III. ipsum sic hortatur Ignatius: *Eum qui* ultra tempus *est* (τὸν ὑπερκαιρὸν) *exspecta:* intemporalem, (τὸν ἄχρονον,) *invisibilem, propter nos visibilem; impalpabilem; impatibilem, propter nos patibilem, qui omnimodo propter nos sustinuit.* Hæc de Christo Jesu manifeste dicuntur. Verum quis est ille intemporalis, ultra tempus, & impassibilis nisi solus æternus Deus? Idem hisce verbis finem imponit huic Epistolæ: *Opto vos valere semper in* Deo nostro Jesu Christo, *in quo permaneatis in unitate Dei.*

In Epistolæ *ad Ephesios* inscriptione, eorum Ecclesiam dicit Ignatius *electam in voluntate Patris &* Jesu Christi Dei nostri: τοῦ Θεοῦ ἡμῶν. Et ab initio Epistolæ appellat Ephesios, *Imitatores* Dei, *excitatos* (ἀναζωπυρήσαντες) *per* sanguinem Dei. Ibidem Cap. VII. ita de Christo loquitur: *Medicus unus est, carnalis & spiritualis*, factus & non factus, *in carne* existens Deus, *in morte vita vera; & ex Maria, & ex Deo.* & Cap. XVIII. Deus noster (ὁ Θεὸς ἡμῶν) Jesus Christus, *conceptus est ex Maria secundum dispensationem Dei, ex semine quidem Davidis, Spiritu autem Sancto.* Item Cap. XIX. *Omne vinculum malitiæ est abolitum, ignorantia sublata est, vetus regnum destructum,* Deo humanitus manifestato: Θεοῦ ἀνθρωπίνως φανερουμένου: quod idem est ac illud Apostoli; *In hoc apparuit filius Dei ut dissolvat opera Diaboli.* 1 Joan. 3. vs. 8.

In Epistola *ad Magnesianos*, Cap. VI. Diaconis *commissum est ministerium Jesu Christi*, *qui* ante secula *apud Patrem erat*, (πρὸ αἰώνων παρὰ πατρὶ ἦν,) *& in fine apparuit.* & Cap. VIII. *Unus est Deus, qui se ipsum manifestavit per Jesum Christum filium suum, qui est* Verbum ipsius æternum, αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος: quibus *æternitatem Verbi* evidenter significat, ac proinde Divinitatem ejus.

In Epistola *ad Trallianos*, Cap. VII. sic eos alloquitur: *Custodite vos à talibus* (hæreticos intelligit.) *Quod fiet si inflati non fueritis, & indivulsi manseritis* à Deo Jesu Christo.

Epistolam *ad Romanos* ita inscribit-- *Ecclesiæ dilectæ & illuminatæ in voluntate ejus qui vult omnia quæ sunt secundum charitatem* Jesu Christi Dei nostri. -- *plurimum in* Jesu Christo Deo nostro *intaminatè gaudere.* Cap. III. *Ipse* Deus noster Jesus Christus *in Patre existens* (ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐν πατρὶ ὢν) *magis apparet:* & Cap. VI. *Sinite me imitatorem esse* passionis Dei mei. Hactenus testimonia S. Martyris.

3. *Nec non ex interpolatis, quas latiores vocant.*

3. Non nescio ex Eruditis esse qui sustineant in gratiam Arianismi novi Ignatii Epistolas eas quæ *interpolatæ* dicuntur, & quas ipsi *latiores* nominant, esse demum genuinas. Verùm, ne dicam doctissimos viros, Pearsonium inprimis, contrarium iis evicisse rationibus quæ cordatis quibusvis dudum satisfecerint, ne tamen ulli hac exceptione abutantur, libet ostendere, non minora pondere & numero testimonia de Jesu Christi Deitate vera & æterna reperiri in interpolatis, quam in illis e quibus præcedentia adduximus.

In Epistola Interpolata *ad Smyrnæos*, licèt pro primis genuinæ verbis, *Glorifico Jesum Christum Deum*, legatur in interpolata, Glorifico Deum & *Patrem Domini nostri Jesu Christi*, illico tamen sequitur de Jesu Christo quod sit DEUS VERBUM. Textus is est: *Agnovi-- vos ad plenum instructos in Domino nostro Jesu Christo filio Dei, Primogenito totius naturæ* (creaturæ) (*) DEO VERBO, *unigenito filio.* & Cap. II. agnoscit ad Christum pertinere ac dicta esse hæc verba Thomæ; *Dominus meus, &* DEUS MEUS. Capite V. clara verba sunt: *Quid me juvat si quis me laudaverit, Dominum autem meum blasphe-*

(*) τὸν Θεὸν Λόγον.

phemaverit, si non eum confessus fuerit (σαρκοφόρον Θεόν.) INCARNATUM (carniferum,) ESSE DEUM? Addit: *hoc autem qui non dixerit, perfecte eum negat.* Ecce blasphemis & apostatis accensentur qui non agnoscunt Jesum esse DEUM, eumque *incarnatum.*

In Epistola Interpolata *ad Polycarpum*, Cap. III. *Exspecta Christum filium Dei,* INTEMPORALEM *in tempore,* (τὸν ἄχρονον ἐν χρόνῳ,) *invisibilem naturâ, visibilem in carne, impalpabilem & intactum ut incorporeum, corporeum vero propter nos & contrectabilem: impassibilem ut* DEUM, *passibilem vero propter nos ut hominem.* Ecce (contra Arianos,) hic Christum æternum æternitate distincta à tempore; Christum Deum, eundemque hominem, distinctius quam in genuina!

In Epistola Interpolata *ad Ephesios*, Cap. VII. hæc exstant: *Medicus noster est solus verus Deus, ingenitus & invisibilis* (inaccessus,) *Dominus omnium, unigeniti vero Pater & genitor. Habemus autem medicum etiam* DOMINUM NOSTRUM DEUM JESUM CHRISTUM (τὸν Κύριον ἡμῶν Θεὸν Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν) ANTE SECULA FILIUM UNIGENITUM, ET VERBUM, (τὸν πρὸ αἰώνων υἱὸν μονογενῆ καὶ λόγον.) *postea vero &* HOMINEM *ex Maria Virgine.* Et hæc etiam explicatiora sunt contra errantes quam quæ in genuina exstant. Porro & in ejusdem Epistolæ Cap. XV. ut ostendat Martyr facta debere præcedere ante dicta, hæc addit: *Dominus noster &* DEUS JESUS CHRISTUS, *qui est Filius Dei vivi, primo fecit, deinde docuit.* Rursum, Cap. XVIII. de ejusdem æterna generatione: *Filius Dei, qui* ANTE SECULA GENITUS *est,* (ὁ πρὸ αἰώνων γεννηθείς,) *ipse in utero portatus est a Maria secundum œconomiam Dei, ex semine David & Spiritu Sancto.* Observa hic obiter SS. Trinitatis mentionem, (uti & in fine Epistolæ,) simulque quomodo in Capite sequenti (XIX) cum loqueretur de destructione operum Diaboli per Christi adventum sive apparitionem, dicit ista esse facta, DEO *ut homine apparente, & homine ut* DEO *operante:* Θεοῦ ὡς ἀνθρώπου φαινομένου, καὶ ἀνθρώπου ὡς Θεοῦ ἐνεργοῦντος.

Ad Magnesianos Interpolata Cap. VI. locus quem modo vidimus e genuina, exprimitur in hac altera significantius: *Diaconis -- creditum est ministerium Christi Jesu, qui* ANTE SECULA GENITUS EST A PATRE, DEUS VERBUM, (ὃς πρὸ αἰῶνος παρὰ τῷ πατρὶ γεννηθεὶς, ἦν Λόγος Θεὸς), *unigenitus Filius.* & Cap. VIII. *Unus est Deus omnipotens qui se ipsum manifestavit per Jesum Christum filium suum, qui est ipsius* VERBUM, *non pronunciatum, sed* SUBSTANTIA-

LE; (ὅς ἐςιν αὐτȣ̃ λόγος, ȣ̓ ῥητὸς, ἀλλ' ȣ̓σιώδης·) *nec enim est articulati sermonis vox*; *sed divinæ efficaciæ* GENITA SUBSTANTIA; (ἐνεργείας θεϊκῆς ȣ̓σία γεννητή.) & Cap. IX. *Christum --- Prophetæ --- exspectabant & sperabant ut Dominum & Salvatorem, dicentes,* IPSE VENIET, *& salvabit nos*: qui locus ex Isaia de Deo est, & in Propheta sic exprimitur: (*a*) DEUS *noster judicium reddet & retribuet: ipse veniet & salvabit nos.*

(*a*) Isa. 35. ℣. 4. Sec. LXX.

In Interpolata *ad Philadelphenos*, de qua nihil e genuinis citavimus, ista leguntur valde insignia; Cap. IV. *Unus est ingenitus Deus Pater; & unus unigenitus,* DEUS VERBUM ET HOMO, (Θεὸς Λόγος καὶ ἄνθρωπος) *& unus Paracletus, Spiritus veritatis.* & Capite VI. *Si quis dicit unum Deum, confiteturque Christum Jesum, hominem vero putans Dominum, & non* DEUM UNIGENITUM, *& Sapientiam & Verbum Dei; sed ex anima & corpore eum solùm esse existimans; hujusmodi (homo) serpens est seductor, errorem prædicans ad perditionem hominum; hujusmodi pauper est sensu, sicuti vocatur & adinventor ipsius erroris Ebion.*

Ad Trallianos Interpolatæ Caput IX. sic incipit: *Obturate aures vestras quando vobis quis sine Jesu Christo Filio Dei loquitur, qui factus est ex semine David per Mariam: qui vere natus est ex Deo & ex Virgine: quia* (*b*) HOC IPSUM EST QUOD ET DEUS. *Suscepit enim vere corpus: Verbum, inquit, caro factum est.* Deinde Cap. X. *Vere peperit Maria corpus,* DEO *in eo habitante,* (Θεὸν ἔνοικον ἔχον,) *& vere natus est* DEUS VERBUM *ex Virgine.*

(*b*) Secundum antiq. versionem.

Denique & in inscriptione Epistolæ *ad Romanos* interpolatæ, mentio fit *Jesu Christi* DEI *& Salvatoris nostri*; & in Capite ejusdem VI. eadem, quæ in aliâ, reperiuntur verba hæc: *Concedite mihi ut sim imitator* PASSIONIS DEI MEI.

Videant nunc ii qui in detrimentum Deitatis Christi Jesu hasce Epistolas aliis præferre volent, utrum hoc pacto malæ suæ causæ consuluerint. Quis unquam sinceræ mentis, seque ipsum & alios de industria decipere nolens, credere possit aut sustinere, magnificas hasce appellationes, JESUM CHRISTUM *esse Deum glorificandum, Deum Verbum, Verbum Substantiale, Substantiam genitam operationis* (generationis) *divinæ, unigenitum à Patre ante secula, intemporalem, verum Deum, Deum unigenitum, Deum nostrum, Dominum & Deum nostrum; qui cum unus Deus sit, est & ipse Deus, qui est hoc ipsum quod Deus est,* (quæ omnia in Epistolis Ignatii, quas *latiores* dicunt, reperiuntur,) UNUM ET IDEM significare ac esse creaturam, quæ

prius

prius nihil fuit, postea ex nihilo facta est id quod est, substantia scilicet a substantia Dei diversa, & quæ, si Deus voluisset eam relinquere sicut primùm erat, æternum nihil & non ens mansisset? Possit-ne hæc pati cujusvis sana mens, ne dicam mens Oraculis Dei uti decet instructa?

4. Verum redeamus ad ceterorum Martyrum testimonia, quæ quidem secundum temporis ordinem disponemus: Sequemur autem eum quem tenuit in sua Collectione, cui titulus *Acta primorum Martyrum sincera & selecta*, R. P. Ruinartus, qui sinceritatis, eruditionis ac industriæ suæ non pauca edidit documenta, in hisce præsertim Actis, tum per refutationem egregiam *Dissertationis Dodwelli de paucitate Martyrum*, suæ Collectioni præmissam, tum per multas suas ad ipsa Acta singula speciales *admonitiones* & notas, in quibus de Actorum valore, auctoribus, bibliothecis ubi reperiantur, vel locis ubi jam nonnulla sint antè edita, speciatim loquitur: cum quo ea de re consuli possit & accuratus Scriptor *Tillemontius*, in Commentariis suis (*Mémoires pour servir à l'histoire Eclesiastique:*) quem auctorem eruditus ille Anglus qui S. Augustinum contra J. Clericum sive Phereponum defendit, laudat ut *virum optimum & eruditissimum.* Hos, ne plures alios dicam, adibunt, si placet, ii quibus erit animus de sequentibus Martyrum Actis vel specialiora legere vel de iis etiam criticè vitilitigare. Cæterum, dicta Martyrum si referamus interdum pluribus quam necesse ad rem præsentem videatur, id fiet ea de causa, quod amorem Christi, omnium scopum, remque nostram præcipuam, per illa vivo modo in corde excitari & accendi pius animus sentire possit, & hoc ut omnibus experiri detur, quovis modo enitendum sit.

4. Testimonia ceterorum Martyrum unde petenda.

§. II.

S. Symphorosa. Ann. Chr. 120.

Sancta hæc Martyr, quæ sub Hadriano Imperatore passa est ac ejus jussu in flumen cum appenso lapide præcipitata, viro ejus cum leviro aliquanto antè propter Christum morte affectis, ubi coram Hadriano adsisteret, cum filiis suis septem, qui & martyrio post ipsam coronati sunt, diceretque ei Imperator: *Ego te Diis meis* (nisi eis sacrifices) *sacrificari faciam:* respondit illi in hæc verba: *Dii tui in me sacrificium accipere non possunt: Sed si pro nomine* Christi Dei mei

II. Testimonium *Symphorosæ.*

mei *incensa fuero, illos dæmones tuos magis exuro.* Apud Ruinartum & Tillemontium.

§. III.

S. Felicitas *cum septem* filiis *suis*. A. 150.

III. Felicitatis *&* *filiorum.*

Illustris hæc fœmina cum filiis suis sub Antonino passa est, quorum omnium una eademque fuit de Christo fides, per Spiritum Dei illis inspirata & corroborata. Sic enim ipsa Publio Præfecto eam blanditiis simul & minis ad sacrificandum idolis provocanti; *Nec blan-*
„ *dimentis tuis resolvi potero, nec terroribus tuis frangi.*
„ *Habeo enim* Spiritum Sanctum, *qui me non permittit*
„ *vinci a Diabolo; & ideo secura sum quia viva te supera-*
„ *bo: & si interfecta fuero, melius te vincam occisa.* Quæ-
„ nam vero eorum de Christo fides fuerit declarabant ejus Filii dicentes
„ se unum Deum colere eique sacrificare per affectum amoris sive de-
„ votionis, Christum illum esse quem ament, famulantes omnipoten-
„ ti Deo, existentes servi Christi, quem corde teneant & adorent,
„ unum & verum Deum colentes; quem verum Deum quotquot Chri-
„ stum non confitentur esse, in ignem æternum mittentur". Ipsa Actorum concepta verba sic habent: *Secundum ejus filium, Felicem nomine, admoveri præcepit* Judex. *quem cum hortaretur Publius ad immolandum idolis, constanter dixit:* Unus est Deus *quem colimus, cui sacrificium piæ devotionis offerimus. Vide ne tu credas me aut aliquem fratrum meorum a* Domini Jesu Christi *amore recedere: Immineant verbera, stent cruenta consilia; fides nostra nec vinci potest, nec mutari--.* Jussit Publius *ad se adduci* quartum, *Silvanum nomine*, cui sic ait: *Ut video, convenit vobis cum pessima matre vestra hoc consilium, ut præcepta Principum contemnatis, omnes simul curratis in interitum. Respondit Sylvanus: Nos si transitorium timuerimus interitum, æternum incurremus supplicium. Sed quia novimus quæ præmia sint parata justis, & quæ sit pœna constituta peccatoribus, idcirco securi, contemnimus legem humanam ut*

jus-

jussa divina servemus. Idola enim contemnentes, Deo omnipotenti famulantes, *vitam æternam invenient.* --- *Amoto Sylvano, jussit quintum præsto esse, Alexandrum, cui dixit: Misereberis ætati tuæ & vitæ in infantia positæ, & secutus fueris ea quæ sunt Regi nostro Antonino gratissima: unde sacrifica Diis, ut possis amicus Augustorum fieri, & vitam habere & gratiam. Respondit Alexander: Ego* Servus Christi *sum: hunc confiteor, corde teneo, incessanter* adoro. *Infirma autem ætas quam cernis, canam habet prudentiam si* unum Deum colat.-- *Isto amoto, jussit sextum, Vitalem, applicari, cui & dixit: Forte vel tu optas vivere, & non abire in interitum. Respondit Vitalis: Quis est qui optat melius vivere, qui* verum Deum colit, *an qui dæmonem cupit habere propitium.* --- *Hoc quoque amoto, jussit septimum, Martialem, ingredi, eique dixit: Crudelitatis vestræ factores effecti, Augustorum instituta contemnitis, & in vestra pernicie permanetis. Respondit Martialis: O si nosses quæ pœnæ idolorum cultoribus paratæ sunt! Sed adhuc differt Deus iram suam in vos & idola vestra demonstrare. Omnes enim* qui non confitentur Christum verum esse Deum, in ignem æternum mittentur.

Desinunt Acta in hæc verba, SS. Trinitatem laudantia, *Diversis suppliciis interempti, omnes effecti sunt victores & Martyres* CHRISTI: *& cum matre* (quæ capite truncata est) *triumphantes, ad præmia in cœlis percipienda convolarunt qui pro* DEI *amore minas hominum, pœnas & verbera contemnentes,* CHRISTI *amici facti sunt in regno cœlorum, qui cum* PATRE ET SPIRITU SANCTO *vivit & regnat in secula seculorum, Amen.*

De horum Actorum, quæ a Gregorio Magno citantur, sinceritate, minime dubitant Ruinartus & Tillemontius, consulendi.

§. IV.

S. POLYCARPUS. Ao. 166.

DIximus supra, in Epistola ad eruditum virum, de testimonio Sancti hujus Martyris, Apostolorum discipuli, Smyrnen- IV. Polycarpi. *Ejus testimo-*

nium vindicatur.

nensis Ecclesiæ Episcopi, à S. Joanne constituti, ad quem etiam spectasse credunt Epistolam Joanni a Christo ipso dictatam Apoc. 2: vs. 8. Notabamus autem in testimonio ab Auctore Libri *le Platonisme dévoilé* adducto, omissum esse ab eo vocabulum *omnipotentem*, quod quidem ita verum est si usus sit ille Editione Usseriana, quæ omnium & antiquissima doctis viris ac Ruinarto habetur, & integerrima, cum totam Smyrnensium de Martyrio Polycarpi Epistolam, quæ apud Eusebium integra non est, exhibeat. In ea vox ista occurrit, non (*a*) ita tamen in Eusebii relatione, quamvis hæc abunde contineat quæ ad testimonium de Christo æterno Dei Filio, ejusdem cum Patre gloriæ æternæ consorte sufficiant.

(*a*) Cum Eusebius non immerito fuerit suspectus Arianismi, qui in Oriente pullulabat, in Occidente non item, patet nullam fuisse *Latinis* in Occidente rationem, cur istam vocem, *omnipotentem*, Orationi Polycarpi insererent, fuisse vero Eusebio & Arianis, quibus favebat, caussam cur eam e Græco textu omitterent. Vide *Tillemontii Memoires Eccl. Tom.* VII. *Part.* I.

Totam divini Martyris cum prope rogum esset precationem tum ex Usserii tum e Cotelerii Editionibus describere hic non pigebit; siquidem, talium lectionum fastidio ullus probus tantum abest ut teneri possit, ut potius, (quæ de hisce verba sunt Scaligeri) *eorum lectione piorum animus ita afficiatur, ut nunquam satur inde recedat : quod quidem ita esse unusquisque pro captu suo & conscientiæ modo sentire potest. Certe ego* (pergit) *nihil unquam in historia ecclesiastica vidi a cujus lectione commotior recedam, ut non amplius meus esse videar.* Quæ sane ad omnia quæ subjicientur, dicere vere possis & extendere.

Sic ergo habet precatio S. POLYCARPI ante rogum, apud Usserium & Ruinartum.

„ Deus *Angelorum*, *Deus Archangelorum*, *resurrectio*
„ *nostra*, *solutioque peccati*, *rector elementorum omnium*
„ *& totius habitaculi*, *omne justorum genus qui in con-*
„ *spectu tuo vivunt*, *protegens*; *te benedico tibi serviens*,
„ *qui me dignum hac passione duxisti*, *ut percipiam par-*
„ *tem coronamque martyrii*, *initium calicis*, *per* Jesum
„ Christum in unitate Spiritus Sancti, *ut completo sa-*
„ *crificio istius diei*, *promissa tuæ veritatis accipiam. Ob*
„ *hanc rem te benedico in omnibus*, *& glorior*, *per* æter-
„ num Pontificem omnipotentem Jesum Christum, *per*
„ *quem* tibi, & cum ipso, & cum Spiritu Sancto *glo-*
„ *ria nunc & in futurum in secula seculorum. Amen!*

Eadem ita se habet e Græco apud Cotelerium &c.

„ *Domine Deus omnipotens*, *Pater dilecti ac benedi-*
„ *cti*

„ *Eti Filii tui Jesu Christi, per quem tui notitiam acce-*
„ *pimus; Deus Angelorum & Virtutum ac universæ crea-*
„ *turæ, totiusque justorum generis qui vivunt in con-*
„ *spectu tuo; benedico te, quoniam me hac die atque hac*
„ *hora dignatus es ut partem caperem in numero Marty-*
„ *rum tuorum, in calice* Christi tui, *ad resurrectionem*
„ *vitæ æternæ animæ & corporis, in incorruptione* Spi-
„ ritus Sancti: *inter quos utinam suscipiar hodie coram*
„ *te in sacrificio pingui & accepto, quemadmodum præ-*
„ *parasti & præmonstrasti & adimplevisti, mendacii ne-*
„ *scius ac verax Deus. Quapropter de omnibus laudo te,*
„ *benedico te, glorifico te cum* Sempiterno & cœlesti Je-
„ su Christo, dilecto Filio tuo, cum quo tibi & Spiritui
„ Sancto *gloria & nunc & in futura secula. Amen!*

§. V.

SS. Justinus et Liberianus. Anno Chr. 167.

De Sancti Martyris Justini, ob Christi fidem capite plexi, Confessione etsi supra quædam retulimus quæ ad eam, simulque ad Christi Deitatem vindicandam sufficiant; libet nihilominus, si non totam, præcipuam tamen ejus partem hic ex Actis apponere.

V. Justini & Liberiani. *Vindicatio testimonii Justini.*

Cum Romæ Præfectus, Rusticus, a martyre petiisset; *quodnam esset* Christianæ Religionis *dogma: respondit Justinus: Rectum dogma quod Christiani homines cum pietate servamus, hoc est, ut* Deum unum *existimemus, factorem atque creatorem omnium quæ videntur quæque corporeis oculis non cernuntur; & Dominum* Jesum Christum, Dei Filium *confiteamur, olim a Prophetis prænunciatum, qui & humani generis Judex venturus est, salutis præco & magister iis qui ab illo bene didicerint. Ego quidem, ut homo, imbecillis sum & longe minor quam ut de* infinita il-

lius Deitate *aliquid magnum dicere possim: Prophetarum munus hoc esse fateor: illi enim hujus ipsius, quem Dei Filium esse dixi, in orbem terrarum adventum multis antea seculis divinitus prædixerunt.*

(a) Plat. dév. p. 302. Auctor libri Gallici; *Le Platonisme dévoilé*, qui Justini Acta (*a*) citat & agnoscit, atque ad hanc Martyris Confessionem provocavit, præterquam quod omisit verba illa quæ *infinitam Christi Deitatem* asserunt, unum hic atque alterum absurdum præterea commisit. Vult enim, primo, Justinum hìc non eadem testari quæ antea scripserat & docuerat quando de Christi Divinitate evidentissime scripsit & docuit. Vult Justinum, cum de Deitate Christi prius scriberet & doceret, Platonica tunc dogmata scripsisse & docuisse; nunc vero Martyrem de Christo aliter testari, & veluti mutatum esse e Platonico in Christianum. Atqui Justinus distinctissime Rustico Præfecto testatur se non adhærere demum tunc temporis Christianorum disciplinæ & dogmati, sed & antea ei adhæsisse, & quidem quatenus discesserat a disciplinis quibus ante cum philosophus esset, necdum Christianus, distinguebatur: verba ejus sunt ad Rusticum: *Omnium disciplinarum genus discere conatus sum, omnemque eruditionem expertus, postremo vero* Christianorum *disciplinæ* adhæsi, *quamvis illa non placeat his qui falsæ opinionis errore ducuntur*; inter quos procul dubio erant & Philosophi Platonici non pauci.

(b) Plat. dév. ibid. Addit Scriptor Socinianus modo dictus: (*b*) *En Filium Dei* (in Justini confessione) *cujus tota praexistentia in eo est quod fuerit prædictus per Prophetas.* Atqui hoc non dicit Martyr: sed hoc: quod Christi *infinita Deitas* ita sit homini imbecilli ineffabilis, ut si quis de ea *magnum* & dignum quid dicere debeat, eum oportere divinitus instrui & moveri, sicut divinitus instructi sunt Prophetæ ac moti quando de ejus adventu locuti sunt, præsertim de ultimo adventu, de quo David & Isaias cum loquuntur, magnificentissime Deitatem venturi Judicis Liberatoris, ac consummatoris passim concelebrant.

In ipsis hisce Justini Actis circa finem, mentio fit inter alios Martyres qui simul cum ipso erant, cujusdam *Liberiani*, hisce verbis: *Quæsivit Præfectus à Liberiano, quidnam & ipse diceret, num & Christianus esset, atque in deos impius? Et ego, inquit, Christianus sum: colo enim & adoro* solum Deum verum. Atqui colebat & adorabat Christum, quem si hac ipsa confessione pro vero

Deo

Deo non agnovit & intellexit, mendax & fallax utique esset ista confessio.

2. Ceterum ex his ipsis Actis, uti & ex pluribus aliis, patet non uno exemplo id quod notavimus superius, non bene ab auctore libri Gallici de Platonismo insinuari, exspectandam esse a Martyribus indiscriminatim uti (c) *fideles illi Jesu Christi testes Personæ ejus testimonium quam quidem possit illustrissimum reddant, & Theologiam suam quousque sine Fidei detrimento potuerunt, extendant.* Certe ex Actis Polycarpi constat, Proconsulem nihil ab eo postulasse nisi ut juraret *per genium Cæsaris & convicium Christo* faceret. Imo cum Martyr offerret Proconsuli, se ei *Christianæ Religionis rationem* dicturum, repulsam ab eo tulit; & pro omni causæ auditione satis illi fuit quod Polycarpus se Christianum diceret; quod & per præconem jussit ter publice proclamari hæc in verba: *Polycarpus confessus est Christianum se esse.* In his quoque Justini Actis quærit Præfectus à Charitone, à Charitana muliere, ab Evelpisto, ab Hierace, *utrum Christiani essent*, nec plura. Illi simpliciter respondent *se Christianos esse*: atque hoc sufficiebat Ethnicis, quibus Dæmon persuaserat, Christianum esse & quævis scelera patrare, esse unum & idem; hocque ideo *satis esse* ut illos condemnarent; unde non raro plura ab iis, uti vidimus in Polycarpo, audire recusabant.

2. *Exponitur exemplis, non esse exspectanda à Martyribus indiscriminatim expressa de Deitate Filii Dei testimonia.*

(c) Plat. dév. p. 301.

§. VI.

Martyres Lugdunenses. Ann. Chr. 177.

Et hoc ipsum ex insigni de Martyribus Lugdunensibus Epistola Viennensis & Lugdunensis Ecclesiæ apparet, ubi refertur, (a) de Attalo quidem, Martyrum uno, quod *cum per amphitheatrum circumduceretur, præcederet ipsum tabella in qua Latino sermone inscriptum erat* pro omni causa & crimine, HIC EST ATTALUS CHRISTIANUS: de ceteris vero martyribus, quod *cum ad Præsidem deducti essent, atque ille omni genere sævitiæ ferretur adversus illos, Vettius Epagathus, unus ex fratrum numero, immensa quadam charitatis copia erga Deum simul & proximum exuberans --- postulavit ut sibi liceret pro fratribus causam dicere, palamque ostendere, nihil apud nos impium aut irreligiosum reperiri: Verum cum illi qui circum tribunal adstabant, adversus eum inclamassent (erat quippe inter suos clarus,) & Præses ipse petitionem, alioqui justissimam, ægre ferret,* idque UNUM EX EO QUÆRERET, ESSET-NE CHRISTIANUS: *ille Chri-*

VI. Martyrum Lugdunensium. *Alia exempla quibus idem ostenditur.*

(a) Apud Euseb. Hist. Lib 5. Cap. 1. Exstat & apud Ruinartum ac Tillemontium.

Christianum se esse clarissima voce professus, in Martyrum numerum relatus est, ADVOCATUS CHRISTIANORUM *Judicis elogio* (per ludibrium) *appellatus quidem*; sed quem tamen de causa Christiana loquentem audire nolebant. Et hanc sane crediderim esse rationem cur in præclara illa Epistola reperiantur tam pauca de Christianis dogmatis Martyrum verba, quibus nihil fere fuit in ore præter dictum illud, *Christianus sum, Christiana sum, & nihil apud nos mali geritur.* quæ tamen in sese includunt omnia.

Quod autem Scriptoribus Epistolæ, fidelibus nempe Ecclesiæ Viennensis & Lugdunensis, indubium fuerit Martyres Sanctos in fide CHRISTI DEI fuisse & perseverasse, vel ex eo patet, quod cum de eorum oratione interna loquuntur quâ in mediis tormentis Martyres mentem suam occupabant, unam eandemque orationem his verbis exprimebant, *loqui intus cum Deo, & loqui cum Christo.* De Alexandro inter omnia tormentorum genera constituto dicunt; Et *Alexander quidem nec ingemuit unquam, nec vocem ullam protulit; sed interius, mente in se collecta,* COLLOQUEBATUR CUM DEO: de beata Blandina vero; *Post flagra, post ferarum vellicationes, post sartaginem, reticulo inclusa, tauro objectata est: a quo diu in altum jactata, nihil jam eorum quæ fiebant penitus sentiens, tum ob spem & comprehensionem eorum quæ credebat bonorum; tum ob* FAMILIAREM CONGRESSUM QUEM CUM CHRISTO IN ORATIONE HABEBAT, *tandem jugulata est.* Sed & Ethnici (ut ibidem refertur) qui viderant hosce Martyres pro Christo mortem subiisse, cum postea in exprobrationis speciem dicerent, UBI EST DEUS EORUM? hoc ipso significabant Christum a Martyribus pro DEO SUO habitum fuisse, neque id fuisse gentibus incognitum.

§. VII.

SS. EPIPODIUS & ALEXANDER. An. Chr. 178.

VII. Epipodii & Alexandri.

DE hisce Lugdunensibus Martyribus, de quorum Actis unde constet, pluribus agitur apud Ruinartum, ac Tillemontium præsertim eorum historiam pluribus ex Eucherio referentem; dicunt eorum Acta, quod cum Judex Epipodium illecebris multis ad defectionem sollicitaret; responderit *ad hæc beatus Epipodius: Non me ita Christi ac fidei Catholicæ armavit affectus, ut sensum meum mise-*

misericordiæ tuæ figmenta permoveant. Pietas enim ista crudelitas est; vobiscumque vivere, mors est æterna: ceterum a vobis perire gloriosum est. Sempiternum *vero* Dominum nostrum Jesum Christum, *quem crucifixum memoras, resurrexisse non nosti, qui ineffabili mysterio,* homo pariter & Deus, *famulis suis tramitem immortalitatis instituit, & ad cœlestia regna perducit.* ---- *Cum* autem *Judex os Martyris elidi pugnorum ictibus jussisset, Sanctus Epipodius illato dolore constantior, mixtis cruore dentibus, hæc verba profudit:* Christum cum Patre ac Spiritu Sancto Deum esse confiteor; *dignumque est, ut illi animam meam refundam qui mihi &* Creator est & Redemtor. Quibus dictis, *eductus extra tribunal, gladio feriri* jussus est; & paulo post, socius ejus, S. Alexander, crucis supplicio in eadem fide & ob illam affectus est.

§. VIII.

S. Symphorianus M. A. C. 180.

HUic Martyri Augustodunensi cum ab Heraclio Judice promitterentur palatii honores modo Berecynthiæ idolo sacrificaret; promisso isti opponebat æternas divitias, gloriam & beatitudinem quæ in Christo sunt: *Solus* Deus noster, inquiebat, *beatitudinem vindicat. Hujus* gloriæ *exordium, quia non fuit conscia rerum, nescit antiquitas; hujus terminum, quia non erit, nosse non poterit series inveterata seculorum. Judex dixit: Nimium diuque, Symphoriane, te de nescio cujus* Christi magnitudine *disputantem, patientiæ meæ tenore sustinui. Nisi matri deæ sacrificaveris, hodie te dilaniatum omnibus pœnis, capitalis sententiæ damnatione prosternam: Symphorianus dixit: Ego* omnipotentem Deum *qui me fecit, timeo;* & ipsi soli *servio.* Ita respondet Judici magnitudinem Christi objicienti. Damnatus capite, & monitus a matre sua sancta ut Deum vivum, quem confessus erat, constanter in mente haberet, pro nomine Christi gladio percussus est. VIII. Symphoriani.

§. IX.

SS. Martyres Scillitani, & *alii* in Africa. A. Ch. 200. & 203.

IX. Martyrum Scillitanorum.

De duobus ex hiſce (qui omnes capite truncati ſunt) ita in eorum Actis ex codice mſc. Bibliothecæ Colbertinæ, apud Ruinartum. *Saturninus proconſul dixit: In præteritis jam ego admonui, ut furoris hujus dementiæ non annuatis eſſe participes. Sanctus* Cythius *reſpondit*: ***Non aliud oportet a nobis audire, Proconſul, niſi quæ ſocius noſter*** Speratus ***confeſſus eſt. Scito enim quod non habemus alium quem timeamus*** niſi unum Deum & Dominum noſtrum, ***qui eſt in cœlo.*** *Sancta* Donata *ſimiliter dixit*: ***Honorem Cæſari reddimus; timorem autem aut*** cultum Chriſto Deo vero præſtamus.

§. X.

SS. Martyres Carthaginenſes. A. C. 203.

X. Martyrum *Carthaginenſium.*

Actorum inſignium SS. Perpetuæ, Felicitatis, & aliquot aliorum Martyrum, quæ olim in Eccleſiis Africæ publice legebantur, collector, qui teſtis oculatus fuit, in præfatione ſic de ſe ad alios locutus: *Quod audivimus & contrectavimus, annunciamus & vobis, fratres & filioli, ut & vos qui interfuiſtis, rememoremini gloriæ Domini; & qui nunc cognoſcitis per auditum, communionem habeatis cum Sanctis Martyribus, & per illos cum Domino* Jesu Christo, *cui eſt claritas & honor in ſecula*: is, inquam, collector, in eadem cum Martyribus illis ſanctis fidei unitate, quando repræſentat eos de carcere in amphitheatrum prodeuntes, a beſtiis mox dilaniandos; ita deſcribit inter illos eorum unam præcipuam: *Inluxit dies victoriæ illorum, & proceſſerunt de carcere in amphitheatrum quaſi in cœlum, hilares, vultu decori; ſi forte, gaudio paventes, non timore. Sequebatur* Perpetua *placido vultu & pedum inceſſu, ut matrona* Christi Dei *dilecta, vigorem oculorum ſuorum dejiciens ab omnium conſpectu.*

Idem

Idemque fidem inter illos communem de SS. Trinitate testatur hac solenni Actorum conclusione: *O fortissimi ac beatissimi Martyres! O vere vocati & electi in gloriam Domini nostri Jesu Christi! quam qui magnificat & honorificat & adorat, utique & hæc non minus veteribus exempla in ædificationem Ecclesiæ legere debet, ut novæ quoque virtutes unum & eundem semper* SPIRITUM SANCTUM *usque adhuc operari testificentur; &* OMNIPOTENTEM DEUM PATREM ET FILIUM EJUS JESUM CHRISTUM *Dominum nostrum, cui est claritas & immensa potestas in secula seculorum.* Amen.

Non pauca critica in hæc Acta annotarunt Holstenius & P. Possinus, quorum vero notæ Actis ipsis adjectæ sunt in Editione Amstelædamensi Wetsteniana, anni 1713.

§. XI.

S. PIONIUS, *Ecclesiæ Smyrnensis presbyter, cum aliis Martyribus.* A. Ch. 250.

SAnctus ille Martyr, quem Eusebius (*a*) *celeberrimum inter reliquos ejus temporis martyres appellat*, & cui jejunanti, martyrium veluti Polycarpo, divinitus prænunciatum fuerat, postquam captus esset, & de Jesu Christo tanquam DEI VERBO plura coram dixisset, ita cum aliis de eo testatus est, uti Acta ejus referunt, quæ sic habent §. VIII. *Polemon* (Judex) *Sacrifica, inquit: Respondit Pionius:* Non faciam. *Ait rursus illi: Cur non? Ille item;* Quia Christianus sum. *Rursus Polemon: Quem colis Deum? Respondit Pionius:* Deum omnipotentem *qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt & nos omnes; qui nobis omnia præstat & tribuit, quem cognovimus per* Verbum ejus Jesum Christum -- *Post hæc Polemon, cum ceræ Notarius quæ respondebantur imprimeret -- ad* SABINAM *verba convertit -- aitque: Quæ diceris? Illa respondit;* Theodota & Christiana. *Polemon: Si Christiana es cujus Ecclesiæ? At illa:* Catholicæ. *Polemon: Quem Deum colis? Illa respondit:* Deum omnipotentem, *qui fecit cœlum, terram, mare, & omnia quæ in eis, quem cognovimus per* Verbum ejus Jesum Christum. *Post hæc cum,*

XI. Pionii, Theodotæ & Asclepiadis.

(*a*) Lib. 4. Cap. 15.

adſtante haud procul ASCLEPIADE, *quis diceretur, inquireret: Reſpondit Aſclepiades:* ***Chriſtianus.*** *Polemon: cujus Eccleſiæ? Aſclepiades:* ***Catholicæ.*** *Polemon: Quem* DEUM COLIS? *Reſpondit:* Chriſtum. *Polemon: Quid ergo? iſte* ALTER *eſt? Reſpondit:* Non: ſed ipſe quem & ipſi paulo ante confeſſi ſunt: confeſſi autem erant Deum omnipotentem qui fecit cœlum & terram & omnia quæ in eis: quem cum Chriſtus, Verbum ejus, cognoſcere faciat, uti dixerunt, ſe ipſum ſimul, quippe Deum omnipotentem cognoſcere facit. Se ipſum enim cum Patre revelat parvulis & eum amantibus, uti teſtatus eſt diſcipulis ſuis, Matth. 11. & Joan. 14.

Porro ſequitur in Actis §. XVI: quod cum Judices ad aram Martyres adduxiſſent, illis *ſeverâ voce dixerunt: Cur non ſacrificatis? Illi reſponderunt:* ***Quia Chriſtiani ſumus.*** *Judices iterum dixerunt: Quem* DEUM COLITIS? *Pionius reſpondit:* ***Hunc qui cœlum fecit & ſideribus ornavit, qui terram ſtatuit & floribus arboribuſque decoravit: qui ordinavit circumflua terræ, & maria, & ſtatuta terminorum vel littorum lege ſignavit.*** *Tum illi: Illum dicis qui* CRUCIFIXUS EST? *Et Pionius,* illum dico quem pro ſalute orbis Pater miſit.

Quid clarius ex his, quàm quod Martyres confiteantur ſe colere & adorare pro Deo illum qui fecit cœlum & terram, qui crucifixus eſt & miſſus a Patre Salvator mundi? Solum quippe Deum *colendum & adorandum* cenſuerunt & docuerunt, uti adhuc de ſe Pionius §. XIX ad alia interrogata Proconſulis. *Cujus Sectæ es? Pionius reſpondit:* ***Catholicæ.*** *Rurſus Proconſul: Cujus Catholicæ? Reſpondit:* ***Catholicæ Eccleſiæ presbyter.*** *Rurſus Proconſul: Tu præceptor eorum eras? Rurſus ille:* ***Docebam:*** *Rurſus Proconſul: Stultitiæ præceptor eras. Reſpondit ille:* Pietatis. *Rurſum Proconſul: Cujus pietatis? Ille reſpondit:* ***Pietatis illius quæ*** ad Deum ***pertinet illum qui fecit cœlum & terram & mare.*** *Rurſum Proconſul: Sacrifica ergo. Ille reſpondit:* ***Ego*** Deum vivum adorare ***didici.*** Ecce fidem Eccleſiæ Chriſtianæ & Catholicæ, atque eorum qui in ea & docent & diſcunt: credere, colere & adorare Chriſtum

Deum

Deum omnipotentem qui fecit cœlum & terram & omnia, missum a Patre Salvatorem, & pro salute nostra crucifixum: & propter hanc Pionius Martyr vivus combustus est.

§. XII.

S. Achatius, *Episc. & Martyr. A. Ch. circ.* 250.

Ex hujus Actis, quæ apud Ruinartum habentur, hæc discimus. *Martianus Consularis, a Decio Imperatore præfectus, Christianæ legis inimicus, Achatium ad se jussit adduci: --- ait illi: Sacrifica* (Diis gentilium) *aut morere: --- Si contemseris, certus esto de pœna. Respondit Achatius: Et mihi præceptum est nequando* Deum meum negem. *Si tu servis homini fragili atque carnali, cito ab hoc seculo recessuro, quem mox a vermibus scis edendum: quanto magis ego* potentissimo Deo *obedire debeo, cujus virtus constat in secula,* & cujus est illud *dictum;* Qui me denegaverit *coram hominibus, & ego denegabo eum coram Patre meo qui est in cœlis cum venero in gloria & virtute prædicta judicare vivos & mortuos.* Ecce, ille Deus qui non est negandus, cui Omnipotenti obediendum est, ipse est qui dixit, se non denegandum esse, seque habere PATREM Deum, cujus sit Filius. XII. Achatii.

De hoc porro ad Martyrem Martianus ita: *Habet ergo, ut dicis, Filium Deus? Respondit Achatius: habet. Martianus ait: Quis est Filius Dei? Respondit Achatius:* Verbum veritatis & gratiæ. *Martianus ait: Hoc habet nomen? Respondit Achatius: Non de nomine interrogaveras, sed de ipsa Filii potestate. Martianus ait: Nomen explana. Sanctus Achatius respondit:* Jesus Christus *vocatur. Martianus ait: Ex qua, dic, uxore conceptus est? Respondit Sanctus Achatius: Non more hominum Deus filium genuit ---* Filius Dei, Verbum *veritatis, ex* Dei corde processit. *ideo scriptum est: Eructavit cor meum Verbum bonum.* Hoc ex Psalmis per accommodationem ad sensum sublimem & divinum trahit & applicat Martyr prout in usu fuit

apud ſacros ſcriptores ipſos, veluti e Scriptis Novi Teſtamenti, è Barnabæ Epiſtola, & Scriptis antiquorum aliorum non raro apparet. Ceterum Filii Dei nativitas e Dei corde, quam prædicat Martyr, non tantum præexiſtentiam illius ante Mariam, ſed & ejuſdem æternam, & conſubſtantialem cum Patre Divinitatem, aperte demonſtrat ab Achatio fuiſſe corde creditas.

§. XIII.

SS. PETRUS, ANDREAS, PAULUS ET DIONYSIA *virgo* Martyres, circa id tempus, ſub Decio.

XIII. Petri, Andreæ, Pauli *&* Dionyſiæ.

LIbet ante horum Martyrum teſtimonia, Actorum verba quædam ab initio repetere. --- *In locis Lampſaci comprehenſus eſt quidam Petrus nomine, valde quidem fortis in fide, pulcher animo, & ſpecioſus corpore*; *& oblatus eſt Proconſuli. Proconſul dixit ad eum: Quis diceris? Reſpondit,* Petrus. *Cui Proconſul dixit: Chriſtianus es? Petrus reſpondit:* *Etiam, Chriſtianus ſum.* *Proconſul dixit: Habes ante oculos decreta inviƈtiſſimorum Principum. Sacrifica ergo magnæ Deæ Veneri. Petrus reſpondit:* ***Miror ſi perſuades mihi, Optime Proconſul, ſacrificare impudicæ mulieri & ſordidæ, quæ talia opera egit ut confuſio ſit enarrare, cum apud vos hiſtoria arguat ejus impudicitiam: Nam & vos turpia quæ geſſit in impudicis, punitis -- quomodo me tam ſordidam meretricem adorare, &*** (ei) ***ſacrificare compellitis? Oportet ergo me magis*** Deo vivo & vero, Regi ſeculorum omnium Chriſto ***ſacrificium offerre orationis, deprecationis, compunƈtionis & laudis.*** Quod ſacrificium laudis DEO VERO debitum, offerebat ei Martyr mediis in tormentis hiſce verbis: ,, *Tibi ago gratias, Domine* Jeſu Chriſte, ,, *qui mihi hanc tolerantiam dare dignatus es ad vincendum nequiſſimum tyrannum.*

Hanc tolerantiam quam Martyr Chriſto, Deo vivo & vero laudato acceptam referebat, & in qua poſt diros cruciatus ſupplicium capitis ſuſtinuit, ab eodem profitebatur ſe ſperare virgo *Dionyſia*, minis turpi-

pibus Proconsulis ita respondens: Deus meus *major est quam tu: ideoque minas tuas non timeo, qui potens est mihi dare in omnibus quæ intuleris tolerantiam*, in qua & ipsa quoque capitis pœnam passa est.

Eundem Christum cui cultum orationis & laudis offerebant Martyres, his verbis exprimunt alteri duo, *Andreas* & *Paulus*, lapidibus deinde obruti: *Nos neque Dianam, neque alia dæmonia quæ colitis, cognoscimus; nec aliquando coluimus nisi* solum Deum, quem cum CHRISTO eundem esse intelligendum, ex martyrii socio Petro ante audiverant & tenebant procul dubio ejusdem fidei consortes.

§. XIV.

SS. TRYPHON & RESPICIUS Martyres. A. Ch. 250.

HOrum Martyrum, qui Nicææ in Bithynia passi dicuntur, Acta in Editione prima Collectionis Ruinarti non exstant, sed demum eodem curante in altera, scil. Amstelodamensi, anni 1713. In his narratur, quod postquam Martyres plura antè tormenta passi essent, *jussit Præfectus Sanctos præsentari, & ait ad eos: Potestis-ne vos de reliquis castificari? Tryphon respondit: Semper castificamus nos coram* Domino, *cui incessanter servimus*. Et paulo post: *Castificat nos* judex *omnium Deus, totius Creaturæ formator.* ---- Et cum Aquilinus (Præfectus) dixisset: Vobis ipsis misere-mini: *Sanctus Respicius dixit: Nobis ipsis misereri melius non possumus quam constanter confiteri Dominum nostrum* Jesum Christum, Judicem *verum, qui singulorum acta discutere veniet.* In quibus confessionibus evidens est DOMINUM, JUDICEM, DEUM TOTIUS CREATURÆ FORMATOREM, & JESUM CHRISTUM, Sanctis Martyribus unum eundemque esse ac significare. Et pro sua in hac fide constantia iidem decollati sunt.

XIV. Tryphonis & Respicii.

§. XV.

SS. Lucianus et Marcianus, *Martyres*, circa idem tempus, sub Decio.

XV. Luciani & Marciani.

DE his narrat Actorum horum descriptor; eos primum in errore Gentilitatis fuisse, dæmonibus deditos, magicis artibus & maleficiis omnes coinquinantes, & ad quævis mala & adulteria adjuvantes; ita ut quisquis malas suas voluntates perficere vellet, vel quibusdam nocere quæreret, ad eos concurreret. Ipsi vero, cum castæ cujusdam virginis, famulæ Dei sanctæ, forma speciosa capti essent, ac illa frui cuperent, magicis suis maleficiis ac Dæmonum suorum opera eam superare rati, essent vero a spe sua dejecti, fatentibus (Dei coactione) Dæmonibus; se nihil posse nisi in animas quæ verum Deum non norunt; *non autem in hanc animam castissimam, quæ virginitatem illibatam servabat* Jesu Christo, Domino suo et Deo omnium, *qui crucifixus est pro salute omnium: ab illo hanc custodiri, Dæmones affligi* -- *tunc illi stupore & timore perculsi & ad se reversi, magica & Dæmones a se dimiserunt. Conquerebantur vero ad invicem, dicentes: Quoniam multum potest hic* Jesus Christus crucifixus, *qui omnium dominatur, & Dæmones & omnes nostras artes magicas & veneficia superat: ad ipsum ergo nos oportet converti, & ipsum timere & colere: quoniam plus nobis poterit præstare quam illi quos sine causa coluimus.* Postea codicibus suis magicis in media civitate combustis, dicebant ad turbas; (verba Actorum:) *Aperuit* Dominus *sensum nostrum, ut de tenebris & umbra mortis quibus nunc usque detinebamur, nos liberatos ad salutem veram perduceret. Hæc autem vana & inania sunt, & a dæmonibus inventa quæ gessimus. Nos autem illum cognoscimus* verum Deum esse, *& in illo spem nostram ponimus.*

Baptizati deinde cum essent & lumine Dei perfusi, inque loca solitaria secessissent, cum magna pœnitentiâ jejuniis orationibusque vacantes, & peccata ibi sua aliquandiu coram Domino confessi essent ac deplorassent; cum postea divino impulsu omnibus Verbum Dei gentibus prædicarent, dicebant omnes: *Ecce, qui nos docebant, & suis artibus desideria nostra implebant, nunc illum* crucifixum *prædicant*

cant quem antea expugnabant. Quapropter comprehensi, & ad Proconsulem adducti, ac coram eo Christum confessi, cum ab eodem ad defectionem sollicitarentur, *Sanctus Marcianus respondit: In hoc parati sumus ut quibus volueris nos impendas tormentis; quàm denegantes* vivum & verum Deum, *in tenebras exteriores & ignem inextinguibilem, quem paravit Deus Diabolo & ejus ministris, ingrediamur.*

Ad supplicium autem flammarum a Sabino Proconsule condemnati, *cum perducti essent ad locum, tanquam ex uno ore* GRATIAS DEO *agentes dicebant*: „*Tibi* Domine Jesu, *insufficientes laudes* „ *dicimus, qui nos miseros & indignos de errore gentilitatis erutos, ad hanc summam & venerabilem passionem propter nomen tuum perducere dignatus es, atque* „ *omnium sanctorum tuorum participes efficere.* Tibi „ laus, tibi gloria, *tibi etiam animam & spiritum nostrum commendamus*". Hæ sunt illæ quas DEO *gratias* dicunt Martyres admirabiles.

§. XVI.

S. CYPRIANUS Episc. Carthag. A. Ch. 258.

PLura & evidentissima de Jesu Christi Divinitate, a sancto hoc Martyre credita & asserta, proferri possent ex ejus Scriptis testimonia. XVI. Cypriani. Sed quia auctor libelli de Platonismo revelato e Martyrum testimoniis nulla vult admittere nisi ea quæ illi tunc protulerunt cum in causa & tempore martyrii sui versarentur, (quemadmodum declaravit cum de testimonio Justini pro sua sententia ageret,) ea prætermittemus quæ e Sancti hujus Martyris Scriptis possent adduci; hoc tamen addentes, quo omnia quæ de Christo sensit & scripsit unquam, tempore martyrii sui inclusa & confirmata sunt. Scilicet, extra dubium est quin Martyr qui non nisi unum verum Deum agnoscebat, per totam vitam suam mente, verbis & scriptis confessus sit unum Christum, eum coluerit, eique servierit. Hunc autem cui *servivit* & quem coluit & agnovit, verum esse Deum confessus est; & quæ de eo unquam senserat confirmavit hisce verbis coram Proconsule antequam subiret exilium, cui dein-

deinde, eandem ob causam, martyrium finem imposuit: *Christianus sum & Episcopus: Nullos alios Deos novi nisi* unum & verum Deum, *qui fecit cœlum & terram, mare, & quæ sunt in eis omnia.* Huic Deo *& nos Christiani* deservimus. Deserviebant autem omnes CHRISTO; cujus Martyr præterea DIVINITATEM scriptis suis, ut dictum, non semel vindicaverat, inter quæ inveniuntur tres *Libri adversus Judæos*, è meris Scripturæ locis collecti, quorum secundus totus est de J. CHRISTO DEO ET HOMINE, deque eis quæ eum respiciunt.

§. XVII.

S. NICEPHORUS *Martyr.* A. Ch. 260.

XVII. Nicephori.

QUo melius vis testimonii Martyris hujus Sancti animadvertatur, nonnulla ex ejus Actis, quæ Græce & Latine exstant, necesse est hic repræsentare. Intercesserat illi initio cum presbytero quodam Ecclesiæ Christianæ Antiochenæ, nomine Sapricio, amicitia quædam ita singularis ut major desiderari non posset; quæ vero postea in odium internecinum ac mutuum ex utraque parte conversa est; quod cum aliquandiu durasset, Nicephorus, pœnitentiâ hujus delicti ductus, requisivit a Sapricio ter quaterque, tum per amicos complures, deinde & ipsemet, ut ei pœnitenti & ad pedes ejus projecto, culpam propter Dominum condonaret: quod verò præfracte ei denegavit Sapricius, reconciliationem aversatus. *Cum hæc autem fierent* (Actorum verba ipsa profero) *repente exstitit persecutio, & apprehenditur Sapricius, & traditur Præsidi; & stetit ante ipsum; & dixit ei Præses: Quod est nomen tuum? Ille autem dixit: Vocor Sapricius. Dicit Præses: Cujusnam es generis? Dixit Sapricius: Sum Christianus. Præses dixit: Es Clericus? Dixit Sapricius: Locum teneo presbyteri. Dicit Præses: Augusti nostri & Domini hujus regionis & finium Romanorum, Valerianus & Gallienus, jusserunt ut qui se dicunt esse Christianos, sacrificent Diis immortalibus. Si quis vero despiciens respuit hoc edictum, sciat se diversis tormentis & suppliciis plectendum, & sic gravissima morte esse condemnandum. Sapricius autem adstans dixit Præsidi: Nos Christiani* CHRISTUM DEUM *habemus Regem; quoniam ipse est* SOLUS VERUS DEUS, ET CREATOR COELI ET TERRÆ, *& maris, & omnium quæ sunt in eis* -- In mediis etiam tormentis quibus

bus eum propter Confessionem hanc suam torqueri jusserat Præses, dixit eidem : *Carnis meæ habes potestatem : animæ autem meæ potestatem non habes : sed Dominus* JESUS CHRISTUS QUI EAM CREAVIT.

Propter hanc Christi confessionem cum ad supplicium capitis duceretur, & Nicephorus, hoc audito, illi obviam iret, ter quaterque diversis in locis per quæ transibat Sapricius ad locum usque supplicii, veniam ab illo ardenter & continue postulans; hic autem pertinaciter eam denegaret; gratiâ Dei hoc ipso excidit & privatus est; siquidem (dicunt Acta) *ille miser ne semel quidem voluit condonare fratri suo*; & tamen DOMINUS NOSTER ET DEUS *jussit ex animo condonare unicuique vel septuagesies septies.* Proinde cum ad locum supplicii ventum esset, & ab eo exigerent lictores uti genua flecteret quo caput ei decuteretur; negavit Dominum, sacrificio Diis gentium oblato. Quod cum cerneret Nicephorus, Martyris personam, a Sapricio derelictam, ipsemet assumit : confessionem Sapricii de Christo Deo vero, Creatore cœli & terræ, suam facit, profitetur, offert se morti propter illam, & re ad Præsidem delata, hocque consentiente, Martyr Christi capite truncatur. Verba Actorum ita habent:

Beatus autem Nicephorus postquam vidit transgressum esse Sapricium, dicit lictoribus : Ego sum Christianus, & credo in nomen Domini nostri Jesu Christi quem iste negavit : *me ergo jam* pro ipso *ferite.* Proinde hæc confessio ejus qui postea Apostata factus est, Sapricii, *Nos Christiani* Christum Deum verum *habemus Regem*; *quoniam ipse est* solus verus Deus & creator cœli & terræ, & maris, *& omnium quæ sunt in eis*, pro confessione Martyris Nicephori merito recipienda est, quam etiam pro rata habent Actorum descriptores, Acta hæc hunc in modum concludentes: *Sanctum Nicephorum capite truncarunt, ut Præses jusserat. Et sic consummatus fuit Sanctus Martyr Christi Nicephorus : & ascendit in cœlos coronatus per* FIDEM IN CHRISTUM, *charitatemque & humilitatem : ideo fuit redimitus corona martyrii, & dignatus est referri in numerum Martyrum, ad laudem & gloriam* MAGNI DEI ET SERVATORIS NOSTRI JESU CHRISTI, *cui gloria & potentia nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.*

§. XVIII.

SS. Claudius, Asterius, Domnina &c. A. C. 285.

XVIII. Claudii, Asterii & Domninæ.

De his ita in eorum Actis. Cum *Lysias, Præses provinciæ Lyciæ in civitate Ægea sedens pro tribunali* --- Claudium *in equuleo suspendi jussisset, & flammam pedibus ejus adhiberi, sed & de calcaneis ejus partes abscindi & offerre ei; Claudius dixit: Qui* Deum *timent, nec igne, nec tormentis possunt lædi: magis enim proderit eis in salutem æternam; quia* propter Christum *patiuntur* --- *Quæ patior* propter Deum, *lucrum habeo magnum;* & pro Christo *mori, divitias multas.* In quibus manifeste apparet verba propter *Christum*, propter *Deum*, pro *Christo*, unum & idem designare, & referenda esse ad Deum, quem qui *timent*, propter eum talia patiuntur.

Asterius coram eodem Præside adstans, ac ab eo admonitus ut Diis suis sacrificaret; ei dixit: Deus unus *est, qui est* venturus *solus, in cœlo habitans & humilia respiciens, in magna virtute sua.* --- Quibus verbis confitetur Martyr, 1. Unum esse Deum verum. 2. Illum esse de quo dicitur in Psalmis, quod habitet in cœlo, & quod humilia respiciat. 3. Eundem etiam de quo dicitur in Evangeliis, quod sit venturus in magna virtute & gloria sua ut cuique reddat secundum opera sua; qui vero ipsemet Jesus Christus est, a Martyre igitur pro illo creditus quem Psaltes pro Deo habuit. Quod autem ad Christum in ultima die ad judicium ultimum venturum, & unicuique pro factis suis redditurum respiciat Martyr, sequentia ejusdem verba aperte ostendunt quando ad Præsidem dicit præterea: *Stulte, insane, quam ob causam me tormentis affligis? Non habes ante oculos quæ tibi pro his* redditurus est Dominus?

Domnina (in iisdem Actis) ubi coram Præside sisteretur, *Lysias dixit: Vides, mulier, quæ tormenta & ignis parentur tibi. Unde si vis evadere, accede, & sacrifica Diis. Domnina dixit: Ne in ignem æternum incidam & tormenta perpetua*; Deum colo, &

Chri-

Christum ejus, qui fecit cœlum & terram, *& universa quæ in eis sunt.* Confitetur aperte adorandum Deum & filium suum, Creatorem quippe cœli & terræ, adeoque & verum Deum omnium. Propter hanc Confessionem tormentis subjecta, in iis mortua est cum alia Theonilla. Duo priores Martyres cum alio tertio (Neone) crucifixi sunt.

§. XIX.

SS. Mauritius *ac* Socii ejus MM. A. C. 286.

Hic ejusque Socii a Maximiano facere jussi quæ cum Christiana Religione non convenirent, mittunt ei fidei suæ declarationem scriptis literis, in quibus intersunt sequentia verba: *Habes hic nos confitentes Deum Patrem auctorem omnium; &* Filium ejus Jesum Christum Deum *credimus.* De horum Actorum valore, deque veritate in eis asserta, ubi tota militum legio, quæ Thebeana, Felix & Agaunensis dicta est, propter Christi confessionem a Maximiano deleta repræsentatur, videantur plura apud Ruinartum, apud Tillemontium maxime: Hist. Eccl. Tom. IV. Part. II.

XIX. Mauritii & Sociorum.

§. XX.

SS. Donatianus et Rogatianus. MM.

Neque horum prætermittenda sunt fratrum Martyrum, circa hoc tempus post multa tormenta decollatorum, verba coram Præside in testimonium de Christo prolata, quem cum vitæ suæ in hoc quidem tempore confiteantur esse auctorem, in futura vero æternitate gloriosa ejusdem perfectorem, hoc ipso eum esse verum Deum aperte declarant: Solus quippe Deus est qui hujus & futuræ vitæ auctor sit & conditor. Verba Martyrum ita referuntur: *Martyres una voce Præsidi responderunt -- Nos pro* Christi nomine *parati sumus excipere quicquid ira tortoris invenerit: quia non hic* vita *nostra dispendium patitur si illi reddatur* à quo sumsit exordium, & in futuro multiplicatæ lucis fœnore muneratur.

XX. Donatiani & Rogatiani.

§. XXI.

S. Bonifacius. Martyr. A. C. 290.

XXI. Bonifacii.

Acta Martyris hujus ad Editiones Holstenii, & Bigotii recensita, Græcè & Latinè, Collectioni suæ superaddi voluit P. Ruinartus in Editione nova Amstelodamensi 1713. Repræsentant autem Martyrem qui dicat ad Judicem: *Ego Christianus sum; & Dominum meum* Jesum Christum habens, *contemno & te & tribunal tuum per* auxilium Dei mei: his aperte declarans Jesum Christum, quem auxiliatorem habet, esse Deum suum. quod & paulo post agnoscunt plurimi ex adstantium turba, ubi vidissent tormenta varia Martyri illata, ei minime nocuisse; dicentes, *magnus est* Deus Christianorum: *magnus Deus Sanctorum martyrum.* Christe, Fili Dei, *salva nos; universi enim credimus in te, & ad te confugimus. Pereant simulacra gentium.*

Sed & Martyr morti proximus, vitam claudit hac Oratione, simulque Confessione SS. Trinitatis evidentissima: „ *Domine Deus* „ *Omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, adesto* „ *in adjutorium mihi, famulo tuo, & mitte Angelum* „ *tuum, & suscipe in pace animam meam; ut non impe-* „ *diat me pestifer & interfector draco sua malignitate,* „ *& ne suadeat me in fallacia sua: sed conquiescere me* „ *fac in choro sanctorum Martyrum tuorum: & erue,* „ *Domine, populum tuum de tribulatione impiorum; quo-* „ *niam* te *decet omnis honor & potestas una cum* Unige- „ nito tuo, *atque* Sancto & vivificante Spiritu, *in se-* „ *cula seculorum, Amen*".

Addunt Acta: *Et cum complesset orationem, percussus est a Spiculatore; & factus est terræ motus magnus, ita ut omnes exclamarent, dicentes:* Magnus Deus Christianorum! *Et crediderunt multi in* Dominum Jesum Christum. Tum desinunt eadem hisce verbis: *Sic decertavit gloriosus martyr Bonifacius, victoriæ coronam assumens, in gloriam & laudem* Dei Patris, *&*

Uni-

UNIGENITI FILII EJUS, ET SPIRITUS SANCTI; *nunc & semper & in cuncta secula seculorum. Amen.*

§. XXII.

S. VICTOR, Massiliensis M. A. Ch. 290.

IN hujusce Martyris Actis sive *Passione*, quam, præter Ruinartum, Colomesius aliunde curavit addi totam Chartophylaci Ecclesiastico Cavei, plura insunt de Divinitate, etiamque humanitate Jesu Christi, a Martyre creditis & publicatis, argumenta. Namque, primò, cùm ille coram Præfectis sisteretur, & hi *primum suaderent clementius viro ne Deorum culturam sperneret, nec consueta militiæ stipendia & Cæsaris amicitias pro cultu cujusdam* OLIM MORTUI *recusaret: ille statim Sancti Spiritus armatus eloquio, Deos quos dicebant, immundissimos dæmones efficacissime comprobat: militaria vero stipendia & Cæsaris amicitias se, Christi militem, in contumeliam Regis sui nullatenus habere velle respondet. Dominum autem Jesum Christum,* ALTISSIMUM DEI FILIUM, *pro charitate restaurationis humanæ vere quidem* HOMINEM *fuisse mortalem, & ab impiis, se volente, occisum: Sed* DIVINÆ SUÆ VIRTUTIS POTENTIA *die tertia suscitatum, cœlos ascendisse, & a Deo Patre regnum super omnia stabile suscepisse, vultu constanti ac liberæ vocis auctoritate protestatur.* XXII. Victoris.

Postea vero, coram tribunali furentis Imperatoris Maximiani constitutus, *de promptuario* (verba Actorum sunt) *Sancti Spiritus recreatus, Imperatorem sævissimum, cunctosque Principes ejus, mira prudentia & virtute animi confutavit, idolorum cultus assertionibus claris evacuans,* JESUM CHRISTUM VERUM DEUM ESSE *certa publice ratione confirmans.*

Dein multa opprobria publice passus, & ad Præfectorum tribunal reductus, ubi de vitæ æternæ præstantia deque vitæ præsentis inanitate nonnulla, plura vero in Deos gentium facinorosos dixisset; inter Christi laudes quas prædicat, hæc sparsim profert, ita incipens: *Illum sane quanta charitate, quanta veneratione dignum est* adorare, *qui cùm inimici essemus, prior nos dilexit* (verba sunt (*a*) Pauli & Joannis de ipso Deo): *qui & Deorum turpium nobis fraudes aperuit: & ut nos ab illis eriperet,* non

(*a*) Rom. 5. ỷ. 8, 9. 1 Joan. 4. ỷ. 10.

non suam minuens Deitatem, *sed* nostram vestiens humanitatem, *inter nos* Deus permanens, homo factus *apparuit; ut pauperrimos ditaret, nostræ se paupertati, cum* ditissimus *esset, pauperrimus veniens configuravit.* --- *O si intente videretis quantus sit iste, cui totus est obediens mundus! qualis sit qui est desiderabilis totus!* --- *Quis deorum huic similis? quis huic comparabilis? Omnes Dii gentium, dæmonia,* Deus autem noster cœlos fecit. --- *De isto Sanctus Propheta dixit:* Deus noster *præ omnibus Diis, omnia quæcunque voluit, fecit in cælo & in terra & in mari & in omnibus abyssis. Unde & eodem Propheta teste; Beati omnes qui timent* Dominum, *qui ambulant in viis ejus: Regis enim sui gloriâ fideles milites non carebunt. Propter quod, secure pro ejus testimonio mortem nos ultro suscipimus; & quàm certa sit nostra spes, passionis exemplo monstramus. Quocirca, viri illustrissimi, viri doctissimi, mentis compotes & ratione vigentes,* --- *obedite sanctissimo, pulcherrimo, justissimo, clementissimo,* omnipotenti Creatori *& amico vestro, cujus vos sublimitas, si ei acquiescitis, sublimabit; paupertas ditabit; mors vivificabit:* *cujus vos nunc advocant saluberrima monita, invitant præmia, ut in æterna ipsius gloria paullo post suscipi, & ejus semper valeatis amicitia gratulari.*

Hæc ad Præfectos: qui inde exacerbati, eum acerrime torqueri jubent: Sed a Christo consolatione gloriosa visitatus, cum inde militum tres ad Christum conversi essent, qui paulo post martyres facti sunt, his Victor inter plura quibus eos in veritate fideles confirmet, conclusionis loco dicit: *Quapropter, charissimi, virtutis vestræ memores, in* Auctorem omnium Jesum Dominum, *& qua ille transierit, quò pervenerit adspicientes, ne timeatis minas volaticas mortalium hominum.*

Quas vero ipse Martyr tantum abest ut timuerit, ut potius cum jus-

siſ-

ſiſſet Cæſar aram afferri in qua ut Jovi litaret imperabat: *Pone, inquit, thura, placa Jovem, & noſter amicus eſto: hoc audito, fortiſſimus Chriſti miles Sancti Spiritus ardore inflammatus, ſeſeque amplius ita ferre non ſuſtinens, velut litaturus propius accedit, aramque de ipſa manu Sacerdotis ſolo tenus pede proſternit: atque ipſum pedem mox juſſu deteſtabilis Cæſaris amputatum,* DEO ET REGI SUO DOMINO JESU CHRISTO *velut quaſdam ſuaveolentes primitias interim ſui corporis dedicavit:* ac paulò poſt molæ piſtoriæ ſubjectus, eaque contritus, diſſipatâ machinâ ſpirans adhuc gladio abſolvitur.

§. XXIII.

S. MAXIMILIANUS Martyr. A. C. 295. & MARCELLUS, Centurio M. A. Ch. 298.

ILle Thebeſtæ in Africa, ſignaculum militiæ accipere recuſans, pro cauſa dicebat: *Non accipio ſignaculum. Jam habeo ſignum* Chriſti Dei mei. Cui vero confeſſioni immortuus eſt, capite multatus. XXIII. Maximiliani, & Marcelli.

Eandem ob cauſam in civitate Tingitana, triennio poſt, idem ſubiit martyrii ſupplicium MARCELLUS centurio, cum hanc fidei ſuæ profeſſionem edixiſſet: Jeſu Chriſto Regi æterno *milito.*

§. XXIV.

SS. MARTYRES Alexandriæ. A. C. 303.

DE his ita Euſebius Hiſt. Eccleſ. Lib. VIII. Cap. 10. ſequentia ex Philea repetens: *Verum quandoquidem Phileam in Græcorum diſciplinis apprimè verſatum fuiſſe retulimus, ipſe nunc prodeat, -- martyria illa quæ per id tempus Alexandriæ côntigerunt, accuratius quam nos relaturus his verbis. Ex Epiſtola Phileæ ad Thmuitas. Hæc igitur omnia exempla ac ſigna & pulcherrima documenta in ſacris literis exſtare cum ſcirent beatiſſimi qui nobiſcum verſati ſunt martyres; abſque ulla cunctatione oculum mentis in* SUPREMUM OMNIUM DEUM *ſincere* DEFIGENTES, *& mortem pro pietate libenti animo amplectentes, vocationi ſuæ pertinaciter inhæſerunt.* At quis ille DEUS, & quomodo oculum mentis IN ILLUM DEFIGANT, oſtendit, ita pergens: XXIV. Martyrum Alexandriæ.

Quip-

Quippe qui probe nossent DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM *nostra causa hominem idcirco* FACTUM *fuisse, ut & peccatum omnino exscinderet; & ad vitam æternam contendentibus nobis subsidia*
(a) Phil. 2. ℣. 6, 7. *itineris compararet.* (a) *Non enim rapinam arbitratus est* CHRISTUS *esse se* ÆQUALEM DEO: *sed exinanivit se ipsum, servi formam induens: & specie ipsa inventus quasi homo, humiliavit semet ipsum usque ad mortem, & quidem mortem crucis. Proinde meliora charismata consectantes Martyres, qui* CHRISTUM *gestabant,* (hoc vero est oculum mentis in SUPREMUM *omnium* DEUM sincere defigere,) *omnes ærumnas,* (illius quem gestabant & respiciebant exemplo & virtute animati,) *omnia tormentorum genera quæ excogitari potuerant, non semel, sed iterum ac sæpius nonnulli sustinuerunt.*

Hæc sunt, (addit post tormentorum descriptionem Eusebius de Philea) *hæc sunt vere Philosophi, nec minus Dei quam sapientiæ amatoris verba, quæ ante extremam Judicis sententiam adhuc in custodia constitutus ad fratres suæ Ecclesiæ scripsit.*

§. XXV.

SS. MARTYRUM TOTA URBS IN PHRYGIA, circa idem tempus.

XXV. Martyrum totius urbis in Phrygia. (b) Vid. Lactant. Div. Inst. Lib. v. cap. XI.

PErgit paulo post Eusebius ibidem in hunc modum: *Certe urbem quandam Christianorum in Phrygia milites armati obsidione cinxerunt; injectoque igne, totam* (b) *una cum viris, mulieribus ac parvulis* CHRISTUM OMNIUM DEUM INVOCANTIBUS, *concremarunt: hanc scilicet ob causam, quod universi ejus urbis incolæ, & curator ipse ac magistratus, cum honoratis omnibus ac plebejis, Christianos se esse professi, sacrificare jubentibus nullo modo obtemperabant.*

§. XXVI.

S. THEODOTUS, Ancyranus M. A. C. 303.

XXVI. Theodoti.

HIc Martyr, a puero continentia & sanctimonia clarus, cum se divino impulsu obtulisset coram Præside Theotecno, hicque illi dixisset: *Tantum ejura* JESUM, *quem qui ante nos fuit Pilatus, in Judæa crucifixit,* --- *Theotecno* Martyr hunc in modum respondit:

Pri-

Primum hanc gratiam peto à Domino meo Jesu Christo, quem modo contemtim appellasti ut hominem vulgarem, ut errorem circa Deos confutare possim; & Domini mei Jesu Christi *miracula,* Incarnationis*que mysteria paucis complecti.* --- *De Incarnatione vero ipsius accuratè scripserunt Prophetæ:* --- *testes Chaldæi ac Magi, Persarumque sapientissimi, astrorum motu ducti, & tempus nativitatis ejus* secundum carnem *agnoverunt;* & agnito a se Deo, ut Deo *munera obtulerunt.* Hìc NATIVITAS SECUNDUM CARNEM connotat sane & aliam nativitatem quæ non sit secundum carnem sive secundum hominem, sed secundum Deum, quem DEUM credit Martyr a Magis agnitum esse cum munera Christo UT DEO offerrent.

Post multos cruciatus, ac deinde mortis sententiam, cum ad locum supplicii pervenisset, antequam decollaretur *orare cœpit* Martyr in hæc verba: „ *Domine* Jesu Christe, cœli terræque conditor, „ *qui non derelinquis sperantes in te, gratias tibi ago* „ *quia fecisti me dignum cœlestis tuæ urbis civem, tui-* „ *que regni consortem: Gratias tibi ago, quia donasti* „ *mihi Draconem vincere, & caput ejus conterere. Da* „ *requiem servis tuis, atque in me siste violentiam ini-* „ *micorum. Da Ecclesiæ tuæ pacem, eruens eam a ty-* „ *rannide Diaboli*".

Porro Actorum scriptor, testis oculatus, fidem sibi cum Martyre communem hac eorundem clausula declarat: *Hæc omnia ego, humilis Nilus, magna cum diligentia vobis, dilectis Deo fratribus, tradidi, qui & in custodia cum illo fui, & singula novi quæ in notitiam vestram adduxi, ubique studens veritati; ut & vos, ea audientes, cum omni fide & certitudine partem habeatis cum sancto & glorioso Martyre Theodoto omnibusque Sanctis, qui pro pietate decertaverunt in* JESU CHRISTO DOMINO NOSTRO, *cui est gloria & potestas* SIMUL CUM PATRE ET SPIRITU SANCTO *in secula, Amen!*

§. XXVII.

S. Felix Episc. & M. A. C. 303.

XXVII. Felicis.

JUssus erat Scripturas sacras tradere hic Martyr, ut illæ igne consumerentur; erat enim in animo persecutoribus ut populum Christianum per Scripturæ S. extinctionem verbo Dei ac fide privarent, atque ita Christianismum abolerent. Cui impiæ petitioni opponeret Martyr Curatori & Præfecto: *Habeo; sed non do. -- Prius est præceptum Domini quam hominum*; postquam tormentis, vinculis, traductione incommoda in alium & alium locum eum diu satis vexassent, & denique morti addixissent; *ductus est*, inquiunt Acta, *ad passionis locum (cum etiam ipsa Luna in sanguinem conversa est) die tertio Kalendas Septembris. Felix Episcopus elevans oculos in cœlum, clara voce dixit: „ Deus, gratias tibi! Quinquaginta & sex annos „ habeo in hoc seculo: Virginitatem custodivi: Evange- „ lia servavi:* fidem & veritatem *prædicavi.* Domine „ Deus cœli & terræ Jesu Christe, *tibi cervicem meam „ ad victimam flecto, qui permanes in æternum, cui est „ claritas & magnificentia in secula seculorum. Amen.*"

§. XXVIII.

S. Vincentius, Diaconus & Martyr. A. C. 304. Item nonnulli alii, ut SS. Romanus, anonymus infans, Laurentius.

XXVIII. Vincentii. *item è Prudentio* Romani, infantis *anonymi, &* Laurentii.

PAssionem Sancti Martyris ex Actis suis celebrem reddiderunt S. Augustinus in multis Sermonibus, & Prudentius in suo Carminum libro περὶ ςεφάνων, Hymno V. Hic Martyr cum primùm coram Præside jussu Episcopi sui Valerii, impeditioris linguæ, fidei communis confessio edenda esset, *conversus ad Dacianum* (Actorum verba sunt,) *Hactenus, inquit, habitus à te sermo de neganda fide peroravit: sed nefariam apud Christianos prudentiam esse cognosce,* Deitatis cultum *abnegando aliquatenus blasphe-*

phemare. Et ne te longius protraham: Profitemur nos Christianæ Religionis esse cultores, & unius ac veri Dei, *permanentis in secula, famulos & testes.* Quæ vero ad Christum spectare, paulo post confitetur Martyr, quando inter atrocissima tormenta, quibus Daciano Præside jubente exercebatur per ungulas intima costarum rimantes, *subridens, dixit: Hoc est sane quod legitur, quia videntes non videbunt, & audientes non intelligent:* Dominum *enim* Christum *confiteor, Filium altissimi Patris unici unicum;* ipsum cum Patre & Spiritu Sancto unum solum Deum esse profiteor. --- *Quos jubes Deos confiteri, idola sunt lignea & lapidea. Tu illorum testis, tuque mortuorum fias mortuus Pontifex: Ego* uni & *vivo sacrifico* Deo, *qui est benedictus in secula.*

Quæ carmine suo hunc in modum expressit Prudentius, Hymno V. versu 33. &c.

Tibi ista præsint numina,
Tu saxa, tu lignum colas,
Tu mortuorum mortuus
Fias Deorum Pontifex.

Nos lucis Auctorem Patrem,
Ejusque Christum Filium
Qui solus ac verus Deus,
Daciane, confitebimur.

& adhuc versu 57.

Vox nostra quæ sit, accipe,
Est Christus & Pater Deus:
Servi hujus ac testes sumus,
Extorque, si potes, fidem.

Quæ prorsus eadem verba sunt cum Actorum prosa: unde patet Poëtæ orationem non esse considerandam veluti licentiosam aliquam

 para-

paraphrasin, multoque minus veluti fictionem poëticam; sed historicam veritatem quantum ad rem ipsam in ea contineri, atque ita (quod tamen hactenus non fecimus) pro testimonio de rebus ipsis adferri posse ea quæ ex infantis Martyris ore prodiisse refert in hymno X. de S. ROMANO, qui cum Præsidem provocasset ad testimonium infantuli cujusvis è præsentibus, ei uti starent, consensissetque Præses, hic victus fuit, & per vindictam fecit infantem Martyrem. Testimonium infantis ita exprimit Prudentius: (vs. 666 &c.)

Romanus ardens experiri innoxiam
Lactentis oris indolem, Filiole, ait,
Dic quid videtur esse verum & congruens,
Utrumne Christum *colere, & in Christo Patrem,*
An comprecari mille formarum Deos?

Arrisit infans, nec moratus retulit:
Est quicquid illud quod ferunt homines Deum,
Unum *esse oportet,* & quod uni unicum est.
Cum Christus *hoc sit,* Christus est verus Deus,
Genera Deorum multa nec pueri putant.

Ipsius autem *Martyris* Romani confessio paulo antè, ita habet (vs. 596.)

Regem perennem *Rex perennis protulit,*
In se manentem, nec minorem tempore,
Quia tempus illum non tenet: *nam fons retro*
Exordiorum est, & dierum, & temporum;
Ex Patre Christus, hoc Pater quod Filius.

Et paulo infra, postquam S. Martyri lingua fuerat abscissa, profert elinguis inter alia, (vs. 951.)

Habet usitatum munus hoc Divinitas
Quæ vera *nobis* colitur in Christo & Patre,
Mutis loquelam, percitum claudis gradum,
Surdis fruendam reddere audientiam,
Donare cæcis lucis insuetæ diem.

S. LAU-

S. LAURENTIUM ſuper craticula precantem, in hymno II. repræſentavit ſic dicentem vs. 416. &c.

„ *O* Chriſte, Numen unicum,
„ O ſplendor, o Virtus Patris,
„ O Factor orbis & poli,
„ *Atque* Auctor *horum mœnium!*

„ *Da, Chriſte, Romanis tuis*
„ *Sit Chriſtiana ut civitas.*
.
„ *Agnoſcat ut* verum Deum
„ *Errans Iuli civitas.*

Plura hujusmodi ex illo prætermittimus.

§. XXIX.

S. SATURNINUS Presb. & Martyr, cum pluribus aliis in Africa. A. C. 304.

HIc Martyr coram Proconſule, inter ictus ungularum, quibus latera ſua ſulcabantur ita ut ſanguinis unda inde proflueret, ad Chriſtum his verbis orationem inſtituebat: „ *Gratias ago* Deo *Regnorum. Apparet regnum æternum, regnum incorruptum. Domine* Jeſu Chriſte, *Chriſtiani ſumus, tibi ſervimus; tu es ſpes noſtra, tu es ſpes Chriſtianorum:* Deus Sanctiſſime, Deus altiſſime, Deus omnipotens: *tibi laudes pro nomine tuo reddimus,* Domine Deus omnipotens. Et cum denuo dire torqueretur, repetebat: *Rogo* Chriſte, *exaudi me: gratias tibi ago,* Deus; *jube me decollari. Rogo Chriſte, miſerere: Dei Fili, ſubveni*". XXIX. Saturnini.

Cum perſeveraret, remiſſus in carcerem cum aliis circiter quinquaginta, ſubductis alimentis omnes ibi fame enecti ſunt.

§. XXX.

S. EUPLUS, (vel EUPLIUS) Diaconus & Martyr. A. C. 304.

XXX. Eupli *vel* Euplii.

ADductus ad Calvisianum consularem, qui ei dicebat, dum ejus jussu torqueretur: *Miser, adora Deos. Martem cole, Apollinem & Æsculapium: Dixit Euplus*; Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum adoro. Sanctam Trinitatem adoro, præter quam non est Deus. *Pereant Dii qui non fecerunt cœlum & terram, & quæ sunt in eis. Christianus sum. Calvisianus Præfectus dixit: Sacrifica si vis liberari. Euplius dixit: Sacrifico modo* Christo Deo *me ipsum: quid ultra faciam, non habeo. Frustra conaris. Christianus sum.* Eductus deinde ad supplicium capitis, cum appenso ad collum Evangelio *cum quo apprehensus fuerat, proclamante hæc præcone: Euplius Christianus inimicus Deorum & Imperatorum: Euplius lætus dicebat semper:* Gratias Christo Deo.

§. XXXI.

S. PHILIPPUS Episc. & M. A. C. 304.

XXXI. Philippi.

HIc in foro Heracleæ civitatis Judæos, paganos, & cujuscunque religionis aut sectæ homines alloquens, dicebat eis, de nonnullis virginibus sermonem habens quæ flammis se exposuerant ut patrem suum ex incendio eriperent, & fuerant à Deo conservatæ: *Patrem senectute & debilitate confectum piis manibus abstulerunt: quem dum eripere conarentur incendio, dulci onere tardatæ, crepitantis flammæ corona circumdatæ, necessitatem subito desperatæ salutis habuerunt. Sed* omnipotens Christus *affectum tantæ clementiæ perire non passus est; filiabus patrem, patri & filias præsenti Majestatis suæ favore concessit, ut possit intelligi, illis omnibus* (aliis) *quos flam-*

flamma consumsit, non Deum *defuisse, sed meritum.*

Deinde superveniente Præfecto Basso, Martyrem hortante uti sacrificaret Herculeo simulacro: *Respondit Philippus: Heu miseros & deflendos, qui* divinitatis Sacrosanctum Numen *ignorant! Heu infelices vos qui cœlestia ad terrena transfertis, & veritatis ignari, invenitis & facitis quod colatis. Quid aurum, argentum, æs, ferrum & plumbum? Nonne ex terra & nutriuntur & constant? Ignoratis* Christi Numen, quod nec comprehendere æstimatio, nec quantum sit potest humana mens capere --- In qua fide & confessione dum perseverat, cum duobus aliis eandem ob causam flammis consumtus est.

§. XXXII.

SS. TARACHUS, PROBUS ET ANDRONICUS MM. A. C. 304.

ADmirabilium horumce Martyrum, Lugdunensibus revera æquiparandorum, qui eadem omnino in Cilicia passi sunt quæ illi antè in Gallia, Acta pretiosa, Græce & Latine exstantia, omnibusque peritis probata, repræsentant nobis haud procul ab initio Tarachum virgis jussu Maximi Præsidis ideo expositum, quod non plures gentium Deos, sed unum verum Deum agnosceret: dicebat autem Præsidi eum verberari jubenti (Actorum ipsa sunt verba:) *Nunc verè me prudentem fecisti, plagis confortans me. Magis ac magis opto confidere in nomine* Dei & Christi ejus: *Maximus dixit: Injuste & maledicte, quomodo* DUOBUS DIIS *servis quos voce confiteris, & nunc* DEOS NEGAS? *Tarachus dixit:* *Ego confiteor manifeste qui est* Deus *verax:* (Græca sunt significantiora: ἐγὼ Θεὸν ὁμολογῶ τὸν ὄντως ὄντα: ego Deum confiteor, qui revera ipse Deus est:) *Maximus dixit: & nunc confessus es* CHRISTUM & DEUM: Græce, καὶ μὴν καὶ Χριστὸν τινὰ ἔφης εἶναι Θεὸν: *enim vero & Christum quendam dixisti esse Deum:* Eadem omnino objectio quæ antea (*a*) fuerat Pionii Martyris socio opposita.) *Tarachus dixit:* *Et bene: hic enim est* Filius Dei, *spes Christianorum,* *prop-*

XXXII. Tarachi, Probi & Andronici.

(*a*) Supra §. XI.

propter quem patimur & salvamur. Poterat-ne identitatem unius Divinitatis Filii Dei & Patris sui significantius enunciare?

§. XXXIII.

S. Crispina Martyr. A. C. 304.

XXXIII. Crispinæ. Ex insignibus & sinceritatis suæ characterem gerentibus Actis illustris hujus Martyris, ab Augustino aliquoties laudatæ, clare apparet, eam, cum Proconsuli Anulino sisteretur, eique responderet, pro uno eodemque habuisse, Deum suum, Dominum suum, Dominum suum Jesum Christum, quibus vocabulis indiscriminatim utitur cum dicit ac repetit eadem. Sic enim dicit ad Proconsulem: primo quidem: *Nunquam ego sacrificavi nec sacrifico nisi* uni Deo, & Domino nostro Jesu Christo Filio ejus, *qui natus est & passus.* Mox autem: Cotidie veneror Deum meum, *præter quem alium non novi.* Rursus: *Cotidie veneror: sed* Dominum meum, *præter quem, alium non novi.* Deinde: *Præceptum observo, sed* Domini mei Jesu Christi. Iterum: *Sacrifico* Domino *qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt.* Adhuc: Deum *novi tantum.* Mortem minanti respondit: *Gratias ago* Deo meo *si hoc fuero consecuta.* Capite plectenda ait: Christo *laudes ago*, (in alio codice, *Gratias ago* Deo meo *Jesu Christo*) *benedico* Dominum, *qui sic me de manibus tuis dignatus est liberare.*

Acta desinunt in hæc verba uno in codice: *Passa est beata Crispina apud Coloniam Thebestinam die Nonarum Decembrium, imperante Anulino Proconsule, regnante* Domino nostro Jesu Christo in unitate Spiritus Sancti *in secula seculorum. Amen.* quæ ultima verba in alio codice ita exprimuntur: *Regnante Domino nostro* Jesu Christo *cui est laus, virtus, honor & imperium cum* Patre *&* Spiritu Sancto *per infinita secula* &c. Vid. Ruinartum, & Tillemont. Hist. Eccl. Tom. V. Part. II.

§. XXXIV.

S. AFRA, Martyr. A. C. 304.

CUm ethnica primùm esset & ignara Dei hæc fœmina, proprio corpore quæstum faciebat, & divitias collegerat non paucas. Verùm, simul ac ipsam Christi cognitio & gratia illustraret, conversa ad Dominum, abjectis peccatis & pecuniis vitam in lacrimis & precibus transigebat, optans ut corpus in quo peccaverat, ignis sacrificio posset consumi ad peccatorum suorum absolutam consumptionem Deique gloriam. Audivit votum Christus, & è pœnitenti peccatrice sanctam fecit ac gloriosam adorandæ potentiæ ac divinitatis suæ Martyrem Augustæ Vindelicorum, prout videre est ex Actis ipsius a Velsero dudum in monumentis antiquis Augustanæ civitatis relatis, & a P. Ruinarto cum pluribus aliis Editionibus & Msc. collatis. Libet autem ea quæ paucis verbis notavimus, ex Actis ipsis insignissimis comprobare, ubi simul videre est quàm sapienter & divine Spiritus Dei per os Martyris loquebatur. XXXIV. Afræ.

Primo, ut capta erat, & Judici Gaio oblata, qui eam ad sacrificandum Diis hortabatur, illa se ethnicam Dei ignaram fuisse dicit, & sic respondit: ***Sufficiunt mihi peccata mea quæ*** **ignorans Deum** ***gessi: hoc autem quod me jubes facere, nunquam factura sum.*** Urgente Judice ut ad Capitolium accedens sacrificaret, ipsa suam conversionem & pœnitentiam ita exprimit: ***Capitolium meum*** **Christus** ***est, quem habeo ante oculos meos. Ipsi quotidie crimina mea & peccata confiteor. Et quia indigna sum ipsi sacrificium offerre, me ipsam pro nomine ejus cupio sacrificare, ut corpus in quo peccavi, dum pœnas pertulerit, abluatur.***

Porro *Judex* ejus spem in Deum frangere cupiens, eamque ita ad defectionem sollicitare, objiciebat ei: *Ut audio meretrix es: sacrifica: quia aliena es à* DEO CHRISTIANORUM: hoc ipso significans, se & Gentiles omnes minime dubitare quin Christus à Christianis pro *vero* DEO suo haberetur: *Afra respondit*, positioni huic annuens cum spe: **Dominus meus Jesus Christus** ***dixit se pro pec-***

catoribus descendisse de cœlo. Nam & Evangelia ejus testantur quod meretrix rigaverit lacrymis pedes ejus, & indulgentiam acceperit: & meretrices & publicanos nunquam despexit, quos etiam secum manducare permisit.

Deinde Judex nequiter declarans vitia impura sibi magis placere quam Christianam fidem & vitam, Martyremque ab hac ad illa provocans, ubi dixisset: *Sacrifica; ut diligaris ab amatoribus tuis sicut semper dilecta eras ab ipsis, & inferantur tibi pecuniæ multæ ab eis: Afra respondit: Pecunias exsecrabiles jam nunquam accipiam: nam & quas habui, quasi sordes abjeci, quia non erant de bona conscientia. Nam nolentes accipere aliquando fratres meos pauperes, etiam precibus exoravi ut a me dignarentur accipere, & pro meis peccatis orarent. Si ergo quæ habui, a me abjeci, quomodo potest fieri ut quæram accipere quæ etiam quasi sordes abjeci? Judex* (fidem ejus tentans iterum per desperationem extinguere, & simul tamen Christum esse Deum Christianorum agnoscens,) *dixit: Jam te* CHRISTUS *dignam non habet. Sine causa vis* EUM DEUM TUUM *dicere, qui te suam esse non cognoscit: Meretrix enim quæ est, dici Christiana non potest. Afra respondit: Christiana ego quidem dici non mereor, nec vocari: sed misericordia* Dei, *qui non de merito, sed de sua pietate judicat, ipse me ad hoc nomen admisit.* Postea Judici postulanti, unde hoc nosset, respondit: *In hoc me cognosco à facie* Dei *non esse projectam, quia ad gloriosam confessionem* sui Sancti Nominis (erat autem CHRISTI) *permittor accedere.* Ac post nonnulla alia verba quibus fidei & pœnitentiæ suæ firmitatem testatur, cum Judex eam propter constantem confessionem Christi Dei sui *vivam incendi* præcepisset, & a ministris ad locum supplicii rapta atque ad stipitem jam ligata esset, *illa* (Actorum verba pono,) *levans ad cœlos oculos suos oravit cum lacrymis dicens:*

„ Domine Deus omnipotens Jesu Christe, *qui non* „ *justos venisti vocare, sed peccatores ad pœnitentiam,* „ *cujus promissio vera est & manifesta, quia dignatus es*

„ *di-*

„ *dicere*, (sunt autem verba veri Dei per Prophetam) *qua hora*
„ *conversus fuerit peccator à suis iniquitatibus, eadem*
„ *hora te non rememoraturum peccatorum ejus: accipe*
„ *in hac hora passionis meæ pœnitentiam; & per hunc ignem*
„ *temporalem, qui corpori meo paratus est, ab illo æter-*
„ *no igne me libera qui animam & corpus simul exurit.*
Et iis dictis expletis, circumdata sarmentis, igne supposito, vox ejus audiebatur, dicens: „ *Gratias ago tibi*, Domine Jesu Chri-
„ ste, *qui me dignatus es hostiam habere pro Nomine tuo*,
„ *qui pro toto mundo solus hostia oblatus es in cruce, ju-*
„ *stus pro injustis, bonus pro malis, benedictus pro ma-*
„ *ledictis, mundus à peccato pro peccatoribus universis.*
„ Tibi *offero sacrificium meum, qui cum* Patre & Spi-
„ ritu Sancto *vivis & regnas* Deus, *in secula seculorum.*
„ *Amen*". *Et hæc dicens, emisit spiritum.*

§. XXXV.

S. Vitalis, Martyr. A. Chr. 304.

De eo Martyre, qui apud Bononienses passus est, plura ex (*a*) S. Ambrosio refert Ruinartus cum Tillemontio, ex quibus hæc inter cetera: *Cum Sanctus Vitalis cogeretur a persequentibus ut* Christum *negaret, & ille amplius profiteretur Dominum Jesum Christum, omnia tormentorum genera in eum exercentes, ut non esset in corpore sine vulnere locus, Orationem fudit ad Dominum, dicens:* „ Domine Jesu Christe, Salvator meus & Deus meus,
„ *jube suscipi spiritum meum: quia desidero ut accipiam*
„ *coronam quam Angelus tuus sanctus mihi ostendit*".
Et completa Oratione, emisit spiritum.

XXXV. Vitalis.

(*a*) Libr. de Exhortat. Virginitatis. Cap. 1. & 2.

§. XXXVI.

S. Julitta M. cum filio infante. A.C. 304.

XXXVI. Julittæ *cum infante.*

CUm sancta hæc Martyr comprehensa puellum tenerum in ulnis gerens sisteretur Tarsi coram Præside Alexandro, ac Christianam se professa cæderetur & torqueretur immaniter, accidit ut puer ab ea divulsus, nec tamen oculos ab ea avocans, a Judice in genua acciperetur & blanditiis primum demulceretur: sed cum ei infans reluctaretur, protinus ab illo projectus ad pavimentum ac elisus, illico coram matre exspiravit. *Id* (sic Acta habent) *Sancta Julitta conspicata, velutque exuberanti gaudio repleta:* ,, *Gratias tibi ago, Domine,* ,, *ajebat, quod filium, me priorem, consummatum, im-* ,, *marcescibilem coronam dignanter consequi volueris*". Quæ autem prænotanda erant ut Martyris sequens Oratio omni ex parte clara esset.

Tormentis multis deinde vexata, & minis Judicis minime cedens, dum ei clamat dicitque: *Ego dæmonibus, surdis scilicet ac mutis statuis, non sacrifico: sed* Christum Dei filium unigenitum colo, per quem Pater condidit omnia: *ac festino meum assequi filium, quo illi socia consequendo regnum cœlorum efficiar contendo*; audit adversus se mortis sententiam. Ducta porro in solitum carnificinæ locum, *positis genibus oravit dicens:* ,, *Gratias tibi ago,* Domine, *qui priorem* ,, *me filium meum vocasti; & ut præsenti hac vanaque* ,, *relicta vitâ, æternæ illi cum sanctis jungeretur prop-* ,, *ter sanctum ac* tremendum Nomen tuum *dignanter* ,, *voluisti: me quoque suscipe, indignam ancillam tuam;* ,, *facque ut ingens illud bonum nanciscar, quò prudenti-* ,, *bus virginibus, quibus indultum ut in cœlestem ac in-* ,, *corruptum thalamum ingrederentur, accensear; ac be-* ,, *nedicat spiritus meus* Patrem tuum Deum *omnium* ,, *conservatorem ac universorum opificem,* Sanctumque ,, Spiritum *in secula Amen*". quibus dictis, caput ei gladio tollitur.

§. XXXVII.

S. Theodorus, Martyr. A. C. 306.

Hic, ubi Amaseæ sistitur coram Judicibus, eum jussu legum Imperatoris ad colendum Gentium Deos impellentibus, hoc eis dedit responsum : *Deos quidem nescio ; neque enim revera sunt. Vos autem erratis, qui dæmonas fallaces & impostores Dei appellatione honoratis :* mihi vero Deus est Christus, Dei unigenitus Filius. *Pro pietate igitur atque confessione istius, & qui vulnerat, incidat ; & qui verberat, laceret ; & qui cremat, flammam admoveat ; & qui his vocibus meis offenditur, linguam eximat. Per singula enim membra corpus* Creatori *patientiam debet.* Quodam ex eorum militum numero qui ordines ducebant, objiciente per ludibrii speciem : *Est-ne, ô Theodore, filius Deo tuo ? & generat ille, carnis affectibus, ut homo, obnoxius?* Objectanti respondet divinam generationem hoc modo vindicans : *Humano quidem more affectibus carnis obnoxius meus, inquit, Deus non generavit : verum &* Filium *confiteor, &* nativitatem *talem esse dico* quæ Deum deceat. XXXVII. Theodori.

Postea cum dimissus quasi deliberandi gratiâ, templo idolorum ignem admovisset, nolletque ad eorum monita, jussa, promissa magna, Christianam abnegare fidem, igni adjudicatur, eoque conficitur & consummatur. quæ ex S. Gregorii Nysseni Oratione de eo fusius discenda sunt.

§. XXXVIII.

SS. Phileas, cum Philoromo, MM. Post A.C. 306. (312. Tillem.)

De illustribus hisce Martyribus loquitur Eusebius Hist. Eccl. Lib. VIII. Cap. 9 & 10. & Hieronymus. Acta, cum multis codicibus collata, exhibuerunt Ruinartus & Tillemontius. In iis dicitur, XXXVIII. Phileæ.

Phileam, postquam Alexandriæ coram Culciano Præside confessus fuerat DEUM *qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt; Creatorem & factorem omnium visibilium & invisibilium, qui* SOLUS EST, *& permanet in secula seculorum*, fuisse dein interrogatum a Præside hunc in modum: *Culcianus dixit:* DEUS ERAT CHRISTUS? *Phileas respondit: Ita. Culcianus dixit: Quomodo persuasus es de eo, quod* DEUS *esset? Phileas respondit*, allegando miracula, & quod *mortuus resurrexit ---. Culcianus dixit: Est* DEUS CRUCIFIXUS? *Phileas respondit: Propter nostram salutem crucifixus est.*

Capite damnatus cum Philoromo, *cum ambo pervenissent ad locum ubi jugulandi erant, extendit manus suas Phileas ad orientem, & exclamavit dicens: Filioli mei charissimi quicunque Deum quæritis, vigilate ad corda vestra; quia adversarius noster sicut leo rugiens circuit quærere quem transferat. Nondum passi sumus: nunc incipimus pati: nunc cœpimus esse discipuli Domini nostri Jesu Christi. Carissimi, attendite præceptis Domini nostri Jesu Christi.* invocemus immaculatum, incomprehensibilem, qui sedet super Cherubim, factorem omnium, qui est initium & finis

(*a*) Apoc. 1: ℣. 8. & 21: 6. 22: 13. (hæc Christus (*a*) de se) *cui gloria in secula seculorum. Amen.* Hæc cum dixisset, gladio cæsi ambo occubuerunt.

§. XXXIX.

S. QUIRINUS Episc. & Martyr. A. C. 309.

XXXIX. Quirini. EUsebius hæc de eo habet in Chronico: *Quirinus, Episcopus Sciscianus, pro Christo gloriose interficitur. Nam manuali mola ad collum ligata e ponte præcipitatus in fluvium, diutissime supernatavit; & cum spectantibus collocutus ne suo terrerentur exemplo, vix orans ut mergeretur, obtinuit.* Plura de eo Prudentius, hymn. VII.

Acta ejus hæc habent: *Cum a Maximo præside interrogaretur, quo fugeret; Quirinus Episcopus respondit; Non fugiebam, sed jussum Domini mei faciebam. Scriptum nobis est: Si vos per-*

persequentur in una civitate, fugite in aliam. Maximus præses dixit: Quis hoc præcepit? Quirinus Episcopus respondit; Christus, qui verus est Deus. *Maximus dixit: Et nescis quia te ubique Imperatorum præcepta poterant invenire: & hic, quem dicis* DEUM VERUM, *comprehenso tibi subvenire non poterit; sicuti & modo fugiens comprehensus es, & deductus? Quirinus Episcopus respondit: Semper nobiscum est; & ubicumque fuerimus, Dominus quem colimus subvenire potest: & modo cum apprehensus essem, mecum erat; & ipse de meo ore tibi respondet. --- Deus meus, cui servio, ipse est in cœlo, & in terra, & in mari. Ipse est & in omni loco, omnibus autem superior, quia intra se continet omnia: quoniam* per ipsum cuncta facta sunt, & in ipso constant universa.

Amantio dein Præsidi ad defectionem eum, in Pannoniam ductum, hortanti, *Quirinus Episcopus respondit: Apud Sciściam* verum Deum *confessus sum. Ipsum semper colui, ipsum corde teneo; nec me ab eodem, qui* unus Deus & verus est, *homo poterit separare.* Post, ad eundem: --- *Ego didici a* Deo meo *ut debeam ad illam vitam pervenire quæ post mortem, mortis jam incisione non clauditur. --- Ego ad æternitatem vitæ confitendo pervenio: nec vestris legibus acquiesco, quia* Christi Dei mei *legitima, quæ fidelibus prædicavi, custodio.*

Propter hanc fidei suæ constantem confessionem, datus præceps cum mola in fluvium, tamdiu supernatat & populum alloquitur, donec a Christo precibus impetrat ut immergi & mori pro eo liceat. Rem & preces inter plura exprimit sic carmine Prudentius, Hymno VII. vs. 56. &c.

„ Jesu Cunctipotens, *ait*,
„ *Haud quaquam tibi gloria*
„ *Hæc est insolita, aut nova,*
„ *Calcare fremitum maris,*
„ *Prona & flumina sistere. &c.*

„ *Quid*

„ *Quid possis probat amnicus*
„ *Qui vectat silicem liquor*,
„ *Hoc jam quod superest*, *cedo*,
„ *Quo nihil est pretiosius*,
„ *Pro te*, Christe Deus, *mori*.

Orantem simul halitus
Et vox deserit, *& calor:*
Scandit spiritus ardua:
Fit pondus grave saxeum:
Corpus suscipiunt aquæ.

§. XL.

S. Gordius, centurio & Martyr, circa hæc tempora. (312. Tillem.)

XL. Gordii. INter plura quæ Basilius Magnus habet in Oratione de hoc Martyre, recenset hæc ejus, capite mox plectendi, verba insignia ad eos qui ut Christum ore negaret, hortabantur: *Lingua quidem*, *quam* Christi beneficio *retineo*, *adduci non possum ut suum neget* auctorem. *Corde namque credimus ad justitiam*, *ore vero confitemur ad salutem*. *Num militaris ordo desperatam habet salutem? Nullusne centurio pius? Recordor primi Centurionis*, *qui cruci Servatoris assistens* ejus Divinitatem *per prodigia facta cognoscens*, *non est veritus*, *adhuc Judæis furentibus in cæde*, *nomen ejus palam fateri*.

§. XLI.

S. Julitta, Martyr. A. C. (312. Till.)

XLI. Julittæ. REfert de hac idem Basilius, fuisse eam opulentam valde fœminam, cujus bona, terras, agros, villas, pecora & famulos cum raptor quidam potens ex primoribus civitatis intercepisset, reliquamque etiam supellectilem opulentam ad se transduxisset, illa ad Prætorem eum appel-

pellans uti ex legibus sua ab illo reciperet, audivit sibi dictum, lege agere ei non licere, nisi pro Imperatorum edicto, prius Deos coleret, *& Christi fidem ejuraret : --- & propositio litigantibus hæc prætenditur a judicibus, eos quidem & legibus & legum suffragiis perfrui posse,* ABJURENT *modo* CHRISTUM. --- Quid ad hæc Julitta ? *Valeat* (inquit) *potius ipsa vita, ipsæ pessum eant fortuitæ facultates, ac ne ipsum corpus mihi prius supersit, quam in* Deum Creatorem meum *ulla impia vox mihi ex ore egeratur.* Qua illius confessione ejusdemque in ea perseveratione exacerbati judices, ignis supplicio eam adjudicant, quod animose & fortiter pro Christo DEO & CREATORE SUO sustinuit.

§. XLII.

S. PETRUS BALSAMUS, Martyr. A. C. 304-311. Tillem.

Referunt ejus Acta, illum Severo Præsidi oblatum, ac ejus quæstioni, utrum parentes haberet, respondentem, Non habeo : a Præside fuisse mendacii insimulatum, eò quod parentes haberet. Ad quod *respondit Petrus : In Evangelio mihi præceptum est omnia denegare cum ad Nominis Christiani venero confessionem. Præses dixit : Nosti præceptum imperiale ? Petrus respondit : Ego præceptum* Dei mei *novi, qui est verus & perpetuus Rex :* Erat autem id præceptum Christi quod modo allegaverat, & quod dicit esse DEI SUI, propter quem cruci addictus est Martyr. XLII. Petri Balsami.

§. XLIII.

S. ARCADIUS, Martyr.

Sistens se ipse Rectori provinciæ Arcadius, & sacrificare Diis renuens, membra corporis alia post alia dum articulatim ei resecantur, interim *orabat dicens : Manus tuæ, Domine, fecerunt me & plasmaverunt me : da mihi intellectum, --- & Deos esse* XLIII. Arcadii.

nihil, sed SOLUM CHRISTUM VERUM DEUM ET VICTOREM *acclamabat*.

Deinde *videns laceras corporis sui partes jacere in terrâ, dicebat: O vos felicia membra quæ meruistis* Deo vestro *famulari -- vos estis nunc membra* Christi, *& me nunc* Christi *esse sentio, quod semper super omnia optavi.* Postea ad spectatores: *Deos vanos, qui vos nihil juvare possunt relinquite:* Deum meum, *qui me confortat, agnoscite, pro quo mori, vita; pro quo pati, deliciæ.* Hæc ultima æque ac prima de Christo vero Deo & victore intellecta esse a Martyre nullus est qui non videat nisi qui sponte velit cæcutire.

§. XLIV.

SS. FAUSTUS, JANUARIUS, ET MARTIALIS, MM.

XLIV. Fausti, Januarii *&* Martialis.

CHristum hi Martyres Cordubæ coram Præside Eugenio sic confessos esse referunt Acta: *Nos Christiani sumus*, Christum *fatentes, qui Dominus* unus est, per quem omnia, & nos facti sumus. *Eugenius dixit: unde vobis est hæc tam desperata societas? Faustus respondit: Desperatio in nobis non est, nisi in te solo, qui nos* Deum *negare frustra compellis.* Volebat autem ut negarent Christum. Instante porro Eugenio contra Martialem: *Martialis dixit: Consolatio mea* Christus *est, quem illi gaudentes & exultantes voce præcona testantur; ideoque* confitendus & laudandus est Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus.

Igne comburendi, & ad locum passionis perducti, *uno spiritu plebem Christi alloqui cœperunt, dicentes: Vos charissimi & Christi fideles -- agnoscite vos ad Dei similitudinem & imaginem factos. Illum igitur adorate & illum benedicite qui* auctor est omnium. -- Confitemini Christum Jesum, & soli Deo *sine cessatione quotidie referte* laudes. Laudandum autem & confitendum modo dixerunt Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum.

§. XLV.

§. XLV.

S. Leo Martyr. A. C. CCC....

PAtaræ in Lycia coram Imperatorum Procuratore, *dixit* (ut notant Acta) *Leo Sanctissimus: Multos cœlestes Deos dixisti, ô Procurator: veritas autem non ita habet. Est enim* unus Deus cœlestium & terrestrium, Dominus noster Jesus Christus, filius Dei, *qui non habet opus ut sic* (per lucernas coram Diis Gentilium accensas) *colatur ab hominibus. Spiritus enim contritus, & anima quæ consuevit humiliter de se sentire, sunt apud* Deum *in magna æstimatione. Lucernæ autem & cerei qui circa simulacra accenduntur, sunt vani & inanes. --- Si vero, ô Procurator, eum qui* vere est Deus *intelligeres, non hanc materiam, nullo sensu præditam, honorares honore suffituum. Cessa ergo in his frustra laborare, & lauda* Deum *universorum & ejus* Filium unigenitum, *Dominum nostrum* Jesum Christum *Servatorem mundi, &* Opificem animarum nostrarum. XLV. Leonis.

In his perseverans spiritum reddidit Domino mediis in tormentis sanctus Martyr, cujus corpus cum abstulissent & deposuissent fideles, laudarunt Deum; --- *petentes ut sorte ejus & habitatione digni efficiantur in nomine* PATRIS, & FILII ET SPIRITUS SANCTI, *cui gloria & potestas in secula seculorum. Amen.* Hisce verbis desinunt Acta, fidem Martyris & fidelium Christianorum sui temporis testantia.

§. XLVI.

S. Julius, Martyr. A. C.... (302. Till.)

QUis hic Martyr fuerit enarrat ipse Maximo Præsidi, inquiens, postquam se Christianum fassus fuisset, & Diis immolare nollet: *Sub arma militavi, & ordine meo egressus sum, veterа-* XLVI. Julii.

nus semper. Tamen Deum vivum, *qui fecit cœlum & terram, colui, etiam & nunc fidelem exhibeo servitutem.* Cum deinde testaretur id sibi honori esse si pateretur *pro legibus divinis*; & interjiceret Maximus: *Quas* leges scilicet *mortuus & crucifixus vobis tradidit! vide quàm stultus es, qui plus mortuum facis quam Reges qui vivunt.* JULIUS *respondit: Ille mortuus est pro peccatis nostris, ut nobis vitam donaret æternam:* Deus vero est *permanens in æternum, quem siquis confessus fuerit, habebit vitam æternam; qui autem negaverit, habebit pœnam perpetuam.* Qua in confessione perseverans, gladio adjudicatur, & nomen Domini Jesu Christi invocans percutitur.

§. XLVII.

S. PATRICIUS Episc. & Martyr. (A. Ch. CCC....)

XLVII. Patricii.

SIsti jussus coram Julio Proconsule Patricius, hanc, ut Acta ferunt, fidei suæ confessionem edidit: *Christianus sum: & quisquis hæc sacra professus*, verum & unicum Universi Numen *adorat, animum divinorum atque hujusmodi mysteriorum intelligentia imbutum habet. ---- Ignem & aquam idem qui humani generis auctor est, ex nihilo per* suum unigenitum Filium *omnipotens & æternus Deus condidit.* --- quæ pluribus persequitur. *Ad hæc Proconsul:* CHRISTUS *ergo horum auctor, & non Dii?* Christus, *inquit Patricius: Scriptum enim est, quia omnia per ipsum facta sunt: Et, Dii gentium, dæmonia: Dominus autem cœlos fecit. Proconsul denuo: Ain tu* CHRISTUM *cœlos molitum esse?* Ajo *enimvero, inquit Patricius, juxta id quod scriptum est: Quia videbo cœlos, opera digitorum tuorum, lunam & stellas, quæ tu fundasti.* En Christum Creatorem cœli & terræ, eundemque ipsum Deum quem David Psalmo octavo alloquitur, & Psalmo nonagesimo sexto laudat, ac de quo dixit Joannes, omnia per ipsum facta sunt.

Ab hac confessione non discedens Martyr, in thermas ardentes præceps

ceps datur; quæ cum illi non nocuissent, capite truncatur. Clauduntur Acta hisce verbis, communis tunc fidei Christianæ signaculis: *Casus est Sanctus Patricius die decima nona mensis Maji, per gratiam* JESU CHRISTI, *cui gloria & imperium cum* PATRE ET SANCTO SPIRITU *nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.*

§. XLVIII.

SS. MARTYRES in Ægypto XXXVII.

HOrum prædicationis summa ex eorum Actis sive Passione sic exprimitur apud Ruinartum: — Patres carnales nostri *peccantes, erraverunt a via recta antequam* Filius Dei *in carne appareret, cum adhuc* in sinu Patris moraretur. *Idcirco nec Pater Deus sustinens continere Filium, dedit* descendendi *promissionem: nec Filius iterum* descendere *pigritatus est ad carnem; sed hac indutus, prædicabat prius Patrem Deum, deinde semetipsum* Dei Filium *docebat, ac postremum justitiæ verbum vocibus & doctrinis Prophetarum confirmavit, quem nec ipsi sine* ipsius adspiratione *vociferati fuerant. Nam &* priusquam *ad nos dignaretur venire*, ipse erat *qui per Prophetas legem dabat & prophetabat. Hanc* (a) *itaque Ægyptum consimili circulo omnes prædicti sancti circundantes, docebant errantes.* XLVIII. Martyrum in Ægypto.

(a) *Hanc*, scil. legem vel doctrinam. forte *Hæc*, vel *Hi*.

§. XLIX.

S. SADOTH, Episc. & plures alii. A. C. circ. 346.

IN Perside, Saporis Regis tempore, innumerabiles fuisse Christi Martyres refert Sozomenus in Historiæ suæ Ecclesiasticæ Libro 2. Cap. 8. & seqq. inter quos Symeonem Episcopum nominat primum. Huic Symeoni per martyrium sublato, succedit eodem in loco, Ctesiphonte, S. Sadoth, qui de suo martyrio divinitus per visum in somno præmonitus, suos quos convocaverat Ecclesiasticos inter alia post enarratum visum *cœpit* (inquiunt Acta) *ex sacris Scripturis adhortari in hac ver-* XLIX. Sadoth & *aliorum*.

verba : Fratres mei, diligamus Deum ex tota anima ; & Dominum nostrum Jesum Christum ex tota mente. Atqui hæc ultima, sicuti & prima, ad solum verum Deum a Mose imo a Deo in Veteri Testamento referuntur, uti & in Novo Testamento eadem ad solum verum Deum refert ipse Christus, ac mox Martyr. Elapso enim anno, idem Sadoth Episcopus cum aliis ad Regem delatus, cùm post durissimum quinque mensium carcerem compellerentur ut Solem adorarent : *Sanctus Sadoth velut omnium ore respondens : Nos inquit, in unam fidem, & unam potentiam, & veritatem pariter unam, credimus ; & in idem testimonium conspiramus,* & unum Deum *cœli terræque Conditorem adoramus ; ipsique* ex tota anima *totaque nostra virtute servimus.*

A qua confessione recedere cuncti nolentes, & propterea capite damnati, *cum ad locum* (pergunt sic Acta) *pervenissent in quo erant Martyrio initiandi, uno animo ora sua laxantes dixere : „ Benedictus „ es, ô Deus, qui nos hac gratia dignatus es, nec de- „ spexisti orationem nostram. -- Benedictus etiam* Deus „ noster, unigenitus filius tuus, *bonitatis tuæ, qui nos „ salvavit & ad æternam vitam vocavit" --- Atque in eorum ore non cessavit hæc divinæ gloriæ celebratio donec ultimus occisus est. Consummati sunt autem hi* CXXVIII. *Martyres vigesimo mensis Februarii. Athletam vero victorem & Episcopum* SADOTH *in aliam regionem, Bethuzam dictam, vinctum duxerunt, ibique caput ejus amputarunt. Consummati sunt omnes Christi Martyres in pace, laudantes & glorificantes Dominum nostrum* JESUM CHRISTUM, *quem decet* OMNIS GLORIA, HONOR ET ADORATIO, MAJESTAS ET MAGNIFICENTIA *in omnia deinceps secula seculorum. Amen.* Hactenus relatio.

§. L.

S. BASILIUS Ancyranus, Presb. M. A. C. 362.

L. Basilii Ancyrani.

DE hoc Martyre Presbytero, Arianis inviso, sic in ejus Actis : *Cum imperium obtinuisset Julianus, factus a Christiana religione Apostata,*

stata, factus quoque est animarum ad perditionem subversor. Exponens enim delira dogmata de sacrificiorum cultu, mutis surdisque & insensatis deferendo, stabilivit illa per annum integrum & menses tres in partibus Galatiæ. quibus novam ejus deceptionem reverenter suscipientibus, super Ancyra Deum benedicens Basilius Sanctus; „ O Salvator, „ *inquit*, Mundi, Christe, *lumen inexstinctum*, æterna„ rum *gazarum thesaure, ex voluntate* Patris *dissipans* „ *tenebras, & ejusdem* Spiritu *cuncta constituens; respi*„ *ce oculo sancto & tremendo tuo, & disjice nefandas su*„ *perstitiones eorum qui se opponunt veritati tuæ: atque* „ *præpedi illos cum ipsorum concupiscentiis, ut contrito* „ *imbelli consilio suo, non impediant animam* in te Deo, „ *per secula vivente, permanentem.* Hæc Martyris mox futuri preces ad CHRISTUM DEUM, Mundi Salvatorem, continent & una confessionem PATRIS & SPIRITUS *Sancti.*

Deinde captus Martyr, tortus, carceri inclusus, cum a nonnullis impiis, inter quos & apostatæ aliqui erant, quæsitus, & ab eorum uno visitatus esset, huic dicit: *Non est tibi salus, prævaricator & proditor veritatis; tibi inquam, qui olim e fonte Christi potabaris, nunc autem cloacarum impleris cœno.--- Quid facies cum visitaverit te* Dominus? Hæc ubi dixit, oravit AD DOMINUM: „ *Tibi sit gloria, inquiens, ô* Deus, „ *qui cognosceris a servis tuis, atque ad lucem ducis de*„ *siderantes* Divinitatem tuam *conspicere: qui glorificas* „ *sperantes in te, & confusionem inducis super osores* „ *mandatorum tuorum: qui salutem iis qui longe abs te* „ *recesserant pollicitus, & glorificaris in cœlis, & ado*„ *raris in terris. Digneris*, ô Deus altissime, *ab ani*„ *ma servi tui cuncta diaboli vincula revellere, ut pos*„ *sim effugere eos qui odêre justitiam; & eorum qui mihi* „ *minantur, vires superare.*

Cum postea coram Imperatore Juliano adductus, Christianum se confessus esset, seque, *si Christi nomen intemeratum servaret, sperare ab eo in die judicii immortalitatis mercedem; Julianus inquit: Noli er-*

errare, Basili: nec enim ignarus sum mysteriorum vestrorum. Ei credis qui mortem sustinuit sub Pilato: Minimè, *reposuit Basilius: non erro, Imperator. Tu quidem factus Apostata, abdicasti regnum cœleste: at ego* Christo *meo credo, quem tibi imperium conferentem ejurasti, quod hic quoque brevi est ablaturus à te ut cognoscas* qualem Deum offenderis.

Laniatus propterea Martyr cum de corpore ejus quotidie, Juliani jussu, lora abscindunt, *cruciatus Sanctus oravit ad Dominum:* „ *Be-* „ *nedictus sis,* Domine Deus, Christianorum spes, *qui* „ *confirmas lapsos & erigis prostratos; qui redimis a cor-* „ *ruptione sperantes in te; qui sanas contritiones nostras,* „ *benignus & misericors & miserator & longanimis:* „ *Respice de excelso solio gloriæ tuæ, & da mihi fideli-* „ *ter consummare cursum meum; atque in* fide Patrum „ *perseverantem, dignum effici æterni & immortalis re-* „ *gni tui.*

Sequenti die adductus coram alio Juliano, Orientis Comite, Imperatoris Juliani avunculo, & apostata quoque, seque per miraculum a Christo sanatum & integrum ei exhibens, ait: *O stulte & impie, nescis quod lora ex tergore meo heri exscideris, ut omnes intuentes mei misererentur & lugerent, aspicientes illata mihi à te sacrilego tormenta? Et nunc, per voluntatem* Christi, *ecce, sanus rursum tibi assisto, saginate a diabolo, crudelis & inhumane. Nuncia tyranno tuo Juliano quanta sit* virtus Dei quem dereliquit. --- Et cum iratus Comes jussisset dorsum ejus ferramentis candentibus dispungi, *dum ita torqueretur beatus, humi stratus, voce magna oravit ad Dominum, & ait:*

„ *Lumen meum* Christe, *& spes mea* Jesu, *portus* „ *tranquillus in tempestate periclitantium, gratias tibi* „ *ago,* Domine Deus, patrum meorum, *quia eruisti* „ *animam meam ex inferno inferiori. Custodi in me* No- „ men tuum *inviolabile, ut victoriam referens, cur-*

„ *sum-*

„ *sumque meum ad te consummans, æternæ quietis hæ-*
„ *res efficiar: propter promissionem patribus meis factam*
„ *à Pontifice magno Jesu Christo, per quem in pace sus-*
„ *cipe spiritum in hac confessione perseverantis, quia*
„ *tu misericors & longanimis es, & multæ misericordiæ,*
„ *qui vivis & permanes in secula seculorum, Amen*".

Hac oratione completa, veluti suavi somno captus, tradidit spiritum ferramentis confossus. Consummatus est autem beatus Basilius in confessione Martyrii sub Apostata Juliano, mensis Junii die vigesima octava: cujus Martyrium omnes nos corroborat in fide JESU CHRISTI *Domini nostri, per quem tibi sit gloria & imperium in secula seculorum. Amen.* Sic desinunt Acta Martyris Sanctissimi.

§. LI.

S. THEODORITUS, Martyr, sub eodem Juliano Imp.

ET hic Martyr Presbyter, captus Antiochiæ, adductus ad Julianum Comitem, torquebatur ab eo propterea quod suam ipsi defectionem a Christianismo objiceret, falsum deorum contemneret cultum, verum Christi cultum proponeret; quos vero sermones ille ut fastidiret, ac rejiceret, philosophicos esse dicebat, (eodem ferme modo veluti nuper *Platonismus* à nonnullis veræ doctrinæ objectatus est,) *Dissertaris, sacrilege,* inquiebat Comes, *tanquam ab Athenis nuper adveneris.* Theodoritus autem ostendens ei è contrario ex quo fonte sua verba atque dogmata hauriret, in hunc respondit modum: *Ego neque ab Athenis, neque ab oratore; sed divina Scriptura irrigatus a* Spiritu Sancto *tuis respondebo interrogationibus, optans te iterum ad meliora reverti. Iratus idcirco Julianus jussit eum in contis fortius tendi. Cumque funibus quibusdam & trochleis fuisset extensus in tantum, ut octo esse pedum videretur Sanctus Dei Martyr; Julianus insultans ei tunc dixit: sentis tormenta, Theodorite? Recede ergo à mortui doctrina, & sacrifica, & vive. Theodoritus vero ingenti voce & hilari vultu respondit: Oblitus es quia dixi tibi: Opera manuum hominum ne dixeris Deos: sed recognosce Deum qui fecit cælum & terram,* & Jesum

LI. Theodoriti.

Christum *Filium ejus*, *cujus pretioso sanguine fueras liberatus*. *Julianus dixit : Crucifixum, mortuum & sepultum, ipsum* DICIS CREATOREM MUNDI ? *Theodoritus respondit : Crucifixum, mortuum & sepultum pro nostra salute*, ipsum *prædico resurrexisse a mortuis*, per quem facta sunt omnia, qui est Verbum & Sapientia Patris, *quem, quando tu sapiebas, rectè cognoscens adorabas*. ---

Cumque diu torqueretur, & nimius sanguis flueret de ejus lateribus, vultus ejus ridebat. Julianus dixit : Vel nunc cognoscens Deos, sacrifica. Theodoritus respondit : Ego non cognosco Deos manufactos, nisi unum Deum qui fecit cœlum & terram ---. *Julianus dixit : Necdum, ut video, sentis tormenta. Theodoritus respondit : Non sentio, quia* Dominus *mecum est* --- *Nullius sum debitor nisi* soli Deo, *cui puram exhibens conscientiam, oro ut* promissionibus *suis me copulare dignetur. Julianus dixit : Convertere ab stultitia, & lucrare animam tuam. Theodoritus respondit : Tu magis convertere ad* Deum vivum à quo recessisti, (abnegaverat CHRISTUM, cujus sanguine fuerat liberatus, & quem cognoscens adoraverat, uti modo dixit.) Cumque objiceret ei Julianus obedientiam mortuo crucifixo, & respondisset Martyr, eum in ultima die fore judicandum ab illo Crucifixo qui in gehennam mittere possit, ac propterea jussisset Julianus Martyrem lampadibus ad latera ardentibus aduri, hic ad Christum conversus *elevans oculos suos ad cœlum dixit :* „ Domine Deus omni-„ potens, *qui fecisti cœlum, & terram, & omnia quæ* „ *in eis sunt*, Salvator mundi, *repromissam spem famu-*„ *lo tuo, qui propter Nomen tuum hæc patitur, dare di-*„ *gnare*".

Tum ad quatuor alios qui ex tortoribus per miraculum conversi fuerant, eaque de causa Juliano ad mare, ut ibi suffocarentur, mittebantur; *Præcedite, fratres; ego vero superans inimicum sequar vos ad* Dominum, *qui mihi palmam victoriæ dare dignatus est* ---. *Victoriæ palmam dat Dominus Jesus Christus, Salvator mundi.*

Ad

Ad quæ *Julianus dixit :* Miserrime *hominum ! quem nos omnes ante trecentos plus minus annos ex muliere natum novimus, tu* CREATOREM *& remuneratorem esse dicis ? Theodoritus respondit : Quamvis indignus sis ad audiendum verbum Dei, propter adstantes tamen servos Dei, ne me putent esse superatum, audi quod amisisti.* Deus *qui fecit omnia per* Verbum suum, *misertus est generi humano, quos transgressos a fide videbat idolis servire, mittens* Verbum suum, *per Virginis uterum carnem suscepit humanam, quia* Divinitas *videri non poterat. Et sic sponte passus, salutem, quam amisisti, donare nobis dignatus est.* Ecce, Deus mittit Verbum : Verbum autem missum ut percipiatur, quia DIVINITAS ejus ex se est invisibilis, carnem suscipere debet. Tandem Martyr gladio percuti jussus dixit : Deo meo *gratias ago, qui mihi tolerantiæ finem dare dignatus est.* Quam tolerantiam acceptam referebat CHRISTO DOMINO, quem modo dixerat esse secum dum torqueretur.

§. LII.

SS. BONOSUS ET MAXIMILIANUS MM. sub Juliano Imp.

HI Martyres Jubente Juliano Comite aliquoties plumbatis cæsi, dein ardenti pici, sed frustra immersi, cum postea carceri per dies aliquot inclusi essent, & panes a Juliano ipsis missos sigillo suo, cui procul dubio idoli species insculpta erat, insignitos manducare recusassent, die quo coram eo comparebant, ad eum dixerunt : *Ecce, panes quos misisti non manducavimus : ipse enim nos saturavit in quem credimus, & ideo vestros terrores non timemus.* Deus autem noster Jesus Christus *tormenta nostra a vobis exquirere dignabitur.* LII. Bonosi & Maximiliani.

Ac deinde, postquam *Julianus Comes dixit : Ad bestias pugnaturi estis : Bonosus dixit : Potest* Deus Christianorum *adesse ad li-*

liberandum nos; & coronam quam nobis speramus, ab eo suscipiemus. Nos autem nec bestias timemus, nec ea quæ nobis promittis veremur: Sed habemus Deum Patrem, & Jesum Christum filium ejus, & Spiritum Sanctum, *per quem hæc omnia superamus.* Ab hac fide cum non discederent, gladio percussi sunt.

FINIS.

S. BASIL. Homil. XXVII contra SABELL. & ARIUM &c.

Δυσωπείτω σε ἡ παράδωσις. ὁ κύριος οὕτως ἐδίδαξεν, ἀπόστολοι ἐκήρυξαν, πατέρες διετήρησαν, μάρτυρες ἐβεβαίωσαν. ἀρκέσθητι λέγειν ὡς ἐδιδάχθης.

Confundat te traditio. Dominus ita docuit, Apostoli prædicarunt, Patres conservarunt, Martyres confirmarunt. Satis tibi sit ut dicas quemadmodum edoctus es.

DE-

DEFENSIO
METHODI
INVENIENDI VERUM

Contra

CL. D. THOMASIUM JCtum:

ubi simul capitaliora vitia

Libri DE LIBERTATE COGITANDI, principiorum LOCKIANISMI, uti & ENTHUSIASMI fanatici breviter ostenduntur.

*liberandum nos; & coronam quam nobis speramus, ab eo suscipiemus. [illegible] nec bestias timemus, nec ea quæ nobis promittis veremur: Sed habemus Deum Pa-*trem, & Jesum Christum filium ejus, & Spiritum Sanctum, *per quem hæc omnia [illegible]* [illegible] fide sum [illegible] gladio peremti sunt.

[illegible]

DE-

MONITUM

De sequenti Defensione hic subjungenda.

DUdum observarunt Theologi in quibusvis Christianismi partibus sive Ecclesiis, totam Socini & sequacium suorum Theologiam soli Rationi humanæ inniti, esseque prorsus philosophicam: licèt enim ad Scripturas sacras provocent, seque iis niti profiteantur: nihil tamen ex illis pro vero recipiunt quod cum Ratione sua humana plane non conspiret. Tractatus integri ea de re conscripti sunt ab aliquibus eorum, nec non & aliis qui cum illis hoc in articulo consentiunt. Christianam etiam Religionem, & Religionem Rationalem illi unam eandemque esse declararunt. Quando vero ipsis opponitur, Rationem humanam esse & nimis angustam & corruptam nimis, quam ut secundum illam res divinæ ipsæque Scripturæ sacræ a nobis sint interpretandæ: non consultanda esse in his Rationis ideas & ratiocinia; sed incipiendum esse ab humili cordis & animi fide, testimoniis Dei implicite & infantili modo sese subjiciente, & gratiæ lumen atque operationem implorante atque sequente, quales etiam Christus exigit discipulos, quibus se & Patrem & res divinas revelet, & quales fuere Christianorum sanctiores & diviniores, speciatim qui de rebus interioribus scripserunt: Illi solent ad hæc protinus regerere; istud quidem esse Rationem, qua homines sumus, & non bruta, abjicere indignum in modum: hoc autem idem esse atque enthusiasmo januam aperire; Scriptores vero laudatos non parum abfuisse quin hoc facerent,

imo

imo & fecisse non raro; atque hac de causa ab illis eorumque viis secedendum esse.

(a) Vid. & Oecon. Div. Lib. I. Cap. 20 & 21. Lib. II. Cap. 11, 12, 13. Lib. III. Cap. 1. & 14. & Lib. V. Cap. 3.

Conatus sum in Scriptis (*a*) meis editis, præsertim in libris de Eruditione editionis ultimæ (anni 1707) istas prævertere oblocutiones, eaque obstacula removere quæ salutarem veritatis solidæ cognitionem, quamdiu non tolluntur, mentibus reddunt inaccessam: ac simul etiam id magis magisque inculcare contendi, scilicet, non per viam ratiocinationum incipiendum esse, neque perseverandum in inquisitione solidæ ac salutaris veritatis; sed per viam cordis fidentis, testimoniis ac lumini Dei submissi, eorumque cupidi: qualem inierunt non pauci, imo pauci, quorum mentes simplicitate, humilitate, fide, precibus, divinoque lumine & auxilio magis excultæ erant quam suis ratiocinationibus. Nec potui, cum responderem Erudito Viro ad quem præcedens de Divinitate Jesu Christi Epistola scripta est, quin horum illi facerem obiter mentionem quando videbam eum Rationis operationibus nimium inniti. Sed cum hæc ipsa non potuerim ibi pro rei momento amplius exponere, coactus sum remittere ad libros meos in quibus & ipsa res explicatur pluribus, & difficultates objectæ removentur. quos libros utrum vel antea vel postmodum legerit, ac utrum ii ipsi satisfecerint aut secus, id plane me latet.

Verum ecce, redit in memoriam, Virum alium Clarissimum, qui Scripta illa mea utique legerat, testatum fuisse, idque publice, cùm illa ultimo essent edita, sibi in iis non esse omni ex parte hac in re satisfactum: & quicquid explicuerim, nihilo secius objecit ille mihi omnino duo vel tria ista quæ modo dixi a nonnullis veræ sententiæ objici, videlicet, (1) Rationis rejectionem

&

& abdicationem, veluti rem indignam plane atque iniquam: (2) deinde proclivitatem ad Enthusiasmum, vel periculum de eodem: (3) & denique quod Scriptores illi de rebus internis quos commendaveram, ab eo periculo aliisque nævis non essent immunes. Id eo tempore occasionem dedit materiam istam, simul difficultates quæ eam respiciunt, fusius atque latius dilucidandi ac dissolvendi integra Dissertatione, quam quidem licet ante annos aliquot scriptam, usque adhuc tamen non emisi ideo in lucem, quod non libenter Scripta mere eristica proferam, quorum subjectum præcipuum non sit assertum aliquod positivum ac recens, à me primo ibidem tractatum, cui demum alia veluti mantissæ loco subjungi commode possint. Cùm autem nunc per Epistolam præcedentem, in qua de tribus illis articulis modo notatis mentio fit, offerat sese occasio de iis plura dicendi & explicandi, hanc arripio occasionem apprime convenientem, uti hic addam & publicem quam hoc ipsissimo de subjecto Clarissimi Viri oppositionibus & toti Dissertationi suæ responsionem feci, & aliquandiu apud me servavi. In qua vero responsione si interveniant & nonnulla quæ non ita directe huc pertinere illico videantur, ea, spero, neque molesta erunt Lectori perspicaci, & revera cum hisce, licet præcipue cum Dissertatione Clarissimi Viri, quam respiciunt, connexionem habere genuinam facile perspicient. Sequitur itaque mea illa antè scripta Responsio hunc in modum.

DEFENSIO METHODI INVENIENDI VERUM.

PROOEMIUM.

De Occasione & contentis Dissertationis hujus.

LUcem vix conspexerant mei *de Eruditione* libri, in Belgio primùm anno 1692 emissi, ibidemque anno 1707 auctiores recusi, quando iidem post utramque Amstelodamensem Editionem prodibant denuo, meque inscio, Halæ ac Lipsiæ & Francofurti, cum Viri Clarissimi CHRISTIANI THOMASII JCti præfixa DISSERTATIONE, unicuique duarum harumce peregrinarum Editionum propria, at altera ab altera longè diversissima. De utraque tacui hucusque varias ab caussas; & de prima quidem, ne eam si laudarem, laudes quas Cl. Vir in me meaque Scripta illic congesserat, viderer commendare, licet eas illius benevolentiæ magis quam alii causæ adscriberem; si vero eandem improbassem, ne censerer perperam improbare laudabilem libertatem qua ille ibidem a me nonnunquam dissentit quando vel sua, vel Henrici Mori principia nonnulla ab illo assumta, videtur meis anteponere. De altera vero eaque ultima ejusdem Viri Cl. Dissertatione servati mei usque adhuc silentii caussa alterius fuit omnino generis. Dn. Thomasium plane in contrarium immutatum, videbam quidem non sine admiratione aliqua deposuisse amici viri benevolum animum (nullâ ipsi interim offensa a me recepta), uti animum adversarii, joculatoris interdum, susciperet, ac in censuris suis exprimeret. Attamen mentis ejus cuivis non ignota constitutio, mutandarum formarum plane non nescia, spem mihi faciebat aliquam fore ut cum tempore pristinus candor eum adigeret uti ad se rediret sua sponte, sibique ipse responderet eo modo vel simili quo olim COGITATIONES PASCHALES adversus se ipsum cespitantem conscripserat, & in lingua vulgi publicaverat palam.

Et

Et ſane hoc ipſum exigere ab eo videbatur vel ipſa naturalis ratio, tantopere ei commendata, ſi quidem eam voluiſſet conſulere cum reſpectu ſive ad Lectores noſtros, ſive ad æquitatem erga me naturali jure poſtulatam; ſive etiam ad ſolum Bibliopolam ſuum, qui cum ab eo deſideraſſet *præfationem* commendando Libro meo idoneam, atque adeo & ſibi quoque utilem, non debuerat a Clariſſ. Viro deludi & (quantum in ipſo fuit) damno affici per *Diſſertationem* præfixam, qua, ſi ea fidem mereretur, nihil ad libri neglectionem & contemtum, ſuique clientis ea in re bibliopolæ damnum, aptius dari omnino potuit.

Ad me quod attinet, id nequeo ſane cum jure naturali bene conciliare, quod quiſquam alius me adhuc vivente, meque inconſulto ac inſcio, opus meum, quod is ipſe olim publice faſſus eſt ſibi (*a*) *profuiſſe*, ſeque (*b*) *in ejus perlectione pios motus & tranquillam ſpiritus voluptatem ſenſiſſe*, edendum aggrediatur novis quidem ſuis additionibus propriis, ſed hoſtilibus ab initio quidem temeratum, quarta (*c*) vero operis parte, eaque maxime notabili, in fine plane mutilatum. Cl. Thomaſius Jurisperitus eſt. Simili de caſu faciat ſi placet, ipſe judicium; & utrum ſibi idem vellet fieri, attendat; aut ſibi ſi factum eſſet, utrum non ſperaret jure id ab eo qui fecit, merito revocandum. Equidem ut alteri benefacere & de eo benedicere, jus naturæ cuivis permittit; ita ex adverſo benefacta aut benedicta retractare, nulla interim ab altero injuria accepta, non æqui eſſe animi, ſed inconſtantis nec bene conſtituti, lumen naturæ utique oſtendit. Et poterat quidem Cl. Thomaſius ſine æquitatis naturalis violatione, Diſſertationem Editioni primæ Lipſienſi ab eo præmiſſam, in qua Opera mea commendabat, & quam ab ipſo non poſtulaveram, Editioni ſuæ vel apponere vel plane omittere: non poterat ſine æquitatis læſione contrariam, faſtidioſam, nec ſemel imputato falſo conſpicuam, præfigere repetitæ Editioni Operis in quod nullum ejuſmodi jus ei competebat.

Quantum ad Lectores, licebat eidem etiam ex æquo illos ad

(*a*) Cl. Thomaſii Diſſert. ad primam Edit. Lib. de Erud. pag. 4.
(*b*) Idem, ibidem. pag. 41.
(*c*) Omiſſa eſt ibi *Defenſio Librorum de Eruditione contra G. Titium*, cum tribus *additamentis*; quæ in Editione Amſtelodamenſi 1707. reperiuntur, ſuntque ad id ſubjectum primarii momenti.

mea legenda hortari quæ ſibi ipſi & profuerant olim & pios animi motus atque tranquillos expreſſerant; maxime poſtquam expertus fuerat, uti fatetur, (a) *aliquot Carteſianos per Scripta auctoris* (mea) *fuiſſe ad veritatis ſalvificæ agnitionem perductos*: nec non & (b) ſe *noviſſe quoſdam tentationibus ſpiritualibus pene ad anguſtias redactos, quos ipſemet* (Cl. Thomaſius) *quietos reddere non potuit*; *lectione librorum* quorumdam meorum, *quietos fuiſſe redditos*. Quo vero nunc jure, quæſo, per novam aliquam DISSERTATIONEM ſuam bonos ejusmodi fructus, quos ipſe fuerat expertus, aliis invidet atque etiam præripere tentat? Itane quoniam palato ipſius variabili iſtiusmodi fructus non amplius ſapiunt, putat, & jure putat, alios etiam ejuſdem inconſtantiæ vento obnoxios eſſe, vel eſſe debere? Quo jure, quando me videt bono occupatum animo in eo opere, per quod in aliorum mentibus bona quævis, quantum in me eſt, inſinuare conor ad cujusvis emendationem; ipſe ſponte ſua in opus meum involat deſtruente manu, quò tollat impediatque in poſterum ea bona, quæ ut non pauci ſenſerunt ſibi eſſe proficua, ſic & aliis non paucis prodeſſe etiam poſſint in poſterum? Nonne vidit quod hoc ipſo reum ſe coram Deo conſtitueret omnis boni omiſſi, ad quod per libros meos incitari potuiſſent, quos ab illorum lectione ſuo agendi modo avocavit?

(a) Cl. Thom. Diſſ. primæ Edit. pag. 15.
(b) Ibid. pag. 40.

Quâ ſane in re eo minus laudandus eſt Cl. Thomaſius quo magis ad improbandum opus ante a ſe laudatum, media adhibuit quibus deeſt veritas & æquitas. Huc autem redeunt quas ille attulit inconſtantiæ ſuæ rationes, & quas mihi objecit.

1. Methodo mea Rationem rectam, ejuſque lumen & uſum omnino abjici.

2. Methodi regulis præter nævos ceteros, Enthuſiaſmum non tantum non præcaveri; ſed & iiſdem Enthuſiaſtas ſive Quackeros, in rem ſuam abuti poſſe.

3. Interiores Scriptores, ſive Myſticos, a me alicubi commendatos, & ſibi olim laudatos, iiſdem nævis multiſque ſimilibus implicari.

4. Male Dn. Lockium, (meræ Rationis humanæ inſignem buccinatorem & ad ſummum omnium apicem promotorem) a me notatum & refutatum hoc in argumento fuiſſe: quem contrà

Dn.

Dn. Thomasius maxime commendat, & in capite quidem, mea sententia, eorum quæ scripsit Lockius omnium pessimo.

Singula hæc a me seorsum tractari in sequentibus, & contraria his comprobari certis argumentis necesse duco, ut querelis Clarissimi Thomasii adversum me & mea, in Dissertatione suâ Editioni quam procuravit alteri Librorum meorum de Eruditione, præfixa, ex æquo satisfaciam. Qua opera si bene defungar, atque ita ut ipse quidem Vir Clarissimus ad meliorem primamque mentem suam redeat, Lectores autem si qui per illum a recta via sint abducti, ad eam se recipiant, ceteri in bono pergant & promoveantur, erit unde Deo, laboribus meis (quod precor) benedicenti, laus, veneratio & amor æternus a quovis restituantur. Quod meum est ex animo votum unum atque perpetuum.

Præmittemus autem hisce nonnulla generaliora, quæ in cetera omnia influant. His sequentem dabimus sectionem: aliis quatuor, totidem alias, quibus quinque nostra constabit Responsio, hoc ordine:

Sectio I. Generalia de veritate quærenda.

II. De Ratione rejicienda vel sequenda.

III. Defensio Regularum Methodi.

IV. De Enthusiasmi periculis & cautione.

V. De D. Thom. judicio mutato circa libros meos, Scriptores mysticos; & de J. Lockio.

SECTIO PRIMA,

Continens generalia quædam præmittenda de Eruditione vera, quærenda per Veritatis cognitionem ſecundùm Methodum meliorem.

Oſtenditur ex occaſione inſolentia libri nuperi, DE LIBERTATE COGITANDI.

I. Diſſertationis D. Thomaſii contra me, partes duæ. Primæ, quæ me non reſpicit, defectus aliquot.

I. NOva DISSERTATIO ſive Præfatio Clariſſimi Viri, D. Thomaſii Editioni Francofurtenſi & Lipſienſi Librorum meorum de Eruditione anno 1708 præfixa, partibus conſtat duabus, paragraphis XXXVII. quorum pars prima viginti & duos habet, altera reliquos. Prima pars nihil ad me attinet: impenditur enim tota in explicandis diſponendiſque propriis ſuis cogitationibus de Sapientia, de Eruditione, ejuſque partitionibus ſecundum principia ſibi propria: quod quidem ei ſeorſum licuit facere: ſed optaviſſem ut operi non ſuo, ſed meo, eam non præfixiſſet farraginem qua Lectorum animi potius confunduntur & diſturbantur quam præparantur ad rectam ſubjecti de quo Libri agunt, Eruditionis videlicet, intelligentiam. Alios plane ſenſus, & quos falſos judico, imponit Dn. Thomaſius vocabulis *Eruditionis ſolidæ, ſuperficiariæ & falſæ*, quam quos eis & dedi, & competere oſtendi. Vitioſa eſt illico ea, quam proponit SAPIENTIÆ definitio per partes quatuor integrantes, quas Sapientiæ *quatuor columnas* appellat, quæ vero ſunt, (1) Verum, (2) Bonum, (3) Veri & boni cognitio, ſive Eruditio: (4) Veri & Boni uſus, ſive praxis. Atqui *verum & bonum* abſolute & in ſe, prout diſtincta ſunt, uti hic ſunt, ab eorum cognitione & uſu, nihil faciunt ad ſapientiam quæſitam, ſed ſolum quatenus cognoſcuntur atque practicè amantur. Superflua igitur eſt duarum illarum columnarum primarum poſitio vel enumeratio, quando ipſæ res in duabus alteris columnis jam evidenter, quantum opus eſt, continentur. Præterea *Verum, bonum, cognitio, praxis*, vocabula ſunt ambigua. Dantur enim vera, bona, cognitio & praxis vel realia & ſolida, quando objecta ſunt ſolida, eorumque vivi actus, viva effluvia, imo & quando eorum inhabitatio facultates noſtras reales,

fun-

fundumque mentis ſolidum afficiunt ac implent; vel dantur vera idealia & picta, parvique momenti; bona apparentia & evanitura; cognitio idealis & picturata; praxis externa planeque ſuperficialis: quæ Clar. Auctor non tantum non diſtinguit; ſed & §. XII. fatetur omnia quæ hactenus de Eruditione dixit, pertinere unicè ad hanc *temporalem vitam* atque ad facultatem *rationis naturalis*, quam eſſe corruptiſſimam utramque fateatur oportet; ac proinde quicquid de Eruditione hactenus præfatus eſt, ea ad Eruditionem ſi non falſam, ad minimum ad ſuperficiariam, umbratilem, evanidam vanamque pertinere conſequitur. Sed, uti dixi, eum velim libens ſuis relinquere cogitatis; atque ad ea tantum pergere quæ libuit illi meditatis noſtris opponere, quæque me adeo proprie reſpiciunt.

II. Primæ Clariſſimi Thomaſii aggreſſiones, quæ adverſus Methodum meam oppoſitæ ſunt, reprehendunt in illa, tum generale quoddam vitium, quod Rationis *abjectionem* putat eſſe; tum in unaquaque ex ejus ſex regulis aliquid ſpecialius. Ego, ut nonnulla ad hæc dicam quæ Lectoribus utilia eſſe poſſint, rem ex principiis profundioribus exponere neceſſe habeo, quæ vero nulli tædioſa fore mihi perſuadeo.

II. Ad alteram partem Reſponſio. Generalia ad eam præmiſſa.

In aperto eſt, & apud omnes minime dubium, homines eo in quo nunc naſcuntur ſtatu, ita miſeros eſſe atque corruptos, ut ſi ſibi permiſſi eſſent quales ſunt nati, ſine ullo quam quod cum beſtiis commune eſt adminiculo, haud beſtiis evaderent diſſimiles, quemadmodum videre eſt in feris quibuſdam populis quibus ob defectum auxiliantis educationis ac eruditionis, vix aliquid humani præter figuram corporis ſupereſt. Auxilio igitur alieno opus eſt niſi tantum non beſtiæ debeant remanere.

De ſtatu beſtialitatis, in quo homo naſcitur: & reſtitutione ex illo.

Qui inde vere reſtituti ſunt, aut ſaltem qui veræ reſtitutionis principia & incrementa habent ſolida, de perfecta & ſui & aliorum reſtitutione ſolliciti, ejuſque naturæ ac mediorum cognitione imbuti, unanimiter, ſi ſunt ſinceri (quod ſupponimus) de ſequentibus conſentiunt.

III. (1) Hominem eſſe opus Dei, factum pro Auctore ſuo, Deo æterno, cognoſcendo, amando, fruendo, adorando, laudando, ita ut omnino totus Dei ſit, & Deus totus ejus nunc & in omnem æternitatem, qua de cauſa a Deo donatus eſt homo mente animoque & facultatibus tantum non immenſis atque liberrimis, quibus & Dei dona actuſque divinos & ipſum in ſe admitteret Deum, ſeque totum cum iis quæ ſua ſunt, Deo redderet atque committeret.

III. Axiomata de hominis fine & officio;

(2) Omne verum ſolidum, omne bonum reale, huc pertinens, ſo-

ſolius Dei fluenta eſſe atque effecta ex illo ſolo manantia: apud quem & petenda ſint; acceptaque, ei debeant referri.

De via ad Eruditionem veram;

(3) Unde evidenter ſequitur, hominis qui ex ſtatu creationis ſuæ decidit in ſtatum illum beſtialem, modo memoratum, in quo & ſolido vero & bono reali, Deoque etiam ipſo privatus eſt, munus primum atque officium eſſe, ut, quantum ejus per ætatem capax eſt, ſeſe illico, ſuasque realiores facultates, animum ſive cor, intellectum, ceteraſque ad Deum convertat, eique reſtituat, poſtulans & exſpectans ab eo divinas ſolidæ veritatis realiſque boni emanationes ac operationes, quibus paulatim in eum ſtatum reſtituatur in quo & propter quem creatus eſt. Hæc eſt via compendiaria *Eruditionis ſolidæ.*

Ad falſam & triplicem Epicuream.

(4) Quod ſi homo iſtud officium vel negligat plane, vel intermittat diutius, ut interim, dum facultates ſuæ ad divina datæ altum dormiunt, inferioris generis facultates vel ad corporea ac terreſtria datas, vel ad ideales & ſuperficiales rerum conceptus atque imagines creaturarum formandum idoneas, exerceat totas circa ſua objecta ſive corporea realia, ſive circa ideas earumdem rerum, venit inde homo e ſtatu beſtiali fero, in ſtatum beſtialem cicuriorem atque mitigatum, veluti ſi ex Urſo aut Elephante ferociore atque indomito, fieret Elephas Urſusve manſuetus atque, ut ita dicam, diſciplinatus, interdum Vulpes callida & malignior, beſtia tamen. Hæc eſt via & Methodus ad *Epicureiſmum*, cum *craſſum* & porcinum, quando ſine modo ac regula facultatibus edendi, bibendi, voluptandique ſatisfaciunt; tum *moderatiorem* & medii generis, quando objectis terreſtribus neceſſariis, mediisque ad ea acquirenda ſufficientibus contenti ſunt totique eis occupati, veluti gentium maxima pars fuit: tum denique *honeſtiorem*, quando animalium hominum gloriam ſitientes, ita ſe honeſte ad eorum placitum ac approbationem regunt, ut honeſtorum hominum axioma inde reportent. Quod ultimum pars eſt falſæ Eruditionis.

IV. *Inter ſtatum beſtialem & tendentiam ad ſtatum reſtitutum non dari tertium, qui ſit homine dignus.*

IV. Unde patet eos planiſſime a via recta aberrare, qui, veluti Clariſſ. D. Thomaſius, cenſent, hominem e ſtatu *beſtialitatis* debere primum ad ſtatum modo dictum, quem *felicitatis hujus vitæ temporalis* & *eruditionis veræ* rationalis ſtatum dicunt, transferri, antequam ad diviniorem reſtitutionis ſtatum promoveatur. Nec refert quod eum ſtatum in quo homo e beſtia fera factus eſt beſtia mitior, *humanitatis* nomine inſigniant, quaſi verò aliquis hoc modo e beſtia factus eſſet homo, qui tamen homo qua talis, ſoli felicitati (ſive voluptati) hujus vitæ temporalis deditus eſſet hactenus. Atqui homo, qua talis, qua excogitatus & conditus a ſuo Auctore, eſt IMAGO DEI, eſt creatura divina atque æterna,

na, eſt filius æterni, ſpiritualis ac ſupracœleſtis Dei; tantum abeſt ut titulum hunc admirabilem mereatur bellua aliqua cicurata, vel nitidior aliquis Epicuri de grege porcus. Quod ſi enim hominem in beſtiali ſtatu natum, ubi ejus facultates atque libertas in pueritia incipiunt ſeſe expedire, ita inſtruxeris, ut poſtpoſitis divinioribus, eum facultatesque ſuas circa hujus vitæ objecta peritura exerceas; non hominem, ſed beſtiam diſciplinatam & ad temporalia ac evanida utilem effeciſti: quæ ſi hoc in ſtatu diutius ſit occupata, radicata, atque, ut ſic dicam, per habitum fixata & fundata; deinde vero hoc beſtiali fundamento ſtante, Chriſtianiſmum eruditionemque divinam, quâ homo vere reſtituatur, ei ſuperædificare velis; ecce arenæ, fundamento malo ac nulli, cordi vitiato, affectibus terrenis dominantibus, voces & ceremonias tantum ſuperædificas, unde Chriſtianos nomine, re Ethnicos, homineſve animales atque beſtiales ſolummodo habeas. qualibus, eheu, nimis ubique abundat hodiernus iſte noſter Chriſtianiſmus, longe ab illo diverſus in quo vere dicebant, (*a*) *Non ſpectamus ea quæ cernuntur*; *ſed ea quæ non cernuntur.*

(*a*) 2 Cor. 4. ℣. 18.

V. *E ſtatu beſtiali emerſio per idealem, neglecto æterno & ſolido, eſt depravatio, interdum diabolica & pernicioſiſſima, huc uſque in non paucis lugenda.*

V. Patet eos etiam falli, qui ut homini primum in ſtatu beſtiali nato auxilium ferant quò ad ſtatum humanitate dignum redeat, eidem quàm primùm, præter objecta terreſtria & naturalia adipiſcenda, & ante ſpiritualium atque diviniorum acquirendorum, quibus ſe Deo reſtituat ſollicitudinem, proponunt ſtudia *idealia* earum rerum quæ vel ad hanc vitam pertinent, vel res extraneas & naturales reſpiciunt. quæ vero pars eſt præcipua *Eruditionis falſæ*, ortum trahentis ex intellectus ſuperficiaria, vana atque ſuperba agitatione & curioſitate, quâ homo ut e communi ceterorum beſtialium ſorte atque ordine ſe excipiat, ſeque & ſuis, & aliorum oculis diſtinctum ac conſiderandum reddat, omnium rerum factorumque externorum imaginibus, ideis, cognitionibus harumque variis ordinationibus ſeſe onerare enititur, ratus ſe ubi hæc acquiſivit, tunc demum hominem eſſe, quando tamen adhuc beſtia ſolùm eſt, ſui ipſius, ſimiliumque ſui beſtiarum harumque actionum, uti & objectorum externorum imagines in ſpeculo videns, ac cum iis ludens. Cui autem ſtatui ſi aliquandiu inhæreat, ſi penitius ei incumbat, ſi in eo vel emolumenta, vel laudes, ſuperbumque de ſe ſenſum captare ſit aſſuetus, ac tum demum poſtea de altera vita ſaluteque ſua æterna per ſtatum Chriſtianum acquirenda incipiat cogitare; ecce animus ejus ita imbutus ac præpeditus, pro ſolida Chriſtianiſmi cognitione aptus eſt redditus qui tantum recipiat ideas atque opiniones divinarum rerum plane ſuperficiales, ſteriles, inanes, mortuas,

absurdas incertasque sæpius ac falsas; ob quas si se etiam efferre assuescat, sibi persuadens se demum e statu bestialitatis, imo & humanitatis in statum veluti angelicum emersisse, angelicum sane statum utcunque attigit, sed eorum angelorum qui per superbiam dæmones evaserunt. Idque eo perniciosius solet accidere, quo magis istiusmodi speculatores rationem suam theologicis studiis sacrisque ideis perficere satagunt. quibus imbuti atque eruditi, si aliis docendis atque ad Christianismum & salutem ducendis præfuerint, vel idealem, frigidum planeque Philosophicum Christianismum (qualis Pelagianorum est) ipsis tradituri sunt; vel opiniones affectionesque ad turbas, ad odia, ad calumnias, ad cædes (elementa Satanæ quatuor) corda disponere aptas, cum ipsis communicabunt: quod utinam usque adhuc multorum seculorum eventa ipsis factis non comprobassent!

VI. *Posse & debere homines ab infantia ad solidam restitutionem & eruditionem illico adduci.*

VI. Ecce quò deventum est ex oblita & neglecta vera via emergendi e statu bestialitatis per festinam sui Deo, quantum ejus capax est subjectum, restitutionem, anteposita ei & prius calcata via progrediendi primum per studia idealia rerum externarum, idque sub frivolis nescio quot obtentibus; veluti, quod infantes puerive adhuc inepti sint ad spiritualia & diviniora, quod per studia externa atque idealia, culturamque per hæc rationis suæ, ad illa melius præparari possint, & his similia, quæ prætexta & falsa sunt omnia, & experientiæ, testimoniis Dei, ipsisque hominum factis nonnullis ac dictis, plane opposita & contradicentia. Certe & infantuli corda habent atque affectus quibus suos parentes eosque qui illis benefaciunt, amplecti possunt atque solent: quidni & hæc ipsa Parenti summo ac Benefactori perpetuo offerre possint eâdem vel majori sinceritate atque affectione qua parentibus creatis, si eò alliciantur a teneris & sollicite adducantur, secundante præsertim eas curas, eos motus Creatore benedicto, qui infantilia corda nec multis nedum pravis habitibus indurata, ad se intime movet, trahit, venire jubet? (a) *Sinite*, inquit, *parvulos ad me venire; eorum siquidem est cœleste regnum.* (b) *Præbe, fili mi, cor tuum mihi:* (c) *Memento Creatoris tui dum adhuc junior es antequam veniant incommoda tempora in quibus eo delectari* non erit tibi gratum, quia non consuetum. Istuc ut suos natos cito inducerent Christiani primi, iis quam maxime commendatum erat: (d) *Patres*, inquit Paulus, *educate liberos vestros in eruditione* (παιδείᾳ) *& in monitis Domini: Liberi nostri,* dicit (e) Clemens Apostolicus ad Corinthios, *eruditionem* (παιδείαν) *quæ est in Christo, accipiant: Discant* [illico] *quantum humilitas apud Deum valeat; quid casta charitas apud Deum possit; quomodo timor ejus*

(a) Matth. 19. ℣. 14.
(b) Prov. 23. ℣. 26.
(c) Eccle. 12. ℣. 1.
(d) Ephes. 6. ℣. 4.
(e) Ep. ad Cor. cap. 21.

ejus bonus est & magnus, salvans omnes qui in pura mente in ipso sancte versantur. Unde & antiquus profluxit mos, liberos statim ferme atque nati sunt, Christo Domino initiare per sacrum Baptisma, in quo mundum mundanaque per sponsores abnegare se profitentur, quo uni Christo Eruditori omniumque restitutori quamprimum dedantur, siquidem, quemadmodum ipsimet dicunt Eruditi:

Quo semel est imbuta RECENS *servabit odorem Testa diu.*

Et tamen, quod mirandum est, volunt iidem illorum animos ad hæc præparari per *prævia studia idealia* externarum rerum, quæ potius corda solent reddere frigida, divinisque rebus emortua, mentem vero inflant superbo idearum atque imaginationum vento, quo ad solida redduntur inepti: quando contra, quæ mens seque suosque affectus à teneris ad Deum convertit, ea per hoc præparata redditur non ad divina & solida tantum, sed & ad naturalia, ad idealia, ad omnia in quantum id exigit necessitas bonusque & verus rerum ordo, cujus Deus non destructor, sed restitutor est atque conservator. Nunquam sane melius provisum fuit vel universis populis omnique rerum externarum statui & ordini, quam quando iis præfuere Josuæ, Davides, Salomones, Ezechiæ, similesque eorum à teneris ad Deum conversi. (*a*) *Pietas promissiones habet vitæ non solum futuræ sed etiam præsentis:* quæ vero promissiones in ore Christi ipsius apertissimæ sunt hisce ejus verbis: (*b*) *Quærite primum regnum Dei* (ut Deus regnet in vobis) *& justitiam ejus*, (ei reddentes, uti justum est, & vos ipsos vestraque omnia,) *&* tunc *cetera adjicientur vobis.* Et sane nullos unquam licuit videre vel prudentius agentes, vel solidius ratiocinantes, quam qui Deo vere imbuti sunt: contra, sole clarius est magna illa seculi ingenia, viros bona ut vocant & sana mente, sano sensu, magno judicio, laudataque sapientia præditos, in hoc plerumque stultescere, quod se totos suasque omnes vires atque dotes, rebus evanidis omnino occupent; æternas res, immensasque ab occupatione sua, suis curis, suaque memoria removeant; se, quà morituros, quam maxime curent; quà æternos, negligant & perdant; quâ vero stultitiâ, nulla dari potest insignior & magis stupenda, vel ipsismet olim hujus veritatis testibus futuris, quamvis serò nimis.

(*a*) 1. Tim. 4. ℣. 8.

(*b*) Matth. 6. ℣. 33.

VII. Ista mala ut præveniantur, nec non ut e tenebris ac miseriis brutis in quibus nascimur, emergamus, patet e dictis redeundum esse ex animo ad illum qui nos fecit, quique omnis boni atque omnis veri origo una est. Ast id omnes, ii saltem qui sapere volunt, se facere velle profitentur, seque propterea cupere ab inquisitione VERITATIS,

VII. *Idque per veritatis inquisitionem, sed debita via, sive*

Methodo; non autem mala.

quæ ſane a Deo eſt, ac proinde ad illum tuto reducere apta eſt, incipere. Bene ſane hactenus: ſed uti ad opus ipſum homo ſe accingat, diligenter obſervandum eſt, quod parum hucuſque obſervatum fuit, duas ſcilicet vias, duaſve methodos ſeſe hic offerre, quorum alterâ ad ſcopum præparamur & appropinquamur, alterâ præpedimur ab eoque removemur: eventus ſiquidem palam facit non omnes qui veritatis inquirendæ ſtudio occupantur, ad ſcopum verum pervenire; ſed paucos admodum: quod indicio eſt, mala methodo multos proceſſiſſe, bona oppido paucos.

Bonam Methodum appello (*a*) METHODUM EMENDATIONIS, quæ amarior & paucis amata: Malam dico METHODUM CURIOSITATIS, quæ corrupto hominis palato ſapidior, atque adeo non modo philoſophis tantum non omnibus, ſed & quibuſvis qui ſapere ſibi velle videntur, acceptior.

VIII. *Quæ vera Methodus eſt emendationis. Et quid ea a ſubjecto ſive ab homine reſtituendo & erudiendo requirat.*

VIII. METHODUS EMENDATIONIS fundamenta habet in ipſa extremorum conjungendorum natura, eorumque ſtatu & obſervantia. Extrema hic conjungenda, ſunt ex una quidem parte ipſum ſubjectum, ſive homo, ejusve mens, cor ſive animus, atque facultates: ex altera, ipſum objectum, ſive Deus ejuſque veritatis & bonitatis effecta atque effluvia. Et circa objectum quidem nihil omnino *emendandum* occurrere poteſt. Obſervandum ſolum, id natura ac ſtatu ſuo eſſe ens ſpirituale, intimum, ab omni fraude, malitia, mendacio, iniquitate alieniſſimum, puriſſimum atque ſanctiſſimum, & a quo, per quod & ad quod omnia: quodque adeo neque conjungi neque commercium habere poteſt cum ſubjecto quantum ad naturam vel ad ſtatum ſuum plane bruto, ad externa dedito, fraudulento, maligno, iniquo, impuro, ac diſpoſitiones hujuſmodi in ſe conſervante: abhorret potius ab hiſce mentibus; neque unquam illis eſt reperiendum.

Quantum ad ſubjectum de quo nunc agitur, cum ipſe homo ſit, obſervandum eſt primò, eum ex ſe & eſſe nihil, & nihil ex ſe poſſe. E qua obſervatione evidenter ſequitur eum neque debere ſeipſum regere ad placitum ſuum, neque a ſe ſolidas ac perfectas realitates ſperare: ſed ab auctore omnium debere eas exſpectare; & ad ejus placitum ſe regere; eique acceptas grato referre animo. Secundo obſervandum, an id ſubjectum, an homo ille, cum ſuis facultatibus in eo ſtatu ſit, in ea conſtitutione & præparatione, ut cum eo communicari poſ-

(*a*) Hæc & ſequentia de Methodis, aliquot annos ſcripta ſunt ante ea quæ hoc de ſubjecto propoſui in Præfatione Edit. III. *Cogitationum Rationalium* anni 1715, plane tunc oblitus me hic loci ea de re aliquid ſcripſiſſe.

poſſint objecti illius ordinatiſſimi, ſpiritualis, intimi, veracis, juſti, boni, puriſſimi emanationes, objectumque ipſum: quod ſi non ita ſit, ſi hominis facultatumque ſuarum ſtatus plane confuſus ſit, ſi totus externus atque corporeus, ſi fraudulentus, ſi iniquus, malignus, impurus planeque corruptus; tunc utique *Emendatione* prævia opus eſt, quâ ſubjectum ſolidæ veritati quærendæ & admittendæ dicatum, impedimentis ſuis praviſque ſuis diſpoſitionibus prius liberetur, eaſque conſequatur mentis & facultatum qualitates & conſtitutiones, quæ non impediant quo minus ſe cum illis deinde communicent veri bonique origo & fluenta ejus neutiquam temeranda. Vides evidenter, Lector, hiſce paucis, Methodi emendationis fundamenta, naturam, neceſſitatem, utilitatemque ac fructus inde ſperandos.

IX. *Cui ut inſerviret Tractatus de* vera Methodo inveniendi verum, *conatus ſum.*

IX. Ea de cauſa & hoc ipſo ſcopo, bona erga bonos voluntate impulſus, ut illis, quantum per imbecilles vires licebat, adjumento eſſem, ſcripſi ante annos aliquot tractatum de *vera Methodo inveniendi verum*, quem Libris *de Eruditione*, tunc etiam luci datis, præpoſui, cujus vero Tractatus pars prima ipſiſſimam *Emendationis Methodum* ſingularius exhibet, deſcribitque: leges ejus, memoriæ gratia, ad ſex numero Regulas ſive axiomata brevia reducit; eaſdemque explicationis ergo, pluribus quoque proponit. Hunc Tractatum de Methodo non paucis Eruditorum proborum mentibus placuiſſe & adhuc placere, notius eſt, quam ut opus nunc ſit id manifeſtare. Solebant illum in collegiis ſuis commendare Spanhemii, Waieni, Vrieſii, aliique e doctiſſimis inter Theologos & Philoſophos variis in locis. Enimvero habuit etiam adverſarios nonnullos, &, quod mirandum eſt, ex illorum etiam numero qui eum antea non mediocriter approbaverant atque commendaverant: ſed an legitimis de cauſſis, id in ſequentibus examinabimus.

X. *De Methodo curioſitatis, malis ejus notis atque effectis,*

X. Dicendum eſt prius verbum unum alterumque de altera illa Methodo quam appellavi *Curioſitatis Methodum.*

Introductor ejus primus, aut, ſi vis, origo, eſt ipſe Satanas, animique humani ſuperba levitas: fundamenta habet neglectum & ignorantiam: fructus, vanas imagines, plerumque chimæras, temporis perditionem, animæ deteriorationem, veraſque tenebras & infelicitatem; homo ea methodo ſapere, ſcire ſive philoſophari volens, de *ſubjecto*, de ſe non eſt ſollicitus, ſe maxime ignorat, non conſiderat ſe habere mentem mentiſque facultates ſpirituales atque immortales, & tantum non immenſas, pro objectis ſpiritualibus, æternis, immenſis, diviniſque factas atque ſibi datas; quibus ſi non conſulit, ſi non utitur ad mentem datoris, æternum peribit: non ſollicitus eſt de illarum ſtatu,

tu, non de illarum *Objectis* ſpiritalibus, æternis, divinis, intimis, ſolidi veri, & felicis boni Originibus unis: ſed iſta omnia neglectui & oblivioni tradens, quaſi beſtia eſſet committit ſe totum facultatibus objectiſque extraneis & corporalibus; quibus vero ei non ſatis eſt uti, non ſatis eſt frui, niſi inſuper ex vana acceſſoriæ facultatis rationis activitate & levitate, ab animarum inimico non parum excitata, in omnia, etiam minutula & futiliſſima, volitare cuperet, quo omnium rerum atque recularum harumque actionum, factorum & effectorum IDEOLAS in ſe formaret, eas conſideraret, per ratiocinationes earumque ſequelas multiplicaret, combinaret, in ſyſtemata artificialia diſponeret: quibus quidem ab omni ſeculo incubuerunt ſedulo ſeculi ſapientes atque Philoſophi quarumvis ſectarum ad noſtra uſque tempora; idque eo & ſcopo & fructu, ut poſtquam hiſce bullis vacuiſque imaginibus cumulandis & ordinandis diu ſatis cum nonnulla in iſtis peritia vacarant, jam ſe veluti e ſtatu beſtialitatis emerſos, aliis multo excellentiores, Deo veluti aſſimilatos & approximatos, admirentur, ſibi quærant laudes & commoda; dum interim Deus iiſdem neglectus, illorum mentes ſcotomate interdum atque inſania, ſemper cæcitate majore percutit, divino lumine ſuo atque auxilio, quæ repulerunt, iiſdem ſubtractis; quo fit ut in miſeriæ æternæ elemento maneant perpetim, ac eidem magis magiſque immergantur, niſi inde per emendationis viam velint deſciſcere, quo per viam curioſitatis a Satana perducti ſunt hominum vel perfectiſſimi.

XI. *In homine eum perfectiſſimus eſſet, conſpicuis.*

XI. Habemus enim ex hiſtoria ſacra hominum primos, cum creati eſſent ſolido vero realique bono in Dei commercio fruentes, cum eoque facultates ſuas diviniores ac ſpirituales exercentes, ubi nimis ab hoc exercitio ceſſare inciperent, ſuaſque externas facultates objectis viſibilibus ac corporeis intentius & diutius atque par erat occuparent, fuiſſe non difficulter a Satana per viam & *Methodum curioſitatis* è ſtatu felici atque optimo in peſſimum atque infelicem illico præcipitatos, poſtquam tentatori, *curioſitatem* illorum per promiſſas rerum viſibilium cognitiones, ſcientias, ideas provocanti, atque inſtillanti, (*a*) (*aperientur* ſcilicet *oculi veſtri*, oculi rationis, *eritis* SCIENTES *bonum & malum*, *ſicut Dii*,) obtemperaviſſent, indulgendo concupiſcentiæ ſuorum oculorum (ſive *curioſæ* Rationi), dum reſpicerent objectum externum *oculis ſuis pulcrum*, *adſpectuque delectabile*. Quod enim eo in lapſu terribili rationis curioſitas, idealiſque ſcientiæ appetitus primum locum ponduſque præcipuum habuerint, præter promiſſa Satanæ, *Scientes eritis*, confirmat id divina per Salomonem Sapientia; (*b*) *Vidi*, inquit, *quod Deus fe-*

(*a*) Gen. 3. ℣. 5, 6.

(*b*) Eccl. 7. ℣. 30.

fecerit hominem rectum : sed hic quæsivit ratiocinationes multas. Verumtamen istæ illius temporis ratiocinationes dicendæ videntur paucissimæ præ illis quæ nunc & indies cum enormi licentia in infinitum quæruntur, & quærendæ defenduntur.

* *Examen valoris libri novissimi de* LIBERTATE COGITANDI.

XII. In mentem venit hac occasione liber nuperrime ex Anglico sermone in Gallicum emissus cum titulo, (*c*) DE LIBERTATE COGITANDI, quem obiter pervolvi, ac de quo ego si *libertatem* sumsero nonnulla *cogitandi*, & cogitata mea breviter hic enuntiandi, id non ægre feret, spero, secundum principia sua Auctor anonymus atque incognitus. XII. *Libri de* libertate cogitandi, *nævi generaliores.* (*c*) *De la Liberté de penser.*

Laxat frena omnia sine ullis repagulis *methodo curiositatis*, quæ si periculosa est, non potest non esse multo periculosior auctoris methodus prorsus ἀμέθοδος. Confusior illico mihi visus est ille liber, &, quantum ejus memini, (neque enim mihi nunc ad manus est,) sine evidentia, sive claritate, sine principiis, sine scopo certo vel conclusione, sine probationibus ad rem, sine utilitate ulla, neque tamen sine periculis summopere timendis ac effugiendis. Vocabulum *Cogitationis* vel *cogitare*, quod amplissimæ est ac multifariæ significationis, non satis distinguit auctor, nec ad certam significationem se satis adstringit. Cogitationes sunt ideæ, idearum formationes, considerationes, amplificationes, ordinationes, conclusiones judiciales. Cogitationes sunt & repræsentationes bonæ, malæ, honestæ, turpes, horrendæ, criminosæ, consensusque cum iis. Cogitationes sunt & affectus, cupiditates, amor, odia, iræ, zelus, furores, & quicunque motus in anima excitari possunt erga quæcunque objecta. Auctor in sua definitione *libertatis cogitandi*, videtur cogitationes ad ideas judiciaque de illis restringere : in libro eas extendit ad Religionem ac cultum divinum quæ sane constant cogitationibus desiderii, amoris, venerationis, timoris, zeli, erga quædam objecta ; odii, contemptus, horroris, fugæ erga contraria.

XIII. *Libertatem physicam* non distinxit Auctor a Libertate *moraliter* considerata, quarum illa physice ita licita est, ita soluta, ut a nullo prohiberi sine absurdo possit, nec ab ipso Deo vel in Dæmonibus impediatur : liberum enim est cuivis de quovis intus & apud se cogitare XIII. *Libertatem* physicam *cogitandi infinitis*

pro-

malis esse obnoxiam.

prout vult, suasque ad placitum determinare & regere cogitationes intra sese: at ea lege, eoque eventu, ut prout sua cogitata objectis bonis, vanis, falsis, malis applicuerit, eaque circa illa bene, male, vane direxerit, exspectet & sortem æternam cum istis omnibus congruam. Itaque liberum est mala & falsa, & vana, & impia & diabolica cogitare & judicare, intus approbare, & fovere; sed & cum illis simul ad Diabolum ejusque infernam cavernam pergere quantum libet. At væ tali *Libertatis cogitandi* licentiæ & exercitio, quo revera, siquis infelix esse nolit, sibi summopere debet interdicere, atque illicitum & minime liberum moraliter habere quod physice tamen liberum est.

Neque id tantum ita est de cogitationibus quatenus intus in animo conceptis & conservatis; sed & de iisdem quatenus sive verbo sive facto expressis atque indicatis. Cuivis enim physica libertate liberum est quæcunque cogitat & vult, ea verbis enuntiare, corporisque ea membra quæ cogitationum subsunt imperio, pro cogitationum lubitu movere: sed hæc ipsa esse moraliter licita & libera coram Deo, coramque hominibus, eorum societatem si spectes sive naturalem, sive politicam, sive œconomicam, quis est qui asserere sustineat nisi omnis confusionis amator & fautor, omnis ordinis boni ac honesti osor atque hostis?

Libertas physica cogitationum seu illæ in animo solo lateant, seu eadem verbis factisve se prodant, ut bona sit, ut moralis & licita libertas sit, limitibus quibusdam omnino coërcenda est, internis quidem coram Deo, quantum ad cogitationes internas; externis verò coram hominibus quantum ad cogitationes verbis factisve exprimendas: quos limites quisquis sponte sua consultoque violare aggreditur, is quantum ad interna cogitata, justissime a Deo punitur, atque miseriis quibusvis permittitur; quantum ad ea vero quæ externis verbis atque factis exprimuntur, isthæc merito ab iis qui ejusdem naturæ consortes sunt, in naturæ statu castigantur, vel ab iis qui in statu præsunt politico aut œconomico, reprehenduntur atque puniuntur.

XIV. *Libertatem physicam cogitandi coërcendam esse per libertatem morali jure moderatam. Fundamenta jurium & legum.*

XIV. Ratio cur Libertas physica morali libertate, qua omnia neque licent neque libera sunt, sit constringenda, evidentissima est, inque ipsissima rerum natura fundata, imo & in ejus, ut ita dicam, centro profundissimo & omnium primo. Homo namque liber neque se ipse, neque suam libertatem, suas libere cogitandi potentias fecit; neque eorum objecta ulla fecit; neque illis sortem placitam, sive æternam sive temporalem, facere potis est. Sed hæc solus & fecit & potest Deus æternus, potens, bonus, justus, verax, sanctus, perfectissimusque. Si ergo nos fecit, si nostram libertatem, nostras potentias, omniaque

bona

bona & creavit & continuare ac augere poteſt, & benigne vult, ipſa profecto natura nobis dictat quod, niſi monſtra ingratitudinis, ne dicam parricidæ, eſſe velimus, cogitationes noſtras, ipſamque libertatem cum affectibus noſtris, omnibuſque iis quorum ille nobis dedit potentiam, in illo debeamus occupare, ei impendere, ei reſtituere, qui non illa tollit, ſed & perfecta & beata reddet. Mente igitur illum noſtra, grato animo, corde, intellectu, cogitationibus viribuſque omnibus (prout quoque dignatus nobis lege data benigne inculcare) eſſe cogitandum, contemplandum, amandum, venerandum, laudandum, imitandum denique & omni obſequio proſequendum atque ei perpetim placendum. atque adeo cum & alios quoque creaverit nobis etiam ſimiles & iiſdem debitis naturalibus obligatos; nobis conandum eſſe, ut quantum in nobis eſt, eadem illis exhibeamus quæ & nobis Deus exhibuit; enitendum quoque pro viribus noſtris ut & illi exhibeant Deo ſimiles cogitationes, affectus, obſequia quæ ei exhibere tenemur ipſimet & exhibere volumus.

E quibus evidenter patet & divinas leges ſive jura divina, & naturalia jura, imo & jurium atque legum, tum civilium & politicarum tum œconomicarum fundamenta, in ipſiſſimæ naturæ ejuſque profundiſſimis fundamentis eſſe omnino innixa; neque poſſe a quoquam ſub quocunque prætextu, ipſo etiam *Libertatis cogitandi*, perrumpi, cogitatione, verbo vel opere, neque perrumpenda doceri, niſi quis hoc ipſo ſe Dei & naturæ hoſtem & adverſarium facere, atque talem etiam declarare velit.

XV. Quid ad hæc excipere poſſint vel immoderatiſſimi *libertatis cogitandi* defenſores, equidem non video, niſi forte conquerantur, libertatem phyſicam eo pacto terminari atque limitari, quæ tamen per naturam limitata non erat; quæque proinde per libertatem moralem, ſive per licitum morale, ex illimitata atque infinita, non deberet finita & limitata reddi. Atqui, ne dicam nos oſtendiſſe iſtiusmodi morales limites ex ipſius naturæ fundo & origine revera fluere, obſervandum eſt præterea, hos limites non eſſe limites niſi reſpectu mali atque infelicitatis, quibus limitibus malum cohibetur intra ſe, ne in bonum ei acceſſus pateat, quibus item impeditur ne libertas ſe ipſam ſuumve ſubjectum deformet, ſubvertat, perdat, tenebris, cruciatibus, vitiorum monſtris deteſtabilibus peſſundet: quod ſane & novi generis & ingentiſſimi benignique amoris eſt beneficium, neminem tamen cogens quominus ſi velit, ſuo periculo, faciat perditionis propriæ experientiam. Adde, quod quidem præcipuum eſt, relinqui ita mentibus quibusvis

XV. *Defenſores libertatis cogitandi non poſſe merito conqueri ſuam libertatem hoc pacto tolli vel limitari.*

physicam libertatem infinitam in elemento boni, haud secus ac objecta infinita coram mente uniuscujusque, coram cogitationibus, affectibus, facultatibusque liberis ejus; adest nempe Deus infinitus, perfectiones ejus infinitæ, in quarum unaquaque & immensæ insunt admirabilitates, adsunt opera ejusdem immensa, interminatas & ipsa realitatum profunditates complectentia. Horum objectorum modo uni, modo alteri, nunc his nunc illis modis, nunc has, nunc illas facultates, affectiones, cogitationes, liberum erit applicare & variare tam illimitate atque infinite, ut nec ipsius infinitæ æternitatis in hoc libero exercitio impendendæ duratio vel unius perfectionis Dei contemplandæ, admirandæ, amandæ, laudandæ, deliciose percipiendæ, ne dicam omnium perfectionum, omnium operum, amplitudinem exhaurire queat. Hoc infinitum in infinito boni Dei bonorumque objectorum infinitorum elemento exercitium infinitæ libertatis si non defensoribus *libertatis cogitandi* sufficiat, nesciunt revera qua de re conquerantur quidve sibi velint, nisi dicant suæ libertati non sufficere infinitimodam electionis aream in bono infinito: velle se quoque mali limites ingredi, & in ipso Orci elemento suæ libertatis experimenta facere. quod caveant sane ne sibi accidat plenius ac vellent.

XVI. *Cogitationum signa, sive, verba & facta, in quibus sint libera, & in quibus interdum co-...*

XVI. Causantur magna incommoda coactionis violentæ a Sacerdotibus, a superstitiosis, introducta in præjudicium libertatis cogitandi. Pugnat in hoc auctor contra propria principia; ac præterea deserit subjectum. Secundum ejus principia licitum est cuivis cogitare prout sibi cuique videtur: Ergo erit licitum atque liberum Sacerdotibus, theologis, superstitiosis cogitare quemadmodum cogitant, cogitare scilicet quod alios debeant ad se compellare, allicere, cogere. Quod si auctor velit cogitationes etiam verbis & factis expressas vel exprimendas, liberas esse atque licitas, (tametsi id non dicit aperte;) ergo & his quoque eo e principio liberum esse debet verbis factisque cogitata sua libere de aliis ad sua cogendis omnino exprimere, cur de illis igitur fierent querelæ his ex principiis?

Mutat præterea subjectum ista objectio. Coactio namque violenta libertati cogitationum qua talium, qua actiones sunt mentis immanentes, minime opponitur, ac ne quidem potest: opponitur tantum iisdem quatenus verbis vel factis exprimuntur. Eaque coactio bona interdum est atque laudabilis; interdum minime æqua est & culpanda. Omnium cogitationum affectionumque liberarum sese exercentium in infinito elemento boni, juriumque divinorum, naturalium, humanorum, expressio verbis atque factis non est cohibenda quatenus apta est homines

eo

èo adducere ut & illi ſuas cogitationes, ſuos affectus, ſua & dicta & facta iiſdem juribus Dei, naturæ, hominum, ſocietatumque bene ordinatarum conforment. Contra, omnino cohibenda eſt, & laudabiliter quidem, omnis cogitationis expreſſio ſeu verbis ſeu factis, quæ alterius animum, dictaque ac facta abducere a juribus Dei, naturæ, hominum, ordiniſque inter eos cum hiſce juribus convenientis, apta nata eſt. Quis unquam filiis liberis in paterna domo ea permitteret dicenda & facienda quæ cum paternis & œconomicis legibus ac jure pugnarent omnino, quæ tamen, vel ſimilia, auctor hicce videtur velle uti permittantur in naturæ familia, cujus Deus Pater eſt, ceteri filii ſunt, adeoque & ſubjecti paternis juribus, & obligati ab ipſa natura ut amore obſequioſo patrem, tenero fratres proſequantur, idemque ut cæteri invicem faciant, verbisque & factis quantum poſſunt adnitantur? Si dicat auctor id ſe velle minime; hunc ſuum non eſſe ſcopum, concluſionem ab ipſo intentam eſſe aliam plane; qua igitur animi atque intentionis inconſtantiâ inter auctoritatum acervos, quos ad mentis ſuæ ſenſum & confirmationem accumulavit, adducit & Epicureos, & eorum verba atque ſententiam qui animam noſtram ſtatuunt perituram, nihilque ejus poſt hanc vitam ſuperfuturum? Cur integram in libri fine *Epiſtolam* adponit ut *Mahumetiſmum* ipſum ejuſque principia, tum hujus tum futuræ vitæ reſpectu, Chriſtianis reddat veriſimilia atque probabilia? Iis-ne, ac ſimilibus cogitatis, dictis, factis & faciendis, libertatem cogitandi apud nos conſtare opus eſt?

XVI. Male cogunt qui cogitationibus aliorum quà internis abſurde dominari volunt: male cogunt qui alios conſtringere volunt uti cogitata exprimant per verba vel facta imperata internis cogitatis contraria, iis præſertim in rebus quæ nemini alteri damnoſæ ſunt, quamvis alioqui ſpeculationes eſſent opinionesve Deum atque res divinas reſpicientes, multo magis autem quando reſpiciunt vel ſola externa ex ſe diverſis modis indifferentia, vel etiam ſola naturalia quæ ad ſcientias humanas pertinent, quæque nulli nocere apta ſunt, imo quæ ſæpius multis prodeſſe poſſunt; certe in divinioribus non raro accidit, ut qui boni ſunt animi, Patris communis, Dei Opt. Max. fratrumque communium, & hominum omnium amore perciti, ii ex opinionibus de Deo diviniſque nonnullis, erroneis licet, at ex bono corde à ſe ad bonum ſcopum adhibitis, ſoleant occaſionem capere creſcendi in omni bono, & ad Deum amorem hominumque dilectionem & utilitatem redundante: quis hoc autem eis merito prohibendum eſſe ſuſtineat? XVII. *Coactiones quanam illicitæ.*

XVIII. Non proculdubio diſplicebit Auctori *Libertatis cogitandi* id quod XVIII. *Atheos ma-*

le superstitiosis præferri, eò quod sint liberiores. quod modo dixi, licet id favere videatur & superstitiosis quoque, quibus tamen ille præ ceteris ita infensus est, ut eos propter eorum intolerantiam effectusque ejus malos, vel ipsis Atheis longe postponat; quod amatum quoque dogma fuit nuperi Petri Bælii, Atheorum Advocati atque Patroni pertinacissimi. Verum in eo dupliciter aberrat a vero; tum quia in unum confundit diversa superstitionis vel superstitiosorum genera; tum quod consideret Atheos & superstitiosos non in paribus, sed in diversis admodum circumstantiis. Qui superstitiosi sunt e principio desiderii salutis propriæ, in hoc peccant, quod ea in re certis quibusdam externi generis mediis attendant adhæreantque plus quam ipsi fini, sive internæ Dei dilectioni; tribuantque mediis quibus utuntur, plus quam ipsis revera competat, ac præterea ceterorum alia media non probent, sed ab eorum usu summa cura abstineant haud secus ac si per ea a salute ipsa exciderent. Ab hisce superstitiosis patet nullum esse pro aliis periculum quando eorum zelus ad suam cujusque salutem propriam terminatur. Sunt alii qui propriæ salutis plus æquo securi, ex principio desiderii salutis ceterorum in superstitionibus suis aguntur, quas ea de causa, ubi possunt, aliis inculcant, commendant, imperant, & recusantes, ad eas violenter adigunt. His si scintilla insit veræ ac sinceræ dilectionis Dei & proximi, tenebris multis ut ut circumcincta, non dubitandum est quin iis Deus, uti fecit olim Paulo, opitulatum veniat, tantum abest ut eos quasi Atheis deteriores respiciat. Verùm quotquot in superstitionibus suis animantur & reguntur a spiritu superbiæ, quo sua verba, facta, media externa non modo ab aliis rejici aut contemni nolunt, sed iis imponi atque dominari volunt; hi demum sunt illi superstitiosi à quibus tristissima quæque eventa & evenerunt olim, & possint in posterum procedere deteriora, quam unquam fortè ab Atheis factum sit.

XIX. *Ab Atheis deteriora esse timenda quam a superstitiosis.*

XIX. Nec tamen propterea Atheismus minus in se periculosus fuerit superstitione. Pone simul utrosque, atheos & superstitiosos, in iisdem circumstantiis, pone undiquaque cetera paria, & ingentem videbis facile inter eos differentiam. Superstitiosi sunt multi numero, non horret vulgus ab illis, eorum principia non parvum involvunt pietatis erga Deum respectum, conscientiis quibusvis eatenus probatum; habent & iidem innumeros qui ipsis faveant, facta eorum talia sibi videntur ut ex illis gloriam a Deo & ab hominibus se demereri credant & exspectent. Si paria cum illis haberent Athei, numerus eorum si tam multus esset, si ceterorum hominum animus, conscientiæ, ipsaque natura non horrerent ab atheis eorumque principiis, sed eò vergerent; si fautores habe-

berent plurimos & publicos, ſi eorum genuini fructus laudabilitatis haberent aliquam ſpeciem; profecto per eos non ſtaret quin quamprimum poſſet fieri, ſubverterentur omnes qui cum illis conſentire nollent, fieretque illico, quantum in illis eſſet, ex hoc orbe Orcus Atheorum. Extinxerunt enim omnis juris, conſcientiæ, commiſerationis inſtinctus & ſcintillas ultimas; neque illis supereſt quicquam principiorum loco quam fatum, vis, fraus, ad ſua cujusque deſideria propria quibuslibet viis poſſibilibus exſequenda.

XX. Redeamus ad noſtras Methodos, de quibus & hoc etiam in anteceſſum notari velim antequam ad ſpecialiora & controverſa deſcendamus, Methodos tum emendationis, tum curioſitatis, non eſſe ita ſibi adverſantes quin una alteri interdum poſſit ſine incommodo imo cum utilitate ſubordinari. Methodus quidem emendationis nunquam curioſitatis methodo poſtponenda eſt aut ſubjicienda, quippe quam ſemper alteri præeſſe oportet: at ſub ea & cum ea jungi interdum poteſt curioſitatis, hoc eſt, deſiderii utilia ordinatim diſcendi & ſciendi methodus, modo illa iis conſtringatur limitibus quos paucis indicavimus in ſexta Regularum infra memorandarum Methodi emendationis; ad quarum porro Regularum defenſionem contra Clariſſimi Thomaſii objectata, nunc tempus eſt uti veniamus. XX. *Fit regreſſus ad materiam de Methodis.*

SECTIO SECUNDA,

Rationis inſolentiam, ejusque intempeſtivas operationes moderare, non eſſe idem ac Rationem ipſam abjicere ejusdemque uſum.

Prius a me factum eſſe; non poſterius.

I. OBjecit vir ille eruditus in Præfatione illa ſua nova, libris meis de Eruditione, editionis ſecundæ præmiſſa, adverſus Methodum meam inveniendi verum nonnulla, tum generalia, quæ Methodum ipſam generatim reſpiciunt; tum ſpecialia, contra unamquamque ex ejus ſex Regulis. Incipiemus ab eo quod generalius objicitur. I. *Cl. Thomaſii judicium prius de hoc argumento, quod Editioni primæ recuſæ ipſemet præpoſuit.*

Sed tamen antea operæ pretium eſt, ut, pro contrariorum lege, objectata Clariſſ. Viri clarius eluceſcant, hic apponere, comparationis gra-

gratia, judicium quod ipsemet Cl. Vir antea fecerat quando eosdem libros de Eruditione prima vice curabat recudi, quibus præfabatur de hocce subjecto in hunc modum:

(a) C. Thomasii Dissert. ad Edit. primam. Libr. de Erudit. pag. 41, §. 33 &c.

(b) Sect. 1. §. 4, & 5.

„ (a) *Non possum non omnibus ad quorum gustum mea doctrina est,* „ *valde* [Libros hos de Eruditione] *commendare. Potissimum autem* „ *commendo præmissum Tractatum* DE METHODO INVENIENDI „ VERUM. *Non tamen debent confundi quod videant auctorem in* „ *nonnullis a Methodo mea abire, & maxime quod in Regula, num.* „ *38. & seq. serio inculcet ei qui veritatem inquirere vult, agnoscen-* „ *dam esse corruptionem propriam: quam regulam in Logica mea non* „ *posui. Auditores & Lectores discernendi sunt. Ipsa methodus di-* „ *stinguenda est. Alia est methodus hominem ex bestialitate ducendi ad* „ *humanitatem,* [de qua quid sentiendum sit, supra (*b*) ostendimus,] „ *alia ex humanitate ad Christianismum. Priorem methodum ego in-* „ *tendo, posteriorem Auctor. Ibi ego doceo, hic disco. Felices eos* „ *qui methodo auctoris in invenienda veritate uti possunt, & verita-* „ *tem Regularum harum intra se experiuntur: illi libellis meis non ha-* „ *bent opus, imo illis, de quo gaudeo, nauseam movebunt scripta mea. At* „ *multi sunt, proh dolor, quibus nauseam movet Methodus auctoris,* „ *sed qui gustant meam Methodum. Ad hos aliquo modo ex crassis er-* „ *roribus eruendos placuit divinæ clementiæ me indignissimo uti. Inte-* „ *rim mea Methodus imperfectior est, philosophica est; auctoris san-* „ *ctior & Christiana magis. Igitur* (pergit §. 34.) *non indicabo hic* „ *excerpta quædam quæ præ reliquis arbitrarer esse perlegenda. A ca-* „ *pite ad calcem suaderem ut auctor perlegatur. Indicabo saltem loca* „ *quædam quæ me in lectione maxime affecerunt, aut id quod nondum* „ *cogitaveram, vel non ita distincte cogitaveram, docuerunt, aut quæ* „ *visa sunt maxime errores quosdam communes refellere.* (1) *De trans-* „ *mutatione animæ nostræ per intellectum activum* (*ego mallem dicere* „ *per voluntatem & desiderium spiritus animalis*) *in infinitas creaturas* „ (*formas*) *& entia rationis; quem locum potissimum commendo iis qui* „ *excessive speculationes physicas & mathematicas atque algebraïcas* „ *amant. Exstat autem Part.* 1. §. 46. &c. (2) *De activitate bona* „ *quandoque infringenda. Part. II. Sect. II. convictus sum de veritate* „ *assertionis, & fateor illam nimiam activitatem me valde torquere,* „ *ut sæpius ea propter mihi succenseam, sæpius contrister, cum in viri-* „ *bus meis non esse sentiam ut ab hac activitate me liberem, nec media* „ *quæ suppeditat ibi auctor, mihi sufficiant". Sed miserebitur mei* *Deus.* &c. Plura non addam e judicio vel testimonio Cl. Thomasii,

eo

eo magis conſideratione digno, quod tantum abeſt id ut ſit a me emendicatum, ut nequidem eo tempore (quantum meminiſſe poſſum) Cl. Thomaſius mihi notus fuerit. Moneo tantum, ab eo hic agnoſci, ſtatui a me ſuſpenſionem ad tempus activitatis etiam bonæ, multo magis activitatis corruptæ, quæ eſt ſubjectum mei Tractatus, quæque ipſummet adeo torquebat, ut miſericordiam Dei ad ſanationem hujus mali ſperaret unicam.

II. Nunc autem eò redacta res eſt, atque tantopere inverſa, vel potius tanta in oculis Cl. Thomaſii facta eſt mutatio, ut non amplius videat in mea Methodo agi ibi de *infringenda interdum nimia activitate* intellectus ſive Rationis, quali activitate nimia ipſe ſæpius valde torquebatur, & de cujus infractione interdùm ei facienda *vere convictus erat:* Sed contrà; jam poſt annos plus minus ſexdecim, oculi ſui ei repræſentant, agi mea in Methodo, de *Ratione prorſus abjicienda*; injungique ibidem activum intellectum plane eſſe deponendum atque conculcandum. Quod ipſi Cl. Viro non ſemel excidit per aliquam incogitantiæ ſpeciem: ſed id ex profeſſo atque conſulto vel ſepties aſſerit & repetit, & non paucas ſuarum reprehenſionum adverſus hoc ipſum inſtruxit. Libet ipſum hac de re audire.

II. *Judicium ejuſdem poſterius, in quo mihi imputatur abſoluta rejectio Rationis, ejuſque luminis & uſus.*

(1) In Diſſertatione ſua Editioni ſecundæ Librorum meorum de Eruditione præfixa, pro ſummario §. XXIII. hæc habet pag. 3. eademque margini adſcribit pag. 22. *Commendatio tractatus Poireti, obſervato ſimul nævo ejus primario, de* ABJICIENDA RATIONE *intellectus activi.*

(2) Pagina ſequenti, 23, ita hæc ipſa exponit: *Dum obſervavit* [Poiretus] *Carteſianos aliosque uſum rationis nimis extollere in inquirenda veritate, in alterum extremum eſt prolapſus, ut* LUMEN RATIONIS, *contra monita ſup.* §. 12. PLANE DEPRIMERET, *& tanquam* INUTILE ET DAMNOSUM, ABJICIENDUM *eſſe ſtatueret.*

(3) Et paulo poſt, eadem pagina. *Pro ratione præſentis inſtituti, ſufficiat fontem primarium aberrationis* [doctrinæ Poireti] *detexiſſe: ſcilicet* NIMIUM CONTEMTUM *rationis* HUMANÆ, *cujus quidem lumine non eſt abutendum; ſed idem tamen, cum ſenſibus humanis, tanquam ſingulare Dei donum, non* PLANE *eſt* ABJICIENDUM.

(4) Qua vero de re, veluti a me facta, & libro meo commendata, is me reum facit; pergitque eodem tenore, pagina ſeq. 24. *Iſta de* ABJICIENDA RATIONE, *ejuſque* LUMINE *in comparanda eruditione ſolida ſententia, quam paradoxa etiam, & communi ſenſui adverſa etiam ſit, valde tamen veroſimilis redditur ſi quis &c.*

(5) Sub-

(5) Subjungit D. Thomasius eodem in loco, ac pergit pag. seq. 25. *Quare nemo mirabitur, quod Auctor* [Poiretus scil.] *istum primarium errorem* DE RATIONE ABJICIENDA FUNDAMENTI LOCO POSUERIT *in præsenti tractatu.*

(6) Idem per modum dissensus a me, dicit §. xxxi. pag. 32. *Christi doctrina nunquam voluit* ABJICI *&* PEDIBUS CONCULCARI *debere lumen rectæ rationis :* & in §. xxxii. pag. 33. Regulam meam sextam insectatur ac si secundum eandem, *homo veritatis cupidus debeat* EJURARE USUM *intellectus activi.*

(7) Denique §. xxxv. pag. 37. idem Cl. Vir memorat pro septimæ viæ, *Doctrinam Poireti mysticam*, RECTAM RATIONEM ABJICIENTEM, non combinari posse *cum principiis* suis [Thomasianis] *rectam rationem stabilientibus.*

E quibus omnibus evidenter patet Cl. Thomasium mihi eam constanter imputare sententiam, & quidem veluti Librorum meorum de Eruditione *fundamentum* ,, quod scilicet statuam, *Rationem* ,, *humanam , rectam rationem , lumen rectæ rationis* ,, *quod Dei donum est*, ejusque *usum*, *usum intellectus* ,, *activi*, non modo debere *contemni*; sed & *abjici*, ,, *ejurarique* veluti aliquid non solum *inutile*, sed & ,, quoque *damnosum*".

III. *Cur tenear illud refutare; & quibus modis id sit faciendum.*

III. Quis unquam crederet à Viro tam celebri, honesto, perspicaci, ea mihi ita uti fecit attribui si vera non essent, sique propriis ipsius lectorumque suorum non essent oculis conspicua ? Quis autem ea credat vera esse nisi simul & me absurdum atque insanum esse existimet, meosque libros vel inspectione omnino indignos censeat ? Atqui in iisdem ex animo bono, &, quantum Deo placuit ac in me fuit, sano, Veritates ingentis ponderis in gratiam ac utilitatem Lectorum totus semper fui ut cum illis communicarem; quod & successu huc usque non caruisse, testati sunt & adhuc testantur non uno e loco inter eruditos probissimi ac solidissimi. Ne igitur in fraudem veritatis ceteri quotquot meos Libros non legerunt ab iis, atque ab utilitate sibi inde forte proventura, avertantur per istiusmodi judiciorum considerationem & auctoritatem, debeo ipsi Veritati, utilitati aliorum, meæque sinceritati hoc ut palam faciam atque ostendam, in iis Cl. Thomasii de sententia mea testimoniis nihil inesse quod cum veritate concordet. Nolim, absit, eum de veritate quasi a se scienter ac sponte vel dissimulata vel violata habere suspectum : sed id efficere, ut ipse aliique hinc lu-

cu-

culento videant & convincantur monumento, quantum nimia corruptæ Rationis humanæ activitas (qua ſe laborare ſuprà teſtificatus eſt) ſoleat, ubi ipſi frænos nimium laxamus, mentes Eruditorum obſcurare vel in rebus alioqui detectu facillimis; ita ut imaginentur ſibi iis in tenebris id ſe conſpicere, cujus tamen CONTRARIUM evidenter viderent ſi tantiſper extra eas tenebras ſibi reſtituti attenderent.

Libet id evincere

(1) Ex ipſiusmet Cl. Thomaſii conceptis verbis.

(2) Ex ipſiſmet regulis meis de vera Methodo, aliisque legibus in Libro de Eruditione præſcriptis.

(3) Ex aliis teſtimoniis in eodem Libro meo, ſecunda hac vice a Cl. Thomaſio publicato.

(4) E locis adductis ex defenſione, quam ille omiſit, adverſus D. Titium, in quibus conceptis verbis contrarium teſtor ejus quod mihi imputatur.

(5) E praxi mea publica ac conſtanti.

(6) Ac denique ex uno & altero ſimili, quo pateat quam abſurdum ſit id e principiis meis mihi objicere quod imputavit mihi non ſemel Dn. Thomaſius; & ſimul etiam quis ſit uſus Rationis quem admitto, quis uſus, quæ ratio, quam non admitto.

IV. Neceſſe duco Lectores paucis antè monere, Philoſophos tantum non omnes ſolere inter alia quæ in homine diſtinguunt, facultates animæ ipſius diſtinguere in activas & paſſivas. Ad activas referunt *voluntatem*, qua homo ſe regit, & extra ſe fertur: ad paſſivas *intellectum*, qui intra ſe manet, & recipit lumen, irradiationes, imagines impreſſionesve rerum objectarum. De intellectu, ubi de cognoſcenda veritate quæſtio eſt, maxime agitur. Ejus ego triplicem facere ſoleo diſtinctionem, ſecundum ejus diverſa, pro quibus eſt, objecta. Intellectus ſive facultas percipiendi, cujus objectum ipſemet Deus eſt ejusque divinæ operationes ac emanationes, dicitur a me *intellectus divinus*, ac mere *paſſivus* ſive receptivus; qui etiam *intelligentia* dici poteſt. Intellectus, ſive facultas percipiendi, cujus objectum ſunt res hujus mundi naturales earumque realia effluvia, dicitur a me *intellectus* animalis ſive *ſenſualis*, qui quoque mere *paſſivus* eſt. Intellectus vero cujus objecta ſunt picturæ & imagines ac ideæ rerum, quas ipſemet format & varie regit, ſive imagines illæ ideæve ſint de rebus ſpiritalibus ſive de corporeis, dicitur a me *Ratio humana* vel intellectus *activus* & *picturarius*. Intelligentia, ſive primus intellectus per lapſum hominis plane eſt obſcuratus & veluti emortuus aut plane ſtupidus, niſi ſi

IV. *Animæ facultates paucis diſtinguuntur & explicantur, ut hinc clarum ſit quid ſit in nobis* RATIO HUMANA, *& quæ ex ejus malo uſu calamitas.*

Deus ei opitulatum veniat, quod sæpe postulat David, *da mihi intelligentiam.* Ps. 119. De intellectu sensuali, corrupto quoque, non est proprie hic agendi locus. Quantum ad intellectum idealem, activum, sive RATIONEM HUMANAM, etsi ea sit e lapsu quam maxime obscurata & obtenebrata, ejusque vis & activitas admodum corrupta atque ægra; solent tamen vulgo, quando veritatem se quærere dicunt, ad eam solam recurrere, solam eam movere atque agitare continue; solas ejus operationes, idearum fabricationes intendere, iis earumque combinationibus ac in infinitum multiplicationibus totos vacare & incumbere secundum *methodum* quam diximus *curiositatis.* Atque hinc processit omnis eruditionis humanæ falsitas atque calamitas, nunquam deficienda quamdiu isto, nec alio, procedetur modo.

V. *Rationis emendatio: ejus rectus usus assumitur, nec rejicitur.*

V. Ad cujus vero mali emendationem, dico, mentem corruptam, sese ita impotenter in imaginum idearumve fabricatione & constructione picturaria agitantem inter tenebras quæ fatui luminis speciem mentiuntur, si sanari velit, debere a sua illa Rationis continua agitatione atque operatione immoderata & corrupta quiescere tantisper; tum divinum intellectum, facultatesque ceteras divinas, ad omnis boni ac veri fontem, Deum, convertere, & cum illo exercere: unde postea procedent à divina illa origine operationes quæ facultatibus superioribus ita opitulentur, ut ex his luminosa quædam in *rationem* medela & vis derivetur, quæ morbum tenebrasque ac corruptionem ejus dispellat, & sanitatem ei restituat; qua obtenta, Rationis operationes, quæ sanationis ergo ad tempus interruptæ vel minus activæ fuerant, resumi sanatæ poterunt, ipsaque ratio munere suo debito melius quam antea defungi, nec id sine utilitate ad veritatis emolumentum aliquod ac propagationem, si intra limites officii sui servilis ac secundarii maneat. Quæ vero pluribus & data opera in libris ipsis de Eruditione deducta sunt.

Hanc meam sententiam, in eo præcipue quod dicitur, Rationis immoderatam activitatem, tantisper, dum adhuc ægra est, interrumpendam esse, imo quod eamdem, quando sese vult extollere ad ea quæ ipsam prorsus superant, dixerim inde dejiciendam atque culpaverim, non esse Rationis ejusque usus rejectionem, ejurationem, abdicationem, veluti mihi imputat & aliis persuadere vult Dn. Thomasius, tam clarum est, quam quod clarissimum.

VI. *Rationis in debito usu a me non re-*

VI. (1) Id autem ipsemet agnoscere debet, se ipsum si velit audire. In Dissertatione sua prima, pag. 42, quam supra citavimus, ubi ea recenset quæ in Methodo ipsum affecerunt, hoc inter alia de quibus ibi

agi-

agitur enumerat, *activitatem quandoque infringendam*, & quidem NIMIAM *activitatem*, a qua ipsemet sensit *se valde torqueri, quapropter sibi ipsi succenseat, & sæpius contristetur.* Quæro ab illo, utrum *infringere quandoque activitatem, & quidem nimiam* rationis, idem sit ac *Rationem rectam, ejusque lumen & usum, abjicere, ejurare ac pedibus conculcare?* Utrum item quando conquerebatur de *nimia activitate* illa, cogitaverit se conqueri quod torqueretur nimis a lumine rectæ Rationis, ab ejus luminis usu quod Dei donum est? Utrum item quando addebat; *sed miserebitur mei Deus*, speraverit vel cupiverit opem Dei qua posset lumen rectæ rationis, ejusque usum, plane rejicere & conculcare pedibus? Id sane non dicet se optavisse vel cogitasse Vir Clarissimus. Quid ergo? id ipsum tunc cogitavit & vidit quod ego assero meum esse scopum: Rectam rationem ejusque lumen & usum non abjurare; sed Rationis ægræ nimiam ac intempestivam, imo & tenebrosam activitatem ad tempus compescere, ut interim sanari se patiatur; vel, quod ipsemet pag. 43. notat & approbat a me commendari; ut quis *possit recte philosophari, actibus philosophicis Theologicos interponat.* Quæso, an hoc unum & idem est, videlicet, commendare aliis ut *Theologicos actus*, (conversionem mentis ad Deum,) interponant actibus philosophicis, & tamen velle, ut *actus iidem philosophici*, qui sane sunt actus *Rationis*, ejusque *luminis* usus, *plane abjiciantur* atque *ejurentur, ut damnosum* & *inutile* quid, *pedibusque* plane *conculcandum?* Ipsemet abunde animadvertit, non usum sanæ rationis, sed abusum ægræ, a me condemnari, & gravibus quidem de causis, quibus assentitur. Refert in Dissertatione prima, p. 31. hanc meam, quam approbat, sententiam: *Philosophiam* (rationis exercitationem) *non esse necessariam Theologiæ, etsi forte Theologo* UTILIS *sit, potissimum quatenus ei incumbit conversio eorum qui rationis operationibus impensius annexi sunt.* Addit: *Pulchra habet* [Poiretus] *de Atheismo, ostenditque Atheismum oriri ex immodica Ratione; in quo* CONSENTIO. Ecce, vidit tunc me esse infensum Rationis operationibus quatenus Docti iis impensius annexi sunt, & quatenus ex iis *immodicis* oritur Atheismus: & *consensit mecum.* In Dissertatione sua nova, mihi adversaria, leges Methodi meæ, IV, & V. ipsismet hisce verbis allegavit: (*a*) IV. *Agnoscenda est cuique propria corruptio, atque in eo statu veritatis inquirendæ se esse incapacem.* V. *Hoc cognito*, SANATIO MEDIIS APTIS *est quærenda.* Sequitur, VI. Mentem si restituta fuerit, *non recturam facultates suas — nisi juxta proportionem quæ debet esse æterna inter & caduca, spiritualia & corporea, interna &*

jecta testimonia varia.

(1) *Ex ipso* Cl. D. *Thomasio.*

(*a*) XXVI. pag. 26, 27.

& superficiaria, necessaria & accessoria, realia & umbratilia, divina placita & pessima proprii amoris se pro scopo statuentis cupita. Quæso vos, an hæc omnia, quæ vidit, agnovit & descripsit Dn. Thomasius, an, inquam, hæc ipsa INCAPACITATIS nostræ SANATIO, sanationis ejusdem QUÆSITIO, & post sanationem inventam, usus facultatum debitus, etiam circa caduca, corporea, superficiaria, accessoria, umbratilia, (sic vocare ideas rationis soleo;) an hæc, inquam, quando servatur in iis proportio debita, & pessima amoris proprii se pro scopo statuentis cupita evitantur, unum & idem sunt cum *ejuratione rectæ Rationis*, extinctione ejus luminis, & abrogatione ipsius usus? An hoc idem est ac, ut Dn. Thomasii verbis utar; *errorem de Ratione abjicienda fundamenti loco ponere in præsenti Tractatu?*

VII. *Ex ipsismet Methodi Regulis clarum esse, me non rejecisse debitum rationis usum.* (*a*) Sup. §. VI.

VII. (2) Videamus porro exactius in ipso Tractatu, tum fundamenta ea sive leges Methodi ipsius, tum loca alia Sole, ut dici solet, clariora, quæ scopum ac mentem meam extra dubium ponant.

Quantum ad *Methodi* leges sive *Regulas*, exhibuimus modo earum tres IV. V & VI. ab ipso Cl. Thomasio (*a*) allegatas, e quibus contrarium patet ejus quod asserit circa meum scopum. Præter illas, sequentia quoque ex ipso meo Tractatu de Methodo notanda sunt. Post legem tertiam observationes posui non paucas, præsertim a §. XX ad XXX, in quibus postquam enumeravi *objecta* trium generum, *veritates* trium generum, *lumina* trium generum, *facultates* trium generum, (quorum omnium primum est divinum, alterum corporeum, tertium umbratile sive ideale & RATIONIS,) subjungo criteria ad cognoscendum veritates non tantum quæ sunt primi & secundi generis, sed & quæ *Rationis* sunt. Hocne est ejurationem Rationis *fundamenti loco ponere?* Equidem eam Rationem maxime corruptam esse, addo, sed eo id fine, ut post suam corruptionem sanatam, rectus ejus dari possit usus. Ad Regulam IV. de agnitione corruptionis facultatum nostrarum, adeoque & facultatis ratiocinandi, a §. XLIV. ad XLVIII addidi leges sive conditiones sub quibus intellectus non solum divinus, vel sensualis, sed & activus, sive *Ratio* nostra, possit se ideis rerum pictis imbuere atque ornare, ut sub conditionibus ibidem recensitis, illa ipsa Ratio (§. XLVII.) *veluti per lusum mentis picturas Deo, tanquam arcus triumphales in se formet & erigat, imaginibus divinorum operum condecoratas: ut ex omnibus illis iconibus & formis à se excitatis recurrat ad Deum prototypum, cui congratuletur de operibus suis, deque* INDUSTRIA *quam ab ipso habet* (ratio) *ea opera in se depingendi ad magnificandum Auctorem omnium.* In Regula quinta, §. LII. argui ut erratum Philosophorum ei regulæ op-

oppoſitum, *quod mentis* Rationisque suæ *ſanationem vel negligant prorſus, vel aliis ſuis occupationibus ſegniter poſtponant :* & §. liv oſtendi, media ſanationi Rationis & ceterarum facultatum apta, quamvis ſpeciem ceſſationis vel mortis ad tempus aliquod præ ſe ferant, terminari tamen in vitam, uſumque iſtarum facultatum admirabilem; de quo & in Regula ſequenti egi.

In Libro I. de Eruditione ſolida, circa finem partis primæ, ubi dixi, *Solet Deus quantum ad exteriora & quæ ad facultates* Rationis, *ſenſuum, & ſi quæ inferiores, attinent, humano miniſterio & medio uti ſæpius*, annexui paulo poſt: *Hic nonnullarum* Regularum Rationis, *quæ tunc exercetur, decet nos eſſe memores.* Eas autem regendæ Rationis regulas reperiet Lector in Libro II. de Eruditione ſuperficiaria, & quidem in §. xxxviii ſexdecim verioris *Logicæ* leges circa Rationis noſtræ uſum ſive operationes præcipuas quatuor, videlicet circa ideas, judicia, ratiocinationem, & ordinem ſive methodum iſta diſponendi. In ſequentibus vero, quæ noviſſimæ Editioni adjecta ſunt, (†) tantum abeſt ut quæ de Uſu Rationis dixeram prius, ibi revocaverim; ut potius ipſam rem in multis propoſuerim diſtinctius, extenderimque ad præcipuas Philoſophorum Sectas, oſtendendo earum diverſas origines diverſaque principia quo modo ex Rationis vario regimine, tum devio & erroneo, tum rectiore prodierint; quî etiam veritates ideales a Ratione quærendæ; & cum inventæ ſunt, alios docendæ ſint variis Methodis, quarum aliæ aliis meliores ſunt, & cum ſubjectis convenientiores. Hæc ſunt & lecta & in publicum emiſſa a Cl. D. Thomaſio; & tamen ei dicor poſuiſſe pro *fundamento* Tractatus, *Rationem eſſe abjiciendam!*

(†) a §. xxxix. uſque ad §. liii in Edit. Thomaſiana a pag. 497. ad 535.

VIII. (3) Quamvis autem iſta & ſimilia modo allegata, de ipſa Methodo ejusque Regulis, quæ Tractatuum Libri mei fundamentum ſunt, directe non dixiſſem; tot nihilominus tamque clara in iiſdem tractatibus loca alia ſunt quæ omnino contraria errori mihi imputato, de *Rationis* ejusque uſus *ejuratione* aſſerunt; ut plane ſim attonitus cum video eum mihi tenacius adfricari. Unum atque alterum eorum quæ in ipſa Editione Thomaſiana leguntur, oculis ſubjicere videtur operæ pretium, in quibus videbit quivis, tum Rationis rejectionem condemnari; tum ejus uſum confirmari, & quo ſenſu interdum ſeponendus dicatur.

VIII. *Idem patet & ex aliis libri de Eruditione locis:*

In tractatu de Methodo inveniendi Verum, Part. II. Sect. II. Quæſt. I. quæritur, *quænam ſit illa* [non ejuratio, ſed] *quies requiſita intellectus activi, ſive* Rationis, ut *a morbo interim* sanari et

„ CONVALESCERE *possit?* [hoc sane non est idem ac, ut ejus usus „ abjiciatur:] *an debeat & an possit Ratio esse sine usu aliquo?* RE- „ SPONSIO. Non requiritur ut RATIO aut non agat prorsus, aut „ ideis omnino careat; sed tantum postulatur ut cùm sanationi suæ „ vult incumbere, ipsa eo tempore ideas hujusmodi studiose & opero- „ sius in se non excitet, eas scientifice contemplandi & demonstrative „ connectendi gratia..... At si quas habet Ratio in se ideas, si quas „ ex præparantibus Dei gratiis ei affusis adipiscitur, eas contempletur „ ipsi licet, imo ex iis etiam ratiocinari possit, non demonstrationes „ scientificas curiositati suæ speculandas exhibendi gratia; sed ut inde „ motus & affectus in se excitet laudum, amoris, admirationis Dei, „ sui contemtus & submissionis, hortationis ad officia & diligentiam „ spiritualem. Atque id activitatis genus & salutare est admodum, & „ perquam necessarium, nedum ab hoc sit nobis abstinendum: nam- „ que & gratiæ, quibus nos a Deo præveniri diximus ad quæst. 1. eo „ modo impendi debent; & vero nisi hujus generis activitas deberet „ intervenire, nidularentur profecto pigritia & amor proprius cum om- „ nis generis nequitia in mente simpliciter otiosa, aut veluti omnino „ stupida: quæ vero pigritia, quantum quidem ad eos spectat de quibus „ agitur, alio modo quam hujusmodi activitate dispelli non potest.

Ibidem Sectione V. ad quæst. 4. „ notandum est NON REQUI- „ RI hic plenam & absolutam RATIONIS REJECTIONEM; sed „ tantum ejus abstractionem vel separationem a suo exercitio, idque „ loco & tempore debitis: Ratio siquidem sit etiam medium ad Deum „ ejusque lumen; sed medium remotum, non proximum; ita tamen, „ ut hoc in rerum statu, remoto illo medio prius quam aliis, uti sæ- „ pe, necesse sit. Eadem etiam Ratio reddit de Deo ejusque lumine „ testimonium, quod utique audiendum est. —— Intelligo per rectum „ RATIONIS USUM, testimonium ideale quod Ratio (gratiis Dei „ præviis imbuta,) dat attendentibus, videlicet, nos non esse a nobis „ ipsis: Auctorem nostrum & omnium esse omnipotentem, sapien- „ tem, optimum, benevolum, veracem, justum: Decere nos eum „ grato animo laudare, amare, ei obsequi, ab eo bona submisse po- „ stulare & exspectare, abstinere a superbia, ab iniquitate, a menda- „ cio, & imitari erga omnes ejus benevolentiam, æquitatem & vera- „ citatem. Quæ omnia idealiter testatur Ratio, modo ei attentio de- „ bita præbeatur. Testatur & eadem se per hasce de istis ideas quas „ nobis exhibet, non dare hoc ipso vim ea ipsa realiter assequendi vel „ imitandi; alioqui doctissimi quique essent etiam omnium optimi;

„ imo

„ imo ipſi, qui a ſcientia vocantur dæmones, eſſent Dei imitatores „ maximi, a quo tamen abſunt quam longiſſime. Teſtatur & illud „ Ratio, vim eam, quæ ipſi deeſt, (quippe quæ picturas tantum effi- „ cit & dat, non res ipſas,) petendam eſſe a fonte omnis boni. Hæc „ poſtquam a Ratione audivimus, (& hucusque quidem progreditur „ ejus rectus uſus,) atque nobis iſta ſincere cordi ſunt; tunc tempus „ eſt, ut juxta ipſiusmet Rationis dictamen, illam ipſam cum pictu- „ ris ſuis ſeponamus, (illa enim omnia, ex ſuppoſitione, ſufficienter „ jam [ideali modo,] ſcimus,) nosque totos cum omni capacitate no- „ ſtra intima atque paſſivâ, ad Deum convertamus, ejus vim, effica- „ ciam lumenque ardenter efflagitantes & implorantes eum in finem, „ ut quæ nobis modo picto, mortuo, inefficaci ac ſterili, imperfectiſ- „ ſimoque & ſuperficiali dixit Ratio; eorum ille non umbram & pi- „ cturam, ſed rem ipſam luminoſam, vividam & efficacem det & pro- „ ducat in intimis noſtris: id quod ipſe etiam modis ineffabilibus, & „ infinite Rationis potentiam exſuperantibus, efficere poteſt". Judi- cet ex his Lector, an hæc ſint idem ac Rationem ejurare, abjicere ac pedibus conculcandam commendare.

Ceterum quia Ratio conſiderari poteſt vel ut corrupta, vel ut ſana- ta, quid in utroque ſtatu poſſit vel non poſſit, quousque uſus ejus ſit extendendus, ubi comprimendus, vel terminandus ſive limitandus, dictum eſt ibidem (in Tract. de Methodo) Part. II. Sect. III, ad quæſtio- nes quartam & quintam, quæ rogantur Lectores horum cupidi ut illic vi- deant: ſunt enim longiora quam ut hic ea, & multa (*a*) his ſimilia, deſcribam ex editis. Totus liber ſecundus, qui eſt de Eruditione ſu- perficiaria, in eo impenditur ut oſtendat non ejurationem, ſed uſum humanæ Rationis, uti & ejuſdem abuſum, qui abuſus in tertio Libro ſpecialius ob oculos ponitur.

IX. (4) Monui ſupra Editionem D. Thomaſii ultimam Librorum meorum de Eruditione, minutam eſſe tertia circiter ſui parte, *Defen- ſione* ſcilicet eorumdem Librorum contra *D. Titium*, neſcio ſane qua de cauſa; forma namque libri in eodem tomo, vel ſaltem in altero, ferre eam poterat, imo & debebat, poſtquam in Præfatione mea reli- que-

IX. *Idem evincitur ex aliis locis in Editione Thomaſiana omiſſis;*

(*a*) Plura qui volet loca ſpecialiora de Ratione non abdicanda, deque recto ejus uſu, fine, valore, potentia, limitibus, curioſitate & temeritate reprimenda, vi- deat, ſi placet, *De Erudit. Lib.* I. §. VII. VIII. XIX. *Libr.* II. §. V. *& ſeq.* §. XVIII *& ſeq. ad* XXII. *Item.* §. XXXVIII. ac LV. *& Lib.* III. § VIII. omnia in Edit. Cl. Thom. exſtantia.

(*) Ea est in Edit. Thomasiana pag. præfat. 14.

querant totam paginam (*) ubi de illa Defenſione mentio fit, tanquam de parte Libro ipſi eſſentiali & annexa. Ex ea autem Defenſione unum atque alterum locum libet ad rem præſentem hic exhibere.

In annotatione 2 ad Oppoſitionem XXVI D. Titii, expoſui breviter articulis novemdecim RATIONIS *corruptionem ac impotentiam*, *ejuſdemque remedia*, USUM*que & abuſum*. De ejus uſu hæc inter alia exſtant in articulis 13, 14, 15. „ (13) Rationem ſanatam poſſe „ in ſtatu illo ſanationis concipere ac depingere ſuo modo ideali, & „ aliquatenus, res & veritates tam in ſpiritualibus quam in corporeis: „ poſſe eandem eſſe ſuo modo veritatis, etiam divinæ, egregium at- „ que etiam utile inſtrumentum, NEQUAQUAM TUNC SPERNEN- „ DUM AC REJICIENDUM. Ejus utilitatem maximam & in eo „ (præter alia) conſiſtere, ut hominibus qui ſunt adhuc plus minus in „ tenebris, & qui ſe putarent ſeduci vel male duci, ſi quis eos alia „ methodo quam methodo Rationis, cui ſunt dediti & aſſueti, ducere „ vellet; ut iis inquam hominibus proponantur & exprimantur metho- „ dico Rationis modo, ipſis grato, & ad eorum captum accommoda- „ to, ideæ ac picturæ rerum divinarum eis pro ſtatu iſthoc ſuo neceſ- „ ſariarum, quo ex his picturis corda & intima eorum moveantur & „ excitentur quantum fieri poteſt verſus res ipſas.

Ad Oppoſitionem XXVIII *D. Titii*, mihi exprobrantis Rationis uſum, quaſi contrarium meis hypotheſibus, ita reſpondi in annotatione prima, ut præcipua quæ hoc de ſubjecto ſentio, ad Propoſitiones ſex redegerim breviſſimas. Verba mea ſunt, „ Si ego intellectum acti- „ vum (ſive Rationem) vel in nihilum redegiſſem, vel illius uſu omni- „ bus interdixiſſem, ejuſdem uſum mihi cum aliqua rationis ſpecie ex- „ probrare poſſent adverſarii, noſterque cum illis D. Titius: Aſt ego „ oſtendi tantum, 1. *Eum (intellectum activum) vulgo præter & ſu-* „ *pra locum debitum evehi.* 2. *Eum corruptum ac depravatum eſſe.* „ 3. *Quieſcendum ei eſſe donec ſanetur.* 4. *Intellectum paſſivum faculta-* „ *teſque reales debere prius reſtitui, atque a Deo illuminari.* 5. *Inde oriri* „ *ſanitatem pro intellectu activo* (*h.e.* RATIONE.) 6. *Qui intellectus*, „ *vel quæ* RATIO, *deinde poſſit* INSERVIRE, *ideas rerum ſaniores* „ *aliorum uſui ſuggerendo & exprimendo.*

Ad Oppoſitionem ejuſdem Titii XXXV, addidi Diſſertationem de ordine, dignitate, uſu etiam, luminum Dei & Rationis, quæ totam rem ex origine deducit, eſſetque huc referenda; verum ſufficiet ſummaria quædam ex ea indicare, quæ huc redeunt: ſcilicet: „ Rationem ho- „ mini, (*a*) quantum ad divina, non fuiſſe neceſſariam. Eſſe faculta- „ tem

(*a*) Hæc etiam fuſius

„ tem eidem homini acceſſoriam ſive adventitiam, & ad naturalia datam: cujus tamen *lumen naturale*, quod ſecundarium eſt, a Deo ſit. Verum idem fuiſſe poſtea tum in Dæmone, tum, per hunc, in Adamo, ejusque adeo poſteris, falſatum *tenebricoſa ſatanæ nebula*, quæ & ipſa fert nomen *luminis naturalis*. Deum, quando hominem lapſum ad ſe revocavit, ei & principia *verioris luminis* naturalis reſtituiſſe, quæ tamen valde oppreſſa ſunt tum ab occupatione hominis ad affectus & res terreſtres, tum a falſa ac tenebricoſa ſatanæ nebula, *luminis* ſpeciem exhibente. Verum eos, qui convertunt facultates ſuperiores animæ ſuæ, cor intellectumque verſus Deum, recipere, poſt facultates ſuperiores ſanitati reſtitutas, RATIONEM quoque veluti e mortuo ſtatu reviviſcentem atque ſanatam, quæ vero poteſt reſumere functiones priores, imo & in majori ſphæra quam ante lapſum: atque ita reddi RATIONEM *ſanatam*, *inſtrumentum Dei in hominis ſalute ſuo modo promovenda* NON CONTEMNENDUM. Aſt non ita de Ratione corrupta, quæ cum ſuo falſato & fatuo lumine meretrix eſt ſatanica, monſtrum chimærarum ferax: idemque rerum divinarum irriſor, cum Iſmaële e domo Dei ejiciendus: quando contra Ratio regenita atque ſanata, eſt non quidem ſponſa (quod ſuperiorum eſt ac centralium facultatum,) ſed *ancilla* Dei, inſerviens picturis Dei extra ponendis, atque etiam ſuo modo craſſiore effigiandis" &c. quæ pluribus ibidem aliisque (*a*) in locis tractata ſunt, & a Cl. Thomaſio viſa & lecta quidem, ſed plane, neſcio quî, oblivioni tradita dum alteram Diſſertationem ſuam componeret, ubi mihi ea imputat quæ directe ſunt his contraria. in *Cogit. Rat.* Diſcurſu præliminari demonſtrata ſunt.

X. (5) Sit tamen ita, ut ex inconſtanti memoriæ infirmitate horum omnium plane non potuerit meminiſſe; non poterat tamen non meminiſſe idem, me & plures alios libros compoſuiſſe, & non Enthuſiaſtam, non fanaticum, non rationem abjicientem eademque minime utentem, ſed potius ratiocinatorem fere perpetuum in iis agere. Ipſe enim dicit in altera hacce ſua Diſſertatione, §. xxv. pag. 26. *Firmiſſime perſuaſus ſum ex Scriptis Poireti eum nihil minus eſſe quam Enthuſiaſtam fanaticum.* Quomodo, quæſo, hæc poſſunt ſimul conſiſtere, ut perſuaſus ſim de aliquo, eum non eſſe inſanum, & quidem ex ejus Scriptis, in quibus perpetuæ occurrunt rationum allegationes & concatena- *Item è praxi mea publica & conſtanti.*

Q

(*a*) Plura de ea re in *Defenſione contra D. Titium* reperiuntur, in *Part. General.* §. XXXI. *In ſpecial. ad Oppoſit.* XXIV. *not.* 3. *Ad Opp.* XXXIII. *not.* 2. *Ad Opp.* XXXIX. *not.* 7. *Ad Opp.* XL. *not.* 2. &c.

tenationes evidentes; & tamen eundem eo usque insanire, ut simul teneat ac doceat pro *fundamento* Methodi suæ, *Rectam Rationem*, ejusque *lumen*, & *usum* esse *contemnenda*, *plane abjicienda*, *ejuranda*, *pedibus conculcanda*, *tanquam* aliquid *inutile*, atque etiam *damnosum*? Qua fronte hoc ego auderem apertè alios docere, & quidem pro lege *fundamentali*; & tamen ipsemet coram omnibus id ipsum quotidie in libris publicis exercere, & vel per annos abhinc ferme quadraginta in eo continuare, quod sententiæ meæ meoque asserto fundamentali contrarium esset? Certe oporteret me eo hypocriseos & insaniæ genere laborare, quod huc usque haud scio an inter mortales exemplum habuerit. Fidem faciant assertioni suæ adversarii mei, (sunt enim non unus aliquis,) per aliquot facta, vel per aliquot scripta mea, quæ nunquam dissimulavi. Conatus sum semper me ad Rationis sanioris normam componere; testanturque libri, me non minus bonum constantemque Rationis usum facere, (imo & meliorem conari facere,) quam quemvis alium inter literatos, & speciatim inter adversarios meos. Et revera id pro certo affirmare ausim, scopum meum in componendis libris omnibus meis hunc fuisse, ut Lectores Rationi addictos adducerem vel allicerem ad solidum summumque bonum, Deum, quantum fieri posset per ipsum Rationis usum, ejusque lumina, & eorum exercitia, pro ut inter doctos ea via obtinet. Testes sunt vel primi mei *Cogitationum* (*a*) libri, eorumque *Rationalium* vel sola appellatio, quorum contenta nihil aliud sunt quam perpetua Rationis ejusque luminum adhibitio, debitaque commendatio, ac utilitatis ostensio, quorum conclusio est; (*b*) *agamus cum illis modo qui candida fide sanam Rationem audire, ejusque dictamina admittere neutiquam recusabunt.* Quin & in gratiam etiam infantium, quomodo Rationis facultas in iis sit excolenda atque exercenda quam optime fieri possit, ostendi ac commendavi pluribus in (*c*) Libello de *Liberorum Educatione*, qui in altero Librorum *de Eruditione* volumine primus apparet inter ceteros.

Ast, inquiunt oblocutores, Rationis facultatem non semel reprehendi, culpavi, ejus luminis & operationis usu, quæ tamen sunt *dona Dei*, ut abstineatur, consului: quî hoc consistere possit cum eorum usu & commendatione? Ingens sane difficultatum nodus, dignusque qui tantis tamque eruditis adversariis remoram injiciat!

XI.

(*a*) Id & ab initio in Introductione, §. III. & in librorum conclusione, conceptis verbis testatus sum.

(*b*) Conclus. Respons. ad Obj. secundas.

(*c*) Vid. sectionem III. num. 12. & seq. pag. 27 &c.

XI. (*b*) Homo, Angelus; corpora, spiritus; superiora, inferiora; elementa, plantæ, animalia, omnia quæ hoc in orbe sunt, sunt quoque *dona Dei*; an propterea corrumpi & extra officii sui sphæram trahi non possunt? Et quando hoc accidit, annon hoc ipso quod extra locum atque officium debitum sese extulerint vel adhuc extollant, corrupta evadunt & corruptissima? Annon autem corrupta, quamdiu talia sunt, habent & corruptas suas actiones? Annon præterea corruptæ illæ actiones ac operationes a nobis sunt improbandæ, culpandæ, refrænandæ atque cohibendæ? An eas insuper ad tempus dicere suspendendas esse atque cohibendas, ut interim subjectum corruptum ac ægrum remedio utatur; sanumque redditum, bonas postea operationes atque laudabiles, & ad suum quoque debitum officium recte applicatas, resumat, operetur, continuet, idem est ac loqui pugnantia, Rationi adversa, & conceptu impossibilia? Videat Medicus aliquem v. g. artificem infirmum atque febri laborantem, velle tamen manibus pergere laborare, etiam in iis quæ ejus habilitatem superant, atque ita & operas suas & se ipsum magis magisque perdere: Dicat autem ei, cessa, bone vir, ad tempus ab exercitio & labore manuum tuarum; quiesce, decumbe paulisper interim dum hoc & illo medicamento uteris, quo morbum depellas & fias sanior; atque tum postea resumto vigore sano, poteris & manibus operari, & artificio tuo, nec ultrà, utiliter incumbere, tibique & aliis non parum prodesse: Et tam sanum consilium dicendum erit, idem esse ac ipsas manus manuumque usum, & laborem, & artificium (quæ dona Dei sunt) contemnere, rejicere, abjurare, & pedibus conculcare, & hoc ipsum pro fundamento artis medicæ ponere! Aliud exemplum. Non nemo Dominus famulum habet cujus functio est ut serviat Domino in rebus externis ei demandatis; servus autem vult se ingerere rebus secretioribus Domini sui. Decutitur & abjicitur inde, & ad servilia sua redigitur. An ne hoc idem est ac servi officium & usum rejicere & abrogare; & non potius ejus insolentiam abrogare & rejicere quo melius serviat in servilibus quibus aptus natus est? Pudet sane objectata tam inconcinna, tam incondita, tam ab omni verisimili aliena pluribus adhuc perstringere, postquam ante annos ferme jam triginta hæc publice hisce verbis protestatus sum: (*a*) „Moneo me Rationem humanam nequaquam abrogatam velle, „ ejusve excellentiæ quicquam detractum: quod agnoscent qui, quæ ab „ initio hujus discursus dixi, legerunt & intellexerunt. Sed optarem „ ejus DOMINIUM ABROGARI, ut tandem ANCILLA esset & pe- „ dissequa Divinæ Fidei. Optarem & ut unusquisque, sic ut vir ille

XI. *Similitudinibus quibusdam ostenditur, Rationis insolentiam vel intempestivam actionem posse compesci sine Rationis ipsius rejectione.*

(*a*) In discursu prælim. §. 106. *Cogitationum Rational.* Edit. anni 1685;

„ in Evangelio, ſervi vel ancillæ hujus ſuæ agnoſceret ægritudinem, „ pateretur eam ab exercitio quietam decumbere, & interim vera Fide „ ad Dominum recurreret, ei cum humilitate intima dicturus; *Domi-* „ *ne, ſervus meus decumbit æger & miſere afflictus: veni, quæſo, &* „ *ſana eum antequam pereat.* Tunc enim Dominus per & propter Fi- „ dem ſanaret ipſam Rationem, quæ demum opera ſua, at miniſtrato- „ ria tantum, non vero dominationis, aut proprii regiminis, recte „ exerceret: quæ vero opera, antequam ſanetur, dum ægra adhuc eſt, „ nequaquam recte, quantumvis annitatur, poteſt dirigere, ut ut clare „ & diſtincte ſe de omnibus diſponere profiteatur vel conetur", & plura ejusmodi in eo *Diſcurſu*, quem olim vidit & totum publice laudavit ipſemet Cl. Thomaſius hiſce ſuis verbis, (*a*) *Diſſertatio iſta maxime commendari meretur.*

(*a*) In ſua Differt. primæ Editioni de Erudit. recuſæ præfixa. §. 27. pag. 31.

Sed de his, nunc quidem, plus ſatis. Videantur, plura cupientibus, tractatus ipſimet integri, e quibus pauca allegavi, nec minus potui, quo falſum hoc a me repellerem imputatum, quod alioqui vel unum ſufficeret ad Lectores omnes a Scriptis meis merito deterrendum, maxime poſtquam id à viris gravibus, doctis, atque etiam celebribus mihi non ſemel eſt objectatum neſcio qua de cauſa, niſi forſan eadem, vel ſimili ratione, qua videmus eos qui vitio cuidam ſunt nimium addicti, non poſſe monitores illos, a quibus ab extremo ad mediocritatem laudabilem revocantur, tolerare, quin ipſis objectent extremorum alterum. Si guloſum ad ſobrietatis mediocritatem revocare velis, objiciet te ei ciborum uſum ſubducere, eumque fame enecare velle: ſi ebrioſo diſſuadeas vel prohibeas ad tempus aliquod meri potationem, clamabit te ita vinum, donum Dei, ejusque uſum velle condemnare, rejicere, ejurare, hominemque vel ſiti, vel alio fortè potu lethifero perimere. Quæ omnia, hisque ſimilia, nemo non animadvertit eſſe ſolùm ſigna morbi vel vitii iſtis objectatoribus perquam nimis amati, & a quo nolint adhuc deſiſtere. Similiter ſe res habet cum iis quibus Ratio ægra, ſeſe ſupra ſphæram etiam eorum quæ ſui juris non ſunt, efferens, omniaque ſuperiora & inferiora agitatione ſua turbida ac morbida confundens ac perdens, amata tamen eſt, quique nolunt eam reprimi, corrigi, & a vitio ſuo emendari, vix de morbi illius indole ac ſanatione verbum audire poſſunt, quin illico clamitent ac ingeminent ſæpius, Rationis exterminationem atque ſuppreſſionem penitus ita poſtulari atque injungi.

SECTIO

SECTIO TERTIA;

Defensio Regularum sex Methodi inveniendi Verum.

I. VEniamus nunc ad ipsas REGULAS *Methodi inveniendi Verum*, a Cl. Thomasio reprehensas, quæ vero sunt sequentes. I. *Regulæ sex Methodi enarrantur.*

I. *Ea quæ fiunt, ut recte fiant, ordine fieri debere.*

II. *Qui veritatem vult detegere, eademque frui, illum sinceritate mentis præditum esse debere.*

III. *In inquisitione veri quemlibet initium facere debere a se ipso & in se ipso.*

IV. *Agnoscendam esse cuique propriam corruptionem; atque in eo statu veritatis acquirendæ se esse incapacem.*

V. *Hoc cognito, sanationem mediis aptis nunc quidem ante omnia, esse quærendam.*

VI. *Mentem ad incolumitatem recipiendam, agnita & deplorata ægritudine impotentiaque, abstinere & quiescere debere ab actibus intellectus sui, quem ipsa offerat Deo passivum, solo desiderio sanitatis a Deo impetrandæ agens, nec non firmiter* DECERNENS *se in posterum si restituta fuerit, non recturam amplius facultates suas ad placitum proprium; sed ad voluntatem Entis Summi, secundum ordinem & proportionem quæ debet esse æterna inter & caduca, spiritualia & corporea, interna & superficiaria, necessaria & accessoria, realia & umbratilia, divina Dei placita & pessima proprii amoris, se pro scopo statuentis, cupita.*

II. In hisce regulis quædam approbat, quædam improbat Cl. Thomasius. Primum facit his verbis. (*a*) *Harum Regularum priores quinque, si recte intelligantur, sunt quidem* OPTIMÆ, ET AD SECERNENDAM ERUDITIONEM VERAM A FALSA APTISSIMÆ, *cum adversus eas vel omnes, vel certe quasdam, peccet Pseudosapientia in hoc mundo regnans, & ubique imperium obtinens.* II. *Dn. Thom. censet eas, una excepta, bonas, sed male a me explicatas.*

Verum, putans ille se regulas illas melius intelligere quam ego ipse, qui eas male intellectas male etiam explicaverim; addit pro reprehensione: *Sed tamen quas singulis istis Regulis addit Poiretus explicationes, tales sunt, ut ex regulis alias intellectu facilibus, faciant dubias & obscuras, & ad inveniendam veritatem plane ineptas.* (*a*) Diss. Thom. §. XXVII. p. 27.

Mirus admodum & præposterus scriptor Poiretus, ignorans vel prima omnium scribendi elementa! Profert is primum axiomata optima & utilia: deinde illa explicaturus, obscurat eadem & inepta facit ac inutilia! Verùm quis facile id credat, & non potius istam censuram de ineptitudine suspicetur, præsertim in eo Viro quem hactenus vidimus adeo infeliciter interpretantem ea quæ de RATIONE tam clare & tam sæpe inculcavimus? Videbimus ad singulas censuras quid ea de re sit.

III. *Confundit ille Regulas in se, cum earum applicatione ad subjecta controversa vel dubia.*

III. Dicam tamen in genere, confundi illico ab ipso Regularum sensum cum Regularum applicatione ad diversa subjecta. Regularum sensus clarus est. Regulæ applicatio ad quam plurima objecta obvia, evidens quoque est ubi fit debitis modis: verùm & nonnulla dari possunt objecta alia ad quæ clara regula altera atque altera nondum fuit ab aliquibus adplicata. Poiretus censet & his subjectis esse applicandam, Cl. Thomasius vel de eo dubitat vel id negat; ponamus jure merito id ab eo negari: hoc sane nihil facit ad Regulæ ipsius *claritatem* & *utilitatem* minuendam, quæ semper eædem manent. Difficultas respicit applicationem solam, utrum scilicet hæc aut illa subjecta ad regulam illam in se claram & utilem sint quoque dirigenda? Qua de re mox, ubi primùm viderimus quid sibi velit Cl. Vir per ea quæ subjungit verba: *Ultima autem regula cum præcedentibus, potissimum intuitu contentorum de intellectu mere passivo, non habet connexionem, nisi istæ falsæ aut dubiæ* (quas ita censet) *explicationes supponantur.* Quæ vero utrum ipsemet aut vero aliquis alius capiat, merito dubites.

IV. *De cohærentia Regulæ ultimæ cum præcedentibus:*

IV. Nullæ hic *supponuntur regularum explicationes* præter eas quæ clare ac evidenter cuivis lectori occurrunt. *Connexio Regulæ* VI *cum præcedentibus* naturalis est, evidens est. Videlicet; si ex Regula V. præcedente sanatio quærenda est: ergo Deus, *sanitatis* auctor, *desiderandus* est. Si per Reg. IV. agnita est corruptio in subjecto veritatis receptivo, sive in intellectu; igitur *intellectus* sanitatis Auctori *offerendus* est, & quidem qui tunc nolit corruptionem suam augere per morbidam suam agitationem, hoc est, qui ab ea *abstineat & quiescat.* Si secundum Reg. III. quivis debet initium facere a se ipso, & in se ipso: patet inde *facultates suas omnes*, quæ ab IPSO non differunt, esse *bene & proportionaliter* (per Regulam I. & II.) ordinandas maxime serio. Quid, quæso, in hisce non est bene *connexum*? Displicet, ut videtur, Cl. Viro, ea quæ in Regula VI. continentur, dici *potissimum de intellectu mere passivo.* Vocabulum *mere* (quod inseruit) meum non est. Egi hic de intellectu in genere sine respectu ad quæstionem an is natura sua passivus sit, nec ne: consideravi eum solummodo qua-

tenus is eſt ſubjectum veritatis, & quidem ſubjectum ægrum, idemque ſanandum; quo in caſu, debet ſane, ſive natura activus ſit, ſeu paſſivus, *patientis* vices ſuſtinere, ſeſe offerre cauſæ ut qui paratus ſit ſanationem ab ea in ſe recipere, hoc eſt, debet ſe gerere veluti *paſſivum*, ac *paſſivo* modo; quod luce ſua evidens eſt.

V. Quantum autem ad ipſam in ſe diſtinctionem intellectus, non dixi intellectum eſſe *mere paſſivum*, licet Philoſophorum plerique eum mere paſſivum dicant. Diſtinxi eum in paſſivum & activum. Hunc, qui eſt Ratio humana, ita dixi activum, ut agnoverim eum etiam paſſivitati eſſe obnoxium, atque in eo, de quo agitur, caſu, paſſive debere ſe gerere. Intellectum ad divina realia datum, dixi *paſſivum* eſſe, ita tamen, ut (quod actûs ſpecies eſt) poſſit ſe offerre Deo ejusve lumini. Si hoc Cl. Thomaſio hic loci diſpliceat, meminerit idem, ſi placet, & hanc quoque eſſe non uno in loco ſententiam ſuam. Edidit anno 1695 *Confeſſionem doctrinæ ſuæ*, in cujus theſibus 5, 6, 7, non actiones tantum, ſed & *paſſiones* intellectui tribuit. Reſpectu Dei ac divinorum, agnoſcit idem *intellectum* pati ſive recipere *illuminationem* à Deo, qui eſt amor: Theſ. 224 & 249. Item & *à Fide*; Theſ. 261. In opere ſuo *Fundamentorum juris naturæ & gentium*, anno 1705 emiſſo, Lib. I. Cap. I. Theſin XLIX ita exprimit: *Intellectus* AGERE *dicitur quando impellitur a voluntate ad meditandum*; PATI *quando movetur ab aliis rebus præter voluntatem ad ſentiendum. Igitur accurate loquendo intellectus* UTROBIQUE PATITUR, NUNQUAM PRIMO MOVET. Addit §. LIV. *Intellectus nunquam eſt facultas primo movens* — Ibidem Cap. II. §. CXI. *Intellectus eſt potentia* MERE PASSIVA. In ſchediaſmate dicto, *Fontes ſapientiæ*, illico proponit *intellectum hominis veritatem humiliter quærentis* veluti ſubjectum *recipiens*, quod ſane idem eſt ac paſſivum eſſe. Quæ cum ita ſint omnia, videant lectores quo jure ei diſplicere poſſit ea Regula, quæ ſtatuit, Subjecto veritatis recipiendæ ſeu intellectui, qui & paſſivus eſt, applicandas eſſe ſanationis recipiendæ Regulas & media?

V. Intellectum paſſivum a Dn. Thom. agnoſci.

VI. Sed habet ſpecialiora Cl. Thomaſius, quæ ad regularum ſingulas excipiat vel objiciat. Verum, pace ſua, liceat, poſtquam omnia mente quantum potui ſedatiſſima inſpexi, dicere ingenue, nihil revera eſſe univerſa allegata ſua præter meras cavillationes, unius inconſtantiæ ſuæ tegendæ gratiâ quæſitas & allatas ab eo, qui olim eaſdem regulas ſummopere probavit ac laudavit, & qui etiamnum fateri cogitur: pleraſque, ſi recte intelligantur, eſſe *optimas*. Sed quæ nunc contra proferat age, inſpiciamus jam ſpecialius ſingula.

VI. Refutantur quæ Regulis illis oblocutus eſt.

(1) Pri-

(1) *Id quod I. Regulæ objicit, est absurdum, & contra naturam omnium Regularum.*

(a) Dissert. Thom. §. XXVII. p. 28.

(1) Primæ Regulæ, de Ordine servando in iis quæ recte fieri debent, ita obloquitur non uno modo. (*a*) *Quis concipere posset, quod sub Regula prima, de observanda methodo* (de observando ordine) *latere deberet* REFUTATIO *assertionis non Cartesio propriæ, sed omnibus sana ratione utentibus cum Cartesio communis, quod a simplicioribus sit incipiendum; &* POSITIO *assertionis valde dubiæ, & maximam partem falsæ, ac studiosum sapientiæ seducentis ad ambitionem subtilem spiritualem, quod minime incipiendum sit a rebus futilibus & nugacibus, hominisque dignitate indignis; sed a rebus maxime solidis, necessariis, perfectissimis?* Hæc (liceat dicere) vitilitigatio ponit & absurda, & omnino falsa. Absurda: supponit enim Regularum & Axiomatum eam non esse naturam, aut cum eorum natura pugnare, ut plus significent quam prima fronte dicere videantur. Atqui sciunt omnes hanc esse eorum & quorumvis *Canonum*, & omnium quæ memoriæ juvandæ gratia in *regulas* rediguntur, virtutem & laudem, ut paucis multa dicant, pluresque sensus & res quam verba contineant, adeoque & plura significent quam externa & superficiaria inspectione præ se ferant, modo tamen de his moneantur specialius Lectores, uti a me factum est. Si Regulam fecissem sub qua essent sensus abstrusi, atque ferme quibusvis inaccessi; deinde Lectores reprehenderem, quod ipsos non animadverterint, aut si exigerem ut eosdem minime indicatos intelligerent tamen; tunc non immerito forte essem reprehendendus. Verùm & Regulam posui brevem, memoriæ retentu facilem; & subjunxi commentarium ubi Lectores monentur de sensu, si vis, aut de contentis ejusdem regulæ; & tamen lacessor ob commodum quod potius laudandum fuerat!

Imo ipsa Regula, ut supra dixi, non opus habuit explicatione neque sensuum, neque contentorum. Nihil de his explicui. Regula per se clara est, quæ ei adjecta sunt, applicationem spectant objectorum & casuum ad ipsam regulam per se claram. Vultne contendere Cl. Thomasius vitiosam & *ineptam* esse regulam aut legem, qua lecta, non omnia objecta omnesque casus applicabiles illico mentibus Lectorum sese offerunt? Aut, vultne omnia objecta omnesque casus in quibusvis regulis ac legibus commemorari ut leges illæ bonæ sint & non vituperandæ veluti ineptæ? Absurda omnia! Ipse Jurisconsultus contrarium novit infinitarum legum juris sui respectu. Feci quod debui, si post Regulam claram, mentionem feci, (ut factum est) objecti & casus præcipui ad ipsam regulam exigendi.

VII. *De explica-*

VII. Sed forte negabit Vir Cl. id objectum, eum casum, id exemplum,

plum, de quo mentionem feci, pertinere aut applicandum esse ad eam Regulam; vel si applicandum sit, male tamen ei applicari. Primum nulla ratione dicere potest. *Omnia ordinatim disponenda esse* quæ ordinis capacia sunt, omnibus indicat innata naturæ notio.

tione & applicatione Regulæ Ordinis *recte facta.*

Sunt autem ordinis capaces primo, ipsæ *res inter se considerata* quantum ad sui naturalem dignitatem; deinde *unaquæque earum*, quantum ad specialiorem uniuscujusque de se tractationem atque expositionem.

Ego, in quæstione de VERITATE QUÆRENDA, & quidem, pro prima regula, *secundum* ORDINEM quærenda, ordinis legem applicui in commentario ad duas illas rerum classes.

Quantum ad primam, dixi, ordinem velle ut proponantur ac *præcedant res quæ primo existunt, quæ digniores sunt, quæ solidæ sunt, nec evanidæ; quæ necessariæ, sanæ, perfectæ:* non autem ut anteponantur *accessoria necessariis, corrupta sanis, activa passivis, umbratilia realibus, inferiora superioribus, imperfecta & naturalia perfectis & gratiosis, arbitraria ac deficientia sufficientibus, evanida denique æternis ac permansuris.*

Quantum ad alteram; dixi conceptis verbis, *in unaquaque* re *specialius inspicienda, a* SIMPLICISSIMIS ET COGNITU FACILLIMIS *duci posse exordium, & eodem tenore ulterius porro res quæque penetrari:* Atque ita, quemadmodum respectu primo, veritatem ordine quærenti assumenda res est necessaria, solida, realis, homine digna &c.: ita etiam respectu altero, in ea re solida & necessaria penitius inspicienda, velle ordinem, ut quæ eadem in re sunt *simplicissima*, ea anteponantur illis quæ in ea sunt magis composita; item ut quæ in eadem sunt *cognitu facillima*, ea antecedant illa quæ in re eadem sunt difficiliora cognitu, abstrusiora, sublimiora. Hæc evidentissime posui. Objicit autem Vir Cl. perinde ac si non sufficeret duas hasce ordinis applicationes a me in commentario esse positas; & quasi debuissem eas in ipsa regula expressisse: *Quis concipere posset* (inquit) *quod* SUB REGULA *prima latere deberet*, &c? Imo, quis adeo morosus sit, ut ei non sufficiat hæc illico, in adjecto commentario Regulæ subjungi? Et quis eo usque absurdus sit, ut pro exhibenda Regula, quæ pro memoria brevis esse debet, exhibeat aut exigat longum verborum tractum paginis aliquot vix absolvendum? Taceo quod Vir Cl. mihi id imputet cujus contrarium posui, quando imputat *refutationem assertionis non Cartesio propriæ, sed omnibus sana ratione utentibus communis, quod a simplicioribus & facilioribus sit incipiendum:* quod vero tantum

abest ut refutaverim, ut potius idem ibi legendum sit verbis iisdem confirmatum.

VIII. *Male contendit & objicit mihi, veritatis studiosum non debere a solidis ordiri.*

(*a*) Differt. ibid. p. 28.

VIII. Ast contendit idem contra me, rerum ordine ei qui veritatem quærit aggrediendarum applicationem rectam bonamve a me non fieri, quando dico, res digniores, solidas, necessarias debere primas in ordine poni: Reprehendit enim POSITIONEM hujus meæ (*a*) ASSERTIONIS, *quod minime incipiendum sit a rebus futilibus & nugacibus, hominisque dignitate indignis; sed a rebus dignissimis*, (*digniøribus* dixi,) *maxime solidis*, (simpliciter dixi *solidis*,) *necessariis, perfectissimis*, (*perfectis* dixi); quam vero assertionem appellat ille *valde dubiam, & maximam partem falsam, & quæ studiosum sapientiæ seducat ad ambitionem subtilem spiritualem.* Vix oculis meis credo quando hæcce lego ab homine Christiano conscripta. Atqui ipsa Dei in Scripturis sacris Sapientia, Christus, ejusque Apostoli, hominem sapientiæ studiosum hortantur ut initium ducat a desertione stultitiæ & vanitatis, a timore Domini, a recordatione Creatoris in diebus juventutis, ab abnegatione sui & mundi & eorum quæ sunt in mundo, a quæsitione regni Dei & justitiæ ejus, ab amore Dei, quod est primum omnium mandatum, (quæ sane res sunt digniores, solidæ, necessariæ atque perfectæ): an ergo divinæ illæ Spiritus Sancti instructiones dicendæ fuerint ponere hoc ipso *assertiones valde dubias, & maximam partem falsas, quæque studiosum sapientiæ seducant ad ambitionem subtilem spiritualem?* Verum quamvis ipsa Dei Sapientia hæcce quantum ad substantiam eadem non dixisset, sed ego solus; attamen, modo Cl. Vir non divellat a se quæ conjunctim commendavi; hoc est, modo ea non separet quæ sunt hujus regulæ primæ a ceteris regulis, illi nego planissime ullum esse periculum *seductionis ad ambitionem subtilem spiritualem* pro eo qui ab ejusmodi rebus solidis & dignioribus initium facturus erit mente sincera, in se ipso, agnoscendo impotentiam & corruptionem suam, desiderando ab ea sanari, & recurrendo ad sanationis ac veritatis fontem Deum cum vero proposito sese inposterum regendi secundum veritates cum ipso communicatas: neque reformido ea in assertione ullius hominis sanum & Christiano dignum judicium.

IX. *Rationes inanes cur vult a rebus nugatoriis incipiendum esse.*

IX. Atqui forsitan suas habet rationes Cl. Vir cur in veritatis inquisitione non sit incipiendum a rebus hujuscemodi dignioribus; sed potius a futilibus atque nugacibus. Eas rationes sic exponit ibidem: *Homo natura nugax est: & quemadmodum infantes methodo infantili ducuntur gradibus ad sapientiam, ita etiam homo nugax methodo sinon nugatoria, saltem apta ut homo nugax eâ possit a stultitia deduci ad sapien-*

pientiam, informandus est. Hæc quàm sint a scopo & a veritate aliena, facile videre est. Præmonendus est Lector, hic de infantulis vel de puerulis quæstionem non esse: quamvis tamen & illis etiam pro initio & capacitate inculcari possit & debeat, sui & omnium rerum quas vident auctorem, patrem, Creatorem dari invisibilem, quem obsequioso affectu amoreque debeant prosequi non minus quam parentes suos. Proposui mihi hoc in libro Lectores judicio maturos, serioque veritatis discendæ cupidos. Tales, eo in statu, considerandos esse ut *nugaces*, alienum est a vero. Imo, verum non est, hominem quemlibet a natura non habere nisi nugacem indolem: insunt enim & innascuntur cuivis homini duorum generum principia, semina, instinctus; mala quidem a corruptione naturæ; bona vero ab auctore naturæ Deo, qui quærit naturam ad se ac ad perfectionem reducere. Illa principia mala, hominem impellunt ad nugas, vana, futilia: hæc (quæ ipsius D. Thomasius appellavit alibi sæpius, SCINTILLAM AMORIS *divini homines pungentem*) impellunt hominem ad solida, ad realia, ad digna atque perfecta objecta. Homo ita ex utraque parte sollicitatus, ubi ad usum judicii pervenit, liber est ut vel auscultet nugas & vanitates atque ad eas se convertat; vel ut attendat seriis, solidisque ipsi repræsentatis. Quæritur nunc ei ductor atque consilium. Consulo ei ut quam primum reddat se solidis ac seriis. Improbat id Dn. Thomasius, & nugatoria contendit esse anteponenda. Profecto, quisquis versus nugas vult se inclinare, atque nugax esse, per me talis sit & eum audiat quantum volet: huic nihil scripsi, nec dedi regulas. Tales *nugaces* si voluerit D. Thomasius aut quivis alius in auditores suos assumere, eosque per nugas vel per nugatoriam Philosophiam ducere ad sapientiam; nihil contradico. Ego eos tantum alloqui volui & pro lectoribus mihi proposui, quos vel ab exordio Tractatus de methodo nominavi *candidioris notæ Lectores*, & qui *serio veritatem indagare* velint, qui bono Dei per conscientiam instinctui attentionem, affectum, locum, obsequium dare voluerint: His utrum commendaverim regulam præter ceteras, *ineptam* ac reprehendendam, judicet nunc Lector intelligens.

Debemus utique (pergit censura) *tendere ad cœlestia, sed per terrestria, quia in hac vita adhuc sumus in terra, & gestamus corpus terrenum.* Quid hoc contra me? Terrestria, terra, corpus terrenum quatenus ad nos naturaliter spectantia, non sunt *nugæ* illæ de quibus est quæstio: sunt Dei creaturæ bonæ, *reales*, *necessariæ*; neque etiam cum iis *nugaciter* agendum est: sed serio, solide ex iis agnoscendus est,

amandus, laudandus Creator bonus, potens, sapiens. Hoc est reale, solidum, homine dignum. hoc non exclusi. In Parte III. de Methodo

(*a*) §. XII. (*a*) ostendi e rebus corporeis duci de Dei Opt. Max. existentia argumentum vividius & validius quam ex idea rationali Cartesiana.

X. *Male objici eam Regulam esse pro perfectis, non pro incipientibus.*

X. Concludit tandem primæ Regulæ censuram hoc modo; *Ergo Regula Methodi prima, prout ab Auctore explicatur, vel incipit ubi desinere deberet; vel saltem perfectis apta est. At perfecti opus non habent methodo, non magis ac perfecti pictores principiis ducendi prima elementa.* Quicquamne potuit concludi absurdius etiamsi quæcunque ante reprehendit, jure reprehendisset? Ut ut enim hoc esset, an tamen inde sequitur, eum qui dixit (quamvis perperam, uti censura vult) veritatem quærentibus bonum esse & ordinatum ut eam quærant primum in materiis solidis, dignis, perfectis; ut objecta circa quæ detegenda occupari volunt, realia sint, necessaria, utilia; an inquam hinc sequitur, eum hoc ipso id consuluisse quod tantum *perfectis* & veritates jam adeptis *aptum est?* id quod non *incipientibus*, sed *desinentibus* competit? An *desinentes* & *perfecti* debent demum *quærere* & *eligere* objecta *solida* de quibus veritates quærant? An si quis consulat domum ædificaturo, ut imprimis *quærat* eligatque, & *necessaria*, & bonas ad ædificandum materias, *solidos* lapides, ligna, trabes quæ non putrescant, is hoc modo dat præcepta vel consilia vel *regulam* iis tantum *apta* qui jam ædificium *perfecerunt*, & ædificare *desierunt?* Vel, ut simili suo utar, an quisquis consulit homini *pictoriam* artem discere volenti, ut in primis sumat sibi pro objectis circa quæ in arte illa discenda occupetur, objecta bona, utilia, sancta depingenda; non futilia, non impudica, non nugacia; is hoc ipso supponit eum hominem jam esse *perfectum pictorem*; *perfectos* autem *non habere opus* amplius regulis? Videte quæso quam indignis & nullis technis sana ac solida consilia de veritate in objectis bonis quærendæ vitilitigantur.

XI. *(2) Refutatio oblocutionis ad Regulam II. de sinceritate. Necessitas sinceritatis intima.*

XI. (2) Non minus indigne secundam Regulam, ut veritatis indagator sinceritate mentis præditus sit, exagitat idem. Rogo uti dignentur Lectores eam cum adjuncto commentariolo in Tractatu ipso inspicere; commendantur enim ibi dignissima, veræque sapientiæ clavis, omnibus qui eam discere volunt divinis ipsis Scripturis commendatissima. De his non reformidat dicere D. Th.: (*a*) *Eadem* (quæ ad primam scilicet Regulam dixit,) *monenda esse de secunda quæ* SINCERITATEM *inculcat.* Dico ego & eadem quæ ad sua illa egregia, scilicet, *monenda*, modo dixi, esse quoque nunc ad hæc & hic repetenda. Pergit. *Quis enim iterum sibi imaginaretur quod Auctor sub hac*

(*a*) Differt. D. Th. §. XXVIII.

Re-

Regula intelligat non solum vulgarem sinceritatem qua animi sensa sibi intus quisque fateatur; aut externam, quâ eadem aliis non dissimulet, sed penitiorem, qua sui ipsius sciens impostor aut deceptor non sit? Ingens vero malum, quod quis Lector brevi sub Regula plus boni ac veri deprehendat, quam quod è primo conspectu in mentem ei occurrit! Atqui hoc laudabunt omnes veri & æqui rerum istarum judices, maxime ubi viderint ea Regulæ subjungi, quæ non illico menti occurrebant, & erant omnium dignissima.

Res ita habet. Distinxi SINCERITATEM in *vulgarem*, & veluti superficiariam, quâ unusquisque sibi aut aliis (cum opus est) ea quæ sentit & ad quæ inclinatur, non dissimulat; & in *penitiorem*, qua pauci qui plus minusve inclinantur ad vana, ad commoda, ad ea quæ grata sunt suis propensionibus, non tamen sibi dissimulant, non velant, non delent ex consideratione & animo suo divinos illos motus ac instinctus quibus ab vanis revocantur ad diviniora & meliora, licet ingrata incommoda, contemtibilia, quæ sincere amplecti ac sequi, parati sint reliquis posthabitis. Huic sinceritatis intimæ speciei monui applicandam esse potissimum Regulam de necessitate sinceritatis in genere ab illa mente requisitæ quæ veritatem invenire cupit. Quid, quæso, aptius ad rem fieri potuisset? Monet (*a*) Scriptura, in animam malevolam Sapientiam non introituram: ad illam non esse accedendum duplici corde; virum animo duplicem non recepturum sapientiam a Domino etiamsi petat. Quæ autem major duplicitas, frausque animi veræ sinceritati magis repugnans, quam velle motibus vanis ac pravis attendere & iis obsequentem esse quia sunt delectabiles, vel conjuncti cum commodis & honoribus seculi; potius quàm observare uti decet motus quos a Deo esse, & divinos esse, conscii sumus, sed qui carni nostræ ejusque propensionibus non sapiunt? Anima una ex parte sollicitatur instinctu boni, quem instinctum non potest non approbare ubi ei attendit: sollicitatur & a malo vanoque instinctu, quem in bonis attentionis suæ momentis malum vanumque esse ignorare non potest: sed quia alter ille carni molestus est, mavult se ab eo avertere, eumque extinguere, quò attendat & obtemperet malo impulsui, cujus sibi malignitatem & sortem malam dissimulat, imo volens obliviscitur, ut speciei ac sensui delectationis commodorum præsentium affectus & attentionem suam donet. Perniciosior sane sui ipsius deceptio, frausque insignior ista dari nequit, nec magis veritati acquirendæ opposita: avertit enim istud fraudulentiæ genus animam ab ipsa solida veritate, veritatisque origine una.

(*a*) Sap. 1. ℣. 4. Eccli. 1. ℣. 36. Jac. 1. ℣. 5, 7, 8.

XII. *Distinctio* sinceritatis intimioris *a vulgari, quam clara sit; & quanti præ omnibus sit facienda, maximeque observanda.*

XII. Addit censura, veluti allatam sinceritatis, ejusque oppositæ fraudis distinctionem carpens: *Vix videas quomodo hæc* PENITIOR *differat a* VULGARI: *Nam qui sciens se decipit* (fraude animi, contra penitiorem sinceritatem,) *is animi sensa* (uti fit vulgari in fraude, sinceritati vulgari opposita) *sibi quoque* INTUS *diffitetur*; *& vice versa.* Solus nescit, vel simulat se nescire vulgarem sinceritatem cum ejus opposita dolositate, (ut sic dicam) fieri quidem in mente vel animo, veluti & altera, distingui autem ab illa in eo, quod hæc circa ea consistat quæ sunt maxime perceptibilia, palpabilia, obvia, quæque cuivis ut talia vel semper apparent; *penitior* circa remotiora, intimiora, in sensus ita non facile incurrentia, & quæ facile obducto velo ipsi animæ minus penitus sinceræ dissimulari, & aliam speciem mentiri possunt. Vulgari sinceritate plerique, imo omnes qui honesti viri in mundo haberi volunt, præditi sunt; penitiori, vix ullus, etiam inter honestiores, imo & probiores. Illius sinceritatis inter homines, ipsimet homines possunt esse testes, uti & fraudis oppositæ: hujus intimioris, dolique sui ei contrarii, Deus solus, qui se unum dicit *scrutatorem cordium, ac renum*, eodem in loco ubi humanum cor in omnibus affirmat esse fraudulentum, & sinceritate intima carere: (a) *Pravum est cor omnium, & inscrutabile; quis cognoscet illud? Ego Dominus, scrutans cor, & probans renes.* Hæc autem tam clare pluribus in textu exposui, ut plane mirer Virum Cl. profiteri se *vix videre quomodo hæc differant.* Age, id ei ostendam vel in ipsismet suis Jurisconsultis. Si quis ediceret coram publico ac honestis viris, Omnes Causidicos (quos vulgo advocatos nominant) esse homines non sinceros, sed fraudulentos, atque deceptores, proculdubio ipsi posset ab illis intendi litigium aliquod, nec forte immerito ex causa *injuriarum*: nam externa, communi honestaque sinceritate non paucos eorum revera præditos esse arbitror. Sed quantum ad sinceritatem intimiorem, ac profundiorem, imo spiritualiorem & diviniorem, cui maxime dixi attendendum iis esse qui solidam veritatem ac eruditionem quærunt, ea si inter illos ita communis esset veluti prima est, unde fit igitur ut nulla fere sit causa quæ non reperiat duos causidicos oppositos, unum qui causam asserat esse justam & defendat; alteram qui neget ac eandem impugnet? Docti viri sunt illi, brevique tempore possunt cognoscere, & cognoscunt procul dubio, an oblata causa sit in fundo bona, an secus, adeoque & minime suscipienda. Verum respectus ad personarum amicitiam, ad famam, ad commoda lucraque propria, facit ut causam malam cupiant esse bonam, ut oculos affectusque avertant a rationibus illi adversis,

(a) Jer. 17. ℣. 9, 10.

ad

ad rationes fucatas, vel pigmenta rationum in speciem favorabilium; atque ita fit ut sibi tandem ex usu maligno ea fraus fiat illis insensibilis, imo appareat veluti licita ac laudabilis peritia vel sapientia. Simili res sese habet modo cum rixarum Theologicarum candidatis, sive controversiarum Professoribus plerisque; affectus congenitus erga partes in quibus sunt nati sperantque munera, famam, commoda, facit ut quamvis docti universi idem habeant cognoscendi ac decidendi principium commune, Scripturas divinas, avertant tamen animum & attentionem debitam ab ea luce quæ sententiæ partium adversarum favet, ad eas verisimilitudinis apparentis umbras quæ sibi suisque sententiis abblandiuntur. In rebus ceteris, in societate civili, sinceri erunt quidem iidem minimeque dolosi: at in hisce, coram Deo, sinceritate debita atque intima non parum destituti, imo fraude latenti pleni; proindeque veritatem, nisi fiant alii, nunquam assequentur neque solide possidebunt.

Serio moneo Cl. Virum, pace sua bonoque quantum ad me animo, ut dum tempus emendationi superest, dispicere velit, annon causa mutabilitatis suæ & defectionis a veritatibus solidioribus ad errores eis oppositos, in hisce lateat quæ de penitiori sinceritate & fraude à me hic & in Tractatu ad alteram Methodi Regulam, exposita sunt.

XIII. Quod deinde addit, mera est oblocutio: *Istam sinceritatis explicationem quis in ea voce quæreret?* Ponamus neminem Lectorum id ibi quærere, sed tamen eos invenire ibi bonum, utile atque salutare quod non quæsiverant; quid inde? gaudeant illi de bono invento, deque eo & sibi & mihi etiam gratulentur. Plus invenerunt quam quæsiverant, ingens vero malum. Pergit: *Aut quis doctrinam auctoris ad praxin applicare aptus esset ubi auctor sinceritatem describit,* QUOD *sit animæ dispositio primaria ut quam primum diviniores lucidioresque motus & veri radios persentiscat, etsi suis dudum assumtis, gratis & assuetis oppositos; ipsa tota statim eis attentionem dare,* (adde omissum, *in quantum ei ex libertate praeest,*) *eos desiderare, & augmentum eorum cupere parata sit?* Quibus verbis dum D. Th. sinceritatem intimiorem veluti possessione & *praxi* non possibilem insinuat, eo ipso declarat se neque ea delectari ac gaudere, neque etiam eadem uti: quod sane dolendum est, eoque minus mirandum si veritas eum nunc dereliquerit. Nec satis: deplorandum assertum suum firmare insuper contendit duabus potissimum rationum simulacris, quæ hæc sunt: *Nam ut taceam* OBSCURUM *hic explicari per* ÆQUE OBSCURUM, *dum nulli traduntur ab auctore characteres secernendi motus & radios diviniores veri-*

XIII. *Detectionem ejus non esse difficilem, exemplis ostenditur:*

ta-

tatis a motibus vulgaribus & humanis; *postulatur iterum per hanc explicationem* (atqui est applicatio,) *a stultis, ut si velint fieri sapientes, jam sint sapientes.* Quis non sibi imaginetur ex hisce oblocutionibus, agi hic de obscuris quibusdam oraculis ac maxime reconditis mysteriis, quorum cognitio & agnitio admodum ardua sit atque difficilis, multisque idcirco mediis ac machinis indigens? Atqui agitur hic tantum de moribus sive instinctibus omnium simplicissimis, qui quosvis qui eos sentiunt, convincunt, & quidem quatenus claritatem suam secum ferunt indubiam: qualia sunt, v. g. „ Tu non te fecisti ipse, neque „ ceteras creaturas. Tu non potes eas conservare neque te beatum facere. „ Causa tui & omnium rerum potens est, bona est, sapiens est: ipsa „ hoc potest. Teneris eam amare, ei gratias agere, non oblivisci „ ejus, neque beneficiorum ejus. Conare ut illi placeas & obsequaris „ præ omnibus. Si homines vani ac mali, si tentator, si pravus quidam affectus te ab ea revocant ad se & ad peritura vana, place magis æterno tuo Benefactori potentissimo optimoque, quam istis inanibus ac pereuntibus simulacris. Vive illi qui est principium & finis „ omnium. Imitare erga res ceteras, homines præsertim, bonum „ Creatorem tuum quantum potes & tibi offert virium, &c". Ecce, hi ac similes motus & instinctus, quando eos persentiscit anima, nonne sunt admodum agnitu difficiles, ita ut nisi operose *characteres eos secernendi* in medium adferas, discerni non possint utrum boni ac *divini* sint; an vero secus; commendesque sine hoc *obscurum per obscurum?* Atqui sunt per se clarissimi quibusvis mentibus quæ oculos eis, sive attentionem vel tantisper præstant. Ipsa lux meridiana non est his clarior: neque minori absurditate desiderabis *characteres* discernendi lucem meridianam a tenebris, quàm *motus hosce lucidos*, hos *veri radios*, ab erroneorum *motuum humanorum* tenebris atque figmentis.

XIV. *Nequidem in incipientibus. De libertate objicitur extra oleas.*

XIV. Objectioni suæ repetitæ de *stultis*, etsi satisfeci suprà respondendo ad *nugaces* illos quos adduxit ad primam Regulam, repeto: Postulatur ab illis in quibus sunt non tantum instinctus corruptionis ad stultitiam, sed & boni Dei motus sive principia moventia ad sapientiam, ut si ad sapientiæ pervenire velint possessionem plenam, incipiant ab observatione bonorum istorum motuum: quo facto, primum habebunt gradum ad perfectionem, eumque tam longe adhuc ab ipsa perfectione distantem, quam voluntas observandi leges sani sensûs in æde construenda, differt ab æde jam constructa, ornata atque habitata. Vel pueri hoc capere possint: pudet talia Philosopho homini repræsentare; uti & eum monere de hallucinatione sua quando addit; *Quæ auctor*

ctor de LIBERTATE *animæ ubique immiscet, indicio sunt, eum naturam ipsius animi haudquaquam rite examinasse, dum libertatem hanc majorem sibi imaginatur, quam revera existit.* Atqui hic loci, de *libertate*, utrum major an minor sit, nihil plane determinavi nec determinare volui. Volui tantum dicere, dixique animum sive mentem debere motibus illis bonis dare attentionem *in quantum illi* (attentioni) *regendæ ex libertate præest :* Si mentis libertas multum præest actibus attentionis regendis, applicet attentionem multum; si parum præest, & illud parum etiam applicet; unusquisque pro mensura potentiæ liberæ suæ, majoris, minoris, parvæ, *in quantum potest*, & quousque potest, det quod potest : plus non postulat pro eo tempore vel ipsemet Deus. Miror verba ista, *in quantum potest*, in citatione Thomasiana esse omissa : utrum id ex incogitantia, an de industria, quia objectioni locum non relinquebant, factum sit, inscius determinare nolim; uti neque etiam, uter nostri amborum, ille ne an ego, *naturam animi*, vel *libertatis* amplitudinem rectius *examinaverit :* asserat D. Thomasius ea de re quicquid placet : palam hactenus feci non uno exemplo ejus asserta non esse indubia veritatis axiomata.

XV. (3) Tertiam Methodi Regulam, ut unusquisque in veritatis disquisitione *incipiat* A SE IPSO ET IN SE IPSO, ne a vellicatione intactam relinquat Cl. Th. tametsi ab eo approbatam, mirum agit nodorum in scirpo inveniendorum artificem. Verba ejus libet exhibere omnia. (*a*) *In explicanda tertia Regula de cognitione sui ipsius, recte quidem monet Auctor hominem, dum adhuc in via veritatis inveniendæ occupatus est, non debere esse valde sollicitum de convincendis aliis, maxime illis qui sponte delirant : unde non solum recte notatur methodus Cartesii, qui statim ab initio nimis sollicitus est de refutandis Atheis.* (Fallitur hic D. Thomasius : non improbavi Cartesium de refutandis Atheis ab initio sollicitum; approbavi potius; sed id improbavi in eo, quod SCEPTICORUM NÆNIIS *audiendis & retundendis, vigilemne, an somniem, corpusne habeam an non habeam, adeo dedisset locum in Philosophiæ suæ initio* sine ulla necessitate, imo & cum damno non parvo, uti e contextu (*b*) meo videre est.) Pergit : *Sed & in genere inclinatio communis eruditorum observationem & notam meretur, qui magis occupati sunt in* REFUTANDIS *aliis, quam in emendandis se ipsis; & nimis intempestive gestiunt alios docere ac reformare, quam discere & se ipsos corrigere.* Hactenus mea approbat Vir Cl. utinam & ipso facto id (*de refutatoria* indole loquor) libri mei & harum Regularum respectu observasset ipse. Sed propositum ejus erat contradicere

XV. (3) *Adversus III Regulam vitilitigationes aliquot ostensæ.*

(*a*) Dissert. §. XXIX.

(*b*) De Meth. Part. I. §. IX & X.

cere qualicunque modo. Quænam vero nunc reperturus erit hîc reprehendenda? Hæc scilicet. *Interim tamen non negligenda etiam fuisset Auctori illa huc omnino pertinens meditatio necessaria: Ne ex fastu spirituali negligatur aliorum convictio, sub prætextu quasi hi se sponte occæcaverint; aut ne sub hoc prætextu quis velit tegere propriam cæcitatem, dum non potest respondere ad dubia rationabilia videntis.* Meditatio sane admodum hîc loci *omnino necessaria* & requisita! Quid facias homini qui omnibus decrevit obloqui quæcunque dicturus aut taciturus sis? Si ea hic loci adposuissem quæ Cl. Thomasius me neglexisse arguit, planissime credibile est ipsum tunc objecturum fuisse (veluti ad Regulam primam & secundam,) & jure nunc quidem, *Quis concipere posset, quis sibi imaginaretur, quod* ad Regulam tertiam ubi agitur de homine solitario, veritatem nondum adepto, sed eam sibi uni in se *quærente* ac à se *incipiente*, OMNINO PERTINERE deberet tanquam tractatio NECESSARIA, MEDITATIO *de non negligenda aliorum refutatione & convictione ex fastu?* aut, monitum, quod *cæcus*, qui *non potest respondere ad dubia rationabilia videntium*, non debeat sub *hoc prætextu suam tegere cæcitatem?* Neminem sanum hæc ad hanc rem satis inepta debuisse interponere Regulæ vel argumento de quo agitur, omnibus evidentissimum est. Quod tamen istam intempestivam admonitionem omisi, ea omissio debet culpari veluti NEGLECTUS MEDITATIONIS NECESSARIÆ OMNINO HUC PERTINENTIS! Quid ad hæc cogitabit æquus rerum æstimator?

Sequentia clarius ob oculos ponunt immeritæ ejusdem culpationis continuatam patefactionem: *Hoc enim casu*, addit, *ineptum foret si cæcus videnti, qui cæco non vult cæcam obedientiam præstare, cæcitatem spontaneam objiciat. Et videtur omnino Auctor hoc defectu laborare, qui passim in hoc libro & ejus* VINDICIIS, *dissentientes magis increpat tanquam sponte se occæcantes, quam ut rationibus eorum objectiones avertere conetur.* Scilicet Poiretus eo in loco ubi dat consilia ignaris discere volentibus, omisit meditationem istam omnino hîc, judice D. Thom. apprime *necessariam*, quam modo vidimus: quia Poiretus, (veluti discipulus COECUS) mavult VIDENTIBUS & doctis suis adversariis, speciatim D. Titio, objicere spontaneam cæcitatem, eosque *increpare tanquam sponte se occæcantes, quam rationibus avertere eorum* videntium *objectiones*, ut patet *ex hoc* (Poireti de Eruditione) *libro*, *& ejus* adversus Titium, *vindiciis*, (in hac Dn. Thomasii editione omissis, & ad quas provocat,) quæ si inspiciantur, ex iis patebit, Poiretum, (*cæci* cujusdam instar) dissensionibus vel objectionibus

bus viginti circiter paginarum VIDENTIS ac *dissentientis* Titii, respondisse per centum & triginta, (nec minus) paginas: in quarum responsionum parte prima exstat Tractatus integer, meris *rationibus* e fundo rerum desumtis constans: in altera, respondetur ad Oppositiones Titii quadraginta & tres, per *rationes* annotatas tres, sex, decem, quindecim, plus minus ad earum singulas. Atque ita patet, conclusionis hujus, a Dn. Thomasio inculcatæ, soliditas & censuræ Regulæ tertiæ æquitas! Pergamus ad quartam Regulam.

XVI. (4) Ea hæc est: *Agnoscendam esse cuique propriam corruptionem; atque in eo statu veritatis acquirendæ se incapacem esse.* Hanc & probat & lacessit simul D. Thomasius, veluti sequitur. (*a*) *In quarta Regula, verum quidem est agnitionem corruptionis & stultitiæ propriæ esse initium sapientiæ: verum etiam est, stultos in statu stultitiæ non esse capaces omnium veritatum.* Sane plura ego hic nolim, modo per veritates quarum homo in statu corruptionis non est capax, intelligantur veritates solidæ, reales, diviniores, profundiores. Addit tamen, merâ obloquendi gratiâ: *At vero Rationem esse penitus corruptam, & hominem adeo in statu corruptionis esse* PLANE *incapacem omnium veritatum, etiam salutarium, id quidem ad erronea Auctoris & Mysticorum principia pertinet, sensui communi & experientiæ quotidianæ adversa.* Vitilitigatio ambiguitate nititur. Ratio hominis non est ita penitus corrupta, ut eadem plane sanari non possit, sicut in Dæmone: neque homo in statu corrupto ita est incapax veritatum, etiam salutarium, ut si earum principium, divina lux, ipsi offeratur, non possit ille eas, si velit, in se admittere. Sed Ratio ita penitus corrupta est, ut si aliunde quàm a se non accedat sanationis causa, ipsa ex se planissime non possit sanari, neque homo fieri capax veritatum salutarium recipiendarum quatenus in statu suo corrupto est, in eo vult manere, & in eodem veritates solidas quærere sine exitu ex se ipso tenebroso & corrupto, ad fontem luminis in Deo quærendum. Quæ vero omnia ita dilucide & copiose pertractavi eo in loco, ac munivi ita argumentis sacris, naturalibus, comparationibus, ut si quis ea inspiciat, non possit non mirari superesse adhuc alicui cavillandi locum.

XVI. (4) *Regulæ* IV. *de agnoscenda corruptione, veritatis impedimento, frustra quoque obloquitur.*

(*a*) Diss. §. XXX.

Moneo obiter Cl. Thomasium non legitime agere quando mea vocabula, *corrupti & corruptionis*, mutavit in verba, *stultitiæ* & *stultorum*, quæ non humiliandæ & sanandæ, sed irritandæ atque defendendæ hominum superbiæ inserviunt. Irritantur enim & sibi injuriam fieri putant si ipsis dicatur quod sint stulti & stultitia pleni, negantque præfracte se id esse: non ita quando dicuntur a natura corrupti, & cor-

ruptioni immersi: id enim & facilius agnoscunt, & inde facilius humiliantur & ad emendationem disponuntur. Quicquid sit, si voces suas pro meis adferat, & in illas suas deinde prælietur, ipse propria sua cædit vineta, nec teneor ei respondere. Nihilominus ita objicere continuat.

XVII. *Ægro & impotenti homini non frustra præscribi regulas.*

XVII. *Si enim stulti, inquit, essent incapaces omnium veritatum salutarium, nulla esset methodus naturalis transeundi ad statum sapientiæ a statu stultitiæ; sed omnis & tota emendatio esset plane supernaturalis ac miraculosa. Et frustra adeo Auctor Regulas daret perveniendi ad sapientiam, quia res naturales* [*supranaturales* debuit ponere typographus] *& miracula, non fiunt secundum regulas, sed eas transcendunt.* Ista objectio sapit planissime Pelagianismum, naturæ admiratorem, gratiæ hostem infensissimum. Verissimum est non dari *methodum naturalem transeundi a statu* corruptionis ad statum sanationis. Verba, propositiones Regulæque verbales, imo & earum idealis conceptio, non sunt proprie methodus sanationis; sunt tantum signa & monita quæ hominem ad veram vivamque viam & methodum provocant. Hæc est methodus viva, in actu exercito, non signato: scilicet, homo convertens cor facultatesque suas versus Deum, suscipitur ab illo, cujus divina vis agit, movet, trahit eum hominem e statu malo ac tenebroso, in statum lucis, veritatis veræque bonitatis. Hoc autem est plane *supranaturale*, nam est ipse Deus agens e mera bonitate, sine quo, vel hominum sanctissimi dicunt cum Apostolo, (*a*) *Non sumus idonei quicquam boni cogitare a nobis quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Hoc si MIRACULOSUM velis dicere, ad rem perinde est: sunt ista miracula interna, vera Dei solius opera, omnem vim naturæ plane supergressa. *Frustra ergo*, inquies, *auctor Regulas dat perveniendi ad sapientiam: quia res supranaturales & miracula non fiunt secundum regulas, sed transcendunt eas.* Hæc oblocutio absurda est; & tollit omnem Scripturam divinam, quippe quæ pro scopo habeat hominis conversionem, quæ plane supernaturalis est, & pro cujus tamen promotione Scriptura Regulis abundat atque præceptis, quæ verò, si D. Thom. credimus, *frustra dantur* ut eò *perveniatur.* Atqui, non frustra dantur verbis vel scriptis Regulæ, ut nos moneant & nos remittant ad causam supranaturalem, Deum, qui ipse in nobis id faciat quod nulla vis naturalis potest, nulla regula literalis, ut ut illa moneat & indicet. Interim supranaturales illæ Dei operationes non sunt sine suâ ordinatione: habent suas leges, sed internas: regula interna sive lex & conditio, est fides, sive ut quis se, corque & facultates suas

(*a*) 2 Cor. 3. ℣. 5.

tra-

tradat ac confidat Deo: tuncque sequetur infallibiliter supranaturalis ac interna Dei operatio. Etiam externæ Christi operationes miraculosæ, suas quoque habebant regulas, sine quibus minime fiebant, & cum quibus præsentibus illico aderant: regula erat fides vel ægrorum vel eorum qui ipsos offerebant: & notatur conceptis verbis, Christum non potuisse facere miracula in urbe propria ob habitantium incredulitatem. Multa dicit veluti e Cathedra D. Thom. quæ tamen minime ab eo examinata sunt.

XVIII. (5) Quintam Regulam nostram, *Sanationem mediis aptis ante omnia esse quærendam*, laudat jure merito idem ille Vir Cl.: sed pro suscepto a se causidici adversantis officio, eandem lacessere volens, non animadvertit hallucinationem suam, qua factum est, ut quæcunque objicere se putat ad hanc quintam Regulam, minime ad eam, sed ad sextam demum pertineant: ita ut hæc quinta, quæ est de sanatione ante omnia recte quærenda, maneat, contra propositum ejus, ei omnino à culpa intacta, & laudatione sua affecta: ecquis enim sanæ mentis veritati huic obloqui posset, *ægri subjecti sanationem recte quærendam esse antequam eo subjecto velimus bene uti?*

XVIII. (5) *Nihil potest adversus Regulam V. etsi id tentet.*

Fefellerunt eum paragraphi LIII & LIV. ante Regulam sextam positi, quos erroneè putavit ad quintam regulam pertinere, quando tamen sunt præludium & introitus ad sextam, imo ejus etiam expressio, sed verbis Scripturæ, non philosophicis. Expressio philosophica Regulæ demum facta est in paragrapho LVI.

XIX. (6) Regula ea sexta indicat igitur terminis magis philosophicis & artificialibus *media sanationis proxima*, metaphoricis Scripturæ verbis antea expressa: quorum omnium ut solida pateat æquitas, simulque quam nulla sit eorum censura, nonnulla prius advertenda sunt, quibus quæstionis status dilucide concipi possit.

XIX. (6) *Exponitur Regula sexta, ejusque fundamenta ac rationes.*

In toto hoc de Methodo tractatu agitur de homine cui propositum est veritates, & nunc quidem ideales atque naturales, inquirere, quique id debeat & velit agere ordine, sincere, incipiendo a se ipso, quem deteget corruptum quantum ad facultates omnes, atque adeo & quantum ad facultatem rationis; cum qua rationis corruptione ceterarumque facultatum suarum, non possit consistere veritas; ipsemet vero corruptus homo non possit ex se ipso sanationem, sive corruptionis ægræ rationis, & facultatum depravatarum expulsionem sibi procurare; sed eam apud alium aptis modis ac mediis quærere sit necesse. Nunc quinam sint illi modi, quænam media quærendi & adipiscendi sanationem PRO ÆGRA CORRUPTAQUE RATIONE, id est quod quæritur.

Antequam responsum detur, hoc etiam animadvertendum est: Rationem esse facultatem quæ aliis facultatibus superioribus subjicitur, & ab illis influxus recipit: unde est, quod si facultates superiores & ipsæ ægræ sint æque ac Ratio, (uti demonstratum fuit in Tractatu de Methodo §. XXXV & XXXVI, item §. XXXVIII ad L usque) non possit sanari Ratio nisi per ea, per quæ Facultates superiores primo sanatæ sint, ita ut ex his sanatis sani possint & in Rationem derivari influxus. Consequitur inde, *quæstionem sanationis ac mediorum ejus pro* RATIONE CORRUPTA, reducendam esse inprimis ad quæstionem sanationis & mediorum quæ & ipsas facultates superiores respiciant potissimum. Atque is demum est nunc completus quæstionis status.

Patet autem hunc statum eos respicere primario qui veri Christiani fieri cupiunt; secundario & indirecte, eos qui etiam volunt philosophari, sive veritates ideales in se excitare.

Respectu primorum, quia media veris Christianis efficiendis apta in SS. Scripturis describuntur, ea ex hoc fonte brevibus exposui, ut illis adhibitis, & per eadem facultatibus superioribus sanatis, possint & pro Philosophis hinc in Rationem derivari sanationis influxus qui rationem sanent, reddantque idoneam ut sanas, lucidas, veras omnium aut præcipuarum rerum quas speculari volet, ideas formet ac repræsentet, seque & alios utiliter ad Dei laudem & gloriam deinde exerceat quantum ex his fieri potest.

Hoc autem ita explicui. Christus corruptibili nostra carne indutus, eam sivit affigi cruci immobilem, deficere ad tempus & in sepulcro quiescere; quo peracto, Dei potentia ei insinuata carnem incorruptibilem reddidit & suscitavit, morti ac corruptioni non amplius subjectam. Hanc similemve viam, hunc processum, nobis, veluti sanationis medium, esse adhibendum & applicandum: Rationem ægram, activitatem ejus corruptam & histrionicam, esse ligandam, a suis gesticulationibus esse abstinendam, & ad tempus debitum supprimendam ac veluti sepeliendam in spe auxilii restitutoris nostri: quo facto, divina potentia atque bonitas deinde superveniens eam restituet sanam; & ex insano histrione faciet egregium *præconem* aut repræsentatorem mirabilium Dei in naturalibus, atque etiam (suo sensu) in divinis quoque, prout fusius ibi exposui.

XX. *Oblocutiones quædam velitares præmissa.*

XX. His veluti oblocuturus Cl. Thomasius, ait: (*a*) *Obedientiam Christi, & crucis Christi impositionem, esse quidem media aptissima ad sapientiam Theologicam* [cur non Christianam?] *perveniendi. Verum, Christi doctrinam nunquam velle ut abjici, & pedibus conculcari debeat lu-*

(*a*) Diss. Thom. §. XXXI.

lumen RECTÆ RATIONIS, siquidem ipse & Apostoli *per naturalia & rationalia ducant ad supranaturalia.* Terminum CRUCIS CHRISTI esse *metaphoricum :* eo abusos fuisse *Cruciatos, Clerum in Papatu* contra Principes, *Doctores cujusvis secta* contra alios quosvis alterius; debere ergo ei *rationabilem interpretationem accedere*, &c. (quæ tamen interpretatio ibidem adest.) Quis, quæso, hæc non advertat esse hominis qui sibi claudit oculos ne videat subjectum de quo est quæstio, & qui, quocunque id fiat modo, decrevit obloqui ? Puderet me plura ad hæc adnotare.

XXI. Dixi modo, contenta Regulæ sextæ, a me expressa esse non modo verbis Scripturæ S. uti jam vidimus; sed & terminis magis philosophicis & artificialibus. Id factum est in §. LVI. quod hic reponere non gravabor.

XXI. *Regula VI. in terminis & cum cautionibus, quibus non attendens tria absurda opponit.*

Mens ad incolumitatem recipiendam, agnita & deplorata ægritudine (1) *impotentiaque suâ*, (2) *abstineat & quiescat* (quamdiu sanata non est,) *ab actibus* (scientificis) *intellectus sui, quem offerat Deo* (3) *passivum, solo* (7) *desiderio sanitatis a Deo impetrandæ agens, nec non firmiter decernens se inposterum, si restituta fuerit, non amplius recturam facultates suas ad placitum proprium, sed ad voluntatem Entis Summi, juxta ordinem & proportionem quæ debet esse æterna inter & caduca, spiritualia & corporea, interna & superficiaria, necessaria & accessoria, realia & umbratilia, divina Dei placita & pessima proprii amoris se pro scopo statuentis cupita.* Sequitur, de effectu sanationis. *Ubi quæ hic præscripta sunt, vere in mente erunt, explicabit se in illius intimis*— (4) OPERATIO *Dei* (5) *luminosa eam sanans, aptamque reddens ad lucem & veritates quasvis recipiendas & agnoscendas* (6) *supra modum & vim omnem activam & mere naturalem.*

Septem illi numeri, qui interjecti sunt, notant totidem Regulæ hujus capita præcipua, quæ singula in sequenti Parte mei Tractatus altera, septem sectionibus, viginti duabus quæstionibus, paginisque plus quam quadraginta resumuntur, & cum difficultatibus iisdem oppositis resolvuntur & explicantur, quibus Cl. Thomasius minime attentus, imo neque ipsi Regulæ, in hanc ita animadvertit.

Scilicet post sua (Dn. Th.) *notata*, (*a*) *ei non opus esse in Regula sexta conclusionem inferre*, videlicet hanc; sequi hinc igitur, quod *homo veritatis cupidus debeat ejurare usum intellectus activi, ac passivum intellectum solummodo Deo offerre, & revelationes captare. Hoc enim*, pergit, *idem esset ac si homo voracitati deditus, vellet ab omni cibo ad corrigendam voracitatem abstinere, & a Deo per miraculum exspectare* con-

(*a*) Diss. Thom. §. XXXII.

conservationem vitæ & sanitatis. Addit, tertio: *Accedit quod observata hac Regula, nullum adsit remedium cavendi* ENTHUSIASMUM FANATICUM. Hæc censura triplicem continet objectationem, nempe, primo, conclusionem imaginariam, quam is credit ex ea Regula & e præcedentibus sequi; secundo, bellam comparationem de voracitate: denique, enervationem remedii contra Enthusiasmum, vel, quod idem est, periculum in Enthusiasmum sine ullo remedio incidendi. In quibus operæ pretium est ostendere, Cl. Virum neque attendisse ad subjectum cui obloquebatur, neque ad id quod dixit ipsemet.

XXII. *Nullitas primæ oppositionis de ejuratione Rationis.* (a) Supra Sect. II. num. VIII.

XXII. Regula dicit, (& sequentia, quorum nonnulla ante (*a*) vidimus citata, id magis confirmant ac illustrant,) quod homo veritatis cupidus, ejusque quamdiu *æger* est possidendæ non idoneus, debeat (1) intendere *receptionem incolumitatis sive sanitatis*, ac *desiderare eam impetrare a Deo.* (2) ABSTINERE & QUIESCERE interim *ab actibus intellectus sui*; quod explicui sæpius idem esse ac, suspendere ad tempus solos actus ratiocinandi scientifico modo. (3) *decernere si restitutus sit se recturum facultates suas*, (inter quas est RATIO,) *ad voluntatem Dei*, & secundum proportionem dignitatis objectorum; (4) inter quæ objecta numerantur ibidem ea quæ sunt *caduca*, *corporea*, *superficiaria*, *necessaria & accessoria*, *umbratilia*, quæ sine ulla controversia ad RATIONEM pertinent. Censet ac dicit ad hæc Dn. Thomasius, idem hoc esse atque *concludere*, *ac si homo veritatis cupidus debeat* EJURARE USUM INTELLECTUS ACTIVI, sive, ut non semel alibi, usum lumenque rectæ rationis abjicere, rejicere ac pedibus conculcare. An ergo præter actus scientificos rationis non dantur & alii ejusdem actus quam plurimi hic omnino intacti? An omnes homines qui scientificos rationis actus non exercent, rationis usum ejurarunt, nullumque ejus exerunt actum? An, velle Rationis incolumitatem & sanitatem, idem est ac, velle eam *rectam* & sanam *abjurare*, & *pedibus conculcare?* An *abstinere* & *quiescere*, idem est ac *abjicere*, *ejurare*, *conculcare pedibus?* An quando homo æger abstinet & quiescit à laborando, an quando Vir Cl. studiis fessus & pergere impotens quiescit & abstinet interdum ab illis, hoc pacto ejurant, rejiciunt, pedibus conculcant uterque hæc ipsa, rectumque laborum & studiorum *usum abjiciunt*, negant & *extinguunt?* An, velle post vires resumtas, labores priores sed ordinatiores resumere ac *dirigere*; idem est ac, facere sibi legem & regulam eosdem labores membrorumque *usum* abrogare & *abjurare*, *captando* miracula, & *exspectando* ut *Deus miraculose* pro nobis laboret? Ubi erat Cl. Viri Logica, & usus rectæ

Ra-

Rationis, quando hæc cogitabat, & coram omnibus objicienda, describebat?

Dicit Regula, *intellectum* ægrum, quem sæpius antè non passivum solùm, sed & activum sive ipsam RATIONEM, esse dixi & ostendi, imo & cui hîc loci *actus* attribui, *debere Deo offerri passivum*, hoc est, in statu quiescente, non laborante, non scientifico modo agente: Objicit Vir Cl. hoc idem esse ac si statueretur, *passivum intellectum* (qui est e facultatibus superioribus) SOLUMMODO *esse offerendum* Deo, sine activo: *sine activo*, inquam, quem quippe exclusit ille tum per particulam *solummodo*, tum imputando quod Ratio per me sit *abjurata* & *pedibus conculcata*. An quæso, offerre aliquid activi in statu quiescente & passivo, idem est ac, id præterire, ac *ejurare*, cum ejusdem *usu*, & aliud subjectum prorsus *passivum* (vel aliam subjecti partem prorsus passivam) *solummodo offerre*? An quando quis dicit, operarii hominis ægri corpus esse offerendum Medico in statu passivo & a laboribus quiescente, idem est ac dicere, Animum ægri *solummodo* debere offerri medico, corpore ejus suoque usu susque deque habitis, neglectis, ejuratis ac sub *pedibus conculcatis*? Quid ad hoc dicturi essent vel ipsi idiotæ?

XXIII. Statuit Regula, *mentem* totam ipsamque ejus Rationem debere eo in statu *desiderare* a Deo *sanitatem* morbi sui, hoc est, debere precibus postulare a Deo lucem gratiæ suæ, Spiritum veritatis, charitatis & sapientiæ, quo in posterum ab erroribus & vitiis nobis caveamus, & applicemus nos nostrasque omnes facultates objectis debitis debitoque modo in omni æquitate, veritate ac bonitate: id quod multis rationibus ac modis passim inculcavi eodem in Tractatu, in Libris ipsis de Eruditione, & in Defensione contra D. Titium. Et nihilominus Regulæ, hæc omnia paucis indicanti, objicit Vir Clariss. id perinde esse, *ac si inferretur*, hominem *veritatis cupidum debere revelationes captare*. An igitur verba, consilia, jussa Christi ipsius & Sanctorum utriusque Testamenti, *In lumine tuo videbimus lumen: emitte lucem tuam & veritatem tuam quæ me ducant: fac lucere faciem tuam super nos: revela oculos meos: da mihi intellectum: doce me: vivifica me: erravi; quære me, Domine: Spiritus tuus bonus ducat me in viam rectam: petite & dabitur vobis: pater non denegabit Spiritum bonum, Spiritum veritatis, qui ducet in omnem veritatem, petentibus eum: si quis eum non habet; is non est Christi: sine eo non possunt cognosci ea quæ sunt Dei: illuminet ille Spiritus sapientiæ & revelationis oculos mentis vestræ: si cui deest sapientia, petat illam a Deo in fide,*

XXIII. *Objectio tertia; de Enthusiasmo, petentibus & sperantibus Dei auxilium impacta, injuriosa est in sacra Dei verba.*

& accipiet, & infinita alia per totam Scripturam, sunt idem ac incitare nos *ad captandas revelationes*, & quidem tales, quæ ad *Enthusiasmum fanaticum* pertineant? Quis hæcce objectata, Christianismi fundamentalem veritatem evertentia, speraret ab homine Christiano, si sibi attendat, posse proficisci?

XXIV. *Comparatio in oppositionem adducta, disparilitate laborat.*

XXIV. Comparatio ejus, sumta ab homine voraci, cui ad voracitatem corrigendam *abstinentia ab omni cibo* injungeretur, disparilis est ex omni parte. Necessarium est naturaliter omni homini ut cibis utatur; adeoque sine absurditate postulari non potest ut *ab omni cibo* abstineat quocunque sub prætextu. Ast non est necessarium, ut omnes intellectum suum exerceant per ratiocinationes scientificas. Testatur experientia vel inter mille homines vix duos reperiri qui illum sic exerceant, quamvis sine hoc homines sint omnes & rationales, & capaces ejus quod ad hanc vitam atque ad futuram requiritur. Comparatio, ut recte procedat, sic instituenda est. Ponamus hominem esse alicujus cibi ipsi quidem lauti, sed insalubris, & qui morbum ejus augeat, veluti sunt fungi, aut pepones, aut si qui ejusmodi, admodum voracem. Huic, si quidem sanitatem cupiat, nequaquam absurdum videbitur, quando abstinentia ab omni ejuscemodi cibo ad tempus ei præscribetur, dum interim aliorum saluberrimorum ciborum usus ei permittitur atque etiam commendatur. Applicatio hujus facillima est ad subjectum præsens. Homo, sciendi cupidus, corruptus est quærendo multas ratiocinationes (teste Scriptura sacra,) quæ ratiocinationes malum ejus nutriunt ac augent, experientia testante. huic dicitur: Si vis sanari, abstine te ad tempus ab istiusmodi ratiociniis, & a vano idealis scientiæ exercitio; ac interim nutri, conserva, exerce facultates diviniores tuas *desideriis* Dei, gratiæ divinæ, sanationis tuæ, precibus ad illum piis; *intellectum* tuum consideratione & admiratione potentiæ ac bonitatis ejus, miseriæ item & iniquitatis tuæ; *voluntatem* tuam, *cor* tuum, divina charitate, spe, fide, laude, veneratione; tui contemtu, aliorum dilectione; ipsam etiam *Rationem* istis ac similibus quantum potest sine contentione & cum tranquillitate occupa. Judicet quivis, an hoc idem sit ac, velle eam animam *ab omni* suo *cibo abstinere*, & *exspectare per miraculum* objecta quæ eam sustentent. Non attendit plane Cl. Thomasius ad ea quæ ex occasione hujus Regulæ sextæ explicavi specialius in Tractatus Parte II. Sect. V. in prima nota ad quæstionem quartam: quæ vero cum supra a me (*a*) relata sint, eis hic supersedebo.

(*a*) Supr. Sect. II. §. VIII. num. 3.

Quantum ad Objectionem *Enthusiasmi fanatici*, ejusve periculi, cui totum paragraphum sequentem, XXXII, impendit D. Thomasius, me-

meretur id integro tractari capite, quod quidem erit proxime sequens sectio.

SECTIO QUARTA,

De Enthusiasmi periculis ejusdemque cautione.

I. NOnnulla hic præmittenda sunt ut pateat quid æqui vel iniqui subesse possit istiusmodi de *Enthusiasmo* insimulationibus, jure vel injuria non uni hominum generi illatis per diversos, qui diversis ad hoc rationibus incitantur.

I. Principia & considerationes notatu digna, ut de hoc argumento bene judicemus.

(1) Ubi nullæ sunt vel nullæ præsumuntur Dei in mentibus humanis operationes, ibi nullus est istiusmodi insimulationibus de Enthusiasmo relictus locus: sed ibi tantum, ubi illæ præsumuntur vel merito vel immerito. Ideoque his aliquantum in hocce subjecto est attendendum.

(2) Homo, ex principio & fine suo, est vas operationum Dei.

(3) Homo cum ipse sit opus Dei, in eo hactenus Dei operatio non potest non esse manifesta, maxime quantum ad animam spiritualem atque immortalem.

(4) Divinæ operationis in anima manifestatio prima, ejusdem creatio est, qua operatione Deus non modo animam cum suis omnibus facultatibus condiditque & conservat; sed & se, suum lumen, suos motus sive instinctus divinos ei immisit atque impressit. Eædem operationes divinæ in omnem æternitatem sese manifestabunt in mentibus integris, cum quibus Deus suas communicabit divinas gratiarum divitias, felicitates & glorias. Quæ ultimi generis Operationes Dei æternæ in homine, glorificationis nomen habent, veluti primæ nomen creationis & conservationis.

(5) Cum autem homo per peccatum ab integritate status creationis suæ defecisset, per quem defectum Dei lumen atque motiones, sive operationes, ad quas continendas factus erat, ex se ejecerat, atque se ita monstrum a scopo suo deficiens & ad eumdem ineptum reddiderat; fieri non potuit, ut eo unde lapsus erat atque defecerat, restitueretur, nisi per operationum divinarum in illo novam quasi speciem, vel potius renovationem & repetitionem, in hoc constantem generalius, quod Deus offerens se denuo homini, operetur in eo, & quidem in ejus intellectu, lumen suum, veritates ei necessarias ostendendo; in voluntate vero & affectibus, propensiones bonas bonosque motus, qui

eundem tum ad bona, justa veraque impellant, tum eadem bona in illo, si istis dare locum velint, ponant ac perficiant. Hæ sunt Dei operationes, quæ vocantur *gratiosæ operationes*, *gratia Dei* salvifica, (*a*) *faciens in nobis id quod Deo gratum est*, salutem videlicet nostram, & media interna ad eam, puta divinas Christianasque virtutes, de quibus omnibus Scripturæ divinæ passim mentionem faciunt.

(*a*) Hebr. 13. ℣. 21.

(6) Omnes qui ab Adamo ad Christum, a Christo usque ad nos in salutarem statum redierunt, vel redire inceperunt, de hac divinæ gratiæ in nobis operatione, ejusque operationis necessitate, testati sunt unanimi consensu atque constantia, asseverantes eam esse unum Religionis salvificæ ac Christianæ fundamentum, quo sine, homo in statu diabolico perditionis suæ manet, æternumque ibi mansurus est.

(7) Non autem operatur in homine hæc Dei gratia salvificans, vel potius, non se expandit divina in homine operatio, sine duabus hisce conditionibus; altera, ut homo eidem præsenti consensum præbeat; altera, ut ipse velit desistere tum a consensu cum operationibus inimici Dei, tum ab operationibus propriis corruptionis suæ, per quas ut se perdiderat ipse, sic & adhuc, altero quodam lapsu, eoque immedicabili, divinas operationes denuo ex se rejicere potest quamdiu hic vivit.

(8) Hasce binas gratiæ renovatæ conditiones cum non ignoraret salutis animarum hostis Satanas, id conatus est, & conatur adhuc efficere, ut homo easdem minime præstet, adeoque & salute ipsa etiam excidat.

(9) Primam conditionem, de consensu libero hominis cum Deo operante, non potest directe impedire Satanas, quippe qui nec Deum operantem impedire, neque cogere hominis libertatem omnino potis est, si illa velit Deo operanti adhærere.

(10) Ad alteram ergo se contulit, atque idcirco hominis facultatibus alia objecta speculationum variarum, motusque vanos vel malos offerre contendit, quibus efficeret, ut hominis libertas, si suo jure (quod erat consentire cum Deo) uti nollet, consentiret ut facultates suæ hæc objecta vana, hasque eorum operationes malas admitterent & foverent; eoque modo inhiberentur & sufflaminarentur divinæ gratiæ operationes in anima nostra.

II. *Epicurei & Sadducæi unde prodierint?*

II. (11) Hoc autem executus est inimicus ille neque uno modo, neque eodem successu. Nonnullis hominibus obtulit offertque & adhuc, objecta sensibilia atque corporea hujus mundi, quibuscum illi crassiores suas exerceant facultates voluptatum carnalium captandarum

gra-

gratia. Evadunt hinc homines *terrestres*, *Epicurei*, *Sadducæi*; in quorum proinde mentibus operationes Dei locum non reperiunt.

III. (12) Aliis offert objectorum istorum ideas contemplandas ac discutiendas eo motu ac scopo corrupto, ut sibi inde videantur docti, multiscii (ut ita dicam,) si non omniscii, superbientes in suis speculationibus, quasi præ ceteris hominibus multùm propterea excellerent; quique cupiant & ab aliis ita quoque haberi ac laudari. Hi sunt vani seculi *Philosophi* ac docti, quorum mentes vanarum, falsarum, monstrosarum etiam idearum cumulis & ratiocinationibus indies turgescunt, dum in iisdem operationum Dei ne vestigium quidem aut minima species sæpius apparet. Et tamen isti sunt qui se veritatis inquisitores ac sæpe possessores jactitare audent. III. *Philosophi vani, unde?*

IV. (13) Aliis objicit salutis nostræ hostis ideas divinarum rerum, sive quas hic ipse adhuc habet, sive quas illi ex activitate corrupta Rationis suæ per suam industriam, litera Scripturæ sacræ ac ideis philosophicis adjutam, sibi formare possunt; quam vero Rationem corruptam Satanas ita motibus superbæ adflat audaciæ, ut si his Diaboli motibus atque instinctibus locum dent, omnia velint ad captum Rationis suæ flectere & torquere, ipsa etiam Dei in Scripturis suis testimonia; aliorum autem, etiam sanctiorum uti & totius Christianismi testimonia susque deque habeant præ sui unius Rationis corruptæ activitate ejusque operationibus. Hinc prodierunt omnis generis *Hæretici*, in primis autem, quantum ad hoc subjectum, *Pelagiani* & *Sociniani*, quibus solæ Rationis operationes omne ferunt punctum: operationes autem Dei internæ plane ignorantur, negantur, imo & deridentur, & conviciosis nominibus insigniuntur. IV. *Hæretici omnis generis, unde.*

V. (14) Tandem, ubi Satanas reperit homines claudicantes inter bonos Dei motus, divinaque nonnulla lumina, & inter motus corruptionis propriæ, Rationisque suæ activitatem corruptam ac vanam, modo his, modo illis attendentes atque locum dantes; conatus est eos per superbiæ & amoris proprii motus, tum iis injectos, tum in ipsis latitantes & manifestandos, eo adducere; ut crederent, motuum illorum bonorum luminumque divinorum initia, (quibus Deus vellet e corruptione sua eos educere,) esse notas & signa, quod sint jam amici Dei, perfecti, illuminati: Atque tunc commiscentes cum bonis illis scintillis Dei superstitibus, pravos motus, pravas ideas, pravas operationes corruptæ suæ naturæ, tenebricosæ Rationis, ac tentatoris inimici, habent eas promiscue pro meris divinis. Atque ut ex admissa superbia, incitante eodem, sese aliis reddant conspicuos, celebres & à tur- V. *Enthusiasmus & fanatismus, quid & unde.*

ba distinctos, jam omnia illa sua pro divinis motibus ac oraculis extra se effundunt, & aliis venditant, quibus docendis vel illuminandis, vel regendis præesse cupiant. Hi sunt illi qui proprie nunc *Enthusiastæ* dicuntur; quibus si accidat (quod non omnibus accidit) imaginationem vel facultatem locomotivam violentius à tentatore atque inordinatius commoveri, ita ut illorum inde agendi rationes non raro sint irregulares & inordinatæ, tunc *fanaticorum* titulus datus est & competit.

VI. *Gratiam operationemque Dei intimam a veris Christianis nunquam esse negatam.*

VI. Notandum nunc est, Ecclesiæ Christianæ Theologos, qui merito principia Christianismi & Scripturarum auctoritatem Sanctorumque Dei hominum habuerunt in pretio, semper operationes internas spiritus Dei, mentes fideles illuminantis, corda eorum charitate animantis, eosque totos sanctificantis, professos esse atque defendisse contra hæresin *Pelagianam* sive veterem, sive per Socinianos renovatam.

VII. *Unde sit ut calumniosa appellatio* Enthusiasmi & fanatismi *immerito multis imputetur.*

VII. Verùm quia procedente tempore inceperunt illi (Theologos dico atque Ecclesiasticos) amare res terrestres, mundum & ea quæ sunt in mundo, desierunt quoque ac paulatim cessaverunt in eorum mentibus & cordibus bonæ operationes Spiritus Dei, quas postea inceperunt possidere tantum idealiter, in Rationis suæ pictis operationibus, in ideis, in logicis propositionibus, ratiociniis, verbis, scriptisque etiam apologeticis contra adversantes. Quam defectionem cum animadvertissent melioris notæ nonnulli sive Theologi sive etiam idiotæ, displiceretque illis admodum Christianismi fundamentalia non amplius nisi idealiter, siccoque ac mortuo modo, unde vix ullus fructus in hominum corda redundabat, commendari; admonuerunt illos, quidam etiam exprobrarunt, a statu eos primorum & verorum Christianorum atque eorumdem Doctorum plane decidisse; eos nihil amplius habere de rebus divinis præter ideales notitias, quas per activitatem & industriam Rationis suæ, methodo philosophica ex litera Scripturæ & Confessionum suarum acquisiverunt; Spiritum Dei in cordibus suis non habitare amplius qui eos purificaverit, illuminaverit, unctione sua divina docuerit, quique adhuc eos agat atque regat; uno verbo, eos non esse amplius vasa, organa atque instrumenta Spiritus Sancti ejusque sanctarum atque divinarum operationum intimarum. Fassi sunt id qui erant ex illis sinceriores; parvus tamen eorum numerus. Ceteri id, cum emendare nollent, neque etiam pudore indignæ defectionis suæ suffundi, mallentque defectionem illam suam palliare, imo & probatam reddere, excogitaverunt se debere id, cujus privatio ipsis exprobrabatur, eas Spiritus S. operationes intimas quæ mentem & corda illuminant, docent atque dirigunt, diffamare, quò earum destitutio ipsis non amplius

plius esset dedecori; sed contrà, earumdem commendatio fieret potius assertoribus suis ignominiosa. Atque hinc orta est *Enthusiasmi* immerita *imputatio* & calumnia, quam maligni animi accusatione *fanatismi* cumulaverunt, & quibusvis solidioris Christianismi essentiæ assertoribus, sibi invisis, inique adfricuerunt.

VIII. Qua in re quàm inique agant, ostendunt ipsimet suis verbis ac agendi modis, in quibus secum ipsi pugnant, & ex eodem ore *dulce* ac *amarum*, calidum & frigidum, *ita*, & *non ita*, solent effundere. Nam quando res ipsis est cum Pelagianis & Socinianis, qui negant Spiritus S. operationes intimas necessariasque mentibus & cordibus convertendis ac ad salutem formandis & ducendis, quo omnia naturæ & Rationis activitati (litera Scripturæ abutenti) humanisque viribus adscribantur; tunc strenue sese iis opponunt, & contendunt vehementissime adversus illos, nihil omnino verius esse, nihil magis necessarium ad ingenerandam in cordibus fidem, charitatem, omneque verum & bonum salutare, quam intimas, imo & immediatas Spiritus Divini operationes. Ast ubi eædem operationes iis modis urgentur, ut pateat inde ipsosmet earum reali possessione revera destitui, sine qua tamen possessione veri Christiani esse nequaquam possint; ab hoc elencho ut se excipiant, tunc ipsam eandem Spiritus Dei ejusque vivarum operationum possessionem actuosam & efficacem posito pudore abjurant & negant, eamque pro Enthusiasmo vel fanatismo habent & haberi volunt, contradictione non minus splendida, quam si de eadem solis illuminante & calefaciente operatione alteri quidem diceres, eam ad vivificationem plantarum & animalium necessariam esse; alteri non esse, imo *fanaticum* sive stultum esse istud asserere.

VIII. Enthusiasmum inique qui immeritis imputant, sibimet ea in re contradicere.

IX. Factum est inde, ut non Theologi solum, sed etiam quivis inter doctos qui meris ideis inflati, dolent sibi ostendi falsitatem vel inanitatem istarum Rationis corruptæ operationum, sibique ægrè ferunt commendari Divini Spiritus necessarias operationes, veritatis solidæ ac salutis fontes, soleant eos qui hocce charitatis officium enituntur iis & quibusvis præstare, pro *Enthusiastis* & *fanaticis* traducere, veluti fecerunt vel divinissimis Theologiæ interioris ac mysticæ libris, auctoribus & possessoribus, ipsi etiam pio Kempisio, divinæ Theologiæ Germanicæ, probo Joanni Arndio, & melioribus aliis non paucis. Immensum equidem absum ab eorum donis atque dignitate, plane etiam indignus qui aliquod convicium pro divina patiar veritate; nihilominus tamen quoniam ea scripsi quæ solidæ ac divinæ veritati, piisque ac profundis de ea Scriptoribus & Auctoribus commendandis inservire possunt, fa-

IX. Cur ejusce modi accusationem iis, mihique etiam, intentent qui ejus sumus plane innoxii.

ctum

ctum inde est ut etiam Enthusiasmi me accusaverint eorum non pauci, qui se libris meis Oeconomiæ divinæ, de Liberorum Educatione, de Eruditione, opposuerunt, quibus vero quid circa hoc subjectum respondering, ex editis dudum Responsionibus meis (*a*) ad DDn. Hamburgenses, ad Clericum, ad Titium, videre poterunt ii, quibus de hisce vel judicare vel agere lubitum fuerit. Verum enimvero, nullum ad hæc omnia respectum Cl. Thomasius videtur habuisse, quando hac in *Dissertatione* me quidem Enthusiastarum numero diserte excepit, ast Methodi meæ Regulas, & principia quibus usus sum, suspecta omnino voluit reddere, quasi vel Enthusiasmo faveant, vel eidem non sint satis opposita. Verba ejus libet exhibere.

(*a*) Exstant omnia in secundo volumine de Eruditione Edit. Amstelod. 1707.

X. *Censura vel sententia Dn. Thomasii me ea in re respiciens.*

X. Præter ea quæ modo vidimus a Cl. Viro Regulæ VI. imputari de *captandis revelationibus*, & quod observata hac Regula *nullum adsit remedium cavendi* ENTHUSIASMUM *fanaticum*; præterque cetera quæ e toto sequenti paragrapho producemus ea dum examinabimus; hæc protulit antè in §. xxv. (*b*) *Cui notum est quanta connexio sit Philosophiæ Platonicæ cum Theologia Mystica, & quàm facillima sit aberratio a Theologia Mystica in* ENTHUSIASMUM, *is non longe quæret causas, cur D. Titius in* Arte cogitandi *Auctori* ENTHUSIASMUM *imputaverit. Quamvis si secundum meum judicium in hac quæstione sententia dicenda sit, mollius pronunciarem. Multi sunt qui Cartesium Atheismi accusant, ideo quod ejus principia & demonstratio de Deo talis sit, ut si non caute procedas, facile cum Spinosa possis in Atheismum delabi. Mihi certo persuasum est, Cartesium nihil minus fuisse quam atheum, neque periculum suæ doctrinæ vidisse. Sic* FIRMITER PERSUASUS SUM EX SCRIPTIS POIRETI, EUM NIL MINUS ESSE QUAM ENTHUSIASTAM FANATICUM, *etsi methodus docendi Theologiæ Mysticæ,* QUAM SEQUITUR, *facillime eò deducat.* Idem dicet modo, (*c*) *Diligenter quæsivi in responsionibus Auctoris* (Poireti) *ad censuram D. Titii, an alicubi auctor doceret quomodo quis perspicue & distincte possit cavere ne in* ENTHUSIASMUM *incidat: sed nusquam id invenire potui.* Imputat & aliis in locis Enthusiasmum Theologiæ Mysticæ: sed de hoc, suo videbitur loco.

(*b*) Diss. Th. p. 25, 26.

(*c*) ibid. p. 34.

XI. *Dn. Thomasium duo in Enthusiasmo notare, à quorum altero supra me vindicavi.*

XI. Desideravissem ut D. Thomasius nobis explicuisset quid is intelligat per *Enthusiasmum*; quod tamen non fecit: Duas tantum invenio notas, quibus suum de illo sensum manifestat hac in sua Dissertatione, nimirum, primò §. xx. ubi dicit *Enthusiasmum* esse cavendum, *qui lumen rationis contemnit, & quasi pedibus conculcat:* deinde hoc ipso in loco, ubi Regulam VI. reprehendit, dum inter incommoda ejusdem nu-

numerat *τὸ captare revelationes :* quibus duobus procul dubio arbitratur Enthusiasmum si non totum, ejus ad minimum partem præcipuam constitui.

Quantum ad eam Enthusiasmi partem, vel proprietatem quæ ipsi est *lumen Rationis contemnere & quasi pedibus conculcare*, arbitror me (a) in iis, quæ ante præcesserunt, non solum pluribus argumentis demonstravisse, quam sim alienus ab istiusmodi Enthusiastici vitii culpa; sed etiam in modo dictis ostendisse id vitii e mea Regula VI. minime consequi; at potius ejus contrarium : ita ut hic supervacaneum sit denuo me meæve Methodi Regulam ab eo vindicare.

(a) Suprà, in Sectione II.

XII. *De sensu ambiguo vocis* Revelatio. *Ejus sensum bonum rejici non posse.*

XII. Quod ad Enthusiasmum, quatenus ei tribuit *captare* REVELATIONES, optavissem prius è Dn. Thomasio scire, utrum hac sua, non mea phrasi, innuere velit reprobandas esse atque contemnendas *revelationes* quatenus per eas intelliguntur Operationes Dei luminosæ in animæ intimis, per quas Deus nobiscum salutari modo veritates divinas mediaque salutis communicet, quippe quæ & *revelationis* nomine sæpius insigniuntur, etiam in divinis Scripturis, ubi hæc & similia aliquoties occurrunt: REVELASTI *ea parvulis. Nemo novit Patrem nisi cui filius vo!uerit* REVELARE. *Memoriam vestri*, dicit Paulus ad Ephesios, *facio in orationibus meis, ut Deus det vobis Spiritum sapientiæ &* REVELATIONIS *in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus — & quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus secundum operationem potentiæ virtutis ejus*; &c. in quibus agnitio Dei, illuminatio oculorum cordis, cognitio eorum ad quæ vocati sumus, uti & operationes potentis virtutis Dei in nobis per quam credimus, manifestissimè tribuuntur divinæ donationi *Spiritûs* REVELATIONIS. Si tales revelationes desiderare, si quærere viam & media per quæ removeantur obstacula, quæ istis Dei operationibus, divinæque Sui in nobis revelationi obsunt, id ipsum sit quod D. Thomasius intelligat per *τὸ captare revelationes*; idque mihi tanquam conclusionem e dictis meis objiciat quasi *Enthusiasmum*; pace ejus, hac suâ agendi ratione nihil aliud faceret quam Pelagianis ac Socinianis sese hactenus adjungere, Spiritum Dei blasphemare, Paulum irridere, ut qui optet suis Ephesiis Enthusiasmos ac *spiritum captandi revelationes fanaticas*. Neutiquam crediderim Virum Clariss. neque etiam ullum alium qui Socinianum vel Pelagianum nolit se profiteri, id de se affirmaturum : quod enim si faceret, ipse se re vera diffamaret, & mihi daret simul materiam non me defendendi, sed gloriandi potius de sententiarum mearum saluber-

V rima

rima veritate, atque etiam optandi, ut ex iis quæ unquam dixi vel dicturus sum, ipse, omnes, & ego cum iis evadamus magis magisque idonei, quibuscum Deus divinas suas illas operationes communicet.

XIII. Quo sensu *revelationes* rejiciendæ sint.

(a) Sup. §. v. n. (14).

XIII. Crediderim itaque D. Thomasium per *revelationes*, quarum *captationem* hic loci improbat, eas intelligere quas (a) modo dixi inveniri in illis, vel ab illis captari, qui per animi inconstantiam claudicantes inter bonos luminososque Dei motus, & inter motus corruptos & proprios naturæ ac Rationis ægræ suæ, tentantur a Satana ut propter quædam bonorum initia, vel speciem, impellente excellentiæ suæ vel superbiæ amore, credant se jam insigniter perfectos esse, ac non parum illuminatos a Deo: quod vero dum extendunt ad omnia quæ in se sunt ac fiunt, mala miscent cum boni & veri reliquiis nonnullis, unde farraginem vel chaos quoddam componant, quod pro meris Dei operationibus habent & propinant, sive illis tentator adjungat imaginationis atque regiminis externi inordinatos quosdam motus, uti interdum solet, sive non. Id verò sicuti jure merito improbandum est, atque evitandum; ita quoque Cl. Thomasio probandum incumbit istiusmodi *revelationum captationem*, & talem *Enthusiasmum*, sequi, hujusque merito *conclusionem inferri* ex Regula VI. de qua nunc agitur, quæque est omnium præcedentium veluti quædam complexio.

XIV. *Regulam dictam, meque & Scripta mea ab Enthusiasmi suspicione esse remotissima.*

(a) Diss. §. xxv.

XIV. Si hoc inde sequitur; quia igitur ego hucusque conatus sum, quatenus per infirmitatem potui, aut saltem quia optavi & etiamnum opto, istis me Regulis conformare quantum ad cogitationes, acta, verba atque Scripta; oporteret sane ut iste Enthusiasmi effectus in me vel in Scriptis meis appareret. De Scriptis meis, ac ex illis de me, vidimus jam suprà recentissimum D. Thomasii testimonium, de cujus veritate convicta est ejus conscientia: (a) *Firmiter*, inquit, *persuasus sum ex* SCRIPTIS *Poireti* EUM *nihil minus esse quam Enthusiastam fanaticum.* Quid hoc est aliud quàm dicere, *Scripta Poireti talia sunt, ut ex iis firmiter concludendum sit eum qui talia sentit ab Enthusiasmo esse remotissimum?*

Sed & ipsa Regula talem Enthusiasmum revelationumque captationes re ipsa excludit. (1) Enthusiasmus opinione vel affectu excellentiæ propriæ veluti fundamento revera innititur: Regula verò commendat *agnitionem* propriæ *impotentiæ ac ægritudinis*, hujusque *deplorationem* & displicentiam. (2) Enthusiasmus consulit & amplectitur motus quosvis naturæ ac Rationis suæ ægræ pro divinis: Regula dicit contrà, ab iis *abstinendum atque quiescendum.* (3) Enthusiasmus inspirat *desiderium*

cum

cum aliis suos illos divinos (scilicet!) motus, sua cogitata, communicandi, quibus scilicet convertantur & restituantur: Regula autem commendat cuique *desiderium propriæ sanationis restitutionisque* sui ipsius *a Deo impetrandæ*, & quidem (ex antecedentibus) incipiendo *a se ipso*, aliis dimissis. (4) Enthusiasmus decernit suos motus sequi, sine ullo respectu atque examine ad cetera quæcunque alia: Regula ex adverso dicit, *decernendum* cuivis esse, *non amplius regere facultates suas ad placitum proprium, ad proprii amoris cupita; sed ad voluntatem Dei*, & pro objectorum varia dignitate, ratione, *proportione atque ordine* debito modo perpensis. Majorne, quæso, ullibi, quam quæ hîc est, concipi potest oppositio inter duo, & contrarietas? majorne cautio ut ne aliquis ex uno in aliud incidat, ex contentis scilicet Regulæ ejusmodi, in Enthusiasmum fanaticum? De me ipso in veritatis suspectæ gratiam, dicere possim, me non tantum hucusque, Dei beneficio, cavisse re ipsa, ut ne mea agendi ac vivendi ratio continua ab omni eo longe absit, quod Enthusiasmi suspectum esse posset; sed & verbis literisque privatis conatum quoque fuisse, non paucos ab eo periculo retinere & absterrere, ad quod forsan propensiores fuissent, hoc maxime tempore, in quo novi tot Prophetæ Enthusiastici exclusi sunt, seseque quaquaversum disseminarunt, nec paucos suis Enthusiasmis, mirisque & motuum & revelationum jactationibus, vel intempestivis separatismis seduxerunt atque perturbaverunt, a quibus semper & abhorrui, & alios contrà præmonui.

XV. Destitutus D. Thomasius positivis ac directis suæ de Enthusiasmo insimulationis probationibus, recurrit §. XXXIII. ad nonnulla ratiocinia, e quibus hoc ipsum indirecte, & per consequentias ad suum modum formatas eliciat. Argumenta ejus ad duo redeunt, quorum primum est, ipsos Enthusiastas, *Quackeros* videlicet, uti posse regulis Methodi a me propositis, & tamen manere Enthusiastas atque Quackeros. Ergo, regulas favere Enthusiasmo: alterum se (D. Thomasium) in responsionibus meis ad D. Titium, libros meos vel principia mea Enthusiasmi accusantem, diligenter quæsivisse utrum ostenderem, quo modo quis ab Enthusiasmo cavere possit; id autem se non invenisse. Ergo &c. Miror Jurisconsultum positivis rationibus destitutum, (imo ubi probationes positivæ omnino contrariæ sunt, ut & sæpius & modo vidimus,) tantum tribuere velle rationibus negativis atque alienis. An igitur; quoniam cujusque verbis abuti possunt insani aliqui, is propterea insaniæ eorum dicendus est favere? Quackeri, imo quivis sectarii, divinas ipsas Scripturas ad se solent applicare; illæne ergo propterea eorum

XV. *Non bene Cl. Th. cum ei probationes genuinæ desunt, ad diverticula duo se recipere.*

rum erroribus ac Enthusiasmis favere erunt dicendæ? Multi libri, etiam sacri, non ostendunt directe, *perspicue & distincte*, (ad palatum multorum) quomodo errores nonnulli sint ab unoquoque evitandi; anne propterea erroribus illis sunt favorabiles agnoscendi? Favebuntne libri Veteris Testamenti, vel Pentateuchi, errori de animarum interitu, sive mortalitate ea de causa, quod Sadducæi non viderent *perspicue & distincte* cautionem contra hunc errorem iisdem in libris? Sed nolo huic infirmationis generi contra debilia Cl. Viri argumenta solummodo inniti. Nego illi palam utrumque, & Quackeros, si Quackeri maneant, regulas meas sibi applicare posse; & me in responsionibus ad D. Titium non ostendisse *perspicue & distincte* id quod dicit Dn. Thomasius se ibi non invenisse licet diligenter quæsiverit. Contraria ostendamus ad ipsa Cl. Thomasii verba, quæ lubet referre omnia. Sic ille:

XVI. *Enthusiasta, Quakeri, an Regulis meis uti possint, & inde sequatur Regulas Enthusiasmo esse favorabiles.*

XVI. (*a*) *Ipse Poiretus, credo, fatebitur dari Enthusiastas fanaticos:* transeat: *quia*, pergit, *video eum retorquere sæpius hoc epitheton in adversarios suos.* Nec in istis minutiis recte ratiocinatur D. Thomasius. Poiretus nullum convicio Enthusiasmi aggressus est: ipse eo impetitus fuit ab aliis per eas rationes & causas, quæ si validæ essent, ex iisdem sequi deberet, ostendente id Poireto, adversarios suos ejusdem culpæ fore reos. Hoc non est fateri quod dentur Enthusiastæ, vel alios ita appellare; sed ostendere quod adversariorum rationes eo in argumento contra ipsosmet faciant. *Porro*, inquit præterea D. Thomasius, *credo quod Quackeros non sit exemturus a Classe fanaticorum, cum Burignonia in peculiari scripto contra Quackeros, eos pro talibus declaraverit. Jam vero nullum est dubium quin Quackeri Regulas istas inveniendi veritatem, quas Poiretus præscripsit, ad se applicare possint.* Nullum est *dubium* quin possint: quis eos impediat? Sed magnum est *dubium* utrum recte & serio possint, & tamen simul manere in principiis suis erroneis: quod verò non dubium modo, sed omnino falsum esse assero. Nota etiam, si placet, quæstionem non esse de una atque altera Regula seorsim applicanda; sed de omnibus simul sumtis; e quibus etsi paulo antè evidenter ac sufficienter ostendi Enthusiasmum destrui, vel per illas eidem nullum superesse locum, libet tamen ad singulas Thomasianas de unaquaque Regularum observationes ex abundanti respondere. Prima ejus Observatio hæc est.

XVII.

(*a*) Differt. Th. §. XXXIII. pag. 33.

XVII. (*a*) *Nam & ipsi* (1) *ordine tali utuntur, ut in meditationibus præferant spiritualia & æterna, temporalibus.* Quid non facit sibi nunquam constans obloquendi aliis animus, malaque causidicorum consuetudo qualemcunque causam, pro ut libet, impugnandi vel defendendi? Ipse idem D. Thomasius qui adeo ab Enthusiasmo abhorret, ut eum illis, quos vult invisos reddere, objiciat; qui in eorum libris non semel à se editis non invenit *ratione rectâ ejusque lumine utendum esse*; jam inventurus est, obloquendi ergo, in ipsis Quackeris, quos tamen pro Enthusiastis habet, observantiam de *ordine servando*, maxime circa æterna & spiritualia; observantiam de sincero examine cordis sui, ne se ipsos forte decipiant; inventurus præterea quod eorum quisque sibi maxime, dimissis ceteris, intentus sit: quod de corruptione sua suæque naturæ & rationis detegenda, agnoscenda, evitanda maxime solliciti sint; atque adeo quod a motibus propriis & ratiociniis suis absistant, & a Deo gratiam postulent, qua deinceps se, suisque facultatibus, ratione, modis agendi, utantur non secundum placitum suum motusque proprii amoris; sed secundum Dei voluntatem, rerumque omnium pondus, proportionem, atque rationem. Hæc omnia, quæ Regularum Methodi a Poireto ostensarum sensus sunt & epitome, ad earumdem invidiam dicturus est in Quackeris inveniendа esse, Quackerorum jam declaratus hoc ipso Advocatus. Quæ sane si ita essent, iidem revera inter Christianorum optimos jure merito annumerandi essent. Sed quam longe in hisce a calculo aberret D. Thomasius, patet vel ex hac sola ejus observatione prima ad primam Methodi regulam.

XVII. *Enthusiastas, si his Regulis se regerent, Enthusiasmo renunciaturos.*

(*a*) Di T. Th. ibid.

XVIII. Tantum enim abest, ut illi & ordinem, & per eum res æternas ac spirituales observaverint primo atque præcipue; ut nemo nesciat eos inprimis sese commendasse ac conspicuos reddidisse per levia quædam *externa*, quæ tamen palpabilem *ordinis* ac decori, inter homines maxime observandi, violationem inferebant: non esse scilicet nudatione capitis salutandos homines, non appellandos esse *Dominos*, non pronomine *Vos*, sed *tu*, quemque alloquendum; eorum jussis, etiam superiorum, obedientiam tunc non deberi, quando motus Spiritus sui, (revera corrupti) aliud quid dictat. præterea uti actionum, ita & meditationum suarum regulam, spiritus impetum potissimum esse, ipsimet non diffitentur; quæ omniaque cetera in eorum scriptis, factis & historia, si non vidit D. Thomasius, satius fuisset eum de illis plane tacere: & tamen sic pergit.

XVIII. *Eos primam non observasse.*

XIX. (2) *Serio inculcant passim sinceritatem talem, ut homo atten-*

XIX. *Non agi in*

Reg. II. de ea inculcanda, sed intus observanda; quod ab aliis an fiat, sciri nequit.

dat ad motus diviniores & luminis divini radios. Resp. Sit ita: quid hoc ad secundæ Methodi regulæ observationem, quæ regula non est, ut *qui veritatem vult detegere eademque frui*, *sinceritatem* SERIO INCULCET; sed ut ipse SINCERITATE *mentis* PRÆDITUS SIT, quâ sese occulte per fraudes amoris proprii minime decipiat? Aliud autem esse, verbis *inculcare* alteri sinceritatem, virtutem, sanctitatem, & quicquid boni velis; aliud eas ipsas virtutes *possidere*, iisque *præditum esse*, quis est inter homines qui nesciat, neque quotidie id animadvertat? Hanc realem sinceritatis descriptionem, qualem pluribus explicavi, oportuisset ut D. Thomasius probaret ab Enthusiastis revera in fundo mentis possideri: quod tamen est impossibile demonstratu quantum ad alios; & multum est si quis de se ipso sibi ea de re verum possit reddere testimonium. Sequitur:

XX. *Hallucinatio in applicatione Regulæ III. ad eosdem:* (*a*) Ibid. pag. 34.

XX. (3) (*a*) *Inculcant cognitionem sui ipsius, & fere negligunt rationalem disceptationem cum aliis, sub prætextu quod hi sponte se excæcaverint, & sint incorrigibiles.* Cum deberet D. Thomasius pro suo proposito ostendere Methodi meæ regulas a Quackeris vel Enthusiastis *observari*, atque ita iis favere, vel saltem per eas non præverti illorum errores, ipse pro meis Regulis cudit proprias regulas, quas Quackeris applicet. Regula mea tertia non est, *aliis* INCULCANDAM ESSE *cognitionem sui ipsius*; hoc potest *inculcare* quivis hypocrita, impius, nebulo, ipse Dæmon Delphicus inculcavit *γνῶθι σεαυτόν*. Mea Regula est de propria cujusque erga semet ipsum actione vera, & sincere inhærente ac usu possessâ; *ut quis initium faciat à semet ipso, & in se ipso.* An autem id fecerint illi de quibus est quæstio, ipsimet non semel significaverunt, dum declarant, se ideo nolle alios salutare, Dominosque nominare, quia illi alii inde efferuntur atque superbiunt: se sacramentis ritibusque sacris nolle uti, nec precibus vel e libro recitatis, vel tempori certo alligatis, quia alii istis non bene utuntur &c. quo ipso ostendunt se ab ALIORUM *respectu* principia ea in re sua ducere, non à cura, uniuscujusque sui suorumque propriorum actuum, qui primo ab unoquoque in se ipso recte curandi ac recte faciendi erant antequam de aliis cogitaret. quod est plane Regulæ tertiæ oppositum. Quæ de *neglectu disceptationum* sub eo prætextu (cujus D. Thomasius inventor est) addit idem, ostendunt eum minime attendisse vel ad unam R. Barklaji Apologiam, in qua *disceptationes* cum aliis minime negliguntur, & quam in quasvis linguas converti, & quaquaversum disseminari curaverunt Tremuli.

XXI. *Ut & re-*

XXI. (4) *Agnoscunt* iidem, (prosequitur D. Thomasius respiciens

ad

ad quartam Regulam meam,) *stultitiam & corruptionem animi & intellectus activi, eumque putant esse incapacem ad recipiendam veritatem.* Gratulor Quackeris si id verum sit, quod ipsis hic adscribit eorum re ipsa Advocatus: id enim si faciunt, jam ad veram conversionem suam gradum fecerunt aliquem: Optandum tamen esset, ut quod ipsis D. Thomasius tam liberali animo mutuat, id ille ex eorumdem scriptis ac factis comprobaret, scilicet abstinuisse eos ab intellectus activi exercitio proprio atque corrupto in veritatis disquisitione, eo quod ejus corruptionem penitus haberent cognitam. Hoc si faciat, evincet simul cum Quackerorum emendatione & valorem roburque quartæ Regulæ Methodi solidissimum efficacissimumque. Crediderim, contra quam D. Thom. causam illorum aberrationis, hanc esse, quod confidant nimium activitati & motibus intellectus sui, cujus corruptionem non cognoscunt nec suspectam habent uti æquum est. *Spectu Regula IV.*

XXII. (5) Frustra Regulæ quintæ vim detracturus addit; *Multa* [Quackeri] *loquuntur de obedientia Christi, & susceptione crucis Christi.* An igitur mea illa regula ad veritatem inveniendam hæc est, *ut quis* MULTA LOQUATUR *de obedientia Christi, & susceptione crucis Christi?* Præstaret re vera tacuisse Dn. Thomasium, quam ita obloqui, uti facit, & hic, & ad Regulam sequentem, (6) quando adjicit; *attendendo ad lumen internum abjiciunt* [Tremuli] *intellectum activum, & offerunt Deo intellectum passivum.* Canonizat (ut ita loquar) liberalius ac par est clientes suos D. Thomasius hoc suo asserto: siquidem asserere Tremulos intellectum suum Deo sic offerre, ut ad ejus lumen intimum attendant sine adhibitione activitatis propriæ, idem plane sit, atque statuere eos extra errores esse, divinaque lumina adeptos esse atque secutos, secundum illud Davidis, (a) *Qui adspicient ad eum, illuminabuntur, & facies eorum non afficientur pudore.* Aliter ac D. Thomasius, de iis censuerunt Theologi quotquot de iis scripserunt, asserendo eos intellectus activi propriarumque imaginationum motus liberalissime in multis consuluisse & secutos esse, atque ita ab attentione ad divinum lumen & ab integritate intellectus passivi magis magisque remotos fuisse. Velim Lectores adspiciant, si placet, Regulam illam sextam totam de qua est quæstio, atque eâ perlectâ judicent, utrum talis sit quæ fanaticis possit applicari: utrum item in ea de *abjiciendo* intellectu activo fiat mentio, quemadmodum subinnuit, & sæpius objecit D. Thomasius. XXII. *Ut & Reg. V. & VI.* (a) Pf. 34. ỳ. 6.

XXIII. Sequitur postulatum ejusdem: *Jam velim ut doceat Poiretus quomodo velit, tertio, ostendere, Doctrinam Burignoniæ esse divinitus* XXIII. *Postulatum ejus bimem-*

tus

bre currit extra oleas. *tus inspiratam, Quackerorum vero fanaticam : aut quomodo ex regulis suis velit ipsum Quackerum de fanatismo convincere.* Quid necesse est ad Regularum mearum veritatem confirmandam uti satisfaciam quibusvis postulatis quæ mihi Dn. Thomasius *volet* extra oleas proponere ? Agitur in Methodi Regulis de privato quovis homine qui veritatem velit in se & à cura sui unius, dimissis ceteris, rectà inquirere. An hoc ut fiat, opus est ut sit sollicitus de probatione quod Dn. Burignoniæ doctrina sit divinitus inspirata ? Extra oleas & ad invidiam proponit ille hanc mihi quæstionem, dum tamen ostendit se in ea esse mentis constitutione, quæ responsionem postulatam non revera desideret; sed ei se opponat. Tales qui sunt, convinci non possunt; nec sibi sumet unquam Poiretus uti convincat eos qui sunt reluctante animo præditi. Satisfaciat sibi ea in re ipsemet Dn. Thomasius per recordationem illius in mente sua, in corde suo, constitutionis, in qua olim erat cum diceret : (a) *Firmiter persuasus sum fuisse Burignoniam Virginem piissimam, & ejus cor* HABITACULUM SPIRITUS SANCTI. DOCTRINA *quoad fundum* SANCTA *est & sana, ejusque libri dignissimi qui legantur a piis.* &c. Sciatque, si placet, se, quantum recessit ab ista mentis dispositione, tantum abesse ut sit idoneus cui vel ab Angelo ea in re satisfieri possit; siquidem reluctantes animos nec ipse Christus, qui dissentiendi libertatem omnibus relinquit, nullis aufert, de veritate persuaserit vel cum miraculis.

(a) Dissert. C. Thom. ad Libros P. de Erudit. Edit. I. §. 29.

XXIV. *Quod superflue postulat D. Thomasius, de cautione contra Enthusiasmum in Libris meis; quodque dicit se in illis quæsiisse nec invenisse; id abunde in iis est, & habuit ille coram oculis.*

XXIV. Neque etiam necesse est ad veritatem Regularum Poireti evincendam, ut *ostendat* ille *ex eis, Quackerorum doctrinam esse fanaticam*; Regulæ namque supponunt hominem solitarium, qui ceteris dimissis sibi uni intentus sit & invigilet; cui nec curæ sit, imo & sit obstaculo eo in tempore, solicitum esse utrum vel Quackeri vel alii existant in rerum natura errantes refutandi. Quid tamen ea de re ostendi possit, vidimus modo obiter ac ex abundanti, ut & ex accidenti, quando adversarii nonnulli ex invidia Quackerismum vel Enthusiasmum per calumniam objicere voluerunt, veluti fecit D. Titius, cujus injuriosis objectatis, ne per ea fraus fieret veritati apud simpliciores, credidi me debuisse satisfacere, uti factum est in meis ad illum responsis Amstelodamensi Editioni Librorum de Eruditione annexis, & a Lipsiensi Thomasiana resectis : de quibus tamen D. Thomasius ita pronunciat : *Diligenter quæsivi in Responsionibus auctoris ad censuram D. Titii, an alicubi auctor doceret, quomodo quis perspicue & distincte possit cavere ne incidat in Enthusiasmum : sed nusquam id invenire potui.* Potuisset forte id invenire quivis alius Dissertationis hujus Thoma-

masanæ Lector, si, quod fieri debuisset, Responsiones meas ad Titium, huic suæ Librorum meorum Editioni curavisset addi D. Thomasius: cujus vero soli affirmationi ac sagacitati in quærendo aut inveniendo non fident admodum Lectores, qui e superioribus documentis animadverterint sagacitatis hujus miram admodum indolem, qua ille ductus illa quidem quæ nusquam sunt, quærit & copiose invenit; quæ vero passim exstant, ea nusquam invenit tametsi *diligenter* quæsiverit: *Rationis*, & ejus quidem *rectæ*, *ejuratio*, *& sub pedibus conculcatio* nusquam sane in hisce meis libris sunt; & tamen asseruit ille non semel se eas ibidem invenisse. *Rationis ubi sanata est usus* legitimus atque assertus, *circa sua objecta* in iisdem libris non semel occurrit, imo ipsi libri ejus adminiculo, quantum potui & licuit, contexti sunt; ille autem hoc ipsum invenit nusquam. Eodem modo rem se habere. & in hacce sua quæsitione & non inventione *de cavendo Enthusiasmo* in Responsionibus meis ad D. Titium animadvertent Lectores, si inspicere dignentur quæ ibidem exstant non solum pagina aliqua integra, quæ est 488, item & alia pag. 583, atque in locis aliis ad marginem ejusdem paginæ notatis: sed quod stupendum est, hoc ipsum digessi consulto non paucis in Tractatu de Methodo Part. II. Sectione 5 & 6. quæ in hacce Thomasiana Editione exstant a pag. 149 ad 159 usque. quæ autem longiuscula sunt quam ut hic repetantur. Verum, quid opus est plura aliunde loca quærenti Dn. Thomasio indicare, quando sub oculis suis ipsam hanc *sextam Regulam meam* habet, in qua *perspicuè & distinctè* ostenditur via, qua *quisque cavere possit*, *ne incidat in Enthusiasmum fanaticum*? Certum enim est, nisi omnes Dei promissiones sint fallaces, ipseque Deus immisericors, eum hominem, qui serio ac firmiter sibi soli ac Deo attendens *agnoscet & deplorabit mentis suæ ægritudinem ac impotentiam*, *abstinebit ab ejus ægra activitate tantisper donec sanata sit*, *offerens interim intellectum Deo*, *patientis instar*, *ut impetret ab eo gratiam sanitatis*, *decernendo se in posterum non amplius recturum facultates suas* (adeoque & intellectum & Rationem) *ad placita propria*, *sed ad voluntatem Entis summi*, *secundum ordinem ac proportionem quæ intersunt inter objecta æterna & caduca*, *inter spiritalia & corporea*, *interna & superficiaria*, *necessaria & accessoria*, *realia & umbratilia*, *divina Dei placita & proprii amoris se pro scopo statuentis cupita*; (quæ ipsissima Regulæ contenta sunt;) certum est inquam, impossibile esse talem hominem a Deo permitti ut in casses incidat Spiritus Satanæ, qui eum Enthusiasmis ac illusionibus fanaticis seducat. Ipsa boni Dei natura, milleque ejusdem sacræ

promissiones, hoc idem confirmant quod ista Regula exponit oculis omnium, ut ut solus D. Thomasius *id nusquam, quæsitum* licet *diligenter, invenire potuerit*, quod tamen tunc sub manibus ejus suberat palpandum in modum.

XXV. *Idem esse de quæsito ejus altero.*

XXV. Simili quærendi ratione nec *invenire is potuit, Dn. Burignoniam*, cum contra Quackeros scriberet, *provocasse ad illuminationem intellectus*, (quem *passivum*, ille, nec sensum meum capiens, ironicè repetit:) cum tamen ejus Libri contra eosdem apologetici, vel quarta pars ferme tota sit de Regeneratione, deque necessitate ut Spiritus Dei nos illuminet, possideat, regat, ut *populus Dei*, jure merito possimus dici: cujus vero Regenerationis atque illuminationis ostendit vera criteria Quackeris, quidem sese hoc *populi Dei* titulo ornantibus, minime competere, sibi (Antoniæ) competere. Agnosco equidem, quod addit D. Thomasius, *eam provocare* etiam *ad usum Rationis rectæ & intellectus activi*, at illuminati, at secundariò, idque in rebus quæ jure merito objectum sunt humanæ Rationis, & ad sensus communis jurisdictionem pertinent. In his autem atque similibus, *usus Rationis* potissimum ad eos jure pertinet, quorum mentes divino lumine sunt illustratæ, atque inde ratio eorum collustrata, sanata est: tantum abest ut pro Regula habeant illi; Rationis suæ sanæ usum *abjicere, ejurare & pedibus suis conculcare!* quod assertum re vera mihi nunquam, ne quidem per somnium, in mentem incidit; mirorque id a D. Thomasio mihi non semel attribui, cujus contrarium ipsemet antea viderat & laudaverat in hoc ipso Tractatu, cum illum prima vice recudi curaret, & præfatione commendaret.

SECTIO QUINTA,

De Cl. Thomasii judicio mutato circa Libros meos. Item de Scriptoribus mysticis, & de J. Lockio.

I. *Scopus D. Thom. de inconstantia sua excusanda.*

I. PRævidit Clarissimus Thomasius, qui antea libros meos de Eruditione per Præfationem non parum laudaverat, quando postea, mutatus ab illo qui prius, sibi proponebat eorundem commendationi, Bibliopolæ intentioni, propriæque suæ de illis primæ menti contraire, mutabilitatem istam suam honestis viris non paucis proculdubio minime placituram, sibique apud illos nulli honori futuram, nisi hujus mutationis suæ causas prægnantes at-

atque legitimas eis faceret palam. Hoc igitur tentare voluit; idque ad finem usque Dissertationis exequi nititur, sic paragraphum xxxiv ea de re inceptans.

Jam paucis addenda est RATIO *quî factum fuerit, ut postquam in Dissertatione ad præcedentem Editionem hujus libri scriptâ, tantopere commendaverim Methodum hanc Poireti, & Scripta Burignoniæ; nunc tamen in* TANTUM MUTATUS AB ILLO, *tantopere notem defectus illius Methodi.* Notum est Jurisconsultis atque judicibus non admitti omnes ad PALINODIAM & retractationem eorum quæ antea & sani, & bene de rebus instructi, & firmiter, neque una vice affirmarunt, nisi evidentissime peremptorias, uti vocant, rationes e rebus ipsis desumtas in medium proferant. Videamus ergo, si placet, primò quid antea ipse his de rebus firmiter affirmaverit: deinde verò, quibus rationibus contendat assertionibus suis primis fidem nullam esse nunc habendam, sed potius sibi jam contradicenti credendum esse, seque esse jure merito judicem inconstantem.

II. De ANTONIA BURIGNONIA ejusque Scriptis, quidnam antea ille primum sua sponte, neque ab ullo requisitus, palam affirmaverit, quodque publicum reddiderit *testimonium*, in quo & per annos non unos perseveravit, supra quidem vidimus ex parte; sed plenius libet illud hic exhibere: Id sic se habet plenius: II. *Primum ejus de Ant. B. judicium quod animo plane libero protulit.*

FIRMITER *persuasus sum, fuisse Burignoniam Virginem piissimam, & ejus cor habitaculum Spiritus Sancti.* DOCTRINA *quo ad fundum* SANCTA *est &* SANA, *ejusque libri dignissimi qui legantur a piis. Quod conceptus de mysteriis attinet, scripsit haud dubie uti persuasa fuit, ac ejus persuasio* NIHIL *inepti continet aut* ENTHUSIASTICI, *si absque præjudicio affectuum & sectaria infallibilitate ejus scripta legas, etsi tu ipse in nonnullis aliter persuasus sis. Id imbecillitati humanæ adscribo, si putavit neminem salvari posse nisi qui eosdem conceptus cum ipsa foveret,* [hoc autem illa non putavit,] *quamvis & hic ipsa distinguere soleat inter conceptus de mysteriis & doctrinam de pietate.* Pergit: *Acriter judicarunt contra eam & Autorem nostrum Collectores Actorum Lipsiensium. Certus tamen sum ipsum Autorem* (a) *acerbioris hujus judicii scripsisse bona fide, id est, secundum suam persuasionem. Codicem Operum Burignoniæ nactus sum in auctione publica quo usus est Autor judicii. Magna cum admiratione observavi imbecillitatem humani generis. Erat Autor vir prudens, judicio maximo pollens,*

(a) Qui dicitur fuisse Dn. Seckendorfius.

lens, & sinceri animi; sed quid non possunt præjudicia quæ nobiscum adolescunt? Deprehendi loca multa in operibus lineolâ quadam notata ad marginem, quæ si sola spectes, non possunt non doctrinam Burignoniæ suspectam valde, sæpe blasphemam reddere: quod si autem præcedentibus aut consequentibus jungas, optimum & pium sensum habent. Non permisissent viro mihi maxime, dum viveret, charo, & a me etiam post mortem venerando, judicium, prudentia, sinceritas, ut talia excerperet, nisi præconcepta opinio sectæ (ut quotidie cuilibet accidit) mentem fascinassent. Credo tamen si adhuc viveret, eum ad agnitionem erroris perventurum fuisse.

III. *Hujus pondus nullo modo elevat, neque id potest legitime.*

III. Hactenus testimonium de A. Burignonia deque ejus Scriptis, quod non est testimonium infantis, aut adolescentis, vel amici Antoniæ alicujus superstitis, vel ejus qui loquatur ex aliorum auditione, irexpertus ac sine rei disquisitione, vel qui sit coactus, aut spe alicujus mercedis inescatus, aut qui cras vel perendie aliter dicturus sit: sed id testimonium est viri judicii maturi, ingeniosi, docti & Doctoris Jurisconsulti, cui cum Antonia ejusve amicis nulla unquam intercessit ante cognitio nec amicitia, qui suismet oculis ipsa Scripta præsentia lustravit, atque ex ea lectione attenta *firmiter persuasus* est; qui adversæ partis & sibi dilectæ ac venerandæ allegata contraria perspexit; & nihilominus sponte sua sine ulla causa movente externa, sese declarat publice contra veterem, *charum ac venerandum* amicum suum pro veritate & innocentia Virginis & Scriptorum ejus; in qua etiam sententia idem per annos aliquot perseveravit. Quid nunc rationum validarum allegare possit D. Thomasius ut sui hujusmodi testimonii vim elidat, suæque mutationis fundamentum ostendat solidum? Nihil sane. Antonia dudum erat mortua, cum ille hæc quæ hic vidimus, testaretur. Virginis facta quæcunque ac scripta, manserunt semper eadem: iis nil additum postea, nihilque detractum: nihil etiam ex iisdem Scriptis noster hic allegat quod antea non sit ab illo animadversum, quodque mutationis suæ causa dici possit. Quicquid autem in sequentibus de *Mysticis Scriptoribus* notat, id nihil prorsus ad Antoniam pertinet, quæ Mysticos Scriptores neque legerat, neque doctrinam suam ex iis hauserat. Dixerint & scripserint Mystici quæcunque absurda Dn. Thomasio placet ipsis imputare, quid hoc ad istam ejus, quam nunc interdit, conclusionem Lectoribus suis comprobare? Scilicet; „ Mystici „ multa erraruut: Ergo habeo causam ac rationem cur plane sim *mutatus* animo ac sententiâ erga A. Burignoniam, de cujus, uti & „ scriptorum suorum probitate & valore fui antea, omnibus perspectis, „ *fir-*

„ *firmiter persuasus*" ? Potisne ea est ratiocinatio satis esse hominum aliquam ? Satisfaceret revera melius lectoribus suis Cl. Thomasius si pro causa sui agendi modi simpliciter dixisset : Inconstanter agere, humanum est : humani nihil a me alienum puto : ergo &c.

IV. Quod ad suum erga me meaque Scripta priorem animum attinet, ejusdemque postea mutationem, mutationisque causam; de priori quidem non permittit neque locus, neque otium, neque etiam modestia, ut quæcunque de me meisque Scriptis Clariss: Vir favorabilia protulit antea, licet & in nonnullis sententiis a me abierit, producam in præsens : Legant ea, qui cupiverint in ipsa sua Dissertatione Editioni priori Librorum de Eruditione præfixa : sufficiet si nonnullorum, quæ plerumque vidimus supra (Sect. II.) hic meminerimus; qualia sunt hæc sua verba : (*a*) *Tandem ad præsentem Tractatum de Eruditione solida &c. In hujus perlectione ipsemet pios motus & tranquillam Spiritus voluptatem sensi. Unde non possum non omnibus, ad quorum gustum mea Doctrina est, valde commendare.* POTISSIMUM *autem* COMMENDO *præmissum tractatum de* METHODO INVENIENDI VERUM. FELICES EOS QUI METHODO AUTORIS IN INVENIENDA VERITATE UTI POSSUNT, ET VERITATEM REGULARUM HARUM INTRA SE EXPERIUNTUR ! *Mea Methodus imperfectior est, philosophica est; Autoris sanctior & Christiana magis est.* — Pergit n. 34. *A capite ad calcem suaderem ut Autor perlegatur. Indicabo saltem loca quædam quæ me in lectione maxime affecerunt, aut id quod nondum cogitaveram, vel non ita distincte cogitaveram, docuerunt, aut quæ visa sunt maxime errores quosdam communes refellere.* (1) &c. (2) DE ACTIVITATE [etiam] *bona* [Rationis scilicet] *quandoque infringenda.* Part. II. Sect. II. n. 20. *Convictus sum de veritate assertionis, & fateor illam nimiam activitatem me valde torquere, ut sæpius ea propter mihi ipsi succenseam, sæpius contrister, cum in viribus meis non esse sentiam ut ab hac activitate me liberem, nec media quæ suppeditat ibi Autor, mihi sufficiant. Sed miserebitur mei Deus.* Plura inde nolim huc transferre.

IV. *Primum ejusdem judicium de P.P. ejusque Methodo &c.*

(*a*) Differt. Th. §. 33. & 34.

V. Jam vero quibus modis ille hæc novissime retractet, *in tantum mutatus ab illo* qui olim, vidimus abundanter supra (*a*) in suis ad Regulas Methodi meæ adnotationibus, in quibus omni conamine id egit, ut eas ex toto vel ex parte everteret, falsique & absurdi convinceret. Quod si vero ibi rectè rem peregit, hoc ipso sane sufficientes jam ibidem dedit *rationes*, cur *factum* sit ut *postquam tantopere commendavit Methodum hanc Poireti*, — *nunc tamen* adeo *mutatus* sit, & *notet de-*

V. *Hactenus nullas fuisse mutationis suæ causas, insinuat dum hîc demum eas promittit.*

(*a*) Sect. III. & IV.

fectus illius: sin male eam rem executus est, non poterit esse ullius ponderis quodcunque præterea aliunde *additurus* erit deinceps & postliminio ad palliandam suam mutabilitatem. Veritas enim si qua est in Regulis, manet veritas, quicquid aliunde extra eam accidere possit vel allegari, imo etiamsi eam vel a Satana prolatam esse diceres, vel ab hominibus eandem deinde abnegantibus, aut in quacunque alia re peccantibus ac deficientibus. Vidimus autem è supra dictis, nullas esse prorsus eas rationes quas contra Regularum veritatem intrinsecam hucusque adduxit; nullamque adeo hactenus fuisse legitimam *mutationis* suæ adversus meam *Methodum* causam, veluti ipsemet videtur animadvertisse: etenim quasi conscius se huc usque pro hoc nihil validi dixisse, nunc demum promittit *se jam additurum rationem, qui factum fuerit ut postquam tantopere commendavit Methodum hanc, nunc mutatus, tantopere notet defectus illius.*

VI. *Prætextus mutationis D. Thomasii, qui, & quam nulli respectu mei;*

VI. Quænam autem illæ rationes? Non unæ sunt, neque una contentæ paginâ: sunt verò omnes e respectu ad Theologiam Mysticam, ad Mysticos Scriptores eorumque ex modis agendi desumptæ. „ Scilicet narrat Dn. Thomasius quod viderat intellectum humanum in errores labi, ideo quod sphæram activitatis suæ sæpe transgrederetur: quærebat ergo ejus naturæ limites, uti & gratiæ; putabat se posse eos in Scriptis Theologiæ Mysticæ a probis viris ei commendatis invenire. Pedetentim deinde convincebatur eam viam esse periculosam, ducere ad Enthusiasmum, desinere in dominatum conscientiarum, abjicere usum rectæ rationis: ipsos vero Mysticos esse æque homines ac alios, sæpe inter se dissentire, acerbe in alios scribere, sicut Poiretus fecit adversus Titium: alium etiam nescio quem Poiretianæ doctrinæ doctorem traduxisse Dn. Thomasium tanquam VIRUM PERICULOSUM: J. Lockii tractatum ejusque caput de Enthusiasmo ipsum in observandis fraudibus Methodi mysticæ multum adjuvisse &c". Ergo jure merito & cum ratione Dn. Thomasius, qui antea commendavit maximopere Poireti Scripta & speciatim Methodum inveniendi verum, nunc mutatus, illis se opponit, ejusque Methodi regulas condemnat atque abjicit. Si ita agunt Jurisconsulti & Judices politici, væ miseris qui coram eorum tribunali accusabuntur! etenim dubio procul, innocentissimi licet sint, condemnationem minime evitabunt.

Atqui quando privatus aliquis homo judicandus est, e verbis suis vel factis propriis, rem de qua agitur spectantibus, judicandus est, non ex aliorum gestis vel prolatis, imo nec ex propriis quæ aliud prorsus

sub-

ſubjectum reſpicerent. De Poireto agitur, ejusque Methodo, regulis ac libris Philoſophicis. Myſticum nec ſe dicit, nec ſe arbitratur, tametſi quædam obiter de Myſticis tetigit, commendavit & edidit quædam eorumdem ſcripta. Et quamvis vel Myſticus eſſet ſcriptor atque auctor, quid ad eum condemnandum aliorum ſcripta atque acta? Accuſetur Titius criminis vel injuſti coram Judice Mævio. Pronunciet Mævius hunc in modum ſatis rarum: Audio, Titi, imo ſcio te eſſe e tali natione, tali urbe, tali profeſſione, in quibus autem plures dicuntur reperiri injuſti, fraudulenti, uſurpatores, fures, ſubdoli &c: Ergo habeo *rationem* cur in te animadvertam, teque, quem ego antea probum novi & habui, habeam nunc pro reo atque improbo &c. Quis, quæſo, adeo parvi vel iniqui fuerit animi, ut ad iſtiusmodi ſententiam reſpectum habeat aliquem?

VII. Præſentem Cl. Thomaſii agendi modum non majoris, imo minoris faciendum eſſe, hinc patet præterea; quod quæ ille hic adfert in medium, contra alios præſertim, nullis ab eo fulciuntur ipſorum verbis vel teſtimoniis, ſed ſola ejus aſſertione nituntur; atque adeo eadem facilitate eodemque jure negari poſſunt, quo ille ea nudis verbis affirmavit. Obſervavimus non uno exemplo in ſuperioribus, quando v. g. ſæpius dixit rectam rationem a me rejici, proponique pedibus conculcandam &c., ejus in hocce conflictu aſſertionibus non poſſe tuto adhiberi fidem: hoc autem in ſubjecto de quo nunc agitur, neque debere neque poſſe aſſerta ipſius admitti, palam fiet cuivis, cui notum erit, Dn. Thomaſium, ut ut in ceteris quibusvis eruditiſſimus ſit, in myſticis tamen, de quibus nunc loquitur, & plane hoſpitem eſſe, vixque ea eorumque Scriptores a limine ſalutaſſe, nedum eorum fundum aliquo modo perſpexerit, ne dicam ſolide noverit.

VII. *Multoque magis reſpectu Myſticorum quos condemnat, ſibi tamen non ſatis notos.*

VIII. Atque ita neceſſe non duco, uti e verorum Myſticorum Scriptis & factis ea producam teſtimonia, quæ deſtruant plane Thomaſianas de illis aſſertiones hîc loci poſitas: nego ſimpliciter eas eſſe veras, affirmoque eis oppoſitas. Quæ mea illarum negatio, oppoſitarum affirmatio apud eos non erit ſine aliquo pondere, quibus ignotum non eſt, Scriptores vere Myſticos mihi certe magis quam illi dudum eſſe cognitos, lectos & perſpectos; meque ea (per Dei gratiam) eſſe ſinceritate animi, ut pro nulla re mundi coram Deo & hominibus vellem ea teſtari, de quorum veritate in intimis meis non eſſem ex eorumdem lectis & perpenſis Scriptis planiſſime & evidentiſſime convictus. Quapropter contentus hic ero aſſertionibus, quibus Myſticos obſcurare ac (venia ſit verbo) infamare auſus eſt Dn. Thomaſius; contrarias veriores-

VIII. *Teſtimonium & proteſtatio ſincera de Myſticis Theologis.*

resque aſſertiones meas opponere, quas coram Deo & hominibus quibusvis exponere minime dubito.

Teſtor igitur atque aſſeverò coram DEO omnipotente, cordium ſcrutatore, mendacii oſore & judice juſto, Scriptores Myſticos eorumque libros, quantum eos novi, & quales edidi nonnullos, pluresque cum laude commemoravi, tales eſſe, ut, contra quam Dn. Thomaſius teſtatus eſt, (tantum abeſt ut ſint periculoſi,) contineant potius pretioſiſſimos ſapientiæ divinæ theſauros, quibus animæ, quæ ſincere Deum, principium & finem ſuum anhelant, ad eum (per ſuas unaquæque vias ſibi oſtenſas) poſſint tuto duci, progredi, & tandem ad eum pervenire æternum beandæ.

Eos, tantum abeſt ut velint conſcientiis dominari, nihil habere charius, quam ut animæ modo omnium liberrimo uni Deo ſeſe ſubjiciant, & propter Deum iis quibus eos ordo ſubjicit divinus.

Eosdem, nedum *tendant ad abjectionem uſus omnis rectæ Rationis*, è contrario in rebus quæ ad forum Rationis pertinent, ſana ratione melius ac ſapientius uti, & docere uti, quam faciant hominum ceteri; licet ad res quæ Rationis foro ſunt ſuperiores, minime eam extendant. Nullos captare Enthuſiaſmos; ab iis potius, & a quibusvis rebus & viis extraordinariis, ſummopere ſibi cavere; eos oſtendere præ ceteris, & tantum non ſolos, qui falſi inſtinctus atque fanatici a veris boni Spiritus Dei motibus diſcernendi ſint: Solidas virtutes, præcipue vero Humilitatem Amoremque erga Deum & proximum ab iis tanquam omnium ſummam haberi, omnibusque præcipue inculcari. Conſentire eos unanimes, quantum ad rerum & veritatum divinarum ſolida eſſentialia: ſeſe autem invicem, ſi in quibusdam accidentariis ac non neceſſariis differant, in charitate Chriſtiana amice ac fraterne tolerare & ſimul diligere.

Quæ ego omnia, multaque divina alia ex eorum verbis, ſcriptis, vita atque geſtis, conſtanter & vivide convictus, revera percepi. Beati vero illi quibus bonus Deus oculos & cor ita aperiet, ut eos ex animo atque fideliter audiant & ſequantur!

IX. *Quinam vere Myſtici dicendi.*

IX. Ceterum pro Theologia Myſtica Apologiam edidi generalem, quæ Theologiæ Germanicæ, primùm a Luthero e manuſcriptis erutæ, editæ, ac ſupra quam dici poteſt laudatæ, & à me in Gallicum ſermonem converſæ, præfixa eſt; cum annexa *de Auctoribus Myſticis* (*a*) *Epiſtola*, ex qua videre eſt, quinam mihi jure habeantur inter Scriptores Myſticos legitimi: non enim omnes, qui Myſtici dicuntur, & ſæpe quidem ideo quod Myſticos legerunt, probant, loquuntur, prop-

(*a*) Exſtat in Bibliotheca Myſticorum ſelecta; & in Vol. II. de Erudit.

propterea ſunt re ipſa veri Myſtici, quales veros edidi ſpeciminis gratia nonnullos, videlicet, Theologiam cordis; item & Amoris ſive Catharinam Genuenſem; & Crucis, ſive Angelam Fulginienſem, Theologiam præſentiæ Dei, Germanicam, Vitas Dn. de Renti, Armellæ, Opuſcula & Opera Dnæ Gujoniæ &c. Tales eorumque ſimiles cum Taulero, Rusbrochio, Harphio, Joanne a Cruce &c. mihi vere Myſtici ſunt.

X. Quod de mea in Dn. Titium acerbitate hic interſeruit Cl. Thomaſius, illud pace ſua & nihil ad rem facit; & præterea tale eſt, ut quorumvis Lectorum, qui extra partes ſunt, & Titiana in me ſcripta cum reſponſis meis legerint, judicium libens laturus ſim. Dederat ille Vir operam ut per convitia non una, nec ſemel repetita, ſpeciatim fanatiſmi, uti & rejectæ Rationis rectæ, Lectores ab inſpiciendis libris meis abſterreret quantum in ſe fuit. Oſtendi ego illi, per retorſionem, rationes ſuas, propter quas fanatiſmum mihi adfricabat, tales eſſe, ut ex iis ipſis, ſi validæ ſint, ſequatur fanatiſmum jure merito ipſimet Titio imputandum eſſe. Atque hæc eſt illa mea in Titium *acerbitas* quæ ſane hic mihi in vanum objicitur. Præterea, ante annos circiter triginta adverſario cuidam celebri ac vehementiſſimo, qui ſcripta divina Antòniæ, ipſi plane ignota, tot calumniis publice diffamaverat quot in ſuo ſcripto lineæ erant vel periodi, reſpondi aliquanto vehementius, non in mea cauſa, neque ex odio (teſte Deo) erga illum, ſed Zelo & amore divinæ veritatis ab inſigni Dei organo propoſitæ, ab eo adverſario denigratæ ac contemtui expoſitæ omnium, qui ex ea alioqui fructus ſalutares decerpere potuiſſent, quos vero fructus ſalutares hoc modo tolli dolebam ex animo. Et tamen, quod aliquantum poſtea teſtatus ſum, me optare uti eam rem paulo lenius tractaviſſem, id mihi nunc objicit Dn. Thomaſius tanquam e cauſis unam quare adverſus me mutatus ſit. Atqui hæc omnia acta erant, videratque eadem Dn. Thomaſius, antequam priorem ſuam illam Diſſertationem ſcriberet, in qua Scripta mea laudavit atque commendavit. Ita ut cum ille iſta nunc allegat veluti rationum unam propter quam *tantopere mutatus ſit ab illo* qui antè, nil faciat ad rem. Addo iſtiusmodi adverſus me reprehenſionis ſpeciem, non decuiſſe ab illo fieri, qui ſibi conſcius eſt ejusdem, ſi non majoris culpæ, quando antea ob nonnulla opinionibus ſuis, nec ea magni momenti, ab aliis imputata, ipſe nullo acerbitatis & vehementiæ genere ſe abſtinuiſſe falſus eſt in *Paſchalibus Cogitatis* ſuis, ab ipſomet publicè expoſitis.

X. Reſponſionem meam ad Titium non rectè à D. Thom. argui acerbitatis.

De altera illa narratione ſua queruloſa, quod neſcio quis librorum

Poireti æstimator eum veluti *virum periculosum* traduxerit, nihil aliud scio, nisi quod ad rem præsentem faciat plane nihil. Quæ etenim hæc est ratiocinatio? Aliquis librorum Poireti æstimator inique (si res ita se habeat) Dn. Thomasium traduxit: Ergo hic rationem habet, cur libris Poireti primùm sibi gratis, nunc infensus fiet, eosdemque deprimat? Itane eum Logica sua docuit rectæ Rationis usum?

XI. *De J. Lockio ejusque Scriptis periculosis.*

XI. Venio nunc ad J. Lockium, ejusve librum, qui sane una, & forte præcipua e causis est mutationis Dn. Thomasii, eaque maxime deploranda. Talis enim est auctor ille, cumque tanto in verbis moderamine & elegantia, cum tanto in ratiociniis suis ordine, rationum concatenatione ac nexu sua proposuit, ut qui eum sine prævia Dei gratia & luce legerit, in ejus errorum casses non possit non cadere & capi, putans se interim egregie præ ceteris veritate indubia tunc imbutum esse, præjudiciisque ac erroribus simul plane liberatum. Testatur (*a*) hic id de se, sibique (eheu!) ea de re gratulatur Dn. Thomasius: atque testandæ suæ erga Lockium gratitudinis gratia ipsum, *virum de restauranda vera Eruditione* (cujus ne ideam quidem habuit) *valde sollicitum* appellat; Librum ejus *de Intellectu*, inque eo *Caput de Enthusiasmo*, non laudat tantum & commendat summopere, sed & annititur defendere adversus ea quæ de periculosis ejus erroribus cavendis edidi, tum in Libro hoc meo (*b*) *de Eruditione*, tum in alio a me edito, qui *Fides & Ratio collata* dicitur. Conqueritur D. Thomasius in altero Lockium *Epicureismi & Pelagianismi*, *& quod idolum Rationis humanæ in sublime erexerit*, male accusari; in altero, male tribui Lockio sententiam alterius, ejusdem discipuli, *Rationis præ Fide excellentiam ac præstantiam* commendantis; quam vero sententiam negat D. Thomasius esse Lockii, mihique idcirco non sine sarcasmo & divinæ operationis irrisione aliqua insultare videtur.

(*a*) Diff. Thom. p. 38, 39.

(*b*) De Eruditione, Lib. II. §. XLVI. & XLVIII. pag. 287, 291 & 292.

XII. *Eum præposuisse Rationem fidei, & Pelagianismo laborasse.*

XII. Verum enimvero, ut ab hoc ultimo quæ dicenda habeo incipiam, præterquam quod evidenter ibidem distinxi, (vel fatente ipso D. Thomasio, ea in re sine causa querulo,) quid Lockio tribuendum sit, quid ejus discipulo; patet hinc insuper a Dn. Thomasio, *elegantissimum Caput de Enthusiasmo* (verba ejus refero) *quod quoties se offert occasio auditoribus suis commendare solet*, oblivioni fere, quantum ad ejus contentorum vim, traditum esse. In eo Capite totus est Lockius ut sub specie fanaticorum sive Quackerorum Enthusiasmos cavendi, omnem Dei in intellectu & in corde operationem, lucemque supernaturalem (qualis revera est divinæ fidei lux) neget esse admittendam, nisi per ratiocinationis examen ac probationem confirmetur.

Con-

Conclusio ejus est, (*a*) *Atque ita Ratio debet esse* ULTIMUS (quod hic idem est ac supremus) *noster* JUDEX *nosterque ultimus* DUCTOR IN OMNI RE. Concluserat paulo antè aliud caput hisce verbis: (b) *quanquam re ipsa*, FIDES *nihil aliud est quam assensus* FUNDATUS SUPER RATIONE *perfectissima*. En Ratio fidei fundamentum, judexque summus! Possit-ne magis *idolum Rationis humanæ in sublime erigi quam* hisce Lockii verbis factum est? Sed neque ejus doctrinæ sequaces & æstimatores maximi, qui proculdubio non minus quam D. Thomasius librum sensumque Lockianum intelligunt, hanc opinionem ejus de Rationis præ Fide prærogativa dissimulant, aut inficiantur veluti Dn. Thomasius: quin potius rotundo ore eam non dubitant aperte profiteri, uti fecit non tantum auctor Thesium in Libro *de Fide & Ratione collatis* refutatarum; sed & Dn. Clericus (qui Virum ejusque animi sensa familiariter noverat & elogio prosecutus est) eadem aperuit clarissime non uno in loco: quæ vero loca videri possunt in *præfatione* (*c*) ad Librum modo dictum a me fideliter descripta, locus inprimis e sua Logica, quam Lockio ipsi dedicavit veluti secum omnino unanimiter consentienti.

(*a*) Lib. IV. Cap. 19. §. 14.
(b) Ibid. Cap. 16.
(c) Præf. pag. 17, 18, 19.

Quando autem eundem excusat D. Thomasius a Pelagianismo hac de causa, quod is *libertatem arbitrii* magis restrinxerit quam alii egoque (qui tamen Pelagianismi accusari nollem) fecerimus, in eo ostendit Doctus Vir se vel non novisse, vel oblitum esse, qua in re consistat *Pelagianismus*, scilicet, non in liberi arbitrii assertione, aut extensione, sed in asserta virium naturalium ad conversionem & ad opus salutis sufficientia, operationis divinæ gratiæ necessitate exclusa, quod nulli tantisper Theologo ignotum esse potest.

XIII. *Epitome principiorum periculosorum Lockii præcipuorum.*

XIII. Quantum ad *Epicureismum* quo principia Lockiana etiam laborare dixi, arbitratur quidem Dn. Thomasius ei ab hac labe depurgando sufficere testimonium quod ita de illo exhibet: (d) *Causam nullam video, cur Cl. Lockius a Poireto nostro Epicureismi sit accusatus: cum in toto ejus libro nihil deprehenderim, quod vel minimam ea de re suspicionem apud Lectorem impartialem excitare possit.* Atqui in eo loco (e) ubi de hoc mentionem feci, tam clara ejus rei exstant indicia quando Methodi Lockianæ veluti epitomen ibidem exhibui, ut nemini Lectori istud revocari possit in dubium. Sed forsitan confidentiam eum excusandi sumsit inde Dn. Thomasius, quod nullæ ibidem a me adnotatæ essent citationes locorum, in quibus auctoris istius hic & alii errores præcipui reperiendi sint. Age igitur, indicabo in præsens ubi locorum non tantum erroris hujusce, sed & reliquorum ac præ-

(d) Diss. Thom. §. XXXVI. p. 39.
(e) De Erud. Lib. II. §. XLVI. num. 3. Edit. Thomasianæ pag. 518. & seq. Amstelod. pag. 287.

cipuorum ceterorum ejus erratorum, quæ paucis hic enumerabo, reperienda sint principia.

Sunt itaque capitalia nec parum noxia dogmata sive principia Dn. Lockii sequentia:

I. Negat ille deletque quantum potest PRINCIPIA INNATA menti humanæ, tum speculativa, tum practica: in eoque totum Librum primum Operis sui *de Intellectu*, tribus Capitibus constantem, data opera & omni industria impendit. Hanc autem negationem principium Atheorum & *Epicureorum* esse, quis est qui nesciat? Divinæ revera Scripturæ ea in re evidenter opponitur: asseverat enim illa vel de Gentilibus (Rom. 1. vs. 19. & Cap. 2. vs. 14. & 15.) τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ *manifestum* esse IN IPSIS, & quidem *a Deo*: instinctu item *natura* impelli Gentes ut *faciant quæ sunt legis*: *ostendere opus legis* (instinctus legis instar), *scriptum in cordibus suis*, *teste eorum conscientia*, eos propterea *accusante* vel excusante. Unde etiam factum est, ut Ethnicorum saniores Epicureis sese ea in re serio opposuerint. Epictetus sane apud Arianum (*a*) Capita integra habet de notionibus communibus adversus *Epicurum*, ac inter alia *eruditionem* definit, per notitiarum innatarum cognitionem & usum: *Quid enim est*, inquit ibidem, *erudiri? Discere notiones natura insitas rebus singulis accommodare natura congruenter.* M. Antoninus Lib. VII. §. 59. *Intus*, inquit, *respice; intus fons boni, qui perenniter scatebit si jugiter foderis.* Hierocles in Carmina aurea Pythagoræ, ad carmina 17 — 20 dicit, *principia summa judicandi* (τῆς κρίσεως ἀρχὰς κυριωτάτας) esse *legem quæ in nobis est*, quæ est *a bonitate divina*, imo *veluti quidam domesticus* vel inhabitans *Deus*. Plura de his idem habet in eis quæ ad carm. 60. usque ad 66. commentatus est; inter quæ hæc habet ad carmen 63. *Ea quæ nobis ostensa sunt a Deo multi non vident, propterea quod non recte utantur communibus notitiis* (ταῖς κοιναῖς ἐννοίαις) *quas* INNASCI *fecit* (προσέφυσεν) *Opifex ipse*, (Demiurgus) *generi rationali ad sui cognitionem.* Quâ vero de re egi pluribus alio in loco, (*b*) ostendens pluribus cùm rationibus tum auctoritatibus divinis humanisque Christianorum sanctorum atque Gentilium Philosophorum, quantum periculi sit ea in sententia Lockiana, & quam longe ab eadem sit recedendum, & in contrariam partem eundum, si quidem ea quæ salutaria sunt velimus ipsi adipisci & aliis insinuare. Locum modo annotatum consulet, si lubeat, quivis cui hæcce cordi futura sunt. Venio ad aliud D. Lockii principium.

II. Scilicet sublatis ab eo principiis innatis, agnoscit ille & constituit

(*a*) Lib. I. Cap. 22 & 23.

(*b*) *In præfatione ad librum* Fides & Ratio collatæ, à num. 32 ad 38.

tuit *sensus & Rationem* veluti cognitionis nostræ principia. Hoc videri potest in Libro de Intellectu II. Capite I. §. 2. & Libri IV. Capite XVII. §. 2. Quæ autem principia duo, sensus & Rationem, partiti sunt inter se Epicureistæ & Sociniani: illi sensus; hi Rationem unam cum Pelagianis retinuerunt.

III. Principia boni & mali J. Lockio sunt, illius quidem, *voluptas* vel *delectatio*; hujus vero *dolor.* Hæc docet Libro II. Cap. XX. §. 2. & Cap. XXI. §. 42. Eadem assumit, vel ponit ut vera, Capite XXVIII. §. 5. Epicurea hæc esse principia quis ignorat?

IV. Virtutis & vitii principia auctori huic nostro sunt approbatio vel improbatio hominum, quas appellat, *Legem opinionis* aut *famæ*, sive reputationis. Hæc exstant ita in Libro II. Cap. XXVIII. §. 7. & 10. Eadem esse Epicureorum principia nemini dubium est.

V. Principia de peccato (quod a vitio distinxit) & de justitia, eidem sunt, *Lex Dei hominibus notificata vel per lumen naturæ* (hoc est, per rationem,) *vel per viam Revelationis*, quæ tamen Ratione minus ei certa est, illiusque examini subjicienda. Prius reperitur in ejus Libro II. Cap. XXVIII. §. 8. Posterius, Libr. IV. Cap. XVIII. §. 5. & 6. & 10. uti & Cap. XIX. §. 14. Idem principium commune est cum Pelagianis & Socinianis.

VI. De crimine & innocentia principia & regulam statuit *Legem civilem.* Lib. II. Cap. XXVIII. §. 9. Quasi vero extra societatem civilem qui vivunt crimina nulla, quomodocunque vivant, committere possent, propterea quod præscriptis careant legibus, sine quibus omnes actiones ex se & naturaliter essent indifferentes! Hoc si sensit, non discessit ea in re ab Epicuro atque Hobbesio.

VII. De Revelatione divina, quatenus a nobis admittenda est, veluti veniens a Deo per organa quædam sua, pro principio sive causa admittendi habet ille *Rationem* cum suis ratiociniis, cujus certitudinem certitudini Revelationis anteponit Libr. IV. Cap. XVIII. §. 4. 5. 6. Prout autem Revelatio nobis ipsis a Deo obtigit & facta est, præter certitudinem operationis Dei internæ, exigit idem ac præponit externa miracula, hoc est, *sensus externos*, eventis non consuetis sive extra ordinem communem affectos. Libr. IV. Cap. XIX. §. 15. Quæ vero omnia cum Socinianis apprime conveniunt.

VIII. Tota Christianismi essentia eidem est, quantum quidem ad credenda, in una hac propositione, *Jesus est Messias*; quantum vero ad agenda, in morali obedientia. Totum scripsit Librum *de Rationabilitate Religionis Christianæ* ea præcipue de causa. In quo vero libro

quæcumque de propositione illa una credenda protulit, habentur copiose in Partis primæ Capitibus IV. V. VII. X. & XI. Nemini ferme ignotum est, principia ista Thomæ Hobbesio deberi, neque a principiis Socinianorum admodum vel omnino discedere.

Erat præterea Dn. Lockius hac in sententia de *Anima humana*, sciri a nobis neutiquam posse, utrum illa non esset *materialis*: neque etiam probari posse, ipsam esse *immortalem*, nisi solùm e Scriptura sacra. Contra quæ vero adversus illum scripsit D. Stillingfleet, Episcopus in Ecclesia Anglicana, uti memorat Auctor supplementi ad Dictionarium Moreri Gallicum Edit. Amstelod. 1716. in articulo *Stilling fleet.*

Ista autem omnia paucis hic contraxi & Lectorum oculis subjeci, non e malo erga defunctum Dn. Lockium affectu, quippe cui ex animo gratulor, quod non semel audivi narratum ab ejus conterraneis, eum in ultimis vitæ diebus mentem & opiniones priores mutavisse, & alias saniores recepisse: Sed Dn. Thomasio objicienti, me iniqua viro illi malè imputavisse, respondendum erat; tum etiam obviam eundum periculosæ inescationi, quam incautæ objicit juventuti, quando eam ad Scripta Lockiana laudibus ac commendationibus suis allicit, quibus tamen Scriptis nihil periculosius pro bonis animis commendari potest.

XIV. *De conclusione commendatitia Dn. Thomasii.* (a) Diss. Th. §. XXXVII.

XIV. Absolvit Cl. Thomasius Dissertationem suam (a) non sine aliqua in me ironia, nec sine contradictionis quadam specie adversus seipsum. Dicit enim, se hactenus *Scriptum præsens Poireti* (meos de Eruditione Libros) *debito modo commendavisse præsertim ubi potissimum auctor* (qui ego sum) *impugnat cum* RATIONE SOLIDA *errores Philosophiæ communis.* Bone Deus! *impugnatne hic Poiretus errores aliquos cum* RATIONE SOLIDA! Atqui putabam ab eo ejusque Methodo *abjuratam* esse *rectam Rationem*, *rejectam*, *pedibus conculcatam* cum ejusdem *usu*, & præbitam esse ansam incidendi in Enthusiasmos, idque conatus est præcipue Dn. Thomasius in hac sua Dissertatione, uti quibusvis persuaderet Lectoribus! Viderit ut hæc sibi constent. Viderit quoque utrum sibi suisve Scriptis hujusmodi vellet fieri ab aliis COMMENDATIONEM. Optaretne, inquam, Clarissimus Jurisconsultus & Philosophus Thomasius, cui ex jure naturali, imo & divino, notum est, ea aliis esse facienda quæ nobis fieri vellemus, ut se adhuc vivente, inconsulto & inscio Scripta sua aliquis eo modo commendaret quemadmodum ipse mea *commendavit* hac in sua Dissertatione? Certe vel dejeranti vix crederem eum hoc esse dicturum & approbaturum, quando e contrario inducor ut credam eundem ægre tulisse quod D. Titio, Amico, ut opinor,

opinor, suo dum viveret, ex æquitate responderim, imputata illius, uti feci, ex vero & æquo a me repellens: quod adeo ei displicuit, ut probabile sit hanc præcipuam e causis esse, cur animum priorem erga me suum immutaverit, imo & Dissertationem hanc suam adversus me scripserit in gratiam quoque Dni Titii: namque notandum est Oppositionum Titianarum substantiam præcipuam eò redire, ut suppressionem intellectus activi sive Rationis abjectionem, ipsumque etiam fanatismum objiciat: quæ duo in Dissertatione D. Thomasii vidimus præcipue, licet longe cum majori moderamine quam fecit Titius, repetita, nec semel ab eo objectata. Qua etiam de causa si qui sibi abundantius & eo cui plenissime acquiescant modo satisfieri cupiant in iis quæ objecit D. Thomasius, imo & quæcunque omnes fanatismi Objectatores movere solent & possunt, rogo ut dignentur ea inspicere ac meditari quæ ad Titianas Oppositiones, non sine cura & studio respondi, quæque Editioni alteri Amstelodamensi adjecta reperiuntur: per quæ potuissem revera supersedere labore respondendi oppositionibus D. Thomasii, si male nata sua Dissertatio fuisset sola sine fulcro luci exposita, atque adeo levitate sua mox dissipanda & oblivione sepelienda: sed cum illa adjecta sit libro a non paucis quærendo & forte non parum duraturo, cujus gratia & ipsa subsistet, dum tamen ei nihil præter invidiam & contumeliam pro ista gratia movere apta nata est, credidi, & monuerunt non semel doctissimi nonnulli e Germania Viri, quibus ipse Cl. Thomasius pernotus est, operæ pretium esse, uti palam faciam quanti Dissertatio illa sua omnibus, qui rerum pondera ex æquo judicare sciunt, facienda sit, ne per eam lectores nimis creduli à libro, non paucis forte profuturo, alioqui deterreantur.

FINIS.

PY-

PYTHAGORAS

Carm. aur. 21 — 24.

Πολλοὶ δ᾽ἀνθρώποισι λόγοι δειλοίτε καὶ ἐσθλοὶ
Προσπίπτουσ᾽, ὧν μήτ᾽ ἐκπλήσσεο, μήτ᾽ ἄρ᾽ ἐάσῃς
Εἴργεσθαι σαυτόν. Ψεύδους δ᾽ἢν πέρ τι λέγηται
Πράως εἶχε.

Multus ſæpe homini ſermo pravusque bonusque
Excidit. At terrere nihil : nec vertier illo
Tete permittas. Sin falſum dicat, id æquo
Ferto animo.

VINDICIÆ
VERITATIS & INNOCENTIÆ

perpetuis duodecim amplius annorum accuſationibus & criminationibus

D. JOH. WOLFGANGI JÆGERI

Academiæ Tubingenſis Cancellarii, *Controverſiarum Profeſſoris &c. &c.*

Præcipue vero Ejusdem

EXAMINI, quod vocat, THEOLOGIÆ NOVÆ oppoſitæ.

In quibus

Varia non parvi momenti argumenta tum *Philoſophica*, tum maxime *Theologica* ſolide exponuntur & dilucidantur,

Principiaque ANTINOMISMI pernicioſiſſima funditus paſſim evertuntur.

S. JUSTINUS MARTYR
apud Grabium in Spicilegio SS. Patrum Sec. II. pag. 196.

Πρὸς σκληρὰν καὶ ἀπειθῆ καρδίαν λόγος ὑγιὴς οὐκ
εἰσέρχεται, ἀλλ' ὥσπερ ἀντιτυπούμενος
εἰς ἑαυτὸν ἐπανέρχεται.

Doctrina ſana ad durum & contumacem animum
minimè ingreditur, ſed tanquam rever-
berata ad ſe ipſam revertitur.

PRÆ-

PRÆFATIO

Causas aperiens Vindiciarum contra Jægeri accusationes harumque initia, progressus & fontes.

SUMMARIA.

I. *Silentium diu servatum*

II. *Varias ob causas*,

III. *Cur tandem rumpendum fuerit.*

IV. *Institutum Auctoris in edendis primum Libris* Cogitationum Rationalium.

V. *Deinde in Libris de* Oeconomia Divina. *Quid in his præstitum sit, & quo fructu apud sinceros.*

VI. *Quis eosdem primus impetiverit.*

VII. *Hunc secutus est* Jægerus. *Accusationum ipsius initium*,

VIII. *Progressus & enormis exorbitatio.*

IX. *Fons malorum omnium Eruditos non paucos inficientium.*

X. *Jægeri impotentia & in optimos quosvis atrocitas, anne ex eodem fonte manare possit.*

I. Mirabuntur forte non pauci eorum quibus Scripta mea utcunque innotuerunt, quî factum sit ut ego, postquam plerisque qui me quomodocunque aggressi sunt responsa dedi publica, nihil adhuc responderim insigniori cuidam adversario, qui plus decem vel duodecim ab hinc annis obstinatum in modum, imo & sine modis, me meaque usque adhuc aggressus est & insectatus. Vident omnes illico a me hic designari celebrem copiosis Scriptis ac titulis D. JÆGERUM Theologicarum Controversiarum Professorem, & Tubinganæ Scholæ Cancellarium &c. qui a me neutiquam provocatus, incepit ab anno 1705. & continuavit dein Scriptis non unis, in quibus tetra quælibet mihi imputantur nec semel repetuntur, me invadere; atque id conari efficere, ut propter Libros meos homines universos, quantum potest, secum ea

in re consentientes ac unanimes, mihi adversarios & plane inimicos reddat.

II. Silentii mei interim servati, si ejus caussæ aperiendæ sint, rationes fuerunt variæ. Scripta adversarii postquam sedulo perlegi, quotquot in manus meas inciderunt, omnia, animadverti nihil in iis contineri quod remoram injicere sit idoneum attentis ac probis Librorum meorum Lectoribus & approbatoribus; quippe qui ex ipsis Scriptis meis videbunt, vel objectionibus adversarii nullum dari locum, si quæcunque ad subjectum cui ille obloquitur, pertinent, quæque variis aliquando in locis reperienda sunt, consideraverint; vel deprehendent contraria iis quæ protuli, mihi adscribi: vel si qua ex meis allegantur verbis, eadem resecari, aut falsari, aut in malum quantum fieri potest, sensum perverti, & ex iisdem perperam pessima quæque concludi: præterea in meis ad varios adversarios Responsionibus antè editis (a) ea reperient abundè quæ invasoris hujusce repetitis maximam partem Objectionibus dudum satisfecerunt. Quæ verò ipsa cum perspexissent illico cordatiores & eruditissimi Viri non pauci, ac præterea indignarentur quod D. Jæger accusationibus suis convicia, probra ac maledicta passim interspergeret, monuerunt me e diversis Germaniæ locis ac etiam adversario vicinis, uti tempus meum illi refutando nollem impendere, quippe cujus clamores ac chartæ adversus me essent plane cum ipso bonis quibusque contemtui, imo nec lectione vel auditione digni haberentur. Fuerunt ex ipsis disputationum contra me suarum Defensoribus sive Respondentibus, qui me visitantes, rogabant ut iis ignoscerem quod adversum me ea defenderint Dn. Jægero auctore & præside, quæ jam falsa esse agnoscebant. Ipseque D. Jæger, si candidè agere vellet, inter eos esset, & veniam a me postularet, postquam vidit privatam (b) epistolam meam ad se ex occasione epistolæ mihi prius ab eo scriptæ datam, in qua ad illum responsione mea injustitiæ suæ adversum me fontes, & innocentiæ ac defensionis meæ sufficientia principia, ei breviter indicavi. Accedit quod nonobstantibus continuis ejus contra me declamationibus, firmus manserit,

(a) Vide in Tract. de Eruditione Tom. I. & II. Editionis Amstelod. in quarto.

(b) Utraque infra exstabit; D. Jægeri, ad litteram A. mea ad illum, sub littera B.

ſerit, imo accreverit doctorum amicorum meorum, ipſos etiam inter Theologos Auguſtanæ Confeſſionis eruditiſſimos, in Germania, & alibi numerus, quorum approbationibus, teſtimoniis, & opera effectum eſt, ut libri mei apud alios non paucos locum invenirent, diſſeminarentur, in varias linguas verterentur, denuo ederentur: imo, eorum aliqui eo usque adverſus indignam D. Jægeri in me agendi rationem ſunt concitati, ut nonnulla illius contra me Scripta ipſimet ſponte ſua refutaverint, eamque refutationem ad me miſerint uti ea ad lubitum uterer: faciam infra (*a*) rei fidem, exhibendo Refutationem totam prout ad me miſſa eſt, quæque ſi terminum modumque poſuiſſet maledicendi D. Jægerus, æternùm manſiſſet apud me ſuppreſſa.

III. Dixi hactenus rationes varias ſervati a me, imo & deinceps, voto quidem meo, adhuc ſervandi adverſus illius aggreſſiones ſilentii: ſed ille tandem eas ita ſuperavit omnes accuſationum in me ſuarum continuata repetitione, ut amicorum optimi ad me ſcribere coacti ſint, ſilentium meum, ſi diutius illud obſervarem, jam veritati ſolidæ a me propoſitæ, æquitatique & innocentiæ apud non paucos omnino eſſe nociturum; qui enim videant, altera quidem ex parte erronea quælibet, imo & impia, & horrida mihi confidenter nec ſemel objectari veluti in libris meis exſtantia: altera vero ex parte me ad hæc perpetim ſilere, nec quicquam eis reponere. Unde fit ut quotquot de rebus ex ſpecie externa vel auditione judicant, (quæ maxima pars eſt,) ſilentium meum diuturnum ita interpretentur, ut a me agnoſci credant illa omnia, meque convinci putent de veritate eorum quæ mihi imputavit adverſarius; quo etiam efficitur ut inter doctos probi quique, qui mea alioqui legere cupiviſſent, ab eo deſiderio, & ſimul à cognitione utilium veritatum a me propoſitarum vel commendatarum, deterreantur; non ſine veritatis detrimento.

Reſtiti tamen adhuc aliquandiu; dedique nonnullis eorum breviora quædam (*b*) reſponſa per quæ circa difficultates nonnul-

(*a*) Tota exſtabit inferius ad Litt. C.
(*b*) Horum unum infra ſubjicietur ſub littera D.

las iis privatim satisfacerem. Sed perseverante adversario, passus sum tandem me persuaderi ut de responsione aliqua publica cogitarem, eoque magis, quod me ad hoc ipsum teneri arbitrer divinæ gloriæ respectu. De mei existimatione, aut vana apud homines gloriola ac fama si esset quæstio, scit Deus O. M. mihi (ejusdem gratiâ) perinde esse utrum ea aliqua vel nulla sit apud illos: At quoniam idem ille Deus a nobis exigit, idque omni jure, ut quam ab illo accepimus, vitam ejusque actus & molimina ad divinam illius gloriam, agnitionem, dilectionemque in nobis & aliis promovendas impendamus; enitendum utique est ut fiant atque subsistant ii labores nostri, qui Deo laudando destinati sunt; atque adeo uti confirmentur contra impetus illorum qui nulla esse vellent quæ ad Dei gloriam pro nostro & creaturæ officio conati sumus facere opera.

IV. Et quantum ad me quidem, novit Deus, cui interiora cordium aperta sunt, aliam non fuisse mihi mentem in laboribus meis omnibus, quam ut quæ vera esse cognoscerem, Deo gloriosa & hominibus utilia, eadem pro cognitionis meæ mensura cum aliis communicarem, hoc scopo, ut ipsi ad Deum cognoscendum, amandum, laudandum, imitandum adducerentur, remeando ad finem hunc unum per varia objecta & cogitata quæ ipsorum mentibus possent repræsentari. Cumque animadverterem viros doctos veluti totidem esse fontes qui in hominum omnium ceterorum intellectum, affectus & regimen influant; moremque tum temporis invaluisse, ut qui doctrinæ & eruditioni acquirendæ incumberent, eorum plerique per viam Cartesianæ Philosophiæ tunc celeberrimæ & quæsitæ, amarent procedere; hinc evenit ut, quo illis, & per illos aliis ceteris pro modulo meo prodesse possem; *Cogitationes* meas *Rationales de Deo, Anima & malo*, componerem atque publicarem. Ipse liber passim evidenter ostendit, quis fuerit primi hujusce mei laboris non fucatus scopus; idque agnoverunt solertiores & cordatiores inter eruditos qui librum legerunt. Fixum mihi in mente mansit idem consilium quando eundem secundis curis curavi recudi, inque eo exstare inter cetera tum Divinæ erga omnes homines Bonitatis amplissimæ, ad pauciores a nonnullis malè restrictæ, argumenta solida; tum Atheismi Spinoziani, mathema-

thematicæ firmitudinis ſpeciem ac larvam prius præ ſe ferentis, everſionem, unde futilis ac nulla ejusdem compages cunctis apparuit. Objectionum in mea cogitata quarumdum ibi exſtantium auctores, reſponſis meis adjunctis, teſtati ſunt ſe acquieſcere; niſi quod Petrus Bælius, primarum auctor, poſtquam deinde ex animi corruptione paulatim ad Pyrrhoniſmum, ne dicam ad Atheiſmum tandem deflexiſſet, in literis ſuis poſt mortem demum editis reliquerit, reſponſum meum quodam in ſubjecto ſibi videri magni non eſſe pretii: nec aliter poterat dicere homo Pyrrhonicus cui erat pro principio, nihil certi agnoſcere; cujus vero Atheiſmum propriis ſuis verbis detectum, in nova Diſſertatione Cogitationum tertiæ Editioni præfixa exhibui eum in finem, ut quotquot profani hominis copioſis ac illecebroſis, ſed impiis & impuris Scriptis delectantur, ſciant ac videant ſe per ea non poſſe non ad Dei contemtum & dedecus, propriamque adeo perniciem miſere abduci. Quod autem avertere, ubique ſcopus meus fuit.

V. Accrevit in me ea mens, idem conſilium, bona, utilia, ſalutaria, Deo glorioſa, quibusvis ſcribendi ac commendandi, quando poſtea in rebus Theologicis & quæ res æternas propius reſpiciunt, animadverti inter Chriſtianos incommoda non parva quæ gloriæ Dei, ejus cognitioni, amori, laudi, imitationi, adeoque & hominum ſaluti remoram injiciunt non una ex parte, dum videmus quidem alios partium quarumdam aut ſectæ cujusdam ſpecialis ſtudio ita præoccupari, ut ceteros vel damnationi æternæ adſcribant, vel eosdem nolint tolerare, aut ſi tolerent, pro fratribus tamen, quibuscum Chriſtiana pax & charitas colendæ ſint, habere recuſent: alios Bonitatem ipſam Dei erga omnes homines magis magisque nolle agnoſcere: alios miſeriam noſtram miſeriæque originem; alios Spiritûs Dei in intimis noſtris operationem; hoc eſt, & morbum quo perimus, & medicinam qua reſtituamur, inficias ire; plerosque viæ rationis & operationum ſuarum ita eſſe deditos, ut omnia prorſus niſi per hanc viam ipſis veniant, recipere recuſent; alios Deum ipſum malorum quæ futura erant incuſare: alios viam latam ad cœlos, (revera autem ad inferos,) per adulatoriam neſcio quam fiduciam, imo per execrabilem Antinomiſmum,

mum, ſecure pandere: univerſos denique a præjudiciis quibus aſſueverunt vel innutriti ſunt, neſcire qua via diſcedant & meliora amplectantur. Quorum vero, & his ſimilium, incommodorum conſideratione, ac ſimul deſiderio ut ea removeantur, impulſus ſum uti nonnullos de Oeconomia divina libros ſcriberem, ſequentibus, quantum in me eſſet, prærogativis præ vulgaribus ſyſtematibus diſtinctos atque notatos, ſcilicet:

(I.) Quod per eos introduci poſſint ad veritates ſolidiores & ſalutares vel ipſi dubitatores maximi, quique per viam Ratiocinationum aſſueti ſunt incedere, modo tamen ſincero ſint animo prædici.

(II.) Quod gratiæ divinæ amplitudo, atque etiam multa quæ Dei attributa, decreta, operum ſuorum principia reſpiciunt, manifeſtius ibi exhibeantur.

(III.) Quod in iisdem mali ac peccati origo evidentiſſime oſtendatur, a Deo removeatur, & ſoli peccatoris culpæ ita ineſſe evincatur, ut Deus ſit ejus innocentiſſimus.

(IV.) Quod peccatum originale, morbus omnes omnino homines inficiens atque a Deo dividens, ibidem coram demonſtretur.

(V.) Quod Pelagianismi vel Pajonismi virus de negata Dei in mentibus immediata operatione illic plane quoque enervetur.

(VI.) Quod omnibus adulatoribus, ſimul & Antinomis, lata ſua via omnino ibidem obſtruatur.

(VII.) Quod probis mentibus, qui in diverſis Chriſtianismi partibus, ubi tamen Religionis Chriſtianæ eſſentialia reperire eſt, degunt, inſtillentur Chriſtiana pax, tolerantia, imo & fraternus amor erga diſſentientes ceteroqui probos atque pios.

(VIII.) Denique quod introducantur per eosdem ad *Interiora* Chriſtianismi, quotquot in idealibus, in externis, in cortice & rebus accidentariis ſubſiſtere nolint; ſed Dei adoratores, quales ipſe poſtulat Deus, in ſpiritu & veritate eſſe deſiderant. Contentorum in iis libris epitomen diſtinctiorem ſubjiciam infra, (*a*) dicendam ob cauſam. Effectus autem eorum ſperati ſpem meam omnino non deſtituerunt; plures ſiquidem inter doctiores

(*a*) Infra, ſub littera E.

ctiores qui mente erant sincera, iidemque quibusdam vel omnibus difficultatibus modo indicatis prius impliciti, declaraverint, nec sine grati animi testificatione, se suis difficultatibus his lectis omnino esse solutos, pacique animi ea in re cum acquiescentia intima redditos. Sed non idem omnibus accidit.

VI. Etenim eorum nonnulli qui cordis sinceritate minime erant prædití, quique erroribus sibi assuetis tenacius inhærebant, ac ne illorum eversione agnita pro deceptis & errantibus haberentur, atque ne ita eruditio sua vilesceret, formidabant; vix eosdem libros ubi primum Gallice prodirent, minima ex parte legerant, cum eorumdem contenta in Diariis suis contemtim & falsa relatione publico indicarent, ut ab eorum lectione omnes avertendo manerent in amatis erroribus suis securi, auditi, comitati. Fecit hoc nonnemo qui Pelagianismo, corruptionem nostram originariam non agnoscenti, immersus, persuadere omnibus voluit materiam Librorum meorum totam esse aliam atque revera est, esse scilicet *mysticam*, meque speciatim dum peccati Originalis veritatem, propagationem & extensionem tracto, eamque re vera rationibus e fundo rerum naturæ petitis contra omnes Pelagianorum strophas confirmo & demonstro, solis tamen probationibus *mysticis*, hoc est, ejus sensu, ridiculis egisse, eamque sustinuisse. Et abduxit sane à librorum lectione ista cum similibus aliis calumnia non paucos, qui aliquanto post *de Origine mali* aliisque annexis difficultatibus, inter se diu, idque frustra, decertarunt; quas tamen difficultates reperire potuissent in Libris illis vel omnino præventas ac nullas esse, vel solutas planissime.

VII. Ceterum paucos præterea vel nullos qui se publice prodiderint, reperêre adversantes, quamdiu Gallicè tantum exstiterunt, libri illi mei Oeconomiæ divinæ. Ubi autem primùm in Germania anno 1705. Latine prodierunt, si una ex parte amicos mihi inter probos doctosque Theologos, aliosque eruditos etiam e Politicorum numero conciliaverunt; non defuere ex altera parte inter contentiosos qui se contra me vehementer prorsus declararent. Hos inter e primis fuit is ipse D. *Jægerus*, qui eodem anno *Thesium* quas *Cyclicas* appellavit, dodecades aliquot, medio folio volanti impressas, disseminavit, & Disputationum pu-

 blicarum

blicarum ſuarum materiam deſignavit, in quarum altera (binas ſolùm vidi) ſententias quasdam de anima, quas ex me deſumptas eſſe dicebat, proclamabat *falſas*, *anathemate dignas*, *venenatas monſtroſitates Poireti*, *figmenta* ejusdem, *ſententias horridas*, *infernales*, *hypotheſes nefandas*, *ex tenebris hauſtas:* meque *fanaticorum* accenſebat numero, addens *abſtractiones* quibus ſim uſus, *longe magis nocivas eſſe tricis Scholaſticorum*, *quia venenum per totum Theologiæ corpus diffundunt.*

Vix ea conſpexeram, cum inde intellexi, ſi quidem primo ſtatim initio me eo modo tractaret homo antea mihi plane incognitus, negotium mihi exhiberi, & rixarum anſam quæri ab eo, a quo nec modus nec æquitas exſpectari queant: Eaque de cauſſa pro omni reſponſo hisce ac ſecuturis forſitan hominis procellis, ſufficere credidi paucula, quæ Præfationi Tomi ſecundi de Eruditione ſolida, ſub manu mea tunc verſanti, hisce verbis inſerui, quæ hîc apponere non piget, quæque ita habent cum paucis præcedentium.

„ Conatus ſum in iis quæ ſcripſi & evulgavi, ut, quantum „ a me fieri poſſet, non diſcederem a Deo, ſive in deducen„ dis ex eo fonte veritatibus, ſive ad eundem reducendis, eo „ ſcopo & conſilio, ut omnia ex illius divina radiatione & in„ ſinuatione, eſſent utilia, fructuoſa & ſalutaria. Et id qui„ dem eo libentius feci, quo magis animadverti hæc & ſimi„ lia a non paucis eſſe vel omnino prætermiſſa, vel obiter tan„ tum memorata, vel minus bene expoſita, denique minus li„ berata ab impedimentis nonnullis ac difficultatibus quæ non „ paucis, mihique olim etiam, diu remoram fecerant, & a „ quibus per alios expediri quæſiveram fruſtra. Meum illud „ propoſitum non putavi ob rei ipſius ſubſtantiam, ob princi„ pii, ſcopi, modique tractationis bonitatem, ullis probis in„ gratum ac rejiciendum fore, etiamſi in ejus executione, „ (quæ hominum ſors eſt,) peccaviſſem nonnulla præter inten„ tionem meam, hoc eſt, quamvis e Summo Principio quæ„ dam particularia deduxiſſem, quæ tamen ex eo minimè flue„ rent; aut quædam ad illum redeundi adhibuiſſem media, in „ quibus mediis defectus nonnulli eſſent, aut quorum naturam „ minus vere explicaviſſem: hæc enim ob ſcopi & uſus bo-

„ nitatem

„ nitatem forent vel toleranda in ſpiritu charitatis, vel ratio-
„ nibus evidentioribus dedocenda in ſpiritu lenitatis Chriſtianæ:
„ non autem protinus *Anathemate* ferienda, *venenata*, *horrida*,
„ *infernalia*, *nefanda*, & tetris neſcio quibus nominibus pro-
„ clamanda, quemadmodum nuper de propoſitionibus nonnul-
„ lis mere theoreticis, ac ſaluti noſtræ nec eſſentialibus nec
„ neceſſariis, ex Oeconomiæ Libro I., idque perperam plerum-
„ que, elicitis, fecit per *Theſes* quas vocat *Cyclicas* (melius di-
„ xiſſet Cyclopias) non nemo, qui in Academia Germaniæ
„ non plane incelebri Cathedram (utinam non genium) illius
„ occupat, qui olim optimos piiſſimi Arndii *de Vero Chriſtia-*
„ *nismo* libros calumniis ac maledictis opprimere conatus fuerat.

VIII. Nondum iſta legerat D. Jægerus cum continuaret aliis atque aliis novis, iisque vehementius vibratis telis me in dies invadere: ſed meis hisce lineis ab illo lectis, nedum ad animi moderationem rediret aliquam; recruduit potius hoſtilitatum imber violentior, ac in diluvium abiit quantum reddi ab eo potuit ampliſſimum ac amariſſimum. Multiplicavit hinc ſuos in me impetus & clamores per verba, per ſcripta, per Lectiones Academicas, per *Theſes*, *Diſputationes*, *Diſſertationes*, *Collegia privata*, *Libros* non unos, per *Syſtemata Theologica*, per *Hiſtorias Eccleſiaſticas*. Ibi, poſtquam vocavit me aliquando *ſubtilis ingenii hominem*, & *qui ſi intra verbi divini terminos ſubſtitiſſet, inter primos ſeculi noſtri Theologos referri poſſet*; *Virum alias doctiſſimum*; *Virum ingenio ac eruditione inſignem*, *dudumque in Republica literaria ob varia Scripta celeberrimum*, & ſimilia, per quæ candoris ſpeciem affectare, affectuumque & animi invidi ſuſpicionem a ſe apud Lectores amovere intendit; me deinde ita tractat paſſim, ut homo nihili, imo nebulonum & impiorum quovis non poſſet excipi: ultimus, injurioſius vel ab impotentiſſimo dicor enim ipſi; *impoſtor*, *quo nemo major*; *Phariſæus*, *hypocrita*, *mendax*, *vertiginoſus auctor*, *per præſtigias Diaboli ſeductus*, *inſanus*, *ſceleratus*, *proterve ſceleratus*, *impudens*, *impius & impiiſſimus*, *blaſphemus*, *monſtroſus*, *faſcinatus*, *fanaticus*, *furioſus fanaticus*, *fanaticorum Anteſignanus*, *Enthuſiaſta*, *Fanaticorum & Enthuſiaſtarum Princeps & Primipilus*, *tenebrarum ipſum parentem pro informatore habens*; *ſtolida & delira*, *diabolica deſu-*

mens e ſtygia palude , *ex Orco* , *e fumo infernali* , *ex inferno*, *ex intimis inferni tenebris* , *ex loco tenebrarum & deſperationis* , *ex inſpiratione Diaboli* ; & ſexcenta ejusmodi paſſim reliqua quæ lubens prætereo , & quibus ubivis me infeſtat , qui hucuſque nihil ei præter lineas præfationis modo recenſitæ oblocutus fui, quicquid contra fabulentur Banagii Bauval Hiſtoria (*a*) literaria, & ex ea alii ſimiles.

IX. Iſta quæ vel a Turca, imo a barbarorum quorumvis noviſſimo non exſpectaveris, ab homine tamen Theologo, aliorum primario Paſtore & Doctore, cui ſingulariter cordi eſſe deberent charitas, inimicorum dilectio & benedictio, Chriſtiano cuivis a Chriſto commendatæ, uti & prohibitio alios judicandi, conviciandi & damnandi, ſub æterni exitii pœna denunciata ; iſta inquam à Theologo & Paſtore Chriſtiano proficiſci potuiſſe, eſſet plane incredibile, niſi quando oculos convertimus ad modum quo fere Docti in ſtudiis ſuis a primo initio ſe geſſerunt, ibi reperiremus fontem omnium malorum perquam fœcundiſſimum.

Nemini non notum eſt, eos qui ſeſe literarum ſtudiis addicunt, tantum non omnes a teneris eò moveri potiſſimum ſuperbiæ ſtimulo & exiſtimationis ſui, ut ſcilicet eruditionis acquiſitione docti ab aliis habeantur & celebrentur, ac voluptatem capiant intimam ſe ipſos conſiderando ut doctos, & præ aliis eruditos, atque a ceteris pro eminenter doctis habitos. Hæc ſuperbia, quæ Deo eſt odioſa, dat locum Diabolo, qui per illam ad corda eorum eruditorum quotquot in ea ſecuri progrediuntur, & divinæ gratiæ eos ſubinde ad meliora revocanti reluctantur, acceſſum habet, ea ingreditur, eademque ad omne malum, ad omnem malitiam, ad invidiam, ad iram, ad odium, ad contentiones, mendacia, calumnias, convicia, perſecutiones adverſus omne bonum, & ipſos quoque bonorum optimos, atque ad omnem nequitiam ſpiritualem indeſinenter propellit.

(*a*) Hiſtoire des Ouvrages des Sav. 1708. Juin. Art. IV. pag. 279. *On doit rendre cette juſtice à Mr Jægerus, que pour n'être pas myſtique ni dévot à contemplation, il ne laiſſe pas d'être beaucoup plus modéré que ſon adverſaire* (M. P.) *dont il repouſſe les ataques ſans aucun outrage.* Ecquis auſit dein fidem habere ſimilibus Diariorum & Novellarum fabulatoribus?

pellit. Hinc sapientia illa & eruditio quam Jacobus Apostolus *terrenam*, *animalem & Diabolicam* appellat. Inde proverbium vel apud plebejos pro axiomate habitum; *quo doctior*, *eo nequior*. Quod etiam, proh dolor, experientia nimia confirmat.

X. Videat nunc D. Jægerus, si quidem in se descendere seque emendare velit, an non a teneris annis huic sui ipsius existimationis amori ac delectationi nimium dederit locum, quem usque adhuc foverit, & amplificare studuerit: Sciatque, id si animadvertat, hanc esse causam, hunc fontem, unde prodierint mali illi & amari rivi, impetus ac fructus, quorum particulam vel guttas aliquot digito indicavi tantum, idque quatenus in me feruntur: Namque alioqui non in me uno substitit D. Jægeri impotens animositas; sed si qui sint, vel fuerint olim eximiis, imo & admirabilibus Dei donis, scientiâ divinâ, sapientiâ cœlesti, sanctitate solida ac non fucata, breviter, Spiritus Dei singularibus dotibus, fructibus ac prærogativis insignes, in hos protinus inhumanè irruit D. *Jægerus* quamprimum ei tantisper manifestantur, hosque similibus ac me, imo & durioribus, si inveniri ei possint, persequitur modis; quod exemplis aliquot suo loco (*a*) ostendam. Certe, ut a mali fonte (existimationis sui amore) non discedamus, qui Virum illum norunt, sciunt dicuntque eum semper quæsivisse aliter ac vir Dei David (Ps. 131.) *ambulare in magnis*, quæsivisse famam & titulos. Ipse non potuit quin manifestum daret vel typis publicis quam illud verum sit quod dicitur. Curavit etenim ante annos aliquot per *Hamburgensia* (*b*) *Nova literaria* omnibus publicari non tantum sibi *genus a vulgo divisum*, *& eximias naturæ dotes* esse, cum suis eousque operibus; sed & tropæa quædam sua juvenilia, se scilicet cùm *honoribus Magisterii anno* 1669. *ornaretur*, *primum inter* 22. *Candidatos locum esse adeptum*. Tum honores honoribus accrevisse, inter Principes, inter itinera, inter commercia cum literatissimis quibusvis, cum Jesuitis, Religiosis, Abbatibus, aliisque ibi nominatis, in his & illis Italiæ urbibus, in *castris* etiam: successisse deinde alia post alia officia, honores, professiones, in geographia, in lingua Latina, in lingua Græca, in

(*a*) Vid. infrà Libr. IV. Cap. 10 & 11.

 Logica

(*b*) Nova literaria Anni 1707. Aprilis. pag. 125.

Logica & Metaphyſica, & vel plus decem alia graduum, munerum, officiorum honorificorum genera, quibus eousque crevit amor laudis, ut in noviſſima quadam adverſus me Diſputatione de Purificatione animæ, anno 1716. habita, titulos titulis Regum proximos ſibi dari paſſus ſit, ſinon ſibi ipſemet dederit: Evidens enim eſt Diſſertationis titulum, haud ſecus ac totam Diſſertationem ab ipſo eſſe compoſitum, in quo quippe titulo videre liceat ſpecimina eorum quæ ex ipſo fluere modo vidimus falſorum, conviciorum, & maledictorum. Titulus totus eſt; *Nova (a) purgatio animæ poſt mortem, excocta (b) in cerebro Mad. Bourrignion & Petri Poireti, extracta (c) ex fumo infernali, rejecta ab* EMINENTISSIMO DOMINO CANCELLARIO JO. WOLFG. JÆGERO, *SS. Theol. Doct. & Prof. Primario famigeratiſſimo* &c. &c. qui ſane EMINENTIÆ titulus ſolis addictus eſt Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui ſeſe Regibus æquiparant, Principibus præponunt, quibus videri poſſit & ſe pro ſignificatione & uſu tituli aſſociare *Eminentiſſimus Dominus Jægerus*. Sed ad rem veniamus propius.

(*a*) Falſum: etenim ante plura ſecula eam ſuſtinuerunt innumeri.
(*b*) Falſum, cum convicio ei ſatis ordinario.
(*c*) Falſum & maledictum, quod expectorare Jægerus ſæpius ſolet.

VINDI-

VINDICIARUM VERITATIS & INNOCENTIÆ

LIBER PRIMUS.

In quo poſt excuſſas rationes à Jægero pro ſcriptione ſua allatas, Obices ab eodem oppoſiti generaliores removentur.

CAPUT I.

De Rationibus quas ſcriptioni ſuæ prætexit Jægerus.

I. EXprobrat Salvator Judæis eum perſequentibus, ipſos ſeſe permittere Tentatori duobus modis diabolicis gubernandos & adverſus illum agendos, odio ſcilicet, & mendacio, quæ ſint Diaboli proprietates quas ille inſinuare ſatagit perſecutorum cordibus malevolis: (*a*) *Vos*, inquit, *ex patre Diabolo eſtis; & deſideria patris veſtri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia mendax eſt.* Homicidium aliter non erat in Diabolo, quam per odium quod ipſe habuit, & non ſine mendacio inſpiravit Caino adverſus Abelem: unde Joannes Apoſtolus *homicidam* eſſe interpretatus eſt per *odiſſe*, vel *odio agi*: (*b*) *Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Atque utinam quæ fecit ſcripſitque D. Jægerus non ferrent indicia, quod paſſus ſit ſe ab inimico tentatore impelli uti animo & armis odii atque mendacii ageret adverſus me, & non unos etiam Abeles ſine comparatione me meliores! in quibus Sole clarius eſt per omnia ſua diſputata, eum non quæſiviſſe e charitate & æquitate verum atque bonum quæ iisdem per Dei gratiam inerant; ſed per artes ſive palpabiles ſive occultiores quæſiviſſe in eis peſſima quæque reperire, imo iis & adfricare, quo eos eorumque opera, imo & intentiones, ſive men-

I. *Impulſiones Tentatoris Judæos contra Chriſtum concitantis; quæ utinam a Jægero abſint.*

(*a*) Joan. 8. ℣. 44.

(*b*) 1. Joan. 3. ℣. 15.

mentem & consilia, odio omnium, ipsarum etiam Potestatum, ne dicam & publicæ animadversioni exponeret, uti pluribus exemplis videbimus postquam ostenderimus, quam nullæ sint rationes & causæ, quarum prætextu utitur ut suæ adversus nos aggressiones quales sunt, æquitate, imo & necessitate officii, niti videantur.

II. Prima *Ratio quam ille aggressioni suæ obtendit*, Poiretum sibi eandem licentiam in alios sumsisse. *Ea partim non facit ad rem, partim falsa est.*

II. Vix viderat D. Jægerus verba Præfationis meæ supra exposita, cum protinus scriberet, imprimi curaret, *pro materia disputationis publicæ* studiosis suis proponeret, ac deinde suo *Examini Theologiæ Novæ* adderet *Epistolam*, nativis impetuum suorum supra visorum characteribus falsisque imputatis omnino conspicuam, atque insignem. In ea daturus rationes cur me iis modis uti fecit aggressus esset, multa profert diversi generis, quorum primum est, se *ita fecisse partim quia eandem* mihi *licentiam in Cartesium*, *Malebranchium*, *Reformatos*, *Lutheranos*, *&* *quoscunque alios* sumserim: quæ vero partim ad rem nihil faciunt, partim etiam sunt falsa. Namque ex eo quod Poiretus opiniones quasdam Cartesii, Malebranchii & aliorum ex vero retulerit, & rationibus oppositis ac solidis ostenderit eas non esse veras, sine ullius contumelia; non sequitur quod D. Jægerus inde habeat jus eum omnis generis conviciis, falsis malisque artibus, publice aggrediendi, & cunctis odiosum, ne dicam execrabilem reddendi. Si D. Jægerus, bona fide & simpliciter assertiones meas proposuisset, iisdemque humaniter bonas rationes vel difficultates momentosas opposuisset, profecto gratiam hoc ipso a me iniisset, uti inibunt omnes quotquot sedatis hisce modis mea examinabunt, veluti ostendi ipso facto erga eos qui *Cogitationibus* meis *Rationalibus* suas vel rationes vel Objectiones opposuerunt; declaravique etiam (*a*) haud ita diu, quid a quovis æqui animi Lectore desiderem eo in genere. At quam longe ab istiusmodi æquitate ac moderatione abierit D. Jægerus, vel e solis ejus superius relatis aliquot verbis atque modis, jam patet plus satis, & patebit deinceps amplius.

III. Altera, *non minus falsa*; quod Pmus ipsum lacessiverit, & dira evomuerit in Ecclesiam Lutheranam;

III. Is ipse paulo post, veluti iniquitatis aggressionis suæ conscius, ejus invidiam in me tentat trajicere dum præter alia modo memoranda objicit mihi quod eum *in Libro excuso allatraverim*

(*a*) Vid. Præfationem in Tract. de Natura & Origine Idearum.

verim, *momorderim*, atque *in æstum & rabidam bilem efferbuerim contra illum*, aggravans tetris hisce modis illam Præfationis meæ modo memoratæ dictionem, ubi parcens ejus nomini ac personæ, dixi solum de *thesibus cyclicis*, melius illas ab ipso earum auctore nominari potuisse *cyclopias*, hoc est, violentas & fumum ignemque spirantes, quod sane minus adhuc quiddam est quam ipsa Thesium suarum *anathemata* & *infernalia*, *nefanda*, *horrida*, *venenata*, Jægeriana vocabula, ne cetera alia ejus convicia repetam, quorum partem maximam in Examinis sui Novi Disputationibus adversus me jam expectoraverat, antequam præfationem hanc meam consequentem vidisset. Quod autem causetur ibidem, me etiam *in Lutheranos scripsisse: calumnias dirissimas in Ecclesiam suam* Lutheranam, *quæ mihi molesta nunquam fuit*, *vel me nulla ratione offendit*, *evomuisse*; id ejusmodi est, ut nihil sit magis a vero alienum. Illud sancte testor, mihi nunquam propositum fuisse uti contra Ecclesiam illam ullosve ex ea aliquid scriberem. Provoco D. Jægerum uti ostendat ubi, in quibus libris, quando & quibus terminis in *Lutheranam* suam *Ecclesiam calumnias dirissimas evomui?* Qui alium *calumniæ* in alios plures, *qui ipsi molesti non fuerant*, *evomitæ* accusat, nec id probare potest, nonne ipsemet potius calumniæ reus est? Edidi primùm anno 1677. *Cogitationes Rationales de Deo*, *Anima & malo*, aliquoties postea recusas: an in iis calumniatus sum Lutheranam Ecclesiam? Alter meus ab illo liber est *Oeconomia Divina*, quæ Anno 1687. prodiit, ac cui equidem D. Jæger horribilem in modum infensus est, ex quo post annos ferme viginti ab editione Gallica Latine prodiit: Sed me in ea de Lutheranis impugnandis ne somniasse quidem, evidens argumentum est, quod Gallice scripserim, non Latine, uti debuissem si in Lutheranos scribere nec simul insanire voluissem. Ea demum post longos annos, me non auctore nec interprete, Latine publicata est adjuvantibus Lutheranorum doctissimis & probissimis. Quod si nonnulla ibi proposui quæ eorum quidam non probent, vel ea impugnavi quæ ipsi teneant pro veris, non ad illos plane respexi, neque ad ullas personas; sed ad ipsa in sese dogmata, sive falsa sive secus, pro ut obtinent in iis plerumque partibus in quibus fui educatus. Scripsi præterea etiam

Gallicè tractatum *de Educatione liberorum Christiana*, nullis controversiis obnoxium, ubivis probatum, recusum & in plura conversum idiomata; quem quod a probissimis inter Lutheranos distraheretur & commendaretur, qui rixosi inter illos sunt, publicis ac terribilibus calumniis denigraverunt; quo ipso occasionem mihi porrigebant ut & ego in eos vicissim scriberem: at id feci intra limites justæ defensionis me continendo; distinxi privatos hosce adversarios ab ipsa Ecclesia ac probis qui in ea, quos ita tractavi, ut ipsimet mihi gratum animum suum testati sint, meaque præterea promoverint & commendaverint. Imo & ob *Oeconomiæ Divinæ* libros, quibus D. Jægerus præcipue iratus est, & adversatur, viri optimi Ecclesiæ suæ, ipso longe probiores, eruditiores ac penetrantiores, officiis quoque, etiam primariis, in utroque statu illustres, mihi benevoli atque amici facti sunt, quod se eorum lectione reperirent dubiis non paucis atque momentosis, qualia sunt de mali origine, ejus extensione, & originalis peccati propagatione verissima, deque gratiæ divinæ, intus per se operantis necessitate, aliisque pluribus solutos. Ipse D. Jægerus, uti pro vero percepi, non semel inter lucida intervalla non unis testatus est, libros illos meos in articulo de Prædestinatione singularem ac commendandum in modum eam rem confecisse. Quo posito, secundum ejusdem ratiocinandi leges, dicendus ei essem, Lutheranos omnes, ipsumque adeo D. Jægerum eo pacto summis laudibus, encomiis ac præconiis cumulavisse. Dico, secundum legem vel regulam quam ille ipso facto secutus est, quæ vero ista est: *Quisquis aliquam doctrinam probat, vel e contrario refutat, eamque falsis vel absurdis laborare ostendit; ille habendus est perinde ac si personas quasvis qui eam doctrinam tenent, speciatim aliàs laudaret, aliàs calumniis, conviciis ac quibusvis impiis & inimicis modis prosequeretur.*

IV. Ut & in Beat. Arndium: *quod ultimum inauditis plane artibus sophisticisque frustra evincere tentat.*

IV. Hoc enim uno nixus fundamento in hac ipsa, de qua nunc ago, D. Jægeri Epistola, eum non pudet se jactare quod habeat unde *probet*, imo *demonstret*, *quod nullus opere ipso B. Arndio magis insultaverit quam ego*: asserique ibidem, me *doctrinalia Arndii atrocibus calumniis onerasse*: Arndium mihi esse *seductorem*: *nihil tetrius de eo dici posse*, *nihil mordacius ac sceleratius* quam quæ a me dicta sunt: secundum me, Arndium *maligna cæcitate*

cæcitate laborare, ac *nequam esse*: me *eum non oppugnasse tantum, sed & virulentis conviciis traduxisse: ejus sententiæ impiissime contradixisse: clanculum eum momordisse, conviciis proscidisse*: Et alibi, *me per omnes pene fidei articulos mordacibus verbis piissimum Arndium refutasse.* Atqui in omnibus Scriptorum meorum locis ubi de Arndio ejusque libris mentionem feci, speciatim in Defensionibus Libelli de Educatione & in Epistola de Scriptoribus mysticis, quæ in altero Tomo de Eruditione Solida Editionis Amstelodamensis recusæ sunt, Virum illum ejusque opera constanter non vulgaribus extuli laudibus ac commendavi a solida ac pia doctrina praxique Christiana, uti & agnovit (*a*) novissimus Arndii in Anglia editor: neque unquam re vera de Arndio aliter ac de viro sancto cum reverentia & dilectione intima cogitavi, nec aliter unquam de eodem cum aliis locutus sum. Unde ergo est quod D. Jægerus tetra illa, quæ modo vidimus, mihi de eo viro imputat? scilicet hinc quod multa quæ sentio & scripsi, alia sint (si D. Jægero credimus) quam quæ scripsit ac sensit Arndius. Ponamus hoc ipsum quod vult D. Jæger, tam verum esse, quam revera falsum est; an propterea dicendus sum ita me gessisse erga Arndium uti modo asseruit & pro *demonstratione* obtrusit Jægerus? Si ita est; D. Jægerus igitur, qui nec semel nec molliter scripsit contra dogmata non pauca Romanensium & Reformatorum, qualia sunt de Ecclesia, de Missa, de Purgatorio, de Prædestinatione aliisque multis, pro eo erit habendus & proclamandus qui Kempisio, Cardinali Bonæ, Petruccio, amicis quos in Italia habet, Turretino, Witzio (tametsi eos laudavit) *insultaverit*, eos *virulentis conviciis traduxerit*, *proscideriт*, *momorderit*, *pro seductoribus ac nequam* habuerit. Quod si admiserit atque fatebitur, se Sophistam simul & calumniatorem coram omnibus sistet: sin recuset ac diffitebitur, hoc ipso se mei erga Arndium uti & Ecclesiam Lutheranam agendi modi calumniatorem esse demonstrabit, ac quantam jactatæ suæ *demonstratæ* accusationes & contra me chartæ habeant vim, quantam mereantur fidem, omnibus faciet palam.

V. *Quam parum illi conveniat cum Arndio, ut ut verbis eundem magni facere videatur.*

V. Addam hic obiter ad Lectorum cautelam, uti ne facile

 patiantur

(*a*) Vid. Edit. D. A. W. Boëmi Londinensem anni 1708. In Præf. §. 18. p. 16.

patiantur ſe perſuaderi D. Jægerum Arndii ejusque doctrinæ, magnum eſſe amatorem, admiratorem, defenſorem, propagatorem propterea quod ipſum verbis magnifacere videatur, ſe a prima ætate libros ejus coluiſſe dicat, eum piiſſimum, beatum, illuminatiſſimum, divinum, purum & tutum Myſticum laudet pluribus in locis. Faceret ſimile (venia ſit candidæ veritati) lupus qui ovilla pelle ſeſe contegeret, ovesque laudare & ſe iis amicum ſimulare affectaret, quo tutius pro ove in ovile admiſſus, in eas ſub earum pelle & affectata voce, ſecurius graſſaretur, & quæ ad earum tutamen vitamque pertinent, devaſtaret eo liberius? Alia MENS, alius ANIMUS in divinis, internis, myſticisque & ſpiritualibus rebus D. Jægero re vera eſt ac divino viro Joanni Arndio, eique planiſſime contrarius. Et de *mente* quidem, quantum ad doctrinalia, velim legi tantum Arndiani operis de Vero Chriſtianismo ſolum librum tertium, qui inter quatuor è breviſſimis eſt; eundemque conferri cum iis quæ D. Jægerus paſſim de intimis Dei operationibus ſcriptitavit tum hic, tum in ſuis de Enthuſiasmo & Theologia myſtica commentationibus; videbitque horum ſtupendam inter ſe contrarietatem, omnemque ibidem boni ſubſtantiam & ſolidiſſima quæque a D. Jægero, ſed prius deformata miſerabiliter, vaſtari radicitus. Quantum ad *animum*, quàm ab illo abhorreat *Arndius*, quo D. Jæger ſcripſit in alios & qualem originem ſcriptis ejus atque operibus aſſignet, aperit alicubi illumque depingit ſequentibus verbis. (a) *Ex operibus noſtris ea duntaxat lux ſunt quæ ex Deo procedunt, & lucent in tenebris proximi noſtri in patientia, in manſuetudine, in humilitate, in conſolationibus & commiſeratione, in emendatione, præcipue vero in* ÆQUITATE JUDICANDI & DAMNANDI. *Etenim qui inſolenti & temeraria cenſurâ alios perſtringunt, hi ſibi ipſis plaudunt, efferuntur ſuperbia, & deſpiciunt proximum, habentque in ſe* RADICEM PESSIMAM *multorum peccatorum, imo ipſius* DIABOLI, *qui ex ſuperbiæ ſemine ortus eſt.* Et paulo poſt. *Temerarii proximorum* JUDICES *ſunt ſimiles ſerpenti quem fovit antiquus ſerpens Diabolus: atque hic occulte venenum ſuum ipſis infundit, quod poſtea ipſi rurſum effundunt cum contemtu & deſpectu proximorum.* Hujus Jægeriani agendi modi teſtes ſunt luculenti vel inter mortuos ſanctæ ac divinæ

(a) Lib. III. c. XI.

vinæ Wejeri, Boëmii, Antoniæ, Leadæ, aliorumque cœlestes animæ, in quas nullum non veneni genus, imo & ignium flammarumque ex inferno, expectoravit D. Jægerus. Ac nisi Arndius invenisset inter potentiores & probiores qui eum non permiserunt adversariorum suorum multitudini succumbere, si his inquam caruisset Arndius ac succubuisset; dubitari nequit quin D. Jægerus inter primos eorum futurus fuisset qui eum ut *Weigelianum*, *fanaticum*, *Enthusiastam* & nescio quot aliis dicteriis traduxerunt & adhuc traducunt. De his ac similibus calumniis, adversariorumque Arndii inter ipsos Lutheranos multitudine, videatur Præfatio Librorum *de Vero Christianismo* Edit. Londin. 1708. uti, & Cl. Arnoldi historia Eccles. Tom. II. Lib. XVII. C. 6. ubi inter alia refertur, aliquando Ministros Hamburgenses, Lunæburgenses & Lubecenses in unum coivisse uti de Arndianis libris abolendis inter se consulerent, sed re infecta abiisse postquam unus ex illis, D. Schertzer, dixisset: *Conscriberent primum ipsimet meliorem Christianismum quam Arndius; & tunc fore ut hujus liber sponte sua cadat.*

VI. *Quem alii etiam aperte diffamant, in ipsa quoque Cathedra Lutheri.*

VI. Habet enim noster adhuc socios eosdemque proculdubio amicos, qui vel in ipsa, qua gloriantur, Lutheri Cathedra, id ipsum faciunt apertius; teste D. Wernsdorffio Wittebergensi Professore, qui haud ita diu in sua *Osiandrismi in Pietismo Renati* Dissertatione, quinta vice edita anno 1717, sustinuit E CATHEDRA DIVI LUTHERI sui sequentia, quibus bonum Arndium diffamavit atque impugnavit quantum in se fuit: verba ejus sunt: (a) *Nervus & velut anima* FANATICISMI *est trita illa, & in se bona, sed pessime detorta & applicata distinctio verbi in* INTERNUM & EXTERNUM. *Hanc Osiander olim, nunc Pietistæ inculcant, quod ipsius* SPENERI (nam hic & ipsis fanaticus habetur) *verbis ostendit B. Bucherus*, &c. ARNDIUM *nempe* SUUM *sequuntur, qui verbum internum nominat* das verborgene Wort (*verbum occultum*), das zeugnuß des verborgenen Geistes in uns (*testimonium latentis Spiritus in nobis.*) Libr. I. Cap. 6. Eine Göttliche Antwort Libr. III. Cap. 15. (*Divinum responsum.*) Gottes Stimm in uns. l. c. (*Dei vocem in nobis*); *idemque verbo externo & Scripturæ manifeste opponit.* p. m. 416. Hactenus Wernsdorffius, qui & ibidem §. XIX. pag. 73. sequentia

(a) Cap. II. §. IX. p. 61.

tia in eundem Arndium profert. *Osiander olim de Unione Mystica tanquam* ἐνσωματώσει (incorporatione) *aliqua disputabat: Idem nunc faciunt Pietistæ* (quos fanatismi accusat,) *quorum omnium nomine hæc fatetur Dippelius*, (latine reddam verba Germanica:) *Plerique Pietistæ dicunt, Christum debere ad novam Creaturam in hominibus omnibus nasci qui salvi fieri velint, idque ostendente Scriptura.* Hisce Pietistarum quos vocat, verbis subjungit Wernsdorffius: *Quod posterius uti omnino falsum, sic illud multo certissimum est, opinionem illam a* WEIGELIO *acceptam, per* ARNDIUM *vero imprimis disseminatam fuisse: Hic enim scribit*, [Latine iterum reddo quæ Germanicè citat ex Arndio:] *Quemadmodum Christus per Spiritum S. in fide corporaliter conceptus est in Maria, ex eaque natus; ita debet in me spiritualiter concipi & nasci; debet in me spiritualiter crescere & augeri: quæ repetit* (Arndius) *Lib. III. Cap. 2.* Hæc Doctor Wittebergicus, quæ vero in Arndium dicta, potuisset non solum vibrare in Apostolum Paulum, substantiam horum asserentem, Gal. 4. ℣. 19. & Cap. 2. ℣. 20. sed & in ipsissimum *Divum* suum *Lutherum*, in cujus Cathedra non parum gloriatur: hic enim Theologiam Germanicam primus edidit semel atque iterum, & impense laudavit, cujus tamen vel Caput III. hæc ipsa continet: quin etiam hæc Lutheri olim querela fuit de sui temporis concionatoribus: (*a*) *Qui hocce tempore Evangelium meliuscule* (am besten) *annunciant, faciunt ex* CHRISTO EXTERNUM ALIQUEM DOCTOREM *ac Ministrum qui* EXTRA NOS *maneat, bonaque nos doceat opera: non autem qui* INTUS *dominans* OPERETUR *ipse bonum in nobis.* Sed digressioni imponamus finem.

(*a*) Tom. II. Jen. fol. 339.

VII. *De Ratione tertia Jægeri*; quod de Poireti doctrinalibus quæsitus fuerit: *Et de* quarta; quod id sua exegerint officia.

VII. Allegat D. Jæger & alias suarum in me scriptionum rationes, quibus si, prout jus postulat, morem gessisset, nullam a me querelam, sed potius gratias meritus esset. Eæ sunt, partim jus illud omnibus concessum, respondendi ad quæsita nobis facta: *De meis doctrinalibus*, inquit, *non raro quæsitus fuit:* partim officia Ecclesiastica & Academica, quæ *ipsi libertatem silendi non permittunt*, illud præcipue, quod *Professor* sit *controversiarum.* Quærentibus ex ipso *doctrinalia* mea quænam essent, respondendum fuisset ab illo, eorum maximam partem & maxime essentialem bonis quidem constare non paucis, quæ repræ-

sentanda

sentanda erant: interesse tamen & nonnulla quæ ipsi vel non vera, vel difficulter cum veritate conciliando videantur. Sed ille ita respondit ac si ab eo quæsitum fuisset, quibus modis ea quæ scripsi possint in malam partem sumi, perverti, falsa supponi, lectores a legendis libris meis deterreri; ego vero omnium odio exponi. Hoc etenim fecit: idne autem ab eo *quæsitum* fuit?

VIII. Officium *Professoris Controversiarum*, (deplorandus inter Christianos titulus quando contentiones & rixas inter eos esse significat,) ut bene & secundum Dei voluntatem exerceatur, requirit ante omnia in Professore Theologo animum pacis amantem atque mansuetum, *Beati pacifici*, inquit Dominus: *Discite a me quia mitis sum: Servum Domini*, ait Paulus, *non oportet litigare, sed mansuetum esse: Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum.* Atque adeo ejus officii est ut controversias, quantum potest, minuat numero, imo in unitatem & consensum quousque fieri potest omnia in bonam partem interpretando, redigat. Inter illa vero quæ ad unitatem consensus redigi non possunt, distinguat sedulo ea quæ problematica sunt & accessoria, quæque, quamvis essent erronea, innoxia tamen sunt, & subsistere possunt cum summo præceptorum Dei *fine*, scilicet, *cum (a) charitate de corde puro, & fide non ficta* in Deum atque Jesum Christum, fundamentum ædificii salutis nostræ: hæc probe, inquam, distinguenda sunt ei a doctrinis quæ finem illum fundamentumque fidei, spei & charitatis concutiunt atque evertunt. In illis tolerabit & amabit Christianus Theologus eos qui dissident à se circa ea quæ illius sunt generis, quemadmodum Apostoli & tota Ecclesia primitiva dilexerunt & toleraverunt eos qui e Judæis Christiani facti, legem Mosis tamen & ejus ritus, de abstinentia in cibis, diebus, aliisque ex infirmitate & majoris luminis defectu observare volebant, uti patet ex eorum Actis, & Epistolis Pauli ad Romanos & ad Corinthios. Eratque in his ea Apostoli sancti Regula; ut *(b) in eo ad quod pervenimus, idem sapiamus*: verum *si aliter sapitis*, inquit, exspectandum donec *& hoc vobis revelet Deus*, luminis sui majore copia. Quantum ad eos autem qui fundamentalia salutis evertunt, imo qui resistunt adeo veritati

VIII. *Officium Professoris Controversiarum quid exigat in Theologo Christiano.*

(a) I. Tim. 1. ℣. 5.

(b) Phil. 3. ℣. 15.

(a) 2. Tim. 2. ℣. 24, 25, 26.

veritati ut Diabolo ea in re morem gerant; ea eſt lex divini Apoſtoli: (a) *Servum Domini non oportet litigare; ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati; ſi quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant a Diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.*

IX. *Quantum ab eo receſſerit Jægerus, exemplis oſtenditur.*

IX. Quam oppoſitum in modum D. Jægerus officio ſuo controverſiarum Profeſſoris erga me alioſque uſus ſit, clamant omnia ipſius adverſum me & alios Scripta. Vix lucem viderat docti ac pii Theologi Britanni tractatulus omnibus probis gratiſſime acceptus ac charus, cui titulus eſt, *Theologia pacifica*, *ſive Comparativa*, horruit illico ac infremuit ad pacis & *pacifici* nomen Jægerus: Protinusque ita dirè, ita atrociter in Auctorem innocentiſſimum admirabilemque & amabilem ejus tractatum inſiliit ac perverſis artibus violentiſque ictibus ſæviit, ut vix atrocius vel ipſe Cainus in innocuum Abelem invehi potuerit. Non ſatis habuit Jæger ut Virum ſapientia conſpicuum pro *fanatico* ſtatim proclamaret, ob vocem *immediata* ſemel adhibitam, niſi propter aliud vocabulum ſaniſſimi ſenſus, ſed a Jægero quam peſſime potuit interpretatum, eundem vociferaretur reum effuſi veneni *fanatici*, *protervia*, *impudentia*, *ſceleris*, *barbari ſenſus*, *Theologia ab impuro ſpiritu infernali originem ducentis*, *& ipſi Spiritui S. bellum indicentis*: pro ut videre eſt in *Examinis* ſui *Theol. nova Controverſia* II. in qua, ſi Deus permiſerit, ſpecialiora quædam ſophiſmata ſuo loco (b) notabimus. Ad modos quod attinet quibus egit mecum noſter Controverſiarum Profeſſor unitatis amans, ille toto niſu in hoc incubuit ut controverſias multiplicaret; & in ipſis ſcirpis quæreret nodos: Omnia ferme quæſivit capitalia reddere, imo & illa ipſa quæ in aliis vel in ipſo Luthero ſuo tolerat aut probat, ea mihi modo in fanatiſmum, modo in Socinianiſmum, aut ſi quid pejus, in blaſphemias impias convertit & imputat: indicabo hic obiter unum ac alterum qui deinceps plura pluribus oſtendam Vocem *immediate*, quæ uſurpatur dum de Deo operante in nobis agitur, quæ eſt ipſius Lutheri, non ſemel eadem uſi, quam ſine ſcrupulo & ſine numero adhibuerunt, imo adhibere contra novos Pelagianos coacti ſunt Viri doctiſſimi ac probatiſſimi, eam vocem

(b) Infrà L. IV. C. 10. §. 6. & ſeqq.

D. Jægerus

D. Jægerus mihi plus sexcenties ubivis exprobrat ac in *fanatismi* probationem & fundamentum convertit. SS. Trinitatis Mysterium non ignorat Jægerus ab Augustino, a Theologis Scholasticis non paucis utcunque explicatum fuisse per comparationem e nostra *memoria*, *intellectione* & *voluntate* desumptam. Agnoscit (*a*) idem & a *Luthero* factum esse in Cap. 1. Genes. Ego id ipsum etiam feci: verum quod in Luthero & aliis reprehendendum non est, in eo ipso comparat noster Poiretum cum (*b*) *Serveto qui tanquam Oppugnator SS. Trinitatis vivus combustus fuit, quique per hujus sententiæ Poiretianæ cuniculos viam quæsivit ad destruendum illud mysterium.* Purificationem post hanc vitam Lutherus vel post decem aut circiter annos a sua reformatione credidit adhuc; hanc tuentur cum tota Ecclesia Romana innumeri ejusdem Doctores; eam pro tolerabili habent (*c*) Protestantium æquiores & moderati inter doctissimos. Hanc mihi imputat D. Jæger in (*d*) *Novam Purgationem excoctam in cerebro P. Poireti, & extractam ex fumo infernali:* eique propterea declaror (*e*) *impius*, *blasphemus*, *injurius in Justitiam, Sanctitatem & Veritatem Dei*; *atrocem maculam blasphemiæ* admisisse *non eluendam a me neque in hoc neque in futuro seculo*; *fanaticus*: taceo reliqua ejusdem quæ adhud atrociora sunt. Ecquis autem, quæso, ab animo ita constituto exspectet controversiarum æquabilem tractationem, quando sese eum esse aperte ostendit a quo nequidem Controversiæ status expositio recta exspectari possit, veluti ipsis factis videbimus non semel in posterum.

(*a*) Exam. Th. Nov. Controv. VII.

(*b*) Ibid. pag. 93.

(*c*) Vid. G. Forbes Consid. Pacif. Part. II.

(*d*) Disp. D. Jægeri in Titulo.

(*e*) Ibid. pag. 44, 45. & 49.

X. *Quinta, quam agnoscit Ratio eaque vera: Ut Obices poneret Poireti doctrinæ apud suos invalescenti.*

X. Hactenus frustra tentavit D. Jægerus genuinas vel verisimiles producere rationes cur in me scripserit prout fecit: Sed erumpit tandem, nec rei veritatem diutius potest dissimulare hisce *suis* verbis: *Ut* INGENUE *fatear*, TANTAS VIRES *jam acceperat* TUA (me alloquitur) *apud nos* DOCTRINA, *ut necessario* OBEX *ponendus fuerit.* Similem de sua in tractatum Theologiæ Pacificæ hostilitate causam ita notavit: *dignus* (tractatus) *qui excutiatur*, QUIA PLURIMOS JAM ADMIRATORES *habet speciosus liber.* Scilicet libri mei in patria D. Jægeri locisque ubi degit ac coram oculis ejus quærebantur, legebantur, æstimabantur; vires, effectus fructusque nanciscebantur apud juvenes, apud Viros doctos, ingenio, pietate,

 officiis

officiis etiam illustres, qui D. Jægeri libros non ita curabant, sed jacere otiosos ac veluti inutiles sinebant. Hinc illæ lacrymæ scilicet, hinc illi in me impetus! quî enim potuit sine invidia hoc videri ab illo qui a primis annis assuetus fuerat laudibus, & se vel inter viginti & plures Candidatos primum collocari, titulis & gradibus continuis accrescere atque delectari? Quid talibus animis inspirare possit invidia, non est incognitum ex innumeris dictis atque factis vel a mundo condito, quando fratrum alter alterum ad extrema persecutus est. Cessent nunc Lectores admirari, cessent inquirere, qua de causa D. Jægerus ita me tractaverit uti jam paucis viderunt, & pluribus deinceps perspicient. Ipse INGENUE FASSUS EST. Mea Scripta *apud suos magnas acceperant vires*: qua autem causa motus fuit uti ipse iis OBICEM *poneret*.

XI. *Quamvis aliam præcipuam dissimulet. Transitio ad sequentia.*

XI. Dissimulat tamen reticetque aliam etiam causam eamque omnium omnino verissimam & maxime urgentem, quæ ipsum & sui similes movet quam maxime *Obices* uti libris meis opponant. Ea causa hæc est. In Libris Oeconomiæ, speciatim in Libr. IV. Capp. VIII, IX & X. descripsi vivis coloribus Doctorum & Pastorum plerorumque qui venturi essent in ultimis temporibus, defectionem a Spiritu veri Christianismi, ac ejusdem defectionis causas & effecta, in primisque ADULATORIAM illorum indolem, qua ut sibi primum adulantur, ita aliis ad cœlos VIAM proponunt longe LATISSIMAM atque gratissimam. Strictam ostendi esse & in Euangeliis proponi: malos exitus deinde & exterminationem viam latam sequentium & suorum adulatorum e Sacris palam feci. Horrent Jægerus & similes, sui imaginem in his dubio procul inspicientes. Atque ne & alii hoc ipsum ibidem videant, & ab illis etiam abhorreant, *Obicem ponere* meis libris judicarunt sibi tutissimum esse.

Nulli autem *obices* sunt efficaciores quam qui reddunt hominem Ordini Politico uti & Ecclesiastico, totique adeo Christianismo odiosum & hostilitatis suspectum; quique eundem omnis generis erroribus capitalibus infectum persuadent, ac in quibuscunque ferme opinionibus clamant alienum à vero, idemque de autoribus sive libris quos ipse commendat, insinuant vehementer cum omnis generis artibus falsis verbisque & affectibus urgentibus ac sæpius

pius repetitis. Quæ vero quousque in effectum D. Jægerus deduxerit, tempus est ut exemplis aliquot palam exhibeamus.

CAPUT II.

De Primo Obice generaliori à Jægero opposito: Potestatibus summis periculosa esse principia Poireti.

I. OBEX è primis & præcipuis quem D. Jægerus mihi *opponendum* censuit, in eo consistit, ut me Summis Potestatibus ac *Magistratui Politico* odiosum, invisum ipsisque *periculosum* repræsentet; idque illico, vel ab ipso procemio Operis sui, quod *Examen Theologiæ novæ* inscripsit, atque in præfatione Systematis sui Dogmatico-polemici, quod in quarto, (ut vocant) duobus voluminibus Tubingæ prodiit anno 1715. In illo postquam *fanaticos hodiernos* tanquam *diram propaginem* pessimorum quorumvis *hæreticorum* antiquiorum, imo & his proximiorum repræsentavit, ac in tres classes divisit, meque in tertia ac omnium deterrima classe nominavit veluti *primipilum*, mihique Turcas, Judæos, Gentiles, Quackeros aliosque associavit; addit: (*a*) *Id maxime huic factioni adjungendum censemus, quod genus illud hominum etiamsi toti Ecclesiæ ferale sit, nemini tamen magis periculosum videtur quam Magistratui Politico. Nam quod iniquo sint animo adversus illum, & quod destructionem ejus ex animo desiderent, tota historia Anglicana per mille exempla, atque inprimis seditio Londinensis & virorum quintæ Monarchiæ conatus satis probant. Noster* Poiret *aperte statuit*, pag. 238. *quod ad adventum Christi, ad proxime instans Regnum Chiliasticum formandum præparatoria sint futura, eversio omnis fastus humani, superba palatia, ædificia sumtuosa, oppida splendida, atque omnia instrumenta vanitatis, luxuriæ* (luxus) *ita destruenda esse, ut ne unus quidem lapillus vanitatis sit futurus reliquus. Et tum regnaturum Christum ita, ut nulla sit futura potestas humana, sed quod cum impiis sit confringenda. Hic cæcum esse oportet, qui non videt quanto in discrimine sit Potestas Civilis, si numero prævaleant Chiliastæ & fanatici nostri, unam enim jam societatem faciunt communiter.* Hactenus

I. *Obex generalior primus.*

(*a*) Exam. Theol. Nov. p. 11.

nus D. Jægerus, qui hæc ipsa jam anno ante publicaverat in Disputatione Academica cui est titulus, *Comparatio Theologiæ Augustanæ Confessionis cum Theologia hodierna fanaticorum & maximè Dn. Poireti & sociorum:* cujus mentionem curavit (*a*) in Novis Literariis Hamburgensibus fieri, nec sine sui laude meique, quem fanaticorum principem non semel ibi dicit, contumelia. Repetit & ex his nonnulla in Systemate Polemico Tom. I. p. 23, 24. Atque ut in vestimento ovium appareat tamen, addidit modo citatis sequentia, quæ sunt in solo Examine: *Ipsum equidem Dn. Poiretum a tumultu, seditione & sanguine abhorrere haud dubii concedimus:* subjungit nihilominus totum telum atque aculeum: *at vero*, pergit, *doctrinalia ejus ad* SEDITIONES *vergere, satis constat.*

II. *Consilia Jægeri parum Evangelica contra eos quos fanaticos vocat, quibusque blasphemias imputat.*

II. Addit in præfatione Systematis Dogmatico-polemici, Preces, *stilum* & *ardorem* (zelum) non esse contra hujusce modi homines remedia satis idonea: *superesse adhuc alia remedia, quæ suo tempore ipse aperiet. Curandum esse morbum* illorum quibus imputat blasphemias & impietates *durioribus remediis, ceu pestem, ne serpat malum & contagium.* Inter illos esse qui *si numero prævalerent, nulli parcerent, ne quidem Regibus & Principibus.* Sed ne accusationum atrocitate suspiceris accusatorem Caini instar, fraternum vel humanum sitire sanguinem; audi tandem ejus pro conclusione moderationem ac lene Magistratibus datum consilium. *Ad curandum vulnus*, inquit, REMOTIO PURIS *est necessaria: non statim* USTIO & CANDENS FERRUM. *Prius* SUADEMUS; *non posterius.* Quid per puris remotionem, quam suadet, significare velit, non est difficile intelligere, nempe remotionem à corpore civili, rejectionem a societate politica & libera per exilia vel carceres: quid vero intelligat per alia *remedia* illa quæ dixit *duriora*, quæ in pectore servat *suo tempore aperienda*, quæque hic subinnuit per *ustionem & candens ferrum* vulneribus aliquando applicanda, novit omnium optime Deus. Certe, quia accusationes adversarii sunt de

(*a*) Auctor horum Novorum ab amico quodam compellatus, eccur istiusmodi in me contumelias profunderet in Novis suis; respondit, *se ab omni partium studio esse alienum, & quæ ex* LITERIS ALIORUM *sibi transmissis legerit, ea tantummodo referre studuisse, cuique suum relinquendo judicium.* Hamb. 7. Nov. 1708.

de criminibus quæ inter capitalia plerumque numerantur, illa ejus *remedia duriora* aliud quid significare nequeunt quam illa ipsa remedia quibus Caïn, Judæi & Gentiles terram levarunt onere sibi exoso Abelis, Christi & primorum Christianorum, quo eorum *doctrinæ vires apud eos accipienti Obicem ponerent*, imputando illis similia, impietates, blasphemias, legum eversionem, seditiones, odium Potestatum quæ sibi ab illis cavere debeant &c. uti patet ex historiis utriusque Testamenti & Ecclesiasticis. Quibus vero *remediis*, *suasionibus* & agendi modis si locum darent Summæ Potestates in quibusvis Christianismi partibus, nil aliud certè foret Christianus Orbis totus quam persecutionum area & ager sanguinis, quando in unaquaque parte Ecclesiastici Jægero similes invenirent affatim caussas imputandi adversis partibus principia & dogmata impia, blasphema, seditiosa, & Potestatibus inimica atque metuenda, quibus *Obex necessario ponendus sit.* Qua lege sane vel suus olim Lutherus cum sociis tractari & *curari* debuisset *ceu pestis*, *ne malum serperet* atque *contagium*: ipse quoque D. Jægerus cum nuper esset in Italia, fuisset expertus quid sit illa *puris remotio* in aliquo forte Sacræ Inquisitionis obscuro ergastulo, ibique plusquam pro voto gustasset quam dulces sint, quam amœni illi propriorum consiliorum fructus. Talesne, ab homine Theologo, Evangelico scilicet, aliorumque Doctore, *suasiones* potuisse proficisci? Quis autem ab animo ita constituto exspectet deinceps uti eorum quos sibi sumsit impugnandos, opiniones ac sententias ex æquo & vero exprimat?

III. *Poiretum non posse fanaticis adnumerari;*

III. Et sane id ipsum videre est vel ex hoc primario suarum accusationum articulo: etenim quæcunque hac de re retulit, & vidimus modo, ea falsata sunt omnia. Quicquid sit de Quackeris, de fanaticis hodiernis diversarum partium, quos *unam jam societatem facere* falso dicit ille, ut suæ in quosdam criminationes feriant universos, calumniose plane me illis accenset, qui per gratiam Dei nunquam Quackerus, nunquam fanaticus eorumve socius fui, qui me plus satis contra Ministros Hamburgenses, contra Lipsiensem Titium aliosque, qui invidioso hoc titulo me gravabant, ab eodem (*a*) purgavi & defendi invictis rationibus & auctoritatibus, qui non paucos contra eorum fallacia

(*a*) Vid. Defensiones in I. & II. Tom. de Erudit. Edit. Amstelod. 1707. & consule ea-

rum Indices in vocibus Enthusiasmus, Fanaticus &c.

lacia principia præmunivi, & ne se illis adjungerent, neve cum Separatistis publicos Ecclesiæ suæ cœtus relinquerent, omni opera impedivi; ita ut quicquid de illis D. Jægerus vere aut secus dicat, id me tangat omnium minime.

IV. *Nec Doctrinalia ejus dici ad seditiones vergere, nisi per calumniam.*

IV. *Doctrinalia* Poireti *ad seditiones vergere*, criminatio & calumnia est D. Jægeri atrox & evidens: nam quamvis vera essent quæ modò veluti ex me retulit, ante adventum Christi omnem fastum humanum omniaque cetera vana esse destruenda, id non est *doctrinale* principium & dogma, quod alicui det jus aliquid destruendi aut sese inordinate erga alios regendi rebellandique; sed est tantum narratio aut expositio facti, quod factum Deus in fine corrupti seculi ad punitionem & sublationem malorum permittet ut soli bono faciat locum; quod sane permittere Deo licitum est; idemque narrare potest quivis sine crimine postquam Deus ipsemet narravit. Quando Daniel dicit Regi Babyloniæ; (a) *Deus magnus ostendit Regi quæ ventura sunt postea, comminuet & consumet universa regna, cum suscitabit regnum quod in æternum non dissipabitur*: an hoc ipso *doctrinalia* proposuit quæ *ad seditiones vergerent?* Ne ipse quidem Tyrannus eousque iniquus fuit ut hoc inde concluderet, & Danieli imputaret. Et quando Christus hæc ipsa eventa prædixit & descripsit terribilissimum in modum in tribus (b) Evangelistis, & Joannes (c) in Apocalypsi non semel, soli forte Judæi ac Ethnici Caino odio inducti, idonei huc usque fuerunt qui propterea illos doctrinæ ad seditionem vergentis accusarent.

(a) Dan. 2. ℣. 44, 45. Confer & Cap. 7. ℣. 11, 12.
(b) Math. 24. Marc. 13. Luc. 21.
(c) Apoc. 6. &c.

V. *Illa ubi tradantur: & quam parum cum Jægerianis conveniant.*

V. Si doctrinalia mea eo de subjecto candide voluisset indicare D. Jægerus ubi essent reperienda, non ad Oeconomiæ paginam 238, II. Tomi Lib. IV. Cap. X. remittendus fuisset Lector, sed ad ejusdem Libri VI. totum prope Caput IX. ubi vera mea principia doctrinalia invenisset, eaque minime convenientia cum Jægerianis, quæ propter opinionum in rebus Religionis diversitatem *suadent* primùm *remotionem puris*, (rejectiones in exilia &c.) ante *ustionem & candens ferrum*, & *duriora* remedia quæ *suo tempore ipse aperiet*, & ob quorum neglectionem Potestates (verba ejus pono (d)) *coram Tribunali divino accusabuntur quod remedia divinitus* (ita Jægero interpretante) *præscripta, non fuerint* ab iis *adhibita.* Quæ quidem & his similia an apta

(d) In præfat. Syst. Theol. Polem.

apta nata sint ut (verba ejusdem iterum ostendo) *ut* (inquam) *abstergatur calumnia illa quæ late grassata est*, *quod nostra* (D. Jægeri de se loquentis) *Consilia contra Separatistas nil nisi cædem & sanguinem spirent*, ipse viderit.

VI. Viderint omnes veri & æqui amantes an vel simile quid, vel ipsæ D. Jægeri in nos accusationes, e *doctrinalibus* nostris legitime sequantur, quæ vero paucis inclusi verbis, duabus scilicet propositionibus, quatenus & Magistratuum & subditorum officia fundamentalia respiciunt. Prima propositio Potestates politicas respiciens, exprimitur hisce verbis in Oeconomiæ divinæ Libro VI. Cap. IX. §. X.

VI. *De officiis fundamentalibus tum Magistratuum tum subditorum quid doceat Poiretus.*

„ Potestates humanæ mundani (sive politici) sunt homines qui „ adhibitis vi metuque corruptis hominibus invigilare debent, „ non quidem eos ut vi cogente immutent intrinsecus, bonosque ita reddant ac virtutis cultores; verum quo caveant nequando diabolica corruptio cordis ipsorum ita foras erumpat, „ ut boni inde turbentur ac pereant, neve impii priventur „ vita atque quiete quibus, si volunt, ad salutem consequendam uti possint. Sequitur §. XI: Non nego eos qui imperio „ præsunt, sanctos viros esse posse: neque dico, eos curare „ non debere, ut homines virtutem ament: verum ii non „ quatenus vi potentiaque (coactiva) præditi, talia præstabunt &c.

Altera propositio utrosque respicit, eamque dudum in Irenico Universali inter vera quæ confitemur recensui, in sectione V. §. XXXVII. Artic. 9. hisce verbis:

Nos docere ac credere, " Status omnes, tum Ecclesiasticum, tum Politicum, tum Oeconomicum, a Deo institutos esse & probatos: singulisque pro cujusque ratione honorem deberi (a subditis) subjectionemque & officia quæ iisdem „ respondeant, quæque divini Verbi regulis non sint contraria, „ sed, vel generalius saltem, iis consentientia; Deus siquidem, „ Scripturarum auctor, sit Deus ordinis.

Hactenus de primo *Obice* à D. Jægero mihi opposito.

CAPUT III.

De Obice secundo generaliori : Christianismo periculum imminere ex doctrina Poireti.

I. *Obex generalior secundus cum criminationibus atrocissimis falsissimisque.*

I. ALter *Obex* e præcipuis quem D. Jægerus mihi *ponere* voluit, hic est, me odiosum, ne dicam execrandum toti Christianismi populo repræsentare per horribilissima quæcunque excogitare potest imputata cum doctrinalium tum practicarum rerum respectu. Agam primum de generalioribus; quæ quidem hinc inde per omnia ejus adversus me Scripta dissemi-navit; verum ex uno alterove loco, veluti ex ungue leonem, cognoscere licet. In suo Examine Theologiæ novæ vel a Procœmio ubi mentionem fecit Operis mei Oeconomiæ, quod sibi præcipuè impugnandum assumsit, hæc habet; (*a*) *Ibi sæpe optima, sæpe pessima leguntur. In moralibus quandoque nil melius, in dogmaticis vero nil monstrosius ac pejus dici potest.* In libro ipso (*b*) hæc leguntur veluti conclusionis loco, *Denique nemo magis ex Orbe Christiano rejiciendus esset quam Dn. Poiret; quia a longo tempore nemo contra plures* ARTICULOS FIDEI *peccavit; nemo plures animas per falsas doctrinas corrupit; nemo plures calumnias in viros pios effudit; nemo major impostor fuit, quam ipse.* Et in suo Examine Theologiæ Mysticæ Veteris ac Novæ, vehementi hac interrogatione meam urget ab omnibus Christianis condemnationem (pag. 362.) *Cur ergo Christianus Orbis tam cœcus est ut Poireti doctrinam non videat? Aut potius, cur Poiret tam sceleratus est ut per cuniculos & sententias periculosissimas Christianismum evertere satagat?* Non satis fuisset accusatori si me iis omnibus qui dudum in plurimos fidei articulos peccarunt vel insurrexerunt, postposuisset, nisi simul insinuasset id me agere ex malitia, *impostoris* instar, me scientem volentem, data opera, ut *sceleratum* decet,. occultis ac proditoriis modis, *per cuniculos satagere Christianismum evertere*, virosque in eo *pios* calumniis omnium ceteras superantibus obruere. Quæ quidem criminatio adeo atrox est, ut si vera sit, vere sim execrandus & e medio tollendus, nec recuso mori, ut cum Paulo loquar: sin ea sit

(*a*) pag. 9.

(*b*) Controv. XXVIII. pag. 359.

sit falsa, prout revera est, quid de Accusatore meo sit sentiendum, id cuique cogitandum relinquo, ac Deo judicandum.

II. Falsam esse D. Jægeri criminationem, dudum feci palam, quantum ad omnes illius partes. *Viros pios*, nullo Sectarum vel partium habito respectu quantum laudaverim & commendaverim, nedum *calumnias in eos effuderim*, patet vel è sola mea de Scriptoribus Mysticis sive interioribus Epistola, modo memorata, adductoque simul à D. Jægero *Arndii* exemplo in quo vidimus (*a*) quid Jægero sit *calumniis atrocibus* aliquem vel aliquos *onerare*.

II. *Integritas Fidei Poireti vindicatur ex contentis Libelli de liberorum Educatione, quem fidei sua epitomen esse voluit:*

(*a*) Suprà Cap. I. § 4.

Ad FIDEI ARTICULOS quod attinet, Libellus meus de *Christiana liberorum Educatione*, cujus præfationis conclusio in editione Gallica anni 1705. & Latina anni 1707. à D. Jægero visa, hæc est, *Rogatos vult* (auctor Poiretus) eos *omnes quorum forte animi per Relationes aliorum minus veras adversus ipsum, quod ad Religionem attinet, sunt praoccupati, ejusdem vero cetera opera non legerunt, uti velint hocce opusculum intueri haud secus ac* EPITOMEN *in qua* FIDEI ac RELIGIONIS CHRISTIANÆ, *qua per Dei gratiam imbutus est, compendium breviter continetur*; Libellus inquam iste meus lectu minime longus, vel solus sufficit ad destructionem calumniæ hujus Jægerianæ, *à longo tempore neminem contra plures articulos fidei peccavisse* quam me - - - quodque *per sententias periculosissimas Christianismum evertere* satagam. Ipse libellus ab omnibus probis omnium partium inter Romano-Catholicos, Lutheranos & Reformatos hoc testimonium consecutus est, Religionis Christianæ essentialia, ad salutem necessaria & sufficientia, (atque adeo & FIDEI Christianæ *articulos*) in eo contineri: In eodem nulla mala aut saluti noxia reperiri. Atque ea de causa in hunc usque diem sæpius non una in lingua prodiit, nec unis in locis, Amstelodami, Hamburgi, Lipsiæ, Halæ, Colmariæ, Genevæ, Londini, Edimburgi, Francofurti (*a*) haud ita diu ad auctiorem meam editionem collatus: ac etiamnum Belgice novissimè apparet aliis nonnullorum aliorum excellentissimis tractatulis (*b*) auctus. Et quo melius ad hanc nostram caussam Lectores libelli contenta ad memoriam forte non ita præsentia, sibi repræsentare queant, eorum breviorem Epitomen non pigebit ex ejus Defensionibus quæ in Editione Latina annorum 1694. & 1707. (in Tom. II. de Erud. solida) apparuerunt, huc

(*a*) Anno 1712.

(*b*) Ann. 1719. sub titulo: *De waare Gronden van het*

Christelyk Leven voorgestelt in de Christelyke Opvoeding der kinderen &c.

loci apponere. Ea autem hæc est, (in Defens. Artic. XXXVIII. pag. 243. Edit. primæ & 129. Edit. posteræ)

„ Omnis Libelli vis, sensus & cynosura in hoc uno est, ut „ homines in salutifera appropinquatione ad Deum & viva Dei „ suique cognitione per gratiam Patris cœlestis in lumine Chri- „ sti cum operatione Spiritus S. promoveantur; ita ut suas suo- „ rumque liberorum facultates ab interitu ad salutem adducant. „ Hunc autem ad finem & scopum pro facultatibus hominum „ præcipuis adhibentur media è Scriptura sacra Doctrinaque „ Christi desumta, videlicet, 1. DESIDERIUM nostrum à „ malis, à propria voluntate, ab amore proprio, à cupiditate „ & à voluptate per veram abnegationem revocare; quo impen- „ datur Deo, ejus voluntati ejusque beneficentiæ ac bonitati de- „ siderandis, laudandis, celebrandis, implorandis, cum animo „ sincero, humili, mansueto & tranquillo. 2. INTELLEC- „ TUS facultatem à falsis vanisque avertere, quo Dei gratiam „ lumenque per fidem in Dei verbum, inque Deum Patrem, „ Filium & Spiritum S. recipiat: *Rationis* facultatem scrutari „ non debere inscrutabilia Dei, sed humiliter exercere se circa „ salutaria & necessaria. *Imaginationem* & *memoriam*, & quic- „ quid est in nobis quod perceptionis sit capax, circa Dei Om- „ nipotentis, Christi Redemtoris, Spiritus Sanctificatoris ope- „ ra occupare. 3. ACQUIESCENTIAM etiam ac lætitiam „ nostram ab amore vano & lætitia caduca dissolvere, & ad læ- „ titiam quæ est in Deo & in ejus placito ac mirabilibus trans- „ ferre. 4. Denique AGENDI FACULTATES nostras non „ ad propriam voluntatem; sed ad voluntatem Dei & secundum „ ejus mandata dirigere. Ecce hæc est totius Libelli, scopi, „ ac mediorum ad scopum Analysis „. Judicent inde vel universi mortales qui conscientiam omnem non ejurarunt, utrum in hominem talia publice profitentem cadere possit Jægeriana hæcce accusatio, *neminem à longo tempore contra plures articulos fidei peccavisse.*

III. *Item ex aliis testimoniis clarissimis.*

III. Non permittit atrocitas ejus uti eam hacce una consideratione repellam & falsi convincam: concedatur quæso mihi ut de FIDEI meæ integritate aliqua adhuc indicem testimonia, eaque ad hanc usque diem perseverantia & continuata.

In

In Irenico Universali Sectione V. §. XXXIX. (pag. 416. Edit. Lat.) „ inter alia confitemur 1. Fundamentalia veri Christianis-
„ mi in Symbolo Apostolico breviter contenta. 2. Scripturas
„ sacras utriusque Testamenti, à Deo inspiratas, ac ita infalli-
„ biles, ut omnia eis contraria rejicienda sint. 3. SS. Trinita-
„ tem, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, Deum unum
„ & trinum, in quo distinctiones internæ ac Veræ, Rationi hu-
„ manæ sunt incomprehensibiles, fideque ac silentio magis ado-
„ randæ quam discutiendæ. 4. *Jesum Christum esse verum Deum*
„ *æternum atque altissimum & verum Hominem, Salvatorem ac Re-*
„ *demtorem Mundi, Mediatorem inter Deum & Homines, qui per*
„ *merita sua, per satisfactionem suam, per justitiam suam, per vi-*
„ *tam, mortem, Resurrectionem gloriosam, per dominium Omnipo-*
„ *tens in cœlis atque per operationes Spiritus sui* AUCTOR SALU-
„ TIS *est omnibus qui se suasque omnes facultates ei ad ejus virtutem*
„ *recipiendam resignant, seque ad ejus imitationem & obsequium*
„ *vera fide tradunt, sive, ut cum Apostolo dicamus,* OMNIBUS
„ QUI IPSI OBEDIUNT Hebr. 5. ℣. 9. 5. Gloriam omnis
„ boni adscribendam esse soli gratiæ Dei id ipsum in nobis ope-
„ rantis per actus internos Spiritus sui boni ac Sancti: malum
„ autem soli culpæ tum Diaboli tum hominis attribuendum esse.
Mitto cetera plura de essentialibus & accessoriis Religionis, de principio intelligendi Scripturas, de Ordinibus à Deo statutis & observandis, &c. quæ ibi videri possunt singularius. Subjungam tamen quæ in Tractatu ultimo à me composito ac nuper emisso, de vera Christianorum fide adhuc declaravi & approbavi verbis sequentibus.

„ (a) Boni & simpliciores Christiani qui per tutam cordis hu- (a) Vera & cognita prima, sive de Natura Idearum. Part. III. Sect. II. pag. 178.
„ milis viam procedunt, mentesque suas infantilem in modum
„ subjiciunt Deo & ejus de seipso in Scriptura Sacra testimoniis;
„ ii corde admittunt & ore confitentur Deum Omnipotentem,
„ Patrem suum & Creatorem cœli ac terræ, habere Filium,
„ quem sibi æqualem, Deum de Deo, ab æterno genuit, quem
„ nobis incarnatum misit, donavit, tradidit in mortem, ut nos
„ à morte redimeret; habere & cum eodem Spiritum S. æter-
„ num ac omnipotentem Deum, quem & nobis illuminatorem,
„ motorem & directorem vitæ donare vult, donatque illis qui

„ cor, intellectum, facultatesque omnes suas tanquam vasa ei re-
„ cipiendo, ac instrumenta ei inserviendo idonea tradiderint.
„ quibus sane donis, Filio videlicet Dei & Spiritu sancto nihil
„ majus ab Omnipotente Deo (qui & se ipsum cum illis dat,)
„ donari potuit. De hisce omnibus simpliciores ac sinceriores
„ Christiani bono corde humilitatisque ac amoris pleno persuasi,
„ - - - credunt simpliciter sineque ideis ratiocinatis Deo de se
„ testanti, haud secus ac parenti optimo simplex infantulus; at-
„ que ut tanto, tamque dilecto suo Amatori, tam immenso om-
„ nium largitori, per amoris obedientiam, perque sui & omnium
„ quæ in ipsis sunt restitutionem respondeant, tota vita nitun-
„ tur. Hæc est vera fidelium Christianorum fides, vere solida,
„ salutaris, sufficiens, sana quoque atque integra, etiamsi non-
„ nullas iidem è ratione, vel imaginatione, vel præjudiciis ideas
„ minus congruas accessorio modo sibi una cum hisce repræsen-
„ tarent - - - De quorum omnium veritate semper Dei gra-
„ tiâ ex animo persuasus sum, etiam supra captum meum.
Addo & quæ circa finem Libri ejusdem (pag. 355.) apposui, huc apprime convenientia, scilicet: „ Ubi essentiales Christia-
„ nismi doctrinæ sunt sanæ, ubi sincere agnoscitur, hominem,
„ opus manuum Patris, Filii & Spiritus Sancti in justitia & san-
„ ctitate ab illis creatum, descivisse in statum injustitiæ & im-
„ puritatis, tenebrarum, errorum, concupiscentiarum malarum
„ atque mortis æternæ, unde ut liberaretur misit Pater Filium
„ inter nos, qui vita, morte ac resurrectione sua Spiritum S.
„ nobis impetraret, per quem nobiscum veritas amorque divi-
„ nus, sanctitas ac justitia communicarentur, quibus possemus
„ cum Deo iterum extra peccata ac tenebras societatem inire,
„ ac ambulare perpetim coram illo; ubi inquam ista ex animo
„ agnoscuntur & admittuntur, cetera præterea, veluti accesso-
„ ria errata infirmitatis humanæ omnino toleranda sunt, donec
„ lux paulatim veniat plenior.

Si hæc non sufficiant D. Jægero ut inde adducatur ad pœnitentiam suæ in me publicatæ accusationis, *neminem à longo tempore contra plures fidei articulos peccavisse quam me*; satis erunt procul dubio omnibus veri & æqui amantibus ut inde concludant D. Jægeri, *obices* mihi *ponentis*, fidem non parum esse lubricam,

nec

nec ei tam tutò quam fidei Articulis credendum esse. Vel sola animi ejus in me crudelitas, qua me *rejiciendum ex Orbe Christiano*, & pro *scelerato* habendum qui *per cuniculos Christianismum evertere* satagam, significat, hominem sui impotentem auditione ac respectu indignum esse satis ostendit.

IV. Regeret forte pro novo obice, me eundem, qui quæ modo recensui de Fide teneam & confitear, ex altera tamen parte non unas habere de multis opiniones singulares, falsas & monstrosas, quæ cum Fidei Christianæ articulis minime concordent, imo eos potius evertant. Sed præterquam quod inficior D. Jægero in iis quæ publicavi, talia falsa & monstrosa, fidem evertentia contineri, paratus id ipsum ostendere cum necesse fuerit, imo & probare omnia ad Dei gloriam, & boni promotionem redire; posito tamen quasdam opiniones à me sustineri quas ille judicat falsas, an propterea jus habet falsa omnia convertendi in capitalia & hæretica, quasi vero nulla essent in theoreticis problematica, dubia, errata tolerabilia! an jus habet consequentias monstrosas & hæreticas, quas elicit ex opinionibus meis, quæque sæpissime meæ non sunt, sed ab illo pro benevolo suo in me affectu excogitatæ & imputatæ, mihi tribuendi? Atqui non tantum inter amicos, sed & inter homines quosvis, imo inter inimicos non valet alicujus dicti consequentia contra eum qui dictum posuit & fatetur, quando negat consequentiam inde deductam, sive quod pro infirmitate humana non videat ejus nexum cum positione sua, sive alia de causa, præsertim si sincerus est & aliqua pietate imbutus.

IV. *Perperam his opponi consequentias quas Jægerus putat ex opinionibus quibusdam fluere.*

V. Capiat id D. Jæger vel suo exemplo suique similium. Est cum illis è numero Ubiquitariorum, qui sustinent humanam Christi naturam esse ubique, (& rigidiores quidem, inter quos ille est, à tempore incarnationis:) ceteri Christianorum, qui numero illos excedunt, ubiquitatem istam dicunt esse *monstrum antiquitati ignotum*, consequi inde asserunt confusionem naturæ divinæ cum humana, Eutychianismum ab Ecclesia olim condemnatum, imo naturæ Christi humanæ destructionem evidentem. pergatur: Qui destruit humanitatem Christi, ipsum Christum destruit: qui tollit Christum est antichristus: antichristus est sceleratus, rejiciendus ex Orbe Christiano, quem evertere satagit:

V. *Quod declaratur ipsius Jægeri suorumque exemplo.*

Ergo D. Jæger & ſui pro talibus ſunt proclamandi, ſaltem è ſententia omnium qui Lutherani non ſunt, ſiquidem ſequantur & ſequi æquum ſit methodum & legem quibus ille adverſus me abutitur. Atqui id non faciunt ceteri erga illos: certe Reformati procedunt moderatiori modo: dicunt enim: Ubiquitariorum ſententia eſt erronea: ſed quia ii ceterum errant animo non malo, neque vident errorem ſuum eſſe errorem, neque nexum conſecutionum iſtarum cum ſua ſententia percipiunt, neque ipſas conſequentias admittunt, ſed horrent; propterea ipſas eis non tribuimus, ſed cenſemus eos errare tolerabiliter, ac, ſi cæteroqui ad veram pietatem & Dei amorem adſpirant, etiam eſſe in Chriſto diligendos. Utinam D. Jæger erga alios iiſdem uteretur modis & legibus, quibus opus habet ut erga ſe alii utantur, ne illis ſit & dicatur Chriſtianæ fidei ejuſque articulorum everſor!

VI. *Undenam ſit quod monſtroſiſſimas Poireti ſententias dicat.*

VI. Porro quod ſententias meas quæ ipſi non placent, pro iis proclamet quibus nihil *monſtroſius ac pejus dici poteſt:* id ex proprio amore & aſſueta conſuetudine ſua proficiſcitur. A primis annis aſſuetus eſt opinionibus quas docent Syſtemata ſuarum partium, quæ omnia in omnibus unam ita canunt cantilenam, ut univerſa & ſingula quantumvis numero inſignia, unam tamen cramben eandemque diverſis in patinis apponant; & qui horum vel unum legit omnia cetera ſimul legit quantum ad rem ipſam. Amant autem iſta homines tum quia non pauca admiſcentur adulatoria, tum quod eorum ope docti & Doctores fiant, habeantur, & promoveantur. Evenit inde, ut ſi quid ipſis obviam occurrat quod viderint nuſquam, id horreant protinus, & pro *monſtroſo*, & quidem, ſi ſuis id contrarium appareat, pro eo monſtro habeant quo *nihil pejus* ſit atque *dici poſſit.* Sua Syſtemata vulgaria potiſſimum in externis ſpeculationibus merè idealibus, nec raro adulatoriis, rixiſque præterea fervidis quas cum aliis habent, impenduntur. Si prodeat aliquis, qui ipſis proponat *interiora* objecta, interiorem in nobis campum, ubi imaginem Dei internam in nobis profligarunt, inimicus Satanas & vetus Adamus qui impugnandi ſint, & è nobis ejiciendi auxilio internæ gratiæ interioris Dei & Chriſti, omnia in intimis noſtris reſtituentis ut veri evadamus Chriſtiani, qui per anguſtam viam qua ipſe præivit, eum ſequamur ac imitemur ut ſalute ſua po-

potiamur; exceptis melioribus paucis, clamitabunt tantum non universi ceteri.

VII. Pluribus exemplis id confirmare possem nisi sufficeret vel unus Joannes Arndius, qui eo quod disputationes externas contemneret, ad interna provocaret, viamque non latam ostenderet, ipse cum sua doctrina omnibus conviciis & criminationibus exceptus est, & quidem ab aliquo D. Jægeri in eodem officio eademque Cathedra Antecessore, Luca Osiandro, cujus in pium ac innocentem Virum ejusque libros accusationes & agendi modos pii quidam Theologi ac docti Affelmannus, Varenius, Egardus, Brelerus, Dorscheus aliique publice declararunt esse *meras* ipsius Accusatoris *calumnias*, *falsas insimulationes*, *blasphemas impositiones & plusquam iniquas*, *insulsas consequentias*, *Satanicas calumnias*, *nugas*, *mendacia*, *inversiones veritatis*, *insimulationes falsas undique crimina falsi spirantes*, *irrisiones mordaces Spiritus Dei*, *condemnationes perpetuas carnalitatis & mortuæ literæ in verbo*, *garrulitates ex cauteriata conscientia*, &c. Et tamen homo ille D. Jægero (*a*) est *de Ecclesia Dei meritissimus*, *tantum non Martyr*, *& anima in cœlis triumphans*, qui *pio zelo & bona intentione quasdam solum locutiones Arndii cum Weigelii phrasibus consonas acrius perstrinxit*. Certe si hoc ita sit, non mirandum est si D. Jægerus illum istis suis scribendi & perstringendi modis ita fideliter in tam pio zelo & bona intentione imitetur: quis enim *Martyris in cœlo triumphantis* vestigia non censeat libens meritoque sibi sequenda esse atque imitanda?

VII. *Criminationes in Arndium eadem de causa conjectæ, & à quo.*

(*a*) In Epist. Examini Th. N. subjuncta.

VIII. Ceterum vel solus amor proprius quando vividus est in Auctore aliquo, satis causæ est ut aliorum labores suis dissimiles quocunque de subjecto, interno vel externo, odio habeat, reddatque quantum possit, omnibus odiosos. Qui eruditionem solidam in humilitate nostri & dilectione Dei ac proximi fundatam sincere desiderant & quærunt; illi si ex agnita ejus quantacunque particula aliquid fructus extra proferunt, Dei gloriam & hominum salutem respiciunt solum, optantque has quocunque modo Scriptis suis promoveri ut omnis tandem soli laus sit Deo. Labores sui, libri, productiones, non alio modo ipsis sunt aliquid quam pro ut sunt media quædam ad laudatum finem ducentia, quæ quia è bona veri & boni conscientia prodierunt, sustinent

VIII. *Quo animo sint erga Scripta sua & aliorum eruditionem solidam quærentes;*

nent illi & probant quatenus talia, in quibus tamen si eos pro infirmitate humana aliquantum esse lapsos bonus aliquis ostendat animus, emendant se ac gratias agunt erigenti eumque ceteris commendant. Si occurrant similibus auctoribus Auctores alii, non respiciunt illico eos comparative (ut ita loquar) ad proprios suos fœtus, utrum sint illis similes an dissimiles; sed legunt, examinant & ponderant eos ad ipsius veritatis & bonitatis æternæ pondus, videlicet, an illi sint media ad amorem Dei & proximi vere moventia atque ducentia, vel eò collineantia ut ad divinam imaginem & ad exemplar nostrum Christum magis magisque conformemur; aut ut removeantur obstacula quæ nos ab eodem avertunt scopo. Unde si re debitis modis & in conspectu Dei mature perpensa, observent eos auctores media suggerere vel nihil facientia vel etiam noxia ad laudatum scopum finemque unum omnium bonum ac legitimum; tunc dimittunt eos, sicut Christus olim Pharisæos; (a) *Sinite illos: cæci sunt, & cæcorum duces*; nisi si tamen illi vel periculosas & simul illecebrosas vias proposuerint multos allicere idoneas, & quarum pauci obliquitates aliis detegere apti sint; vel inimici fuerint divinæ ac salutaris veritatis quam denigrare eique iniquis artibus suis obicem ponere satagant; aut si forte ipsimet olim in iisdem quos in aliis legunt erroribus fuerint, eosque etiam commendaverint, è quibus propterea uti alios nunc extricent, per conscientiam se teneri judicent: quod autem ita exsequi conantur, ut non solum erroris deformitas appareat, sed & magis veri oppositi pulchritudo & amabilitas ostendantur atque confirmentur. Quando autem iisdem accidit ut inveniant ejusmodi Scriptores, qui solida ac efficacia hominibus proponunt media ad promotionem versus divinum finem conferentia; tantum abest ut ex invidia eos eorumve libros vel contemnant vel supprimere satagant; ut potius eò pluris illos faciant, quo meliora & excellentiora quam ipsimet exhibent: magisque hoc ipso accenduntur eos ut sibi suisque præponant, quibusvis commendent, quaqua versum disseminent, illustrent si opus est, eorumque dubia vel obscura aut duriora, si qua nonnullis videri possent, reddant facilia & evidentia.

(a) Matth. 15. ℣. 14.

IX. *Quo item*

IX. Non ita eruditi qui è philautia & laudum desiderio laborarunt

borarunt ut docti fierent & se Scriptis quoque commendarent. Hi cum fœtus suos sibi amatissimos formando & producendo, conati sint eis dare formam consimilem placitis eorum qui sunt suarum partium, & à quibus laudari cupiunt, fit inde ut quæcunque vicissim ab illis scripta recipiunt & profecta vident, quia amatis suis fœtibus propriis vident conformia, ea pro pulchris & bonis habeant atque laudent: si quid autem aliunde venit quod in se & suis amatis non viderint, horrent vel ob solam à suis dissimilitudinem: atque adeo quæ ipsis nova sunt, hæc ipsis ea solum de causa, monstrorum instar apparere debent, & tanquam monstrosæ productiones ab iis proclamari & impugnari, ac simul etiam bona non pauca, quæ inter illa intersunt, quæque in partium suarum Scriptoribus tolerant, probant, laudant; veluti sæpius à nostro D. Jægero videbimus factum, qui non semel invenit & Herculis instar debellavit istiusmodi monstra, Augiæque (a) *stabuli purgandi*, ut loquitur, *initium* saltem se *fecisse sperat*, Verùm,

Docti sui laudem ex amore proprio affectantes.

qui amant sibi somnia fingunt.

(a) In Dedicat. Exam. Th. N.

& maxime quidem qui se ipsos amant modo singulari: his enim cetera quæ ad ipsos non tendunt, inter monstra numerantur, omnium odio & horrori quibusvis artibus exponenda: quod ego, nec solus, expertus sum à D. Jægero, quandoquidem non nova, sed vera, sive nova essent sive non, quæsivi & exposui sine respectu ad illius & suorum partes, imo sine respectu ad ullas hominum partes, modo vera essent & salutifera ac Deo gloriosa, qualia à nemine nisi à mente sincera, humilitatisque & amoris Dei intime cupida agnosci, discerni & accipi possunt.

CAPUT IV.

De tertio Obice generaliori: Poiretum non Scripturas sed Illuminationes immediatas fanaticas pro principio Theologiæ habere.

I. NOn satisfuisset D. Jægero si me simpliciter criminum in Potestates summas inque totum Christianismum accusasset,

I. *Jægeri contra P. methodus.*

ſaſſet, niſi etiam id egiſſet omni conamine, ut iſtorum criminum fontes vivos atque perpetuos, & quovis momento venenatos ſuos fluctus, quaquaverſum ejicere paratos, omnibus perſuaderet in me ineſſe, à me foveri, conſervari ac frequentari quam ſtudioſiſſime, quo tertio ſuo generali adverſus veritatem *Obice* ab illo *poſito*, nihil poteſt eſſe apud pleroſque hominum efficacius ad eos movendum, uti perſequantur veritatem ac innocentiam hiſce coloribus denigratam.

Id autem fecit D. Jæger *fanatiſmum* mihi imputando & *Enthuſiaſmum*, jactatione Dei illuminationum, revelationum, operationum immediatarum, verborum, vocum, alloquiorum internorum gloriantem; idque vel plus ſexcenties in omnibus quæ adverſus me declamavit, & ſæpe quidem quam vehementiſſime. Ea enim eſt ipſius *controverſias* quaſvis vel quæſtiones tractandi contra me methodus, ut ſcilicet, poſtquam mihi imputavit quæ ſæpe ex ſe, rarò è verbis meis produxit, & in peſſimam partem detorſit ac interpretatus eſt, eadem deinde conſequentiis pejoribus gravet, turbet, miſceat, confundat cum alienis, tumque ſuperfundat interdum maledicta, ſæpius convicia, clamores & vociferationes exprobrationibus *fanatiſmi*, IMMEDIATARUM *illuminationum* allocutionumve & ſimilium ſalis inſtar paſſim interſperſas. Et tunc quidem ubi ſic ſibi triumphare viſus eſt, receptui canit; ut protinus ad alias delicias, hoc eſt, ad controverſias & rixas novas ſimiliter tractandas animoſius ſe præparet atque tranſeat.

In ſuo *Theologiæ Novæ Examine* mihi oppoſito, vel ab initio & antequam tertiam Controverſiam finierit, vel plus decies quinquies *fanatiſmi* cramben iſtam (*a*) recoxit & objecit: neque extant ulla in me ejus opera in quibus eandem non repetat quam frequentiſſime, ut hac ſua accuſatione omnibus quam firmiſſime perſuadeat nihil tam abſurdum, tam iniquum, tam extremum eſſe poſſe, quin id ſibi à me quiſque metuere debeat & cavere: quid enim ab eo homine non timendum ſit, cui cogitata & imaginata ſua mandatum Dei ſunt ejuſque divina vox, quod *Fanaticis* & *Enthuſiaſtis* ſolenne eſt?

II. Vo-

(*a*) In Dedic. p. 3. in Libro. pag. 4, 5, 10, 12, 20, 22, 25, 26, 28, 30, 37, 40, 44, 52, 55, 57, 61.

II. Voluit autem quicquid hujus eſt, in unum contrahere principium dogmaticum; eique locum ac tractationem ſpecialem aſſignare in ſuo *Examine* à pagina 42. ad 61. uſque: quam etiam cramben & tractationem denuo ad verbum Lectoribus appoſuit in ſuo *Syſtemate Theologiæ dogmatico-polemicæ* in 4. Tom. I. pag. 42. ad 55. reducitque Controverſiam ad hæc verba, quibus ſtatum quæſtionis proponit. II. *Status quæſtionis ab eo formatus de principio Theologiæ. Locus Oeconomiæ malè huc relatus.*

CONTROVERSIA III.

De principio Theologiæ Chriſtianæ: An ſit Scriptura Sacra: an vero verbum quoddam INTERNUM *& alloquium quoddam* DEI IMMEDIATUM?

SUbjungit illico, pag. 42. *Hæc eſt controverſia quam habemus cum Dn. Poireto, fanaticis vetuſtioribus & novis:* hiſceque me annumerat pag. 44. vel 43. in Syſtemate ſuo, inquiens: *Dn. Poireti ſententiam optime colligere poſſumus ex libro III. Oeconomiæ, Cap. 7. §. 12. ubi ait:* * VERITATEM IN CENTRO animæ noſtræ lucentem conſulendam eſſe, per eam enim hominem ad „ DEUM atque æternam ſalutem duci, verumque fieri Chri„ ſtianum, licet forte literam Evangelii ignoret, atque multos „ inter Gentiles tanquam viros ſanctos fuiſſe ſalvatos. Sic & „ Tom. 6. pag. 408. ait quod [hæc non ibi ſunt] regenerati „ IMMEDIATE illuminati ſunt per Spiritum S. & per VOCEM „ ejus interiorem.

III. His opponit ſententiam ſuam D. Jægerus hunc in modum: † *At vero noſtra & Apoſtolica ſententia eſt,* QUOD VERBUM DEI III. *Verba quibus J. ſen-*

* Notandum. Patet ex ordine Capitum & materiarum ibi agi de modis reparationis generalibus, præciſa conſideratione modorum ſpecialium, adeoque Scripturæ S. & ante eam, quæ hic non intervenit, & adhuc non exſtare ſupponitur.

† Exam. Th. N. p. 44. Confer & p. 59. *Per ſingularem Dei diſpenſationem Spiritus S. illi verbo unitus eſt,* —— *ſuam efficaciam exerit in Verbo & cum verbo. Ille accendit in homine* LUMEN *fidei, ille* AFFECTUS *immutat, ut ex carnalibus fiant* SPIRITUALES, *ille* REGENERAT, *ſtudia moreſque noſtros* SANCTIFICAT, *ut in profectu pietatis* DIVINI *potius, & filii Dei aut ex Deo videamur, quam homines priſtini, & in* SPIRITU *eſſe non in carne; in* COELO πολίτευμα *noſtrum habere, non in terra, in mundo eſſe, non de mundo, imo* CHRISTUM INDUISSE *dicamur.*

tentiam suam explicat, Scripturis, Patribus, Theologis omnibus, imo & sibimet ipsi contradicens.

DEI *scriptum* UNICUM *sit ex Ordinatione Divina* MEDIUM, *per quod salutaris & vera* IN NOBIS *generatur cognitio Dei, per quod accenditur fides seu* VITA SPIRITUALIS IN NOBIS, *adeoque totus effectus* REGENERATIONIS, RENOVATIONIS, UNIONIS MYSTICÆ, *& quicquid veram pietatem sapit est ex* VERBO DEI SCRIPTO *tanquam ex semine Divino; & non ex* VERBO *fanaticorum* INTERNO. Pag. 48. negat VERBO INTERNO *opus esse ad credendum*, NULLA *item* OPERATIONE IMMEDIATA *à* DEO PROVENIENTE. Pag. 40. In *fanatismum* imputat *immediatam præsentiam* DEI in anima *existentis* & *operantis*; quam vero in suo Exam. Theol. Mysticæ, (ubi reponit Dissertationem recoctam de Enthusiasmo) sic horret Jægerus ut dicat §. XVIII. p. 358. *Prima hypothesis Dn. Poireti, simulque principale fundamentum Enthusiasmi: est* VANISSIMA *illa opinio simulque* IMPIISSIMA DOCTRINA, *quod* DEUS *ipse* IN OMNIUM MENTIBUS *sit.* & citat me, (*) sed truncatum: tum addit eadem de re §. XXIII. pag. 367. *Quare longe satius fecisset Dn. Poiret, si consilium amplexus Salvatoris* Joan. 5. ℣. 39. (quasi vero illud suo loco neglexissem, quod tamen paulo post secutus sum ibid. §. XIII. & maxime §. XX.) sique *evacuato intellectu ab illa* FUNESTA HYPOTHESI *seu præjudicio, quod* DEUS IN CORDE OMNIUM *habitet* (SIT), *& quod ex immediata illuminatione petenda sit* FIDES *divina, in codice sacro cum Davide quæsivisset lumen.*

In quibus quis est qui non stupeat ab homine Ubiquitario, qui humanæ Christi naturæ ejusque corpori, omnipræsentiam & *τὸ ubique esse* attribuit, eandem omnipræsentiam & *τὸ ubique esse*, naturæ ejusdem divinæ, Deoque ipsi, denegari; & pro impiissima doctrina haberi? quando tamen simul S. Scripturæ, quibusvis Patribus, Theologis, Luthero, imo & sibi ipsi contradicit *suisque* hisce verbis eodem in Libro: (*a*) *Ad Deum non est necessarius accessus localis, cum* UBIQUE SIT PRÆSENS: *per accessum itaque mentis spiritualem ad illum accedere debet anima; eumque tanquam* SIBI CONJUNCTISSIMUM, ET SE PE-

(*a*) Exam. Theol. Myst. p. 146.

NE-

(*) Citavit Dn. Jæger locum truncatum iis quæ rem totam explicant. vide Oecon. Tom. I. pag. 680. & 681. Gall. Tom. IV. Cap. 7. §. 9. ad finem Capitis. ubi tota materia explicatur & vindicatur.

NETRANTEM ET CIRCUMDANTEM *oculis fidei intueri; eique sic* PRÆSENTI *summam reverentiam exhibere:* & in Disputatione sua V. contra Oecon. §. XIII. p. 9. *Est* PRÆSENTISSIMUS *quoque in inferno* DEUS: & citat Davidem Ps. 139. quæ ipsissima sunt Poireti cogitata, sensa, imo & ex Davide à me citata (*a*) eodem in loco, nisi quod sentiam simul, Christi Dei præsentiam in hominibus, pro quibus mortuus est, hoc est in omnibus viventibus hominibus, non esse otiosum, sed incitare eos bonis instinctibus ad id quod est verum, ad bonum, ad æquum, de quibus Apostolus ad Rom. Cap. 1. & 2. evidenter egit, quod forte nec negabit D. Jægerus in lucidis suis intervallis, extra quæ non attendit utrum sibimet contradicat nec ne, modo Poiretus per fas & nefas pro Enthusiasta & fanatico ab illo clamoribus suis traducatur.

(*a*) Oec. T. I. §. XIII. pag. 684.

IV. Eo autem tendit quæstio vel CONTROVERSIA III. ab illo his verbis modo proposita *de principio Theologiæ Christianæ, an sit Scriptura sacra; an vero verbum quoddam internum & alloquium quoddam Dei immediatum?* De qua observentur sequentia. (1) Malignus & falsus est quantum me respicit, controversiæ status, siquidem „ solam semper & unam Scripturam „ Sacram habui, habeo, & gratificante Deo habebo „ quamdiu vivam pro uno & solo Theologiæ Christia„ næ & rerum ad salutem credendarum principio: ita „ ut si quid ei non concordet aut ei adversetur, quo„ cunque id veniat nomine verbi interni, alloquii im„ mediati &c. id plane non sit audiendum, ne dum pro „ dogmate Christianæ fidei admittendum. QUOD D. „ JÆGERO OMNIBUSQUE SIMUL ET SE„ MEL PUBLICE NUNC ADHUC MAJUSCULIS TE„ STATUM VELIM.

IV. *Observanda de hoc quæstionis statu.* (1.) *Eum malè formari contra Poiretum qui Scripturam S. pro unico Theologiæ principio habet.*

V. (2.) *Immediatas* Dei *in nobis operationes, illuminationem* Spiritus Dei, *instinctus* & *motus* ejusdem, quibus *aguntur filii Dei* (Rom. 8: 14.) cum Scriptura & in sensu Scripturæ, cum sanctis cujusvis ævi, cum Christianis quibusvis Theologis, Reformatis nominatim, cum ipso etiam LUTHERO, agnosco & credo equi-

V. (2.) Immediatas Dei in nobis operationes *quatenus*

agnoscat & credat P. cum Scriptura Sanctisque & Theologis quibusvis. equidem; at non tanquam *principia Theologiæ* vel Fidei *Christianis* communis; sed tanquam ejusdem vel *explicationes* clariores, vel *applicationes* specialiores. Quoties accidit ut legentes Scripturam Sacram, non facile aut non bene eam intelligamus, atque inde ad Deum in corde nostro nos erigentes, dicimus ei cum Davide; (a) *Revela oculos meos, & videbo mirabilia legis tuæ*, & ab eo petimus cum Apostolo, (b) *Spiritum sapientiæ & revelationis in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis, ut sciamus quæ sit spes vocationis ejus* &c.; is qui promisit se nos exauditurum, exaudit procul dubio quantum nobis salutare est, istas preces si è sincero corde profectæ sint, atque adeo dat bonum Spiritum suum qui producit & operatur in nobis lucem clarius nobis *explicantem* Verbum Dei, principium fidei, antea nobis minus bene perceptum. In practicis; Docet nos Scriptura & jubet ut nos geramus & omnia nostra dirigamus secundum voluntatem Dei; & sive edamus, sive bibamus, sive aliud quid faciamus, omnia ita faciamus ut redeant ad gloriam Dei; item, homini impositum esse a Deo ut laboret, nec in desidia suam transigat vitam. Adolescens aliquis, v. g. de hoc edoctus & sollicitus, & paratus uti genus vitæ & laboris aliquod eligat quod redundet in Dei gloriam, nescit tamen quam hujus præcepti faciet applicationem, an ad studia, an ad hanc illamve professionem, artem, occupationem: fieri potest ut alterum ei perniciosum esse possit, alterum occasiones salutis promovendæ melius præbere: imo omnes quotquot sumus quotidie inter agenda vel omittenda, loquenda vel tacenda, sæpe in tenebris, sæpe in periculis sumus, eo magis quod (c) *adversarius noster Diabolus tanquam leo rugiens circumeat nos*, si forte in casses suos, quos ubique tetendit, possit nos inducere, & ita *devorare*. Hæc Christiana dogmata sunt, hæc docet Scriptura Sacra: sed eorum & similium applicationem ad particularia subjecta & acta specialia non ostendit: adeoque nobis opus est ut propterea adeamus Dominum, ejus lumen, instinctum, ductum indesinenter implorantes cum Davide dicendo: (d) *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, Domine; quia in te speravi:* NOTAM FAC MIHI VIAM *in qua ambulem; quia ad te levavi animam meam: Eripe me de inimicis meis, Domine; ad te confugi:* DOCE ME FACERE VOLUNTATEM TUAM; *quia Deus meus*

(a) Ps. 119. ℣. 18.
(b) Eph. 1. ℣. 17, 18.
(c) 1 Petr. 5. ℣. 8.
(d) Ps. 143. ℣. 8, 9, 10.

meus es tu: Spiritus tuus bonus DEDUCAT *me in terram rectam.* Atque tunc Spiritus bonus, quem Dominus promisit illum petentibus, adest ejusmodi menti, & operatur ita in ejus intimis, ut ab aliis viis & actis avocetur, ad alia flectatur, inclinetur, ducatur, custodiatur, & aliquando quidem modis perceptibilibus, sæpius imperceptibilibus, semper tamen tuto: neque cæspitarent, vel in perniciem per propria sua opera laberentur homines, aut prius lapsi ibidem jacerent, si ante omnia & in omnibus semper eo pacto ad Deum recurrissent, *applicationem* suorum laborum ad boni exsecutionem vel ad ereptionem è malo, ab ejus Spiritus illuminatione & operatione postulantes, & cum Davide vere dicentes, (*a*) *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse educet è laqueis pedes meos.* Cujus exercitii neglectio causa est universalis grassantis nunc omnis mali inter homines vel occupatissimos, qui non ducti à Spiritu bono quem non petierunt nec adhuc petunt, non possunt non per tentatorem & corruptionem propriæ naturæ, in omne malum abduci. Quapropter non sine ingenti causa Christianis Hebræis optat divinus Apostolus, (*b*) ut *Deus* operetur & *faciat in illis quod placeat coram se per Jesum Christum.*

(*a*) Psal. 25. ℣. 15.

(*b*) Hebr. 13. ℣. 21.

VI. (3) *Eas non nisi à solo Satana & suis contemnendas.*

(3) Ad operationes Dei IMMEDIATAS quod attinet, haud certo scio cur D. Jæger & sui similes, eas ita horrere videantur; ut etiam IMMEDIATAM Dei *præsentiam* divinum ipsius *amorem operantem*, quam verò alicubi (*c*) pro fanatismi in *tota* doctrina dominantis charactere habet non dubio. Talis horror atque aversatio eos tantum deberet decere ac tenere in quorum cordibus inest Satanas, (*d*) *spiritus* ille *qui nunc operatur efficaciter in filiis* diffidentiæ & *incredulitatis:* is enim est qui primus à *præsentia* Dei ejusque *immediatis operationibus* horruit, hujusque horroris fons est perpetuus ac infelix, in illis qui ejus subsunt potestati.

(*c*) Exam. Th. Nov. pag. 40.

(*d*) Eph. 2. ℣. 2.

VII. *Operationum Dei immediatarum dignitas & excellentia admiranda.*

VII. De OPERATIONIBUS Dei ut nonnihil dicamus, iisque IMMEDIATIS, sunt illæ omnium rerum & actionum quæ in Universo sunt & esse possunt & quæ cogitari possunt longè dignissimæ, excellentissimæ, divinissimæ, maximeque venerandæ atque adorandæ. Per harum Dei operationum immediatarum intimam, Deoque ipsi *naturalem*, ac primam prodiit in illo ipse

& veneranda, tam in Deo, quam in creaturis. ipſe Filius Dei, Deo Patri æqualis; per alteram cum Filii operatione junctam, Spiritus Sanctus, cum Patre & Filio Deus benedictus & adorandus. Per alias ejuſdem *operationes immediatas*, ſed *arbitrarias*, prodierunt communicatio ſui cum creatis ſpiritibus, eorum beatitudo & gloria, eorumque dona & bona quæ poſſident & poſſidere poſſunt ſine exceptione omnia. Quod & de animabus ſive mentibus noſtris etiam dicendum eſt. Atque id apprime notandum eſt; nempe, quod quò magis IMMEDIATÆ & INTERNÆ ſunt Dei operationes in mentibus, eo excellentiores atque diviniores exiſtunt: contrà, quo magis mediatæ, vel externæ, eo magis inferioris gradus; quia magis participant de creatura, quæ quo magis imperfecta eſt, eo magis ejus imperfectiones ſive imperfectæ actiones miſcentur cum divina operatione, eamque obſcurant, interdumque ſua mixtione evacuant vel quaſi corrumpunt aut falſant. Atque adeo

VIII. *In iis gradus diverſi.* (*a*) De eo vid. De Erud. Lib. I. §. 4. & de Meth. inv. Ver. Part. 2. Sect. 3. Q. I.

VIII. Quotquot Dei immediatas operationes excellentiores in *intimo* ſuæ mentis (*a*) *fundo*, (qui pro ſolo Deo factus eſt, ad quem nulla media, nulla creata pertingere poſſunt, ſed ſolus Deus ejuſque intimæ operationes immediatæ) qui inquam illas in eo fundo recipiunt & poſſident, ii ſunt omnium hac in vita maxime provecti, deque divinis rebus inſtructiſſimi atque certiſſimi; qui eas in mentis *facultatibus*, in intellectu, ſenſibus *internis* & ſpiritualibus ac in voluntatis affectibus recipiunt, ſi hæ facultates puræ ſint nec objectis alienis turbatæ, proxime primis appropinquant: Sique ſimul cum illis primas etiam poſſideant in fundo, unde & in facultates deriventur, veri hinc ſancti veriſſime exiſtunt; qui ſi duplici aut etiam majori utraſque habeant menſura, ſintque ea in poſſeſſione firmati, fiunt inde veriores Dei interpretes quales Sancti Prophetæ fuerunt atque Apoſtoli & viri divini à Deo miſſi: & plane certa ſunt atque divina quæcunque illi ſciunt, dicunt & faciunt ex his principiis, ſi quidem facultates ſuas à divinis operationibus non avertant, nec ad alia objecta propriaſque operationes, & actiones, regimen proprium velint ſe convertere proprio lubitu.

IX. *Animadverſiones de operationi-*

IX. Ubi vero Dei operationes terminantur vel fiunt in imaginatione & phantaſia, & percipiuntur veluti imagines externæ, luces, ſoni verba, alloquia, aliaque ejuſmodi imaginibus noſtrorum

trorum ſenſuum ſimilia vel analoga ; tunc ſi ſubjectum purum ſit ac ſanctum, nihilominus quoniam inimicus noſter, qui circuit nos, acceſſum habet ad organa, imo ad phantaſiam & imaginationem noſtram ; fit hinc ut vel ſanctiores non illico eas pro divinis habeant, aut pro mere divinis, quibus nihil alieni, obſcuri aut falſi interſit, ita ut iis plane ſit confidendum : ſed recurrunt inde intus ad Dominum, exſpectantes ab eo de his in mentis intimo, per operationes Dei maxime intimas, fieri de illis certiores : quod ubi accidit, tum tuto illas pro divinis habent : ubi autem non confirmantur, tunc ſuſpendunt circa eas judicium atque actiones ſuas. *bus quæ in imaginatione vel ſenſibus aut motibus externis fiunt.*

Quod ſi tanta in hiſce cum cautela ſeſe gerunt qui ſunt puri corde ac jam ſanctificati, quid non illi facere debent qui peccatis, tenebris, erroribus, malis propenſionibus, amore proprio, plus minuſve adhuc ſunt contaminati ? Certe ubi hiſce tales ſupervenient ſupra naturam operationes, viſiones, verba, motus ignei, perceptioneſque aliæ ſenſibiles, utut diviniſſimæ videantur, omnino cavere debent ne eas pro divinis, ne dicam pro pure divinis habeant, iis confidant, eas protrudant foras, & ſecundum illas dirigant vitam ſuam ſuaſque actiones, niſi velint quam certiſſime & ipſi decipi, & decipere alios, ſeque cum illis non ſolum in ruborem dare ; ſed & in magnum ſalutis ſuæ periculum conjicere.

X. Ut in his omnibus tuto procedamus, ſedulo, imo vel unice attendendum eſt ad objectum quod nobis proponunt, vel ad quod nos impellunt operationes illæ, & quæcunque veluti divinæ apparent : nam prout illud eſt, fit etiam ut erremus, aut ſecus. X. *Cautelæ & Regulæ ad evitandas fallacias.*

(1) Omnes operationes ſupranaturales quæ non reſpiciunt alios, ſed tangunt unumquemque qui iis afficitur, eumque impellunt ad intima ſua cum Deo occupandum, ad Deum contemplandum, venerandum, amandum ; quæ item ad virtutes Chriſti vitamque ejus ſanctam imitandum, quæ nos ad fructus Spiritus ſui ſancti ferendos propellunt, eæ tuto ſequendæ ſunt ab unoquoque qui iis ad hæc incitatur.

(2) Omnes operationes ſupranaturales, ſive pro talibus & divinis habitæ, quæ nos pellunt extra nos ad ea quæ ſunt voca-

 tionis

tionis nostræ, sive status & officii nostri erga alios peragenda cum charitate, humilitate, mansuetudine, æquitate, pace & ordine, admittendæ tuto sunt, imo in effectus suos deducendæ.

(3) Si quæ autem istiusmodi nos impellant extra nos ad ea quæ non sunt officii nostri, ad alios puta regendum vel instituendum quasi ex auctoritate, ad externas actiones aut mutationes notabiles, ad commotiones quasdam inordinatas, iis minime fidendum est, neque eæ sequendæ sunt; sed vel pro suspectis habendæ, vel omnino inter falsas & seductorias numerandæ quando sese præterea produnt impotentibus corporis agitationibus & mentis sui non compotis orationibus ac verbis prophetiarum speciem referentibus; quæ vero nec à Deo, qui est Deus ordinis & sapientiæ, proficisci possunt, & à Christo (a) prædicta sunt copiose eventura ultimis temporibus ut ab illis caveamus, etiam si se ab illo vel missos jactitent isti homines, vel ejus nomine loquantur. Qui hisce ipsimet pelluntur, vel tentantur ab alieni spiritus instinctu vel impetu, resistant ei, resistant sibi, taceant, quiescant, Deum implorent ut ipsis intimæ suæ corruptionis horribilem fundum detegat, det vim per Spiritum bonum ut ceteris dimissis, secum ipse unusquisque ab innumeris malis purificando & emendando occupetur.

(a) Matth. 24. ℣. 24, 25.

Si qui vere à Deo mittuntur, eos excellentioribus Dei operationibus in fundo & facultatibus spiritusque sui mensura superabundanti gaudere, vere sanctos esse, suaque verba in aliorum mentibus sinceris efficacia ad omne bonum omnemque virtutem esse oportet, veluti Paulus de se suisque verbis testimonium & exempla præbet. 1 Thess. 2. vs. 2. ad 13. & 1 Cor. 2. vs. 4. & 2 Cor. 3. vs. 3. De his plura Oecon. Lib. IV. Cap. 8. §. 6-10.

XI. *De Operationibus Dei spiritualibus quæstiones quatuor.*

XI. De Operationibus Dei spiritualibus (*) quæritur præcipue,

1. An sint ad salutem *necessariæ?*
2. An & cur vere dicendæ sint *immediatæ?*
3. An ut communicentur opus sit *Verbo externo?*
4. An Verbo externo pronunciato vel lecto illæ *inseparabiliter* adhæreant & junctæ sint?

XII.

(*) Confer. de hoc argumento etiam Lib. III. Cap. 6. infrà.

XII (1) Necessarias esse Dei operationes in intimis nostris si salvari velimus vel hoc solo constat, quod salutis sedes primario sint intima nostra; quod salus consistat in Deo quatenus se & sua nobiscum communicat: quod salus non acquiratur nisi per fidem, spem & charitatem, quæ sunt dona Dei & operationes intimæ Spiritus sancti: quod nemo possit opus & effectum immensæ potentiæ destructum restituere nisi ipsa immensa potentia quæ illud construxit & creavit, quæ solus Deus est &c. plura de his in Oec. Div. Lib. V. Cap. I. & II.

XII. Prima: *An sint ad salutem necessariæ? Affirmatur.*

XIII. (2) Sed reperti sunt inter Christianos qui dicerent, hominem per peccatum non ita destructum & corruptum esse uti communiter repræsentatur: superesse in eo quædam lumina naturalia & facultates quasdam intellectus, rationis, voluntatis ad bonum tendentis, quibus bene adhuc uti possint homines labore proprio, ratiocinando, & ratiocinatis sese conformando, maxime postquam Scriptura sacra ostenderet quæ cognoscenda, & credenda, & agenda essent, quibus illi possint suas facultates naturales cognoscendi, ratiocinandi & agendi applicare; atque ita labore naturali & propria industria & operatione salutem suam operari sine illa Spiritus Dei operatione interna, quæ ipsa corda & facultates nostras illuminet, moveat & regat. Fuit olim ista sententia hæresis Pelagianorum; eademque nuper à Socinianis item & ab illis qui Pajonistæ dicuntur renovata fuit. Hi autem ultimi ne Christianorum horrori se nimis exponerent per negationem operationum & gratiæ Dei, professi sunt illas, verum hoc sensu. Dixerunt intellectum nostrum, rationem & sua qualiacunque lumina, facultatesque ceteras, esse opus sive operationes Dei, qui eas fecerit; proindeque earum effecta, & usus, applicationes ad objecta in Scriptura S. oblata, ratiocinationes, posse quoque considerari ut *operationes* Dei, & *gratiam* Dei, quia sunt actus, effecta & operationes causarum, facultatum quas Deus fecit, quæque ipsæ sunt operationes *gratiosæ* Dei: proinde earum effecta, rationis & facultatum usum & actus, posse & debere, sicut & omnia realia, ad Deum referri, dicique *Dei operationes*, non quidem *immediatas*, sed *mediatas*; hancque esse Dei gratiam non *immediatam*, sed *mediatam*.

XIII. Secunda: *An & cur verè dicendæ sint immediatæ? Doctores Christiani ut Pelagianis seu Socinianis & Pajonistis se opponerent, eam vocem adhibendam crediderunt, & quo sensu.*

Hunc ipsum esse merum Pelagianismum, solo vocis unius co-

 lore

lore inductum cum viderent ſani Theologi, ut & hunc colorem abſtergerent, eam ipſam vocem, quam adverſarii adhibebant, repellere, eam autem quam repellebant adhibere impulſi ſunt; atque adeo ſtatuere, operationes Dei ſalutares eſſe *immediatas*, non autem *mediatas*. Non quod negarent in operationibus Dei immediatis intercedere ut plurimum verbum Dei ſcriptum vel pronunciatum: ſed quod aſſererent inſuper in mentium intimis operari ipſum Dei Spiritum, qui operando in iis id efficiebat cujus externum verbum ſignum erat externum ſe ſolo, ſine actione Dei intima, ſed ſola induſtria humana tractatum, inefficax ſalutis reſpectu. Fecere igitur illi quemadmodum olim SS. Patres in Concilio Niceno adverſus Arianos cum vocabulo ὁμοούσιος, quod hi repellebant, illi eorum hæreſi opponebant. Atque hæc vel origo vel ratio cur qui contra Socinianos, Pajoniſtas, alioſque pelagianiſantes ſcripſerunt, tam ſollicite & conſtanter has voces, *operationum* nempe Dei *immediatarum* urſerint & adhibuerint eo ſenſu, qui non incommode dilucidari poteſt diſtinctione quadam quæ apud *ſcholaſticos* occurrit, diſtinguentes inter *immediationem virtutis* & *immediationem ſuppoſiti*. dicunt, v. g. Solem operari nobis lucem, vel illuminare nos *immediate*, *immediatione virtutis*, quia ipſiſſima virtus Solis ſine alia intermedia virtute illuminante nos illuminat; ſed non *immediatione ſuppoſiti*, ſiquidem æther, aër, interdum & vitra pellucida interpoſita ſunt inter Solem & nos; & per ea quidem ſed non virtute eorum, ſol lucem nobiſcum communicat.

XIV. *Utuntur ea voce Lutherus ipſe & præcipui ex Lutheranis.*

XIV. Prolixus nimis eſſem & tractatus mihi totus eſſet componendus, ſi omnia deberem loca referre ſanorum hac in re Theologorum, qui gratiam ſive operationem iſtam Dei *immediatam* agnoverunt & ſuſtinuerunt, inter Reformatos maxime; ſed nec præcipuis inter Lutheranos exceptis. LUTHERUS ipſemet & rem & nomen ſuſtinuit hiſce ſuis dictis, è Germanico ad verbum redditis, & D. JÆGERI æternos de IMMEDIATA Dei operatione, illuminatione &c. clamores plane retundentibus:

(a) Tom. I. Jenenſi. fol. 477. b.

(a) *Nemo poteſt Verbum Dei recte intelligere niſi id habeat* IMMEDIATE *à Spiritu Sancto: nemo autem id à Spiritu S. habere poteſt niſi experiatur, guſtet & ſentiat* (er erfahre es / versuchs und empfinde es denn) *& in hac experientia docet Spiritus S. haud ſecus*

ac

ac in propria sua Schola, extra quam nihil discitur quam verba, apparentiæ & garrulitates. Idem, alio in loco: (*b*) *Ubi hoc prædicatur & creditur, ibi habitat Christus, & spiritualiter regit in corde* IMMEDIATE: *ibi & Spiritus S. cum omnibus bonis & plenitudine divitiarum Dei.* Item adhuc: (*c*) *Hunc Spiritum nemo in litera capere potest: non patitur se atramento scribi neque in lapide neque in libris, quemadmodum lex capi se patitur; sed scribitur tantum in corde, estque litera Spiritus* Sancti SINE OMNI MEDIO: *quapropter nominatur à Paulo Epistola Christi (non Mosis tabulæ,) quæ non scripta est atramento, sed Spiritu Dei. Per hunc Spiritum vel hanc gratiam facit homo id quod lex exigit, & satisfacit* (bezahlet) *legi; & ita liberatur à litera eum occidente, & vivit per gratiam Spiritus.* Quin, quod eodem redit, ipsa nominatim media rejicit veluti *inefficacia*, dum inquit: (*d*) *Panem, Jesum Christum, nemo potest habere ex se ipso, nec studio,* NEC AUDITU, *nec quæstione, nec indagatione. Etenim ad Christum cognoscendum, omnes libri parum sunt, omnes Doctores exiliores, omnis ratio nimis obtusa.* SOLÙM PATER IPSEMET *eum debet manifestare, nobisque dare, uti ipse dicit.* Joan. 6: 44. Neque desiisse plane usum hujus vocis, *immediatè* apud Doctores Lutheranos patet exemplo (*e*) *Bajeri*, ejusdemque (*f*) asserto. Rem ipsam definitam non semel habet ARNDIUS in Libris de vero Christianismo, ex. gr. Lib. III. C. 10. ita infit. *Divina* LUX *&* *animarum* ILLUMINATIO *non ex sensibus* (visus, auditus, lectione, voce externa) *non ex ratione, non denique ex alia quacunque naturali facultate proficisci & promanare potest* PRÆTERQUAM EX OPERATIONE *& efficacia gratiæ divinæ in anima hominis. Atque hæc est illa scaturigo omnis consolationis & tranquillitatis animæ, veritatis, sapientiæ & vitæ,* EX SEIPSA *perennis, &* SUMMUM ÆTERNUMQUE BONUM. Et paulo post: *Indidem proficiscuntur sanctæ inclinationes & inspirationes, quas facile est intelligere ab* INTRINSECO *fonte & ex animo promanare,* NIHIL CONFERENTE ULLA CREATURA, *quam sane non nego ab extra* (adminiculo externorum verborum & aliorum mediorum) *voluptatem, admirationem, & gaudium posse concitare: verum hoc nihil cum lumine gratiæ commune habet, quippe quod* PENITISSIMUM INTIMUMQUE ANIMI FUNDUM *ferit,* ULTRA ET CI-

(*b*) Postill. Eccles. in parte æstiva, fol 423.

(*c*) Idem. Tom. I. Jen. fol. 379. b.

(*d*) Tom. I. Jen. fol. 81. b.

(*e*) Compend. Theol. Proleg. C. 2. §. 32.

(*f*) Vid. Præler Demonstrat. de Certitud. Sens. &c. pag. 234.

TRA OMNEM SENSUM ET RATIONEM. Similibus, quantum ad rei ſubſtantiam, perplenus eſt totus Liber III. *de Interiore homine* egregii hujus Theologi, inter Lutheranorum meliores maxime commendati. Addeſis præfat. in Theol. Germ. Editioni Londinenſi Libr. de Vero Chriſtian. ſubjectam §. 5. & 12.

XV. *Et vel maxime Doctores Reformati, gratiæ immediatè operantis & illuminantis aſſertores contra Neo-Pelagianos.*

XV. Quantum ad Doctores Reformatos *gratiæ* IMMEDIATE *operantis ac illuminantis* aſſertores contra Neo-Pelagianos, ſatis mihi erit eorum aliquot hic indicare, ac ſimul etiam ubi reperienda ſint loca in quibus eandem aſſerunt, probant, exemplisque etiam nonnullis confirmant. Ex profeſſo ea de re egit Cl. SPANHEMIUS in *Controverſiarum Elencho*, Capite integro, quod eſt Appendix ad controverſias cum Arminianis, à pag. 316. ad pag. 331. Edit. 1701. cujus ſpecimen in mea contra G. Titium (*a*) defenſione appoſui. Accenſendus illi eſt Cl. VAN DER WAEYEN in *Diſceptatione* contra D. *Wolzogium* dicta *Vera & genuina Reformatorum ſententia*, cujus *Liber ſecundus* in ea re totus eſt. Obtenderunt equidem nonnulli eum poſtea ab hac mente ſua receſſiſſe: verùm quicquid de hoc ſit, ad eam ipſam illam tandem rediiſſe certiſſime vel ex ſola apparet *Diſſertatione* quam contra *Dn. Clericum* ſcripſit præfixitque libro Stephani Rittangelii, *Libra Veritatis* dicto, cujus videantur pag. à 164. ad 174. ubi laudatam gratiam ſive OPERATIONEM SPIRITUS S. IN ANIMA IMMEDIATAM, diſerte ſuſtinet. Cl. WITZIUS, à noſtro D. Jægero aliquoties laudatus, publicavit anno 1687. *Diſſertationem Epiſtolicam ad Ampl. Huberum*, cujus pars præcipua eo in ſubjecto (*operationis* Dei internæ & *immediatæ*) aſſerendo & defendendo impenditur. Celebris D. JURIÆUS duo eadem de materia conſcripſit volumina, quorum primum (*de Natura & Gratia*, Gallice,) directe Pajoniſtis, gratiam ſive operationem Dei *immediatam* negantibus, opponitur. In eo Libro conſulendus eſt totus Tractatus ſecundus, maxime vero in Capp. 4. 9. & 10. Alterum hujuſce Auctoris volumen, itidem Gallice comparuit ſub titulo, *Defenſio univerſalis Doctrinæ Eccleſiæ* &c. in cujus Part. 1. conſulantur præcipue Capita VII. ad X. In omnibus hiſce Auctoribus laudantur & adducuntur plures & Synodi & Auctores alii inſignes *Rivetus*, *Bodius*, *Heidanus* &c. quibus addo Rev. (*b*) *Pearſon*, (*a*) *Owe-*

(*a*) De Erudit. Tom. I. pag. 485. &c. Edit. Amſtelod.

(*b*) In Symb. Apoſt. Artic. VIII. circa finem.

(a) *Owenum*, & adhuc nunc docentem Cl. *Vitringam*, cujus verba hæc paucula vice & instar omnium sint: (b) *Vita spiritualis appellatur* VITA DEI - - - *quia Deus in hac vita* OPERATIONIBUS *Spiritus sui* IMMEDIATE IN HOMINEM INFLUIT, *& se cum eo conjungit.* Omnes hi Auctores recensiti dictis in locis gratiam & OPERATIONEM Dei in nobis IMMEDIATAM, eamque ad salutem necessariam, puta & rem & appellationem unanimiter asserunt, confirmant, defendunt contra hæresin Socinianam & Pelagianam renovatam.

(a) In Opere Θεολογούμενα, Libr. VI. §. 19. & 23.
(b) Typ. Theol. Practicæ. Cap. I. pag. 14.

XVI. Equidem & illi, & Reformati omnes in genere, eadem de causa à Pelagianis & Socinianis (sicut & ego propterea à D. Jægero) *fanatismi* & *Enthusiasmi* accusantur: sed iidem in libris à me indicatis, hancce calumniam solide & longe à se amoverunt, quam tamen D. Jægerum, utut viderit qui me ab illa vindicaverim, (c) nihilominus non pudet vel millies eadem de causa in me iterare, quamvis idem eam calumniam in rigidis suis & rixosis Theologis Lutheranis, qui Reformatos eodem convicio hanc ipsam ob causam denigrant, non videatur approbare. Etenim postquam alicubi retulit, (d) Hulsemannum suum in tractatu cui titulus est *Calvinismus irreconciliabilis*, Reformatos à reconciliatione rejecisse eo quod illos in fundamento fidei cum Lutheranis convenire negaret, assereret, *& cum eo non pauci alii, summum* FANATICISMUM *esse in Religione* CALVINIANA, *quia ibi statuatur quod fides salvifica non ex Verbo scripto*, sed OPERATIONE DEI IMMEDIATA *sit haurienda*; sententiam tamen suam deinde addens D. Jæger, non audet hanc Hulsemanni in Reformatos de *Fanatismo* ob assertionem operationis Dei immediatæ calumniam (quæ tamen ipsissima est Jægeri in me eadem de causa,) ibi confirmare vel approbare; sed confert se ad aliud quid quod ad rem præsentem non pertinet, metuens forte ne alioqui adversus Reformatos Catholico-Romanis, ipsisque etiam Jesuitis, iniquior esset.

XVI. *Licet perperam ea de causa Enthusiasmi accusentur à Pelagianis & Socinianis, imo & à quibusdam Lutheranis.*

(c) Vid. Defens. Libr. de Educatione.
(d) In Systhem. Theol. Dogmat.-Polem. Tom. I. pag. 22.

XVII. Hi enim eo candoris processerunt, ut illos à fanatismo & à rejecta Scriptura ob assertionem *Operationum* Dei *immediatarum* absolverent, imo & cum ipsis sustinent ex animo divinas illas *operationes* Numinis in nobis *immediatas* & necessarias. Exemplum profero unum pro omnibus.

XVII. *Dum Romano-Catholici ea in re sunt æquiores.*

Achilles

Achilles Gagliardus Soc. J. Theologus, *de interiori Disciplina*, Lib. I. Tractatu. 4. de auctore libelli de Imitatione Christi, vel Thoma Kempisio, agens, sic infit: (a) *Auctorem libelli de Imitatione Christi, qui est in manibus omnium, sanctissimum hominem fuisse ac sapientissimum, necesse est: tanta est enim disciplinæ interioris hominis in eo plenitudo, ut nihil desiderari possit. - - - In primis si quis diligenter observet, intelliget niti hunc auctorem unico* FUNDAMENTO. *Est autem hoc; Solum* DEUM *esse audiendum* INTERNO SPIRITU *cum* ANIMA COLLOQUENTEM, *& eam* ILLUMINANTEM, *& in altissimos Divini amoris affectus sublevantem: ab hoc tanquam ab unico Magistro exspectandam &* IMMEDIATE HAURIENDAM ESSE COELESTEM DOCTRINAM. *Taceant (inquit sæpissime auctor) Doctores omnes & verbo & scripto docentes, imo & Moyses, & Prophetæ, & Scripturæ, imo & omnes creaturæ: loquatur solus Deus. Id autem quod* PER SEIPSUM *solus docet Deus, quodque ab ipso audit anima, hoc vere discit, hoc amat: & hic est spiritus, hæc est doctrina cor* ILLUMINANS *& accendens: reliqua omnia sine hoc & per se ipsa tantum externa sunt, arida, & ex se inania. - - -* Et aliquantum post: *Verus & germanus sensus hujus fundamenti est à nobis investigandus. Et primo quidem, gratiam cum virtutibus à solo* Deo IMMEDIATE INFUNDI *certum est; & per illam, vitam æternam, novum spiritum, & novum quoddam esse animæ Deum elargiri. &c.* Ante quas ultimas lineas, præcesserunt verba hæc: *Tres* autem ERRORES *perniciosissimi, tanquam à divino hoc Auctore alienissimi, sunt in eo præcavendi. Primus est eorum, qui* ABJECTIS DIVINIS SCRIPTURIS *& reprobatis*, PROPRIO *spiritu interno* (fanatica hæc est inspiratio & Enthusiasmi fanatici origo) *immediate quemlibet à Deo edoceri* (ecce, hanc immediatam operationem PROPRII SPIRITUS ABJECTA SCRIPTURA rejicit solam, & merito,) *quam* IMPIETATEM, addit, *ipsimet* LUTHERANI *&* CALVINISTÆ *abominantur: nec est operæ pretium tantum virum* (Kempisium) *à tam detestabili* CALUMNIA *in hoc opere de Christi Imitatione, vindicare, cum divinarum Scripturarum sententiis utatur frequenter, & ab iisdem bonum quodcunque & disciplinæ & morum pendere & sentiat & profiteatur clarissime.* &c. quæ sane ultima cum de me Scriptisque meis

(a) Hoc citatur pluribus in præfatione Editionis Kempisianæ quæ Antwerpiæ prodiit ex recensione Chifletii anno 1671.

meis vere dicere possim, patet inde D. Jægeri de me calumniam non habere vel inter Protestantium adversarios exemplum simile. Atqui debuisset saltem scire, id inter Theologiæ scholasticæ principia numerari, *Deum movere* IMMEDIATE *intellectum.* Vid. Thomæ Summ. Part. I. Quæst. 105. Art. 3. ab Alagona ita contractum. *An Deus moveat* IMMEDIATE *intellectum creatum? Resp. sic: quia illum docet* &c.

XVIII. (3) Ceterum, ad quæstionem, an ut communicentur nobiscum Dei operationes internæ & immediatæ, opus sit *mediatione suppositi*, sive verbi *externi*; responderi debet diversis modis: Si mens est pura; si in se collecta nec attendens ad sensualia; si sincera, & sincere cupiens ea scire & facere quæ sunt officii sui, vel ob quæ creata est; non indiget Deus ullo medio externo ad operandum in ejus intimis; potest tunc divina in mentibus facile operari, & fecit sæpius. Audi, sis, verba S. Barnabæ: (a) *Qui concupiscit liberari, videt non in hominem, sed in illum qui* IN EO HABITAT, *&* LOQUITUR IN ILLO, *miratus quod nunquam tales sermones audierit eum dicentem, neque ipse concupierit audire. Hoc est spiritaliter Domino ædificatum* TEMPLUM. At si mens impura sit, si distracta, si falsis ideis sive rationis sive sensuum repleta, iisque quasi immersa, opus est hîc mediis externis ac sensibilibus, mentis statui & capacitati accommodatis.

XVIII. Tertia *quæstio: An ut communicentur operationes Dei internæ opus sit Verbo externo? Resp. Distinguendo.*

(a) Epist. Barn. Cap. 16.

XIX. Quæ vero divine distinxit & expressit S. Chrysostomus in prima sua Homilia in Matthæum, statim ab initio; hunc in modum.

XIX. *Cum Chrysostomo & Augustino.*

„ Oportuerat quidem, inquit, nos non indigere (δεῖσθαι) auxilio literarum; sed tam puram exhibere vitam, ut Spiritus gratia pro libris (vel bibliis, ἀντὶ βιβλίων) esset nostris animabus: & sicut atramento illi (libri,) ita corda nostra à Spiritu inscripta essent. Quia vero hanc à nobis excussimus gratiam, age, vel secundam hanc navigationem (viam, πλοῦν) amplexemur. Equidem quod primum illud sit præstantius, (ἄμεινον,) id & ex verbis suis Deus, & ex operibus ostendit. Nam & Noë & Abrahæ, ejusque posteris, & Jobo, & Mosi, non per literas locutus est, sed ipsemet PER SE IPSUM, puram inveniens eorum mentem. Postquam vero omnis populus

„ Judæorum in vitiorum fundum delapſus eſt, neceſſariò jam „ literæ dantur ac tabulæ, & ea quæ per has adminiſtratur admo- „ nitio. Et hoc non tantum Veteris Teſtamenti Sanctis, ſed „ etiam novi accidiſſe perſpicimus. Neque enim Apoſtolis ſcri- „ ptum aliquid tradidit Deus; ſed pro literis, Sancti Spiritus ſe „ illis daturum gratiam promiſit: *Ille*, inquit, *ſuggeret vobis* „ *omnia*. Atque ut diſcas quod hoc ſit multo melius, (πολὺ ἄμεινον.) „ audi Dominum per Prophetam loquentem: *Et pangam vobis-* „ *cum fœdus novum, dando leges meas in mente eorum, & in cor-* „ *dibus eorum perſcribens eas: & erunt omnes à Deo docti.* Paulus „ quoque hanc prærogativan (ὑπεροχὴν) indicans dicebat ſe ac- „ cepiſſe legem non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis car- „ neis. Quia vero progrediente jam tempore alii quidem prop- „ ter dogmata, alii vero propter vitam & mores ſcopulis im- „ pegerunt, eâ rurſus quæ à literis eſt admonitione opus fuit. „ Jam ergo conſidera quantum ſit malum, illos, qui deberent „ vitam adeo pure inſtituere ut nec opus quidem literis habe- „ rent, ſed loco librorum corda Spiritui exhibere, amiſſo hoc „ honore eouſque redactos ut indigeant Scriptis, & tamen iſto „ ſecundo remedio non uti ad ſuam utilitatem. Si enim culpa „ eſt literis egere, (ἔγκλημα τοῦ γραμμάτων δεηθῆναι) & non gratiam „ Spiritus S. hauſiſſe; (ἐπισπάσασθαι) vide quantum ſit crimen „ nec poſt illud auxilium velle lucrum facere, ſed quaſi fru- „ ſtra & temere poſita Scripta deſpicere, & majus adſciſcere „ ſupplicium.

(a) Aug. in Pſ. 57.

Addo hæc Auguſtini: (*a*) *Quia homines appetentes ea quæ foris ſunt, a ſe ipſis exules facti ſunt; data eſt etiam conſcripta lex. Non quia in cordibus ſcripta non erat: ſed quia tu fugitivus eras cordis tui, ab illo qui ubique eſt comprehenderis, & ad te ipſum intro revocaris. Propterea, ſcripta lex quid clamat eis qui deſeruerunt legem ſcriptam in cordibus ſuis?* (*b*) REDITE, PRÆVARICATORES, AD COR.

(b) Iſa. 46: ℣. 8.

(*) Contra Epiſt. Manich. Cap. 38.

Idem alibi. (*) *Docet unus verus magiſter ipſa incorruptibilis veritas, ſolus Magiſter* INTERIOR, *qui etiam exterior factus eſt ut nos ab exterioribus ad* INTERIORA *revocaret.*

(c) Conf. Lib. VII. Cap. 10.

Idem de ſe ipſo: (*c*) *Admonitus redire ad memet-ipſum,* INTRAVI IN INTIMA MEA *duce te* (Deus!) *& potui, quoniam factus*

ctus es adjutor meus. Intravi, & VIDI *qualicunque oculo animæ meæ supra mentem meam*, LUCEM DOMINI *incommutabilem. Non erat supra mentem meam sicut oleum super aquam : sed superior, quia ipsa fecit me ; & ego inferior, quia factus sum ab ea. Qui novit veritatem, novit eam : & qui novit eam, novit æternitatem.* CHARITAS *novit eam.* Quibus addesis quæ idem Pater alibi docuit. (*a*) *Homo itaque fide, spe & charitate subnixus, eaque inconcusse retinens*, NON INDIGET *Scripturis nisi ad alios instruendos. Itaque multi per hæc tria etiam in solitudine sine codicibus vivunt. Unde in illis arbitror jam* COMPLETUM *esse quod dictum est ; sive Prophetiæ, evacuabuntur ; sive linguæ, cessabunt ; sive scientia, destruetur.* En uti *arbitretur* Augustinus eos qui tales sunt, Scripturis eousque non indigere, ut harum usus *cessaverit* eorum respectu!

(*a*) De Doctrina Christiana. Libr. I. Cap. 39.

XX. D. Jægerus hæc & similia minime vult capere. Contendit passim ac clamosissime adversus me sine Verbo externo nihil salutare in mentibus a Deo produci posse, atque adeo vehementer ita offenditur illo loco ex Oeconomia mea supra allato, ut aliquoties diversis (*b*) in libris illum mihi objiciat, & mihi in imputati fanatismi & Enthusiasmi fundamentum assignet, ac vel in indice libri sui de Theologia mystica id mihi in impium *adversus Scripturam* dictum convertat : minime animadvertens vel ex libri ipsius ordine Capitumque serie, non agi illic de hominibus atque temporibus in quibus Scripturæ exstabant ; quod demum fit Cap. XIV : sed cum nondum illæ essent, & tamen vellet Deus, prout semper voluit a mundo condito, homines ut salvi fierent. De hoc autem postea, ubi (*c*) de Ethnicis salvandis agemus.

XX. *Locum Oeconomiæ plus semel objectum male huc trahi.*

(*b*) Exam. Theol. Nov. pag. 44. Ex. Th. Myst. p. 348. vid. & p. 358.

(*c*) Vid. infrà Lib. IV. Cap. VII.

XXI. Nunc autem cum ex Verbo lecto vel audito convertuntur homines, & salvantur, id non fit vi & efficacia Verbi, qua *externum* est ; nam qua tale, vel ut cum D. Jægero loquar, (*Exam. Th. N.* pag. 60.) *quà vehiculum est* & externum, signum est tantum, & non res signata, sonus est vel litera est : sed id fit vi & efficacia interni Verbi, Christi videlicet, qui postquam dato signo hoc externo (quo significat se velle intùs operari) homines ad se in cordibus suis evocavit, consequenter operatur virtute immediata & innata sua per suummet Spiritum

XXI. *Ad quæst. quartam : An Verbo externo operationes Dei inseparabiliter sint junctæ? Responsio.*

in

(a) Epist. 130. ad Circenses.

in venientibus. Sic Augustinus: (Deus) *per (a) ministros suos rerum signis extrinsecus admonet*; *rebus autem ipsis* PER SE IPSUM *intrinsecus docet.* Si qui vero intus ad ipsum venire recusent, maneantque voluntarie impediti objectis affectibusque externis, vanis, peccaminosis; ii, & si vel prius aliquem tactum Spiritus intus percepissent, deinceps tamen ad ejus vocem internam surdi sunt, & præter sonos vel literas, nihil quod divinum sit percipiunt; sed potius accedente ad eos Satana, ne forte ex signo externo dato ad interiora se recipiant, fiunt inde deteriores, & quidem eousque, ut ad superbiam, voluptatem & adulationem Scripturis ipsis abutantur: capiunt eas & interpretantur secundum animalem, brutum & corruptum intellectum humanum amoremque proprium: & si qui eorum hoc majori studio & diligentius fecerint, uti inter doctos non pauci, fiunt inde cum Verbo externo perverse interpretato, Scripturisque sanctis pro perversa mente intellectis, instrumenta Satanæ, ad hominum ceteros per jactatum VERBUM suum EXTERNUM ac SCRIPTUM, pessimo ipsorum sensu animatum, seducendos, atque in exitium præcipitandos, veluti ad oculum apparet e diversitate Sectarum inter illos qui Scripturis divinis gloriantur, & tamen se ipsos ex illis mutuo ad interitum damnant, nisi cum sese in unum reducunt ut optimos quosque ubivis diffament & persequantur.

XXII. *Verbum externum à gratia & operatione Dei non esse inseparabile, probant factis suis adversarii qui & Verbo & sibi contradicunt.*

XXII. Et sane non parum mirandum est dari inter istos, maxime vero inter Lutheranorum rixosos, qui adeo sponte cœcutiant & stupidi esse velint, ut capere recusent *Verbum externum* per se efficax non esse, vel non esse à gratia Dei indivulsum; sed gratiam & Operationem solam Dei internam esse efficacem, ad quam vero Verbum, cum primo Dei tactu adjunctum, nos appellat. Non mirarer hunc errorem reperire locum inter rudiores quosdam qui semper Scripturas vel Verbum externum cum bona aliqua mentis constitutione, adeoque & cum bonis Spiritus Dei operationibus ac motibus, fructuque bono legissent vel audivissent. Sed quod locum habeat inter doctos & literalistas (venia fit verbo) dum ipsi tamen in se nullum Spiritus fructum habent, imo pro inutilibus ad salutem habent bona Spiritus opera, id sane perquam mirabile est, & omnino stupendum.

dum. Dicit D. Jæger: (*a*) *per singularem Dei dispensationem Spiritus S. illi Verbo* (externo) *unitus est: non quod immediate Spiritus ille S. & citra verbum hanc suam efficaciam exerat*, (imo, immediate sive citra Verbum, sive cum Verbo,) *sed*, pergit, *in & cum Verbo ille accendit in homine lumen fidei*, *ille* AFFECTUS IMMUTAT, *ut fiant spirituales*, — *studia moresque sanctificat*, ut *divini potius quam homines pristini videamur.* &c. Verùm ipso facto contrarium ostendit ille vel in semet ipso, Verbum nempe sine efficacia. Habet is totum Verbum scriptum in memoria, in ore, in chartis abundanter. Id Verbum ei dicit, quod oporteat diligere proximum, amare inimicos, benedicere & benefacere etiam malis; neque judicare neque calumniari alterum, non falsare & decipere, bonis favere, esse patientem, benignum, non invidum seu æmulatorem, non agere perperam, non cogitare malum, esse pacificum &c. Ubi est cum hoc Verbo conjuncta in D. Jægero *efficacia*, ubi *affectus immutati*, quando plus decem ab hinc annis odit, condemnat, pervertit, diffamat, maledicit, & reliqua à Verbo prohibita committit, pessimas quasque interpretationes excogitat, rixaturque vel ad fastidium; atque postquam defessus est, substituit vel instigat (*b*) alios qui pro ipso in hocce pergant Exercitio? Nonne videt vel in se ipso, uti & in aliis non paucis sui similibus, Verbum illud externum efficacia omnino destitutum, & à virtutibus & operationibus illis salutaribus ac divinis quas designat, actu ipso plane separatum?

(*a*) Exam. Th. N. p. 59.

(*b*) Vid. Gyonism. Confut. in Præf. & infr. Lib. 4. C. 11. §. 26.

Quid, quod cum Verbum Dei injungat *Dei mandata observanda esse*, & doceat eadem *esse facilia*; D. Jæger contra, nec solus, clamat, *difficilia* esse, imo & *impossibilia*, nec servari posse, ne quidem ab illis qui regeniti sunt: quid inquam, aliud ipse cum aliis tunc facit, quam hoc ipso sibi contradicere, atque ita statuere, quod *impossibile* sit ut illud *Dei Verbum* (de implenda divina sua voluntate,) *cum operatione sua efficaci*, *realique effectu conjungatur.*

Tædet pluribus eum insequi in absurdis & contradicentibus suis assertis quibus ille & qui ab illo sunt, quodvis modo ponunt, modo tollunt, pro ut è re & cupiditate illorum est. Conscii se intus Spiritu Dei ejusque internis ac divinis operationibus desti-

tutos esse, nec iis recipiendis præparatos, de iisdem veluti de fanaticis ac Enthusiasticis næniis maledicunt, ipsaque etiam vocabula quævis operationum internarum (quæ tamen Lutherus tantum non omnia adhibuit, imo & ipsam (*a*) DEIFICATIONIS *vocem*, quam noster hic sine ratione sugillat, p. 49.) diffamant ac vituperant. Quando vero iidem litera turgidi, & clangore Verbi sonoro inflati, nolunt tamen pro iis haberi qui sint veluti *æs sonans* ac vacuum, & *cymbalum tinniens* atque *nihil* habens, tunc clamant, *Verbo externo per singularem Dei dispensationem* SPIRITUM *S. esse unitum simulque ejus efficaciam & divinam vim*; & tamen vita & opera sua contrarium probant planissime: imo hoc ipsum est quod in aliis probis pro *fanatismo* traducunt.

XXIII. *Cautela pro bonis ne cum irrisoribus* Verbum internum, operationes Dei internas *&c. & ipsi irrideant, quæ Scriptura toties commendat & ex iis Arndius.*

XXIII. Ceterum caveant boni qui in Spiritum Dei Sanctum ejusque operationes divinas ac summe venerandas peccare nolint; ne per istiusmodi irrisores, qui (*b*) *blasphemant ea quæ non capiunt*, ad contemtum vel irrisionem patiantur se abduci earum rerum quæ appellantur *verbum internum*, *alloquium cordis*, *illuminatio oculorum internorum* sive *intellectus*, *pati Deum*, sive, quod idem est, *agi ab ejus Spiritu*, *esse ejus opus*, *eum operari in nobis*, *vocem ejus audiri*, & plura hujusmodi quæ in ipsis Scripturis sacris, (quas isti irrisores ore profitentur se venerari,) occurrunt sæpius, uti vel è solis ut vocant Concordantiis videre est, quæque dicere ausim explicari omnia in toto tertio Libro Veri Christianismi Venerandi Arndii, uti patet vel è solo libri titulo, vel è Præfatione, vel etiam Capitum summario. Titulus est, *Liber III. de Vero Christ. & homine* INTERIORE, *in quo ostenditur Deum regnum suum* IN CORDIBUS NOSTRIS *collocavisse veluti*

(*b*) Ep. Jud. ℣. 10.

(*a*) Luth. Tom. I. Lat. p. 307. (Germ. Alt. T. V. p. 176.) *Etenim sic gratia Dei hominem* DEIFORMEM *reddit, & quasi* DEIFICAT, *ut & Scriptura ipsum Deum & Dei filium vocet.* Theologia Germanica a Luthero primum edita, deinde & ab Arndio, eandem vocem sæpius usurpat, v. g. Capp. 31, 35, 36, 39, 41. Exstat & in S. Macarii Homiliis 1, 4, 10, 12, 18, 24, 32, 44. Et apud Chrysost. Athan. Cyrill. aliosque. Vid. Thesaurum Suiceri in vocibus θεῶσθαι, θεοποιῖσθαι. Pleræque phrases mysticæ, de internis, de *quiete* & *silentio*, de *illuminatione interna* & IMMEDIATA per Spiritum S. Luthero in usu fuerunt. Vid. collectanea quædam ex ejus Scriptis addita ejusdem vitæ per D. Gottfr. Arnold. in Vitis fidelium, Germ. à pag. 525. ad 536.

veluti thesaurum in agro ABSCONDITUM, *& divinum animæ nostræ* LUMEN; *tum quomodo illud* IN NOBIS QUÆRENDUM *& erigendum sit : Luc.* 17. *Regnum Dei* INTRA VOS EST. In Præfatione hæc habet. INTERIUS OMNIA *habemus, hoc est, totum Regnum Dei cum bonis suis universis. Nam* IN CORDE *nostro &* IN ANIMA *habemus veram* SCHOLAM SPIRITUS SANCTI, *veram officinam SS. Trinitatis, verum Templum Dei, verum denique Oratorium in Spiritu ac veritate.* Joh. 4: 23. *Etsi enim Deus per universalem suam omnipræsentiam in omnibus rebus est (non ut includatur, sed modo incomprehensibili cœlum & terram implens,) proprie tamen & singulariter* IN *hominis illuminati* ANIMA EST, *ibi habitans & sedem figens,* (1. Cor. 6: 19. Jes. 66: 2.) *velut in sua imagine & similitudine : Ibi* OPERA *edit sibi similia, &* IN CORDE *nostro singulis gemitibus nostris* RESPONDET. *Neque enim illi possibile est ei quicum* HABITAT, *imo quem* MOVET *& fert, aliquid denegare, siquidem ipsi nil sit jucundius & gratius quam omnibus quærentibus se* COMMUNICARE. *Ad hoc autem requiritur anima* QUIETA *& tranquilla.* In summis Capitum. Cap. I. *De immenso &* INTERNO *thesauro hominis illuminati.* Cap. II. *Hominem ad* INTERIOREM *suum thesaurum pervenire per vivam fidem & introversionem in se ipsum.* Cap. IV. *Quomodo fidelis anima Deum* IN SE IPSA *quærere debeat.* Cap. V. *Quomodo homo in Deum trahi possit.* — Cap. VI. — *Quæ & ubi sedes Dei in anima.* Cap. XI. *Deum esse animæ lumen, & ex intimis elucere.* — Cap. XV. — *Christum, æternum Verbum Patris, in fidelium cordibus opus suum perficere per* INTERNAS *suggestiones &* INSPIRATIONES *sive* ALLOQUIA. (Edit. Lond.) Cap. XVI. *Quomodo Spiritus S. accipiatur, & libere in anima nostra operetur.* Libet unam atque alteram lineam ex ipso Capitum textu producere. Cap. I. §. 7. *Si dixeris credere te, Christum esse æterni Patris Verbum, veramque lucem & vitam hominum, recte te credere non negaverim : hoc tantum age, hoc cura, ut &* VERBUM *hoc* IN TE LOQUATUR, *hæc lux* IN TE *luceat, hæc vita* IN TE *vivat.* INTUS *enim & in animo hunc thesaurum habeas & cum Christo per fidem uniaris oportet ; aut certè vana sunt omnia.* Cap. XV. §. 1. Suam de Verbi æterni in animis hominum præsentiam

tiam & operationem verbis Tauleri ab eo laudatis ſic exprimit Arndius. *Sciendum eſt, Verbum Æternum homini adeo propinquum eſſe* INTUS *ac in fundo ſuo, ut non ipſe homo ſuaque natura & cogitatio, non denique quodcunque dici aut excogitari poteſt,* INTIMIUS, *familiarius & penitius illi ſit. Atque hoc æternum Verbum* LOQUITUR *indeſinenter* IN HOMINE, *qui tamen propter cordis ſurditatem ab ipſo Diabolo inductam, ipſum non audit - - - nec audire poteſt quæ Deus per Spiritum S. ac Verbum ſuum in ipſo loquitur.* Addit Arndius paulo poſt: *Sed ſi Deum ſincere dilexeris,* VOCEM *& Sermonem illius identidem* IN TE *audies.* Joan. 14. *Non illum tantum qui in cœtu externo Eccleſiæ reſonat; ſed* QUI IN IPSO VERO CORDIS TEMPLO AUDITUR: *quod niſi fiat, externus ille auditus parum proderit. Ut autem Deum cum anima tua* INTUS *& in corde* LOQUENTEM *audias, amore Dei opus eſt.* Cap. XVI. §. 3. *Si Deum eminenter in te operari velis, affectus tuos conquieſcere oportet, teque* DEUM PATI, *illique otium & ſpatium concedere. Ut enim* DEUS IN TE LOQUATUR, *omnes creaturæ in te conticeſcant.*

XXIV. *Quam apertè huic adverſetur Jægerus.* (*a*) Jæg. Exam. Theol. Myſt. p. 358.

XXIV. Quæ verò ipſiſſima omnia nunc D. Jægero ſunt totidem verbis, *Principale fundamentum Enthuſiaſmi, vaniſſima opinio, ſimulque impiiſſima doctrina,* ut alicubi (*a*) loquitur: ita ſcilicet Arndio ejuſque doctrinæ adhæret & favet D. Jægerus, magnus ille *Beati viri à prima ætate Cultor, & adhuc ejus cinerum Venerator*; quando tamen ſi legatur is totus Arndii liber, ſtupendum ſit planè quî gloriari de illo audeat eodem tempore, cum re ipſa maxime infenſus eſt paſſim & verbis & rebus atque ſententiis Arndii ipſiſſimis. Sed mirari illud deſinemus ubi è Scripturis meminerimus, Doctores olim legis laudaviſſe etiam mortuos Prophetas; Spiritum autem eorum, uti & Juſtum qui tunc inter illos vivebat, eratque in Prophetarum Scripturis quas ore magnifaciebant, deſcriptus, è medio tollere ſategiſſe.

XXV. *Voces illas* interna verba, locutiones, lumina &c. *ſpirituali ſenſu intelligenda*

XXV. Quantum ad voces illas quibus adeo ſunt infenſi, de *internis verbis, locutionibus, luminibus,* aliiſque *interiorum Dei operationum* appellationibus; cum illis ita comparatum eſt, ut aliter ſignari vel externo modo exprimi non poſſint ſpiritalia Dei in mentibus opera quàm his ſimilibuſque vocabulis. Deus operatur in mentium intimis per Filium ſuum perque Spiritum ſuum, quo-

quorum ille Patris Verbum eſt, hic utriuſque ſpiratio, flamen & aura. Animæ humanæ intima & facultates ſunt veluti interni ſenſus, oculi, aures, guſtus, imo & membra ſpiritalia, lingua, manus, pedes &c. Hinc quando Pater per Filium, qui ejus VERBUM eſt, in mentis intimo operatur, dicitur *loqui animæ*; operatio eſt ipſa *locutio*, *verbum internum*, & *vox Dei*: facultas animæ hanc percipiens, eſt *auris*: actus percipiendi, *auditio* &c. Et quando idem in anima detectionem veritatis operatur, dicitur ei *illucere*, ei *luce* vel *illuminatione* gratificari: animæ facultas hoc recipiens, ſive intellectus, appellatur tunc *oculus*, qui *revelatur*, *aperitur*, *videre* & *illuminari* dicitur &c. Ipſa quoque per Spiritum S. operatio appellatur *inſpiratio*, *afflatus*, *impulſio*, *motio* &c. quæ omnia ſive ex parte Dei, ſive animæ reſpectu minime externo ſunt modo ac ſenſu interpretanda, ſed plane intimo ac ſpiritualiſſimo, licet forte interdum & his adjunctæ ſint nonnullæ vocum vel luminum ſpecies formales, at internæ quoque, ea quæ externa ſunt & tranſeuntia aliquatenus æmulantes. Verum iſthæc acceſſoria ſunt, raraque & extraordinaria, atque adeo inter miraculoſa potius numeranda, quam inter ea quæ Deus ordinariis modis pro animarum in ſalutis ſtatum reſtitutione operatur.

eſſe, non externo.

XXVI. Si quæ hactenus dixi vel D. Jægero, vel etiam ſincero cuivis Lectori, non ſatis ſint removendo tertio huic *obici*, ab illo mihi oppoſito, *de Scriptura S.* quaſi ea mihi ad fidem inſufficiens eſſet, de Dei præterea operationibus *immediatis*, *internis* verbis &c. deque fanatiſmo & Enthuſiaſmis, mihi iiſdem de cauſis ab eo impactis, indicabo loca (*a*) ubi in aliis Scriptis meis de hiſce tractavi, & objectiones ita removi ut nihil præterea dicendum ſupereſſe videatur. Quod ſi eorum partem recentiorem nondum forte adſpicere potuerat D. Jæger cùm ſuum hunc obicem mihi opponeret; potuit tamen id poſt annos aliquot, ſi-

XXIV. *Scriptura inſufficientiam indeque impactum Enthuſiaſmum falſo ſibi objici, & Scriptis & factis conſtantiſſime probavit P. quicquid contra clamet Jægerus.*

(*a*) Vid. *Cogit. Rat.* Edit. 2. & 3. Libr. 3. C. 22. Not. 1. *Oecon. Div.* Libr. 3. C. 7, 8, 9, & 14. Libr. 5. Cap. 1. & 2. *Meth. inven. Ver.* pars 2. ferme tota. Item *De Erudit.* T. I. *Defenſio contra Titium.* & in T. II. *Obſervat. in Judicium Th. HH. adv. libell. de Educat.* Artic: 3, 15, 22, 23, 38. & pag. 139. ad 145. it. 192-196. Et *in Epiſt. ad Cleric.* §. 6. p. 642. ut & *Reſp. ad Parrhaſii cenſ.* fere tota. Addeſis è Libro *Fides & Ratio*, totam *Acceſſionem ſecundam*, tametſi hæc non ſit mea.

ſimulque omnia ſua, quatenus me reſpiciunt, objectata videre ibidem enervata: ita ut quando deinde totam hanc Controverſiæ ſuæ, viginti paginis conſtantis, cramben ad verbum publico appoſuit iterum anno 1715. in ſuo Syſtemate Theologiæ Dogmatico-Polemicæ à pag. 42. ad 55. in eo plane inexcuſabilis ſit. Sed quis ſibi promittat eos qui ſibi propoſuerunt clamoribus æternis adverſus quæcunque rem ſuam agere, per rationes quaſvis reducere ad ſilentium, ne dicam ad mentem meliorem? Interim PROVOCO D. JÆGERUM & ſui SIMILES æternos *fanatiſmi in me clamatores*, ut è Scriptis vel verbis vel actis meis aliquid producant ubi Scripturæ S. ſufficientiam pro doctrina fidei fundamentali concuſſi, vel ad revelationes aliquas privatas, verba interna & inſpirationes immediatas appellavi. Certe quibuſvis patet, me omnia quæ in Scriptis meis propoſui, conatum eſſe uti fundarem vel in Scripturæ S. teſtimoniis, vel in ſaniore Ratione ejuſque ratiociniis & concluſionibus quouſque Scripturis divinis non adverſantur. Nemo hominum poſſit aſſerere ſe unquam audiviſſe me ad privatas aliquas revelationes, inſpirationes, allocutiones internas provocantem, aut me tale quid habuiſſe dicentem. Si quas ego tales in Sanctis quibuſdam agnovi, eas nonniſi quatenus cum Scripturis ſunt conformes, aut ut neque iiſdem neque moderatæ Rationi repugnant, ſed bonam potius animi ad Deum conſtitutionem promovere aptæ ſunt, admiſi & commendavi: ab iis autem quæ externa ſive in cultu publico ſive in rebus ſecularibus turbant, & ad extraordinaria tendunt, quales hiſce temporibus exſtiterunt paſſim non paucæ, quantum potui omnes hucuſque dehortatus ſum & avocavi. Vixi & vivo adhuc haud ſecus ac plane ſolitarius homo, quietus, tacitus, conventicula neſciens, neminem compellans, neminem docens, neminem quærens: ita ut ſi quis inter homines à ſuſpicione *fanatiſmi* & *enthuſiaſmi* liber atque inſons agnoſci debeat, is ego ſim. Et tamen prævalet calumniantium iniquitas; neque ulla D. Jægero religio eſt quominus paſſim, nec ſexcenties tantum, me ut *fanaticum* pertinaciſſime diffamet; imo etiam quin me *furioſum fanaticum*, & *fanaticorum ac Enthuſiaſtarum primipilum ac principem* gaudeat interdum appellare. Sed ſolatio & gaudio mihi ea in re ſunt verba Chriſti Matth. 5: 11.

XXVII. Per-

XXVII. Permittat D. Jæger ut ipsi hac occasione repræsentem, decuisse eum in suis de *fanatismo* & *enthusiasmo*, uti & *de Scriptura pro fidei vel doctrinæ principio* mihi (ut vult) *non sufficiente* accusationibus iniquis, moderatiorem ac circumspectiorem esse, ne forte ei ostenderem suas illas accusationes in ipsum revera resilire. Nam quantum ad *Scripturam* S. tantum abest ut ea ipsi, suique similibus, *sufficiens* sit ad agnoscendum vel recipiendum pro Christiano ac in fide orthodoxo Theologo vel doctore illum qui ei soli tanquam sufficienti adhæreret; ut præter illam exigant etiam jusjurandum vel subscriptionem in libros alios quos vocant *symbolicos*, quos tamen evidens est scriptos esse ab hominibus, qui humanis & corruptis naturæ motibus atque affectibus, nec non & erroribus fuere obnoxii. Affectibus quidem, & iis minime moderatis quando ibi adversarios suos appellant, (*a*) *asinos*, *impios*, *sophistas*, *scelestos*, *lucifugas*, *nebulones*, *virulentos*, *sycophantas*, *pedaneos*, *satanas* &c. Erroribus autem, uti & assertis sibi contradicentibus, quando asserunt, v. gr. ex altera parte, (*b*) *Bona opera meritoria esse præmiorum spiritualium etiam post hanc vitam:* &, *unumquemque recepturum mercedem juxta laborem suum:* Ex altera vero; (*c*) *bona opera penitus excludenda esse, non tantum cum de justificatione fidei agitur; sed etiam cum de salute nostra disputatur:* item; (*d*) *bona opera non esse necessaria ad salutem.* quo asserto haud scio an aliquid, hisce præsertim ultimis seculis, ubi pene universi ad remissionem & neglectum, ne dicam contemtum vel horrorem boni tendunt, possit esse periculosius, ac etiam magis dissonum à Scripturæ S. assertionibus (*) innumeris, declarantibus, v. g. *Omnem arborem quæ* NON FACIT FRUCTUM, *exscindendam* esse & IN IGNEM *mittendam: omnem qui non facit* quæ Christus *docuit* in capp. 5, 6. & 7. Matthæi (sunt autem plena mandatis de *bonis operibus*) *ædificare super arena domum quæ corruet ruinâ magnâ. Omnem palmitem in Christo* NON FERENTEM FRUCTUM, *esse tollendum*, *mittendum foras*, *aridum* fieri, *colligendum* fore & *in ignem mittendum* ita *ut ardeat*, & plura hujusmodi; denique, *fidem sine operibus*

In ipsum ejusque similes resilire accusationes ipsius tum de insufficientia Scripturæ;

(*a*) Lib. Concordiæ. Lipsi. 1654. vid. pp. 144, 174, 186, 223, 296, 299, 316, 334.
(*b*) ib. p. 96.
(*c*) ib. p. 589.
(*d*) ib. p. 704, & 705.

(*) Vid. Matth. 7: 19. & ℣. 26, 27. & Cap. 16: 27. & Cap. 25: 30, 41. Luc. 3: 9. Cap. 23: 31. Joan. 15: 2, 16. Rom. 2: 6, 14. 1 Cor. 3: 8. 2 Cor. 5: 10. Gal. 6: 9. Jac. 2: 19, 27. 1 Pet. 4: 17, 18. Apoc. 2: 23. Cap. 22: 12. &c. &c.

ribus esse mortuam & diabolorum fidei æquiparandam. Et tamen sine libris humanis ubi tales insunt defectus, *Scriptura S.* non est D. Jægero *sufficiens* ut ei vel cuivis alii veluti *Orthodoxo* & ad minimum in Ecclesiis suarum partium munus docendi ea quæ *fidei* sunt, apto, pateat accessus.

XXVIII. *Tum de Enthusiasmo, ob motus actusque enthusiasticos in eo frequentissimos.*

XXVIII. Quantum ad *Enthusiasmum* quem innocuis non paucis tam immaniter & obstinate ubique impingit, è re ejus esset dispicere num motus illi ac impetus subinde effervescentes, eique ex abrupto è pectore erumpentes, quibus passim in alios *ignem infernalem*, convicia & maledicta omnis generis vibrat, contra quàm vult & inspirat *secundum Scripturam*, Christi & *Evangelii* Spiritus, imo contra rectam ac saniorem *Rationem* hominis qui mentis sit compos, annon, inquam, motus istiusmodi sint è genere illorum motuum qui à tentatore Satana inspirantur & producuntur, & ob quos qui illis obsecundant, FANATICORUM & ENTHUSIASTARUM nomen, rem, & officium sive actus, jure merito tunc habere dicuntur. Quam frequenter in D. Jægeri Scriptis hisce occurrant istiusmodi *Enthusiasmi*, interdumque tam exorbitantes, ut similes vel in *Enthusiastarum ac fanaticorum* genuinorum primipilis & principibus vix reperiendi sint, superfluum esset annotare atque inutile, quando quivis qui ejus libros aliquantum inspicit, de hoc dubitare non potest. Equidem haud scio an dicturus sit ille, hosce suos motus ideo non esse fanaticos dicendos aut Enthusiasticos, quia habet *verbum* Scripturæ *externum cui Spiritus S. est unitus*, *qui cum Verbo accendit* in ipso *lumen, affectus immutat*, facitque eos *spirituales*, & ipsum *regeneratum*, *sanctificatum*, *divinum potius quam hominem pristinum* &c. Sed si hæc asserat, jactantia in ipso de se major ista erit, quam quicquid mihi aliquoties in jactantiam de me non vere imputavit: tum & ipsemet omnesque ceteri, eum talem non esse redditum, convicti satis sunt. Neque Dei Verbum tales motus *accendit* qui contra ipsum Verbum sive Scripturam sunt. Præterea omnes in diversis ac oppositis Sectis qui Scripturam S. sive Verbum Dei externum admittunt, tales quoque agnoscendi essent, Spiritusque in iis esset Verbo unitus, accenderet in iis lumen fidei, affectus immutaret, divinos redderet &c. & tamen id non agnoscit in illis D. Jæger, neque id etiam alii in illo.

XXIX. Quod

XXIX. Quod si hæc ille, hunc Spiritum S. ejusque tales effectus nec in aliis nec in se ipso asserat nec agnoscat; tunc cadit illius assertum de Spiritu S. & effectis illius cum Verbo externo unitis quantum ad illius generalitatem. Tunc Spiritus S. ejusque effectus non in omnibus, sed in quibusdam tantum uniti erunt cum Verbo externo audito vel lecto: non in superbis, impiis, rixosis osoribus proximi, amatoribus sui, mundi & eorum quæ in mundo sunt, frigidis doctis ac literalistis criticis idealistisque turgidis; sed in humilibus, piis, pacificis, ad Deum & cœlestia adspirantibus, orationique magis quam Lectioni deditis. Hi demum Spiritum S. ejusque effectus reperiunt unitos cum Verbo externo; nec cum eo tantum sed & cum Oratione, imo cum omnibus quæ faciunt bono animo ad Dei gloriam & ut Deo placeant. Ceteri si cum D. Jægero arbitrentur se cum Verbo externo habere quoque unitum Spiritum S. qui in iis *lumen*, *affectus* motusque *immutet*, *divinos* reddat, veri sunt *fanatici* & *Enthusiastæ*, qualem se re vera deberet agnoscere quando id ipsum inique aliis objicere ei moris est. XXIX.

In quibusnam Spiritus S. ejusque effectus uniti sint cum Verbo externo.

XXX. Vidimus hactenus duo hæc præcipua, videlicet, quam frustra nobis imputavit D. Jæger, negationem sufficientiæ Scripturæ S., ut & fanatismum & Enthusiasmum. Deinde, illum ipsum potius reum esse utriusque horum defectuum. Restat videamus quomodo ipsemet nos ab illa sua in nos accusatione absoluturus sit. XXX.

Pro conclusione ostenditur Jægerum in intervallis lucidis plane idem hac in re docere quod Poiretus.

Quibus inest mentis tumultuosus affectus, ac vehementior alios impugnandi vel infamandi ardor, ii non raro, cum fervet impetus, quas propugnare alioqui debuissent partes, eas cœco æstu impugnant; propugnant è contrario quas deberent potius impugnare: Sed postea tamen, cum ad lucida redeunt intervalla, nonnunquam id omne quicquid antea cum magno fragore & clamore infestaverant, totum restituunt. Idem accidit hac in re D. Jægero, cujus ecce ipsissima verba, digna admodum quæ hic annotentur: Ita infit: (a) *Non quod asseramus* DEUM HAUD UNQUAM LUMEN MENTIBUS *hominum* PRÆTULISSE *ad* VERI COGNITIONEM; *nec posse* PER IMMEDIATUM SPIRITUS S. AFFLATUM ANIMOS EORUM ABSQUE ALIORUM SIGNORUM [verbi externi] ADMINI-

(a) Exam. Theol. Mystic. p. 387. §. XL. in Dissert. de Enthusiasmo.

MINICULO AD CERTAM FIDEM MOVERE: ABSIT! *Sed hoc dicimus: quod his temporibus omnis qui jactat divinas illuminationes, alloquia, visiones &c. illa ad Verbi & Rationis ex illo ratificatæ normam vel ipse exigere, vel, ut alii iis credant, permittere ut talia examinent juxta eam normam.* Atqui hoc ipsissimum est, quod ego huc usque & proposui & sustinui; nec aliud unquam mihi venit in mentem, nec, spero, veniet quoad usque vixero. Utinam vero D. Jægerum nunquam destituissent bonæ ejuscemodi & æquiores horæ! Non enim tunc dixisset ita crude vel à Præfatione sui EXAMINIS THEOLOGIÆ MYSTICÆ: *Omnes illi Mystici qui* IMMEDIATAS *Revelationes jactitant impostores sunt. Ac licet in moralibus multa pulchre & in speciem* PIE' *ac* SANCTE' *scribant, meræ tamen sunt præstigiæ.* Atqui illi qui vere Mystici sunt, & permiserunt, imo & rogaverunt, ut sua secundum NORMAM VERBI DIVINI examinarentur; hocque fecerunt ipsimet quantum id poterant.

CAPUT V.

De quarto Obice generaliori: Oeconomiæ Divinæ scopum esse tractare Mystica.

I. *Transitio ad sequentia. Quartus obex generalior.*

I. INstitimus diutius tertio huic D. Jægeri generaliori Obici præcedenti removendo, ea de causa, quod is ipsi omnium potentissimus esse videatur: siquidem cùm ei alicubi hæret aqua, vel cum cetera quæ objicit, non apparent ei efficacia satis ad scopum sibi propositum; tunc illico ad hunc recurrit obicem, & aliquid ex *immediata operatione* & fanatismo atque Enthusiasmo recoctum adfert & intermiscet. Supersunt adhuc generaliorum ejusdem obicum duo recensendi, quorum alter falsa est materiæ vel subjecti meorum librorum suppositio; alter Methodi qua dixi in eruditione solida progrediendum esse, impugnatio: ut ex hisce concludat & insinuet, omnia quæ his modis, uti dicit, à me scripta sunt, confestim rejicienda esse sine ulteriori eorum examine. Videamus singulatim unumquodque.

Om-

Omnibus perſuadere vult D. Jæger Librorum meorum, ac ſpeciatim Oeconomiæ Divinæ, materiam & ſcopum eſſe, tractare MYSTICA, ſive ea quæ ad Theologiam Myſticam pertinent. quæ vero cùm pleriſque qui hæc neſciunt, contemtui ſint, ne dicam odio, putavit hoc ipſo ſe illos omnes qui ipſi fidem ſunt habituri, remoturum ita à Librorum meorum lectione, ut nequidem illos dignaturi ſint adſpicere; qui quidem omnium obicum ſuorum ſcopus eſt præcipuus imo & unicus.

II. Hunc autem de Myſticis obicem ſcivit ille optime vel è ſola Præfatione Latinæ Oeconomiæ præfixa, falſum plane eſſe, imo excogitatum primo ab homine quem ipſemet dubio procul pro Socinianorum principiorum propagatore ac defenſore obfirmato habet. Vidit in ea Præfatione D. Jæger me de viro illo conquerentem (*a*) quod is ægre ferens me contra ejus perniciosa principia Sociniana atque Pelagiana ſtatuiſſe, & rationibus etiam ex ipſa rerum & ſubjectorum natura deſumtis probaviſſe inter alia peccati originalis, ejuſque in omnes Adami poſteros derivati ſolidam veritatem; noſtri omnium ad nos ex immenſa corruptione noſtra, ibidem oſtenſa, eripiendos omnimodam impotentiam; operationis Dei gratioſæ in intimis noſtris per Spiritum ſuum agentis, neceſſitatem; pluraque alia ſuis erroribus oppoſita; quod is, inquam, hæc ægre ferens, per ludibrium publico retulerit omnia illa eſſe *myſtica*, eo ſcopo ne lectores haberem qui diſſeminatis ejus erroribus noxiis eſſent contrarii: & hoc effecit erga plures plus ſatis qui profanæ ejus eruditionis admiratione miſere capiuntur, quamvis falſum ſcriptis meis ab illo inductum colorem ſum conteſtatus dudum in Epiſtola ad ipſum (*) à me publicata, ubi ea de fraude & impoſtura pluribus egi & conqueſtus ſum.

II. *Hunc J. licet falſitatem ejus ignorare non potuerit, ſæpius tamen objicit, ſuam ſimul ignorantiam prodens.*

(*a*) §. 50-59.

Placuit nihilominus D. Jægero & falſa iſthæc imponendi methodus eadem de cauſa; & pro *obice* novo generaliori eam ſæpius adhibuit, tum hic, tum alibi. In majori ſuo Syſtemate Theologiæ Dogmatico-Polemicæ, (†) affingit mihi, me *contendere apud* SOLOS MYSTICOS *veram Eccleſiam dari*. Infra, in

(*) *Epiſt. ad Auctorem Biblioth. Univerſalis.* §. IV. addita Libris de Erudit. Item in *Reſp. ad Parrhaſiana* D. Clerici, Confid. Special. num. 10. & 11. In Tom. II. de Erud. pag. 703. ad 709. (†) Lib. IV. Contr. 2. pag. 39.

in hoc ſuo Examine, pag. 337. proferens ex Oeconomia mea hæc verba: *Si baptizatus nullam operam det ut peccato moriens justitiæ vivat*; falſat hæc ultima, & ponit, MYSTICE *vivat*. Et falſatum hoc repetit in ſuo Syſtemate.

Speciatim autem ei fraudi conſecravit Diſputationes aliquot in Syſtema meum Oeconomiæ, quibus ſingulis dedit pro titulo, *Diſputatio* (I. II. III. &c.) *ex Syſtematis Poiretiani Libro I. Cap.... excerpta, ubi celebr. & ingenioſi* MYSTICI *bona & mala, vera & falſa, per theſes publicæ ventilationi exponuntur* &c. quarum vidi tantum ſeptem. In earum prima, theſique prima, ubi improbavit me Dei exiſtentiam conatum eſſe rationibus Metaphyſicis, quas ſubtilitates dicit, oſtendere; pro cauſa hujus ſuæ improbationis hæc addit: *Cui bono* MYSTICUS *talia ex Schola Metaphyſicorum promit?* In tertia itidem Diſp. theſi prima, ubi dixit, *In tertio Capite Dn. Poiret omnes rationi ſuæ habenas laxat, & oſtendit quanto polleat judicio & acumine diſputando magna animi contentione contra Scholaſticos*, (ſtatuentes idearum æternitatem & immutabilitatem:) ſubjungit pro cenſura ac improbatione ſua: *Nobis mirum fuit viſum, quod tantus Theologiæ* MYSTICÆ *admirator & cultor ad leves* (a) *ejuſmodi quæſtiones tanto ardore deſcendat, cum ſobria & pia Theologia* MYSTICA *tanquam impedimenta — abjiciat.* Scilicet perſuadere vult ſcopi mei me eſſe prævaricatorem, qui ſcopus ab eo mihi ſupponitur fuiſſe in eo libro tractare Myſtica, & tamen me ab eo ſæpe defeciſſe.

III. *Quàm parum idem capiat Metaphyſica.*

(b) Hujus refutationem vide in Præfat. Libri *Fides & Ratio.*

III. Non poſſum quin hic obiter tribus, ut ajunt, verbis perito Lectori commonſtrem quanta ſit D. Jægeri in hiſce rebus Metaphyſicis concipiendis ſolertia. Illico, in §. II. Diſput. I. accedit J. Lockio, (b) qui inſtinctus diviniores, ipſamque Dei ideam & conſcientiam, negabat intimis naturæ ſive mentis noſtræ impreſſiſſe Deum Creatorem noſtrum. Negat D. Jæger §. III. cum illo & quibuſdam aliis, nos habere *ullam ideam Dei*, quia *externa deſcriptione exhiberi non poteſt ejus pictura & delineatio.* Acute! Idea ipſi eſt imaginatio rei corporeæ ſcilicet. Porro ad Deum ipſum tranſiens, Diſp. III. §. 20. aſſerit. *nullas dari*

(a) Ignoravit D. Jæger earum pondus ingens ac ferme incredibile: quod qui videre cupit, legat, ſi placet, Librum meum, *Vera & cognita omnium prima, ſive, de natura idearum* &c.

teri in Deo ideas; & Disp. IV. §. 17. *Non opus habuisse sapientissimum Deum ut consuleret* (excogitaret, statueret) *Ideam antequam produxit hoc Universum. Ideæ primo in Platonis cerebro natæ sunt; postmodum per Cartesianum canalem ad Dn. Poiret fluxere: ut non dicamus quod* DOCTRINALIA *quæ sub istis obscuris dicendi modis latitant, vere* FANATICA *sint, &* CHRISTIANISMUM *non ædificent, sed evertant.* Item Disp. V. §. 18. Negatur *omnis existentia Idearum à Natura & Essentia divina distinctarum. Neque enim Dn. Poiret ullam rationem convincentem, imo ne probabilem quidem produxit pro Novella sua opinione.* Certe D. Jægero oculos neque dare, neque si clausos habet aperire possim, ut videat rationes de hisce in Oeconomiæ primis Capitibus exstantes: Viderunt eas satis & videbunt adhuc qui non sponte sua cœcutiunt. Atque ut plane convincantur *fanaticas* D. Jægeri exprobrationes, & malignas insinuationes de *doctrinalibus sub his latitantibus quæ Christianismum evertant*, non modo nullas esse, sed *Christianismum* inde *ædificari* posse; & contra, è crasso D. Jægeri errore nihil sequi nisi absurdissima quævis, Deo indigna, ipsumque etiam *Spinosismum*, legant, velim, si placet, totum quem ultimo de hisce scripsi Tractatum modo indicatum, *De Natura & Origine Idearum*: quem non vidisse pigebit qui magnificentissimam de Deo Ideam certissimamque de SS. Trinitatis veritate convictionem habere cupient. Inde patebit evidenter, uti & ex consecutionibus quæ passim in Oeconomiæ libris proferuntur, & in VI. sive ultimo quasi simul recolliguntur, nihil esse absurdius ac imperitius istis ac similibus D. Jægeri de hisce quæstionibus: *Cui bono Mysticus talia ex Scholis Metaphysicorum promit? Quî tantus Theologiæ Mysticæ admirator & cultor ad leves ejusmodi quæstiones tanto ardore descendit?* Quid hoc *ad Christianismi ædificationem* &c? Ipsissimæ illæ materiæ male intellectæ fallunt & seducunt doctissimos, eisque (†) perniciosissimas Religioni & pietati solidæ suggerunt consequentias: hi docti docent ceteros; & per hos cœtus hominum reguntur & instituuntur, unde mala in universos derivantur &

(†) Ex negato Dei conceptu arbitrario (cui obmurmurat D. Jæger, Disp. 3. §. 19.) deduxerunt fatalismum nonnulli; imo & Spinosismum: eo asserto, concidunt monstra illa & multa alia.

quaquaversum diffunduntur. Qui illis, doctioribus dico, in hisce primis principiis abstractis rectam ostendit viam, hoc ipso prævertit mala ista omnia & quæcunque inde quoquoversus sequi possunt, & locum aperit omni bono iisdem opposito. Ista si non videt D. Jægerus in hisce materiis, cur invidet mihi uti illa tractem? cur oppositis & absurdis erroribus Lockii, Malebranchii, & similium, unde fatalismum, Spinosismum, Manichæismum deducunt non pauci, favere mavult, quam veritatibus à me ostensis per quas hisce monstris non est locus? En quousque pervertant judicium invidia & malevolentia! Permittat D. Jæger ut ei dicatur quod res est: nimiis tenebris, præjudiciis, turbisque & agitationibus intemperatissimis repletus est ejus intellectus, ut ad hæc capienda & tractanda sit idoneus. Nihil vere futilius est continuis illis & absurdis obmurmurationibus quas in suis adversus Capita priora ipsi non intellecta Oeconomiæ meæ Disputationibus interseruit. Fecisset melius si se intra suos continuisset limites & cancellos; nec in his inscitiam suam simul & invidiam palam prodidisset pro sola libidine ponendi obices. Et ista quidem in transitu.

IV. *Sed nec magis aptus est ad mystica, quæ nunc suo modo & sensu probat.*

(a) Exam. Th. Nov. Controv. 33.

(b) Syst. Th. Tom. I. Ubi de peccat act. p. 5.

IV. Neque magis idem idoneus est ad res mysticas, sive sibi capiendas aut describendas, sive in aliis deprehendendas vel judicandas. " Homini cujus principia sunt, (a) vel ipsos regenitos, spiritu & gratia Dei ut ut præditos, non posse tamen amare Deum & proximum sicut Christus mandavit; nec posse quin sæpius peccata committant quæ (b) natura sua sunt mortalia; & præterea, bona opera ad salutem necessaria non esse; quid, inquam, tali homini, quibusvis insuper impotentis animi affectibus & motibus abrepto, possit esse Theologia mystica, si quam habet vel concipit, quam congeries vocabulorum quibus alii quidem sani profundos spiritualesque sensus divinis ac sanctissimis rebus consentientes jungant; ipse vero crassa cogitata cum suis affectibus & principiis congrua & concordantia iisdem intelligat & significet? Scripsit librum in quo sibi sumit vel è titulo instituere *Examen Theologiæ Mysticæ veteris & novæ*, in quo titulo & me cum aliis nominat. In eo libro videre est ad oculum, quomodo voces vel res mysticas, quando eas in se vel in Arndio vel in aliis etiam Catholico-Romanis

appro-

approbat, ad ſuos ſenſus trahat & accommodet: atque tunc ipſi laudantur & valent (*a*) tres viæ myſticæ, purificationis, illuminationis, & unionis intimæ; contemplatio, ſolitudo myſtica, ſilentium myſticum, quies myſtica, ſabbatum myſticum, Oſculum myſticum, paſſivitates, ecſtaſes, apparitiones, Dei in nobis habitationes, & operationes, & allocutiones, & vox Dei; CENTRUM omnium & animæ eſſe DEUM, in quem debeat illa redire, & in hoc CONTRA QUIESCERE; eandem eſſe centrum, domicilium ac regnum Dei, ubi reſideat Supremus iſte Rex; tranſmutatio, &, quod ipſi ſpeciale eſt *tranſſubſtantiationes in Deum*, (*b*) DEIFICATIONIS (*c*) quoque, & qui non actus ceteri myſtici.

(*b*) In Exam. Theol. Myſt. in Præfat. circa finem.

V. *Nunc ut deliria & errores fanaticorum traducit, nec animabus ſanctiſſimis parcens.*

V. Verum quando hæc ipſa, vel horum aliqua aut his vicina in nonnullis, quibus non bene vult, Auctoribus invenit, aut iiſdem per fas vel nefas attribuit, tunc eadem ipſi ſunt deliria & errores fanaticorum & enthuſiaſtarum: Atque ut colorem aliquem diſpari & iniquo judicio ſuo ſuperinducat, in peſſimum ſenſum, quantum poteſt, illorum verba, ſæpe & intenta, pervertit, conſequentiis iniquis gravat, imputat eis falſa & horrida, conviciis eos proſequitur infamibus, neque parcit idem animabus omnium ſanctiſſimis: Divinum Taulerum, quem ipſe Lutherus, quem pius (*) Arndius, quem (†) omnes qui ejus Scripta norunt in Orbe univerſo boni uno ore pro ſancto viro

(*a*) Vid. in Exam. Theol. Myſt. pag. 34-36, 70, 79, 81, 85, 90, 98, 104, 105, 112, 117, 118, 128, 139 & ſeqq. 152, 182, 183, 229, 231, 236, 308, 387, 399.

(*c*) *Deificationis* verbum eſſe Lutheri, Divinoque etiam Macario & aliis Patribus uſitatum vidimus ſuprà Cap. præced. §. 22.

(*) Libet hic apponere Arndii de Tauleri *phraſeologiis* & doctrina teſtimonium, omnes haſce Jægerianas criminationes retundens. Sic ille in Libr. III. de Vero Chriſtianiſmo, Cap. I. Edit. Londin. *In ſequentibus deinceps viri illuminatiſſimi,* JOANNIS TAULERI *Theologiam, ſervatis auctoris* VERBIS, *quantum licet, citaturus ſum. De qua notentur ſequentia. Quia Sacra Scriptura quanta quanta eſt cor hominis ſpectat, hinc ſimiliter* TOTA THEOLOGIA TAULERI *hominem interiorem, animaque fundum, & ipſa cordis penetralia reſpicit. Atque hinc eſt quod iterum iterumque inculcet,* DEUM *& Regnum Dei in fundo interiore pure habendum, quærendum, & inveniendum eſſe: hoc eſt: Quidquid Scriptura ſacra & illius ſana declaratio tradit extrinſecus; id omne in fundo cordis, in ſpiritu, veritate & facto ipſo quemlibet debere experiri & perſentiſcere.*

(†) Vide plura plurium de eo Teſtimonia in Hiſtoria Theol. Myſt. Dn. Arnoldi, Cap. XXI. §. 66. pag. 299. & ſeqq.

ac vivo Dei organo indubitanter habent, Jægerus (a) *pestiferæ doctrinæ sub ejus phraseologiis latentis* accusat, & (b) *fanatismi meri*, (c) *amentiæ*, & (d) *superbiæ spiritualis*, *stolidissimæ vanitatis*, *& arrogantiæ Luciferi.* Sanctissimam virginem Thereſiam, in qua puritas & castitas vere angelica fuit, publice proclamat Jægerus (e) *Hispaniæ Glycerium*, pro criminationis hujus auctoritate producens DOMINUM CANCELLARIUM OSIANDRUM, illum ipsum qui pium Arndium etiam diffamavit. Sed de his infra (f) erit dicendi locus. Mitto plures Sanctorum alios quos non minus passim conviciorum suorum sesamo & papavere perfudit, (g) idque tam acriter, ut quando aliquem simpliciter dicit *fanaticum* vel *enthusiastam*, id inter ejus dulciloquia numerari inposterum mereatur.

VI. Quandoquidem Theologiam Mysticam cum innumeris viris maximis & doctissimis, ipsoque Arndio, uti & Theologo illo Ratisbonensi (*) Henr. Ursino, quem ipse D. Jæger in Præfatione sui Examinis Theol. Myst. laudat, ita magni facio ut nihil supra; nemo non videt, me, cum è Theologorum sive Auctorum Mysticorum numero me excipio, id non facere quasi illius me puderet Theologiæ vere divinæ: sed è rei veritate, assertioni D. Jægeri, qui me vel principem inter illos, & malo quidem fine statuit, contraria. Nunquam de ea Theologia ex professo scripsi neque me de ea scribendi capacem credidi, multo minus, uti falso asserit D. Jæger, nec semel (h) eandem recoquit cramben, *me inter illuminatos immediate & adeptos annumerari*; aut (i) *me ab aliis credi regenitum*, *legemque implevisse volui: aut me putavi purificatum perfecte*, *nullum seminium ex antiquo serpente in me esse*, *legem Dei perfectissime implevisse:* qualia vel è sola conclusione Præfationis meæ generalis in Oeconomiam, (num. 45.) vel è speciali præfatione in Librum ejusdem V. vel è Capite hujus libri quinti IX. §. 45, 46. falsi evidenter convinci

(*) Verba ejus ita refert D. Jæger pag. 3. *Huic Theologiæ is propositus est scopus, docere quonam pacto homo ex Deo natus (regenitus) jam hic in terris per mysticam cum Deo in Christo unionem frui incipiat summo illo & æterno Bono, cujus causa & homines creati, & per Christum adoptati Spirituque ejus renati sumus. Tolle hanc, quid est Theologia nostra nisi quod de Aristotelis Dialectica dixit Tertullianus; quod sit artifex struendi & destruendi; operaria contentionum: in ore natat & spumat corde arido & exsucco.*

(a) Exam. Th. Myst. p. 112.
(b) Ibid. p. 79.
(c) Ibid. p. 98.
(d) In Disp. VII. §. 21. collat. cum §. 19. & 20.
(e) Exam. Th. Myst. pag. 355.
(f) Vid. Lib. IV. Cap. XI. §. 4.
(g) Vide dictum Cap. XI. Lib. IV.

VI. *Poiretum falsò inter Auctores Mysticos numerari, nedum se illuminatum jactaverit. Quam immerito hoc aliaque graviora ei affricentur.*

(h) Disp. IV. §. 4. & in Exam. Theol. Nov. pag. 146.
(i) Ibid. p. 398. 400. & alibi non semel.

vinci possunt. Ita ut Jægerus quando post eam calumniam de jactatione mei quasi *illuminati* & *adepti*, addit aliam incredibiliorem, nempe *me* (a) *credere quod sublimiora dicere queam quam* (a) Ibid. p. 146.
Joannes (Euangelista) *inspiratus à Deo*, plane esset inexcusabilis, nisi per ignorantiam, forte affectatam, pessime interpretatus esset locum Oeconomiæ ab eo citatum (Libr. I. Cap. 4. §. 2.) ubi ego locutus sum *de cogitationibus eorum qui Spiritus S. lumen adepti sunt.* Quod omnes qui locum inspicient, videre possunt, & Deus scit, a me de Joanne ipso, Apostolis, ipsisque sanctis similibus dictum & intellectum esse: Jægerus vero de me ipso dictum vult per *stultissimam arrogantiam & cæcitatem.*

VII. Quicquid autem de Theologia Mystica edidi, sunt vel aliorum Tractatus aliquot valde egregii, vel Præfationes quas, a me compositas, eisdem præmisi; *Apologiam* etiam illius contra D. Juriæi accusationes præposui *Theologiæ Germanicæ* Gallice a me editæ, quam Apologiam Clariss. D. Arnoldus subjecit Historiæ Theologiæ Mysticæ, ab alio, haud exacte non uno in loco, latine redditam, uti &, quæ meæ quoque est compositionis, *Epistolam de principiis & characteribus quorumdam præcipuorum Mysticorum*, quæ ultima a me auctior inserta est Tomo II. Operis *de Eruditione solida*, & seorsum quoque edita est sub titulo *Bibliotheca Mysticorum selecta.* In qua vero, imo nec in ullo ex meis operibus, nullam materiam mysticam data opera tractavi, uti neque in Oeconomia mea, tantum abest ut hæc sit Systema illius Theologiæ, veluti perridicule persuadere vult D. Jæger hac una de causa, quod forte in transitu feci mentionem Theologiæ illius honorificam, vel quædam subjecta ei vicina esse indicavi, quæ more non illius, sed meo & philosophico tractavi, & id admodum rarò; aut denique quia quæcunque dixi, iis modis eoque animo dixi, ut illi non obessent, sed ad eam potius præpararent, eandem licet minime exponerent.

VII. *Quid de Theologia Mystica ediderit.*

VIII. Fidem mihi qui hic nolint adhibere, inspiciant, si placet, vel solum indicem cujuscunque Systematis Theologiæ Mysticæ, vel etiam Examinis Dn. Jægeri, qui est post pag. 450. & conferant eum cum conspectu brevi Librorum & Capitum Oeconomiæ meæ Tomo I. ante Librum I. præfixo, quem & in fine operis hujus sub Lit. C subjunximus; atque tunc vide-

VIII. *Oeconomiam ejus nihil minus esse quam illius Theologiæ Systema.*

 bunt

bunt in eorum argumentis diversitatem dari omnimodam, eamque talem, ut quæ materiæ in Oeconomia mea indicantur & tractantur, eæ ad Mysticam Theologiam minime pertineant, nec in ullo ejusdem Systemate cujuscunque Auctoris reperiantur. Neque enim ullibi in ea tractatur de Dei existentia & natura demonstranda, de Ideis rerum divinisque decretis; de illarum proprietatibus: de productione hominis, ejusque animæ proprietatibus & facultatibus, corpore item, ejusdemque proprietatibus originariis, facultatibus, sensibus, passionibus: de peccato, malique vera origine; de lapsu angelorum & hominis, de peccati originalis propagatione; de liberatione hominis per Christi interventum ejusque gratiam, deque illius dispensatione per diversas periodos ante legem, post legem, post Euangelium, usque ad ultima tempora & adventum Christi gloriosum: de cooperatione hominis necessaria ad salutem cum gratia Dei: deque dispensatione gratiæ Dei ad hominum salutem à Deo ita provisa, ut nemo inde nisi sua culpa excipiatur.

IX. *Scopus Oeconomiæ Divinæ præcipuus. Quid Jægerum suique similes adeo contra eam concitaverit.*

IX. Quæ vero omnia argumentum sunt atque materia Oeconomiæ meæ, ejusdem vero præcipuus scopus (ad quem pervenire conatus sum per media quæcunque, innata, rationis, considerationis naturæ, Scripturarum sanctarum) trinus hic est, nempe, ostendere, imo demonstrare, 1. Quod Deus neminem hominum excludat à salute æterna per decretum aliquod qualecunque suum; contra rigidos Prædestinatistas. 2. Dei gratiam, in intimis nostris operantem, necessariam esse ad salutem cujusvis; contra Pelagianos & Socinianos. 3. Cooperationem nostram, sive viam quam debemus inire & sequi ut gratia & salute Dei fruamur, esse carni strictam & valde angustam; contra adulatores & doctores *aurium prurientium*, sive *magistros* illos *fabulatores ultimarum temporum* ab Apostolo (*a*) prædictos: in quorum numero si D. Jægerus suique similes se videant esse; non mirum videri debet, si ea de causa in Oeconomiam illam meam quicquid fraudis & artium possunt, moliantur, clament, debacchentur, pervertant, imponant falsa, criminosa, absurda, puerilia, inepta, & ridicula, atque vel ex Socinianismi fautoribus hanc fallaciam producant, œconomiam illam Mysticum opus esse, meque eam scripsisse Mystico animo.

(*a*) 2 Tim. 4. ℣. 3, 4.

X. In-

X. Intelligit autem exprimitque Jægerus ſe per hæc non Theologiam illam Myſticam, quam agnovit veram, ſignificare; ſed falſam aliam, cui pro principiis & proprietatibus paſſim aſſignat, *errores pernicioſos*, *impietatem*, *deceptiones*, *fanatiſmum*, *turbas ciere:* atque, dum me meaque titulo myſtico appellat, omnes in me veluti in ſceleratum aliquem turbatorem vel hoc ſolo titulo concitare contendit. E multis paſſim, hæc verba ejus ſunt quibus declarat me eſſe ſcopum ſpecialem omnium illarum impugnationum ſuarum ac impetuum: (*a*) *Ne cum turba*, inquit, *nobis res ſit*, *aut cum umbris ſeu jamdudum demortuis*, *ſumamus Principem inter hodiernos Myſticos & Enthuſiaſtas*, *Virum ingenio ac eruditione inſignem*, *dudumque in Republica literaria ob varia Scripta Celeberrimum*, *Dn. Poiretum*; *viſuri quænam ille nobis fundamenta*, *hypotheſes*, *& conditiones ponat ad percipiendas illuminationes immediatas*; *ubi ſimul in compendio habebimus quicquid tota Schola Myſtica præſumtuoſe dictitat.* Ac illico, *fundamentum* dicit *principale Enthuſiaſmi*, (cui ſcilicet deditus ſim,) eſſe *vaniſſimam opinionem*, *ſimulque impiiſſimam doctrinam*, hanc nempe, *quod Deus ipſe in omnium mentibus ſit:* in quam porro doctrinam fulminat: in me vero, quia alicubi dixi, (*b*) *Sapienter vetuiſſe Deum amicis ſuis* (*quales Myſtici fuerunt*) *ne quando ſacra canibus*, *& margaritas porcis objicerent*; in me, inquam, quin & in meliores è bonis, tenui imo nulla hac de cauſa, omnes ſic concitare conatur: (*c*) *Ex iſta declaratione*, *licet caliginoſa*, *liquet*, *primo*, *quid ſentiat Dn. Poiret de omnibus iis qui Myſticam ſeu potius fanaticam Theologiam non adorant: nempe*, *pro* CANIBUS *&* PORCIS *eos habet*, *qui indigni ſint margaritis myſticis. Videant ergo veritatis Evangelicæ cultores*, *& qui eam in Verbo Dei ſcripto quærunt*, *quid ſpei illis ſuperſit ſi Myſtici iſti Ecſtatici numero prævalebunt! Sane prout Judæi* INTERNECIONEM, *aut ad minimum fœdiſſimam ſervitutem*, *in corde dudum minati ſunt Chriſtianis ſi Meſſias ipſorum fictitius adventurus eſt*; *ita* VIX MITIUS ALIQUID *ſperare à Myſticis poterunt Scripturæ ſacræ cultores*, *qui ipſorum extravagantias non adorant: illos enim omnes pro* IMPIIS, PORCIS *&* CANIBUS *habent*, *de quorum exterminio ipſe Dn. Poiret multa diſcurrit & minatur Lib.* 4. *C.* 13. (ubi de impiis induratis & perſeverantibus agitur.) Quid dicam ad iſtiuſmodi crudeles

X. *Quid intelligat ille per Theologiam Myſticam cujus Poiretum clamoſiſſime incuſat junctis ſuſpicionibus enormibus & ſanguinariis.*

(*a*) In Diſſert. de Enthuſ. §. 17. in Ex. Th. M. p. 357.

(*b*) Oecon. Libr. I. C. 9. §. 2.

(*c*) Diſput. VII. §. 30.

deles & ſanguinarias ſuſpiciones ac (venia ſit verbo) ſuggeſtiones D. Jægeri, niſi inde omnibus patere eum non à Spiritu Charitatis Chriſti, uti Euangelicum Doctorem deceret, animatum talia protuliſſe: ſed diſturbata plane ac impotenti mente fuiſſe cum adverſus me calamum ſtringeret? Vix in tribus primis ſuis Diſputationibus ſpeciem aliquam moderaminis obſervare potuit, cum protinus in ceteris, imo in omnibus reliquis ſuis contra me Scriptis nullos ſiſtit impetibus ſuis limites ac modos; ſed quicquid in iratum immittitur à tentatore animum, id ſine cura veri, vel æqui, vel probabilitatis umbrâ, in illos effundit qui ei ita odioſi ſunt, ut cum vel me *Myſticum* dicit, hoc ipſo inculcet & ſignificet me eum eſſe à quo ſi *numerus* accreſcat, INTERNECIONEM, VEL VIX MITIUS ALIQUID *ſperare* habeant *veritatis Evangelicæ & Scripturæ ſacræ cultores?* Quis tali homini ejuſmodi *obices ponere* geſtienti & aſſueto fidem aliquam adhibeat, & ei reponat aliquid præterquam vota bonæ medicinæ & gratiæ Dei, quibus in integrum reſtitui & ſervari poſſit? Id quod ipſi ex animo comprecatus ſum ſæpius ac precor etiam uſque adhuc.

CAPUT VI.

De quinto Obice generaliori; Methodi qua Poiretus uſus ſit prætenſo defectu & nullitate.

I. *Quæ ſit illa methodus quam Jægerus hic gratis reprehendit non ſine ſcommatibus.*

I. SUpereſt è generalioribus obicibus D. Jægeri quintus aliquis, quem ideo generalem dico, quia contendit noſter eo poſito & ſtabilito, omnia quæ ſcripſi, ſaltem in Oeconomia, debere rejici ſine ulteriori examine, & pro falſis ac nullius momenti haberi. Is obex eſt, METHODI QUA me uſum dicit, *defectus vel nullitas.* Non autem intelligit per eam *Methodum* Regulas illas ſex quas in tractatu de Methodo inveniendi verum expoſui, & ſupra defendi contra Cl. Thomaſii oppoſitiones: ſed reſpicit ſpecialiores quaſdam conditiones quas ad *Eruditionem veram* conſequendam in Libro I. de Eruditione (*a*) propoſui, & quarum tres, mentis coram Deo *ſinceritatem*, *humilitatem* & *collectionem*

(*a*) In Parte I. §. XV. ad XIX.

lectionem dixi & ad FUNDUM animi intimum retuli: quatuor, cupidum *ardorem*, & *non limitatum*, *constantiam* ejus atque *fiduciam* ad DESIDERII facultatem; duas, *evacuationem* & *quietem*, ad INTELLECTUM spectare dixi; duas denique ad ACQUIESCENTIAM, nempe nostri *traditionem* Deo cum *patientia*. Miretur illico bonus quivis Lector, ubinam non quærere gestiat controversias controversiosus & rixosus D. Jægeri animus! Quis unquam proborum reprehensionem sonticam in hoc reperire contendat asserto, videlicet, quod *si quis solide velit erudiri, is mentis suæ intima debeat Deum versus cum sinceritate & humilitate colligere, opem ejus ardenter nec constricte, constanter & cum fiducia desiderando, eidemque intellectum suum cum acquiescentia, tranquille, sine plenitudine præconcepta, seque simul totum cum patienti exspectatione tradendo?* Et tamen hanc D. Jægerus *methodum* appellat (*a*) *infelicem*; & hinc Controversiarum in me suarum sumet initium, hinc omnium primam sui contra me libri, Examinis Theologiæ Novæ, ponet *Controversiam*, atque ex his & ex iis quæ hinc sua arte deducet, ero mox illi (*b*) *monstrosorum Dogmatum* auctor, *qui ipsum tenebrarum Parentem* habuerim *pro Informatore*, & ejus generis alia bene multa, quibus tædet lectorum oculos offendere.

(*a*) Exam. Th.N. pag. 19.

(*b*) Ibid. p. 20.

II. *Epitomæ ab eo factæ non fidendum: Ejusdem objectata dudum esse enervata.*

II. Perperam ille vel è prima *controversia* I. linea, falsum & invidiosum imponit titulum Methodo huic de Eruditionis solidæ acquisitione, quam *Methodum* THEOLOGIAM NOVAM *comparandi* appellat, non alia de causa, quam ut in gratiam tituli Libri sui, *Examen* THEOLOGIÆ NOVÆ, crediderit sibi licitam esse istiusmodi fallaciam. Moneo Lectores, ne supine fidem habeant ei Epitomæ quam se sex paginis (14. ad 19.) putat è dictis meis confecisse *ea qua possibile fuit* claritate. Egit & hic suo more, ac veluti olim G. Titius, qui totius Libri I. de Eruditione epitomen exhibens, eas commisit in hoc labore fallacias quas (*c*) ibidem ostendi, licet se bona fide egisse dictitarit. Atque, ut obiter hoc dicam, quisquis ea quæ D. Titii Objectionibus respondi, legere dignabitur, is videbit inde omnia ferme D. Jægeri objectata, ubicunque ea in variis suis Scriptis dispersa sint, dudum plane enervata, ut mirandum sit, D. Jægero esse adhuc animum ea interdum luci denuo exponendi, nec semel

(*c*) De Erud. Tom. I. pag. 587. ad 600.

mel hanc camarinam ſuam Lectoribus non uno in loco movendi.

III. *Oppoſitio ejus generalis ex effectis methodi prætenſis.*

III. Quid autem ille huic methodo opponere habeat, porro videamus.

Opponit generale quid ex effectis, ſpecialia è partium deſcriptione.

„ Illud huc redit. Si hæc eſt, uti eſt Poireti *Methodus*, is „ *dubio procul eadem uſus eſt* in libris ſuis conſcribendis, ac ſpeciatim in Oeconomia ſua, quæ ejus erit effectus. Is autem liber talis eſt, (*a*) ut *à multis retro ſeculis nullus liber lucem viderit qui plura monſtra dogmatum produxerit*; imo (*b*) in eo deprehendere eſt *ultra ter centum vanas*, *inutiles ac nocivas Chriſtianiſmo eumque deſtruentes* opiniones erroneas: ac ſpeciatim in „ materia de SS. Trinitate eas quas D. Jæger à pag. 22. ad 27. „ (extra locum quidem) deducit, & *blaſphemias*, *ſomnia*, *deliria* „ *ex ſtygia palude deſumta* &c. appellat.

(*a*) Ex. Theol. N. p. 20.
(*b*) Ibid. p. 151.

„ Hauſit præterea idem inde IMMEDIATAS ILLUMINATIONES, *alloquia interna & divina*, *dictamina Spiritus in anima* &c. quæ vero ipſus ſunt Enthuſiaſmus atque fanatiſmus.

„ Hi autem fructus, hæc effecta Methodi iſtius, peſſima „ ſunt: mala igitur eſt eorum cauſa & origo, ſive ipſa Poireti „ methodus.

„ Porro mala cauſa, mala arbor, nullos fructus bonos proferre capax eſt, ſed malos omnes eſſe oportet. Ergo quicquid „ Poiretus, qui ea uſus eſt, ſcripſit, ſpeciatim in Oeconomia, „ nullius eſt pretii, malum eſt, & vel ſine alio examine, omnino rejectaneum.

Hæc eſt vis demonſtrativæ oppoſitionis & *obicis* hujus D. Jægeri adverſus me, expreſſa & contracta melius quam mea ab ipſo Methodus. Ad quæ vero ſequentia obſervo.

IV. Reſp. (1.) *Quamvis ea eſſet Methodus Poireti, non tamen ſequi illum ea fuiſſe uſum in Oe-*

IV. Primò: Poſito hanc quam deſcripſi in Libro I. de Eruditione eſſe meam Methodum, meque ſecundum eam conatum eſſe uti me gererem, & mea conſcriberem, non tamen ſequitur me ea uſum eſſe dum ſcriberem Oeconomiam meam. Ratio: quia Oeconomia à me compoſita eſt plures annos antequam de Libris Eruditionis ac Methodo in iis tractata cogitarem. Prodiit enim Oeconomia Gallicè primum anno 1687. hi vero libri

anno

anno demum 1692. abſoluti ſunt; inter quod intervallum accidere poteſt mentis cogitatis & conſtitutioni ingens mutatio atque diverſitas, progreſſioque vel in meliorem vel in ſequiorem partem. Ita ut nulla ſit in hoc ratiocinio conſequentia: Hic homo hoc vel illo tempore habuit & deſcripſit talia cogitata, principia, axiomata, methodum: ergo quæ quinque vel plures ante annos habuit & protulit, ea ex iis cogitatis procedunt & judicanda ſunt. Hæc ſola obſervatio totam Controv. I. Jægerianam, quæ paginas plus viginti continet, enervat omnino: quod facit amplius & ſequens animadverſio.

conomiæ Libris:

V. Secundo: Ponamus tamen, uti vult D. Jægerus, hanc meam Methodum me voluiſſe ſequi tam in Oeconomia, quam in aliis Scriptis meis ceteris: ponamus item, (quod tamen plane falſum eſt,) omnes errores quos ille mihi hic & alibi imputat in ea libriſque ceteris meis contineri: non tamen ſequitur inde Methodum illam meam propterea malam eſſe, hoſque errores ex ea conſequi: ſed tantum, me non bene ejus leges ſecutum eſſe, meque deviaviſſe ab ejus viis quando in talia errata incidiſſe dicor, manente interim ipſa optima in ſe, atque tutiſſima, modo quis eam fideliter ſequatur. Exemplo fiet clara res vel in ipſo D. Jægero. Aſſumit ille pro bona & genuina Methodo, (a) quam laudat, omnibus commendat, & procul dubio ipſe vel conatur vel profitetur ſequi, divinam Scripturam, Verbum Dei, Evangelii doctrinam, à qua dicit *generari in legentis mente, divinum ſenſum, illuminationem intellectus, operationes Spiritus Dei, charitatem, pacem, gaudium, patientiam* &c. & omne bonum. Nunc autem in ipſius Operibus ſive Scriptis apparent paſſim ſenſus & affectus turbidi, hallucinationes erroneæ, fructus radicis amaræ, ſpiritus Caininus & malignus omnia in ſequiorem partem trahere geſtiens: apparent jurgia, iræ, convicia, maledicta, condemnationes proximi, & bonorum, & quid non iniqui præterea? Quid inde conſequitur? Methodumne & leges quas D. Jægerus commendat & ſequi profitetur, Scripturam videlicet ſacram & Evangelium, eſſe erronea, nullius pretii, rejectanea, & ex his nihil boni ſequi poſſe? Minime gentium: ſed, ea quidem in ſe eſſe optima, & quæ inde vere conſequuntur, eſſe divina, ac proinde merito à D. Jægero commendata; quas autem optimas

V. (2.) *Nec, etiamſi ea uſus fuiſſet, Librique errorum forent pleni, ſequi methodum eſſe malam. Simile exemplum in Jægero circa Scripturam.*

(a) Ibid. pag. 32. & ſeq.

mas leges methodumque ille pessime in praxi Scriptisque suis secutus sit atque imitatus. Videt ne nunc iterum & satis, nullam esse totam hanc controversiam suam primam ejusque consequentiam ab erratis commissis ad condemnationem Methodi & Regulæ præscriptæ?

VI. (3.) *Unde sit quod ille tot errores videat in Oeconomia.*

VI. Tertio, quod D. Jægerus dicat generalius tot monstrosa dogmata, imo vel plus ter centum in Libris meis Oeconomiæ Divinæ inesse, id neminem probum plane movere debet: Nam, (ne dicam summas veritates interdum esse D. Jægero summos errores,) mirandum est potius quod homini cui tam malignus est oculus, non visi sint in libris meis tot errores quot fere lineæ vel quot periodi: teste enim Salvatore, maligno oculo quicquid apparet, quicquid videtur, tenebræ esse debent. Matth. 6: 23. De Oeconomia mea librisque aliis longe aliter judicarunt Viri quam plurimi ubique, at in ipsa Germania D. Jægero longe solidius doctiores & corde integriores. Libros de Eruditione, in quibus est methodus ab ipso vexata, solebant serio commendare discipulis suis Clariss. Professores Spanhemius, Waejenus, De Vries, aliique vel è doctissimis atque probissimis, quibus non displicuerunt. Quantum ad errores circa SS. Trinitatem, quia hic à D. Jægero extra locum recensentur ad meram & iniquam contra Methodum invidiam; illeque præterea eam cramben infra, in Controv. IV. apponet, atque etiam aliis (a) in locis permultis vel ad nauseam recoquet, supersedebimus ei *obici* removendo donec ad specialiores sumus venturi.

VII. *Ejusdem mala fides dicentis secundum hanc methodum Poiretum exspectavisse & hausisse illuminationes immediatas.*

VII. Quarto, quod dicat idem, me secundum Methodum prædictam *exspectavisse*, &, opinione mea, *hausisse* hinc *immediatas illuminationes*, *alloquia cœlestia*, *Spiritus dictamina interna*, & similia quæ plus sexcenties passim recoxit; id facere non potuit sine mala fide, quam ut occultaret, suppressit quæ in ipso eodem loco paulo post eadem de re declaravi, & legit ipsemet propriis oculis. Scilicet postquam ibi dixissem eas mentes quæ secundum conditiones supra memoratas processerunt, eruditione vera donari à Deo, idque Deum exequi diversis modis, quorum qua-

(a) Reposuit in Disput. VII. §. 11. ad 15. In Exam. Theol. Myst. Cap. 10. pag. 46. & seq. item & p. 69. Ut & in System. Theol. Dogm.-Pol. Tom. I. pag. 110. & seqq.

quatuor enumeravi; horum quarto, qui omnium maxime ordinarius eſt, cum ceteri ſint rariores, pluribus inſtiti quam reliquis omnibus, & ſic orſus ſum: (*a*) *Vult interdum Deus* NON, *ita ut tribus primis modis*, NOS SINE MEDIIS, SED ALIORUM HOMINUM INTERVENTU *erudire*; *idque & in mere ſpiritualibus atque divinis*, *& in iis quæ inferiorum ſunt facultatum atque rerum:* quod eruditionis adipiſcendæ genus præ ceteris inſigniter commendo, tum quia *animi frangit ſuperbiam* ſeſe creaturæ ſive medio creato propter Deum ſubjicere; tum quia omnibus *tutius eſt* media & inſtrumenta Dei conſulere, quam ſi ſe conſulerent ipſi; *ſiquidem cor noſtrum cum de faciendis & omittendis*, *de veris & falſis*, *de divinis & moralibus illud interrogamus*, *ſæpe nos*, (*rudes & imbecilles*) *decipiat & fallat*; *id quod Mens à Deo ipſo erudita & aliis erudiendis à Deo præfecta facere non poteſt:* denique addidi *id eſſe etiam perfectius : plus enim in hoc humilitatis eſſe ſiquis velit Deo & creaturis ſubjici*, *quam ſi Deo ſoli*, & non creaturis. Numeravi autem deinde inter illa Dei inſtrumenta & media per quæ homines erudit, *Prophetas & Apoſtolos*, idiotas licet, vel etiam mulieres, uti fuere *Debora*, *& Hulda*, quod ipſum eſt idem atque ſtatuere, Scripturas Sacras eſſe medium per quod Deus nobiſcum eruditionem veram communicat.

(*a*) De Erud. Lib. I. §. XXVI.

VIII. Ex quibus omnibus patet evidenter frauſque falſitaſque D. Jægeri mihi ex mea methodo, & infinite paſſim, *immediatarum illuminationum*, *alloquiorum cœleſtium* & quæ ſunt iſtiuſmodi aucupium imo & jactationem exprobrantis, niſi vero hoc unum probet pro effugio, me iſti quem jam recenſui & quem ille reticuit, eruditionis adipiſcendæ modo ac medio, renunciaviſſe quantum me reſpicit, & revelationes immediatas, alloquia, viſiones &c. aucupatum eſſe, jactaviſſe, & aliis commendaviſſe: quod vero nec ille nec hominum ullus ex meis vel Scriptis vel verbis ſe percepiſſe unquam cum veritate dicere poterunt. Scripta mea laudibus & commendatione Scripturarum ſacrarum abundant. Tractatus etiam ſcripſi (*b*) integros, ut quibuſvis indicarem & commendarem media ſeſe vere erudiendi in Sanctorum ac theodidactorum Auctorum libris; nec erubui ſi quid Deus mihi ſolidi & veri communicavit, id profiteri eveniſſe per medium & interventum ſimilium cum divinis Scripturis. Oppono D. Jægeri

VIII. *Calumnias hinc formatas factis ipſis publice deſtrui.*

(*b*) Bibliothecam Myſticorum ſelectam.

& ſui ſimilium calumniis de immediatarum locutionum, inſpirationum, illuminationum fanatica & Enthuſiaſtica exſpectatione vel jactantia, non ratiocinia vana vel metaphyſica, ſed res facti, facta ipſa mea dudum & ad hanc uſque diem perſeverantia ante oculos patentia omnium. Sed malunt maledici, uti pergant, oculos claudere.

IX. *Specialia quæ hic objectat fruſtra & præmature.*

IX. Objecit & quædam ſpecialia contra partem non unam Regulæ ſive (ſi mavult) Methodi ante dictæ D. Jægerus: ſed quæ idem plane cum præcedentibus objectatis ſuis ſapiunt & valent. Quod *timori* & *humilitati*, primis requiſitis obmurmurat, id aërem ferit, non ipſam Regulam in ſe conſideratam. Circa requiſitum tertium non percepit recte mentem meam, quæ hæc eſt. Facultates omnes noſtras debere ita conſtitui ut ſuperiores quidem (deſiderium, intellectus & acquieſcentia) Deum verſus colligantur, coram eo ſe geſturæ & acturæ uti poſtea oſtenditur; inferiores autem, tam Ratio quam ſenſus eorumque exercitationes, (neceſſariis exceptis,) ſeponi debeant, *ſilere & quieſcere*, *nexuſque cum ſuis objectis non neceſſariis* tunc diſſolvi. Neque hic adhuc, uti putat, de *ſilentio* agitur facultatum ſuperiorum: ſed infra demum, ubi de requiſitis facultatis intellectus agitur ejuſque quiete, quæ eadem eſt cum ſilentio. Interim D. Jæger adeo actuoſus eſt, ut ſe continere non poſſit quin præmature & ante locum oſtendat, & quidem ſibi ſimul contradicendo, diſplicere ipſi admodum tale ſilentium. Affirmat enim vel mihi ipſi (*a*) *impoſſibile eſſe intra totum vitæ ſpatium vel per unicam horam illud exercere:* ſuprà poſuit & inculcavit me Methodo illa mea *uſum eſſe*, & ſuper hac poſitione ſua accuſationem de captatione immediatarum revelationum conſtruxit: nunc autem ſuæ poſitioni & accuſationi ſimul derogat.

(*a*) Ex. Th. Nov. p. 28.

X. *De ſilentio interno ſcripturam contra ſeipſum profert. Quàm indigne de Paulo loquatur.*

X. Tum addit, *Deum in revelato ſuo Verbo hoc Requiſitum à nobis non exigere*; & profert duo loca contra ſe; alterum è Pſalmo 121. ubi *oculi* dicuntur *ad cœlum attolli*; quod plane idem eſt ac intellectum offerre Deo vacuum & quietum ab objectis creatis & terreſtribus; alterum ex Iſaiæ 1. *ut aures præbeamus ad percipiendam vocem Dei:* quid autem eſt præbere aures & auſcultare, niſi ſe in ſilentio continere attendendo ad eum qui locuturus eſt? quæ vero *locutio* ubi ſit & *admittitur*, non eſt oppoſita ſilentio

lentio requisito, ut absurde (*a*) objicit D. Jæger; sed contra, silentium animæ est receptaculum vel locus vocis & locutionis Dei. Non posset melius ostendere D. Jæger se in his nil capere vel capere velle, seque ipsum studio contradicendi plane occœcare, quam istiusmodi & sequentibus oblocutionibus, & cum addit: *Non habet veram sui & communis nostræ fragilitatis cognitionem, quæ tamen fundamentum est veræ humilitatis, qui putat tale silentium tamque divinam* QUIETEM *facultatibus animæ nostræ induci posse*; nec pudet eum paulo post ipsi etiam divino Apostolo Paulo QUIETEM & PACEM derogare; adducto loco ubi de alio prorsus statu agitur. Bone Deus! Is qui in Epistolis omnibus suis pacem optat fidelibus cunctis, & Philippensibus annunciat pacem quæ superat omnem sensum, is non fuerit in pace; nec potuerit in silentio & quiete percipere vocem illius qui loquebatur ad cor ejus! & *Humilitas* fuerit obstaculum ne mens fidelis quiete frui possit! Atqui humilitatis est obsequi ei qui nos vocat ad ejus vocem audiendam, hoc est, ad silendum cum attentione ad eum, quo mandato tota Scriptura plena est. Addam postea, ut Jægerum pudeat cœcæ suæ contradicendi libidinis, loca nonnulla è suo Luthero, Arndio, imo & verba S. Augustini ab ipso D. Jægero ea de subjecto citata. Pergo ad reliquas ejus oblocutiones.

(*a*) Ibid. p. 29.

XI. Indigne cavillatur (*b*) circa *vocem interni Eruditoris* hoc modo: *vel intelligit* P. *verbum & vocem Spiritus S. in Codice sacro sonantem, & sic necessario admittere debet aurium, sensuum internorum & intellectûs usum: vel intelligit* IMMEDIATAM *quandam illuminationem, & alloquium divinum in mente, & sic* FANATISMUM. &c. Respondeo, *Vox interni Eruditoris* est Dei in mente operatio (*c*) IMMEDIATA, hoc est, quæ distincta est à naturæ nostræ viribus & actibus, & quæ ab ipso Spiritu Dei fit in homine etiamsi is tunc non legat vel audiat Scripturam S. quam utique vel ipse Jægerus semper & continue non legit vel lectam audit: dantur enim sine comparatione plura & majora intervalla cessationis à lectione vel auditione Scripturæ, quam occupationis circa eam. In istis longis & frequentibus intervallis quis prohibet intellectum suum offerre Deo in corde nostro præsenti? atqui tunc Deus, cum mens bene disposita est,

XI. *Respondetur ad cavillationem circa vocem interni Eruditoris;*

(*b*) Ib. p. 30.

(*c*) Vocabulum Luthero in usu. vid. supr. Libr. I. Cap. IV. §. 14.

eſt, in illa per Spiritum ſuum operatur quævis bona & ſalutaria, dat etiam, quantum ei ad ſalutem conducit, intelligentiam contentorum in Scriptura quam tunc non legit, & quam antea legerat non tam bene intellectam, dat & auget in animo contenta ſubſtantiamque Scripturæ (fidem, ſpem, charitatem, juſtitiam, aliaſque virtutes) etiam ſine actuali cogitatione de Scriptura & de vocabulis ejus. Decies, quid decies? tantum non centies plus temporis habent plerique hominum quod poſſint impendere Deo intus quærendo, ei attendendo, ſeque ſuaque intima ei offerendo, quam legendis Scripturis. Ecquis tum ab eis operationes Dei in interioribus prohibebit? Iſtane vel ſaltem ſemel non recuſabit pertinaciter D. Jæger bene percipere, & ab enthuſiaſticis & fanaticis ſuis accuſationibus, & inſultationibus pudendis in Lutherum ſuum & Arndium alioſque bonos recidentibus, tandem deſiſtere?

XII. *Ut & circa* deſiderium, *intellectusque* evacuationem *&* quietem. (*a*) Ibid. p. 30. (*b*) Rom. 8. ℣. 26, 27. (*c*) Jæg. ibid. p. 33.

XII. Ut cavillari pergat D. Jæger circa requiſita cetera de quibus in Regula agitur, addit de deſiderio, me (*a*) *in Oeconomia* mea, *deſideria omnia activa tanquam imperfecta rejicere*, *paſſiva ſaltem admittere*: quod itidem falſum & fraudulentum eſt. Deſideria activa (ut videre eſt vel ex Indice Oeconomiæ) minime abjeci, ſed admiſi, & ſi imperfecta eſſe dixi ſi ſola & ſibi limitata manerent, nec accederent iis deſideria Spiritus Dei ſive a Spiritu Dei infuſa: quandoquidem (*b*) *quid oremus* (quid deſideremus à Deo) *ſicut oportet, neſcimus: ſed Spiritus ipſe poſtulat* (deſiderat) *pro nobis: qui autem ſcrutatur corda* (in quibus Spiritus deſiderat & poſtulat,) *ſcit quid* DESIDERET *Spiritus: quia ſecundum Deum poſtulat pro Sanctis.* Falſum eſt itaque me & Auctorem ibidem à D. Jægero notatam (Dn. Gujoniam) *per preces, paſſiva tantum deſideria, & non activa adſtruere*; & pudenda eſt ignorantia in Theologo (e contradicendi libidine orta) quod PRECES PASSIVAS (effectus Spiritus ſancti, à Paulo aſſertas) ibidem rejiciat adeo notanter, ut ad hoc majuſculis etiam utatur literis, exigens, ut (*c*) *Scriptura S. lecta* ſit *cum attentione &* PRECIBUS *Activis*, NON PASSIVIS: idque vel in indice libri etiam annotet. Denique ut aliquid etiam contradicat conditionibus intellectus, ejus videlicet *evacuationi* præcedaneæ & ab activitate *quieti*, vexat intellectus *paſſivitatem*, qui tamen debuiſſet vel ex

Phi-

Philosophiæ (*a*) elementis meminisse eam ad naturam intellectus pertinere maxime, vel ex Libris suis (*b*) Symbolicis retinuisse eandem ubi de salutaribus agitur, in intellectu aliisque facultatibus planissime requiri. *Quieti* à me commendatæ ut malum dicat verbum, ait p. 31. *Molinistice* & *Quackerice dicta esse* ea quæ dixi: cur non *Lutherice* & *Arndistice*, eam siquidem Arndius & Lutherus tantopere, nec semel, commendarunt? Verum ut insinuet noster me de alia esse locutum atque viri illi, is quietem, de qua ago, aliquoties jam ante veluti cautionis ergo, appellavit (*c*) *quietem* PASSIVAM. Ille scilicet quietem activam bene; ego passivam, male sustineo! Acute omnino! Ubi verò unquam audivit, vel etiam observavit aliquid D. Jæger de *quiete* ACTIVA, nisi forsan in suo vel sui similium turbulento & inquieto corde vel intellectu, ubi vel ipsa quies inquietudo est & agitatio perpetua, veluti in mari quod nunquam quiescit? Vera quies ex natura sua ipsiusque vocabuli sensu dicit cessationem ab agitatione, a motu, ab *actione*, infertque & notat statum revera *passivum*. *Evacuationem* ridet in pag. seq. *Heus, evacuate vos!* & in dissertatione (*d*) de Enthusiasmo: & tamen Arndius eam commendat, vultque (*e*) *fundum animæ* esse *vacuum*, ut *illuminetur in veritate.* Et vel sola ratio sive sensus communis evincit, eum qui accedere vult ut discat & doceatur, stulte facere, si accedat plenus præjudiciis & ideis omnis generis quæ nolit deponere.

(*a*) Vid. de Erud. Tom. I. pag. 499, 500.
(*b*) Form. Concord. p. 656.
(*c*) Ex. Th. N. p. 20, 21, 22, 26.
(*d*) Thes. 22 ad 24.
(*e*) de Vero Christ. Libr. III. C. 11.

XIII. Addit de eadem *evacuatione* noster lepidam hanc quæstionem; (*f*) *Cur, quæso, Dn. Poiret non* EVACUAVIT *suum intellectum à præjudiciis quæ ex doctrina Mad. de Bourignon hausit?* idem quærit & de Boëmio. Sine ratione id postulat D. Jæger: Enimvero Poiret, quando scripta Dn. Burignoniæ in ejus manus incidebant, non habebat ulla *pro* iis prius incognitis *præjudicia*: habebat potius (quippe in partibus oppositis natus & educatus) præjudicia illis contraria; suspectum erat ipsi, pro more quarumvis partium, quicquid ab Auctoribus partium aliarum quam suarum, veniebat. Hæc ipsius *præjudicia*, (quod D. Jægerus de suis non fecit,) seposuit candide coram Domino, & oravit eum in sinceritate cordis ut adesset sibi, quo posset ejus auxilio cognoscere & discernere quid in hisce aliisve Scriptis veritas

XIII. *Et ad quæstionem de præjudiciis è Scriptis Burignoniæ haustis. Quo animo ea legerit & quid in iis invenerit P.*
(*f*) Ibid. pag. 31.

veritas esset divina ac salutaris, aut secus. Ita plane egi, nec aliud in hoc quæsivi quam veritatem Deo gloriosam & animabus nostris salutarem. Atque tunc bonus Deus exercens mecum misericordiam suam, vivide, evidenter, indubitate cordi ac intellectui meo indidit impressitque eorum quæ legebam, speciatim librorum Dn. Burignoniæ substantiam veritates esse solidissimas, à Deo profectas, Christianismi hodierni & uniuscujusque nostri mala dissimulata detegentes eorumdemque remedia, quæ si quis fideliter adhibuerit, is, ad beatum & æternum finem, ob quem creati omnes sumus, per viam à Christo calcatam & commendatam perventurus erit. Hæc jam non sunt *præjudicia* quibus mentem *evacuare* oporteat: sed sunt mihi judicia vera, post *præjudiciorum evacuationem* per hos libros & gratiosam Dei operationem cordi & intellectui meo vivide & evidenter inscripta, quæ conservare, iisque magis ac magis obsequi ut possim quoad vixero, faxit Deus O. M. horumque det copiosius experimentum quibusvis boni cupidis, qui serio suam miseriam cognoscere, & gratiam Dei qua sanentur adipisci desiderabunt: quod opto & ipsi D. Jægero, ridens ceterum tranquille ad hocce illius de me cœcum judicium: *P. ipsum tenebrarum Parentem habuit pro Informatore:* &, *Neque dubium est quin ipse Poiret per præstigias Diaboli fuerit seductus*, similesque Jægeriani horti & pectoris elegantes flosculos.

XIV. *De silentio, quiete, evacuatione & attentione interna ex Augustino;* (a) pag. 135.

XIV. Promisi (§. 9.) descriptionem quorumdam locorum huc facientium. Eam, vel potius breve ejus specimen, sequi nunc oportet.

Primam ex Augustino desumam, eandem omnino ipsam quam in suo (a) Theologiæ Mysticæ Examine D. Jægerus ex eo Patre, quem illuminatissimum Doctorem ibidem (pag. 258.) appellat, descripsit. In eo loco videre est, quî Augustinus cum matre, omnes species sensuum & creaturarum è mente evacuans & prætergrediens, in omnium *silentio* inque intimis *vocem Dei ipsius* susceperit, & primitias quasdam perceperit ejus quæ consummabitur demum post hanc vitam, intelligentiæ, sapientiæ, „ salutis lætitiæque divinæ. Ita ergo infit: (b) Si cui sileat tu- „ multus carnis, sileant phantasiæ terræ, aquarum & aëris, „ sileant & poli, & ipsa sibi anima sileat, & transeat se non „ se

(b) Aug. Conf. L. IX. C. 10.

„ ſe cogitando; ſileant ſomnia & imaginariæ revelationes; om-
„ nis lingua, & omne ſignum, (littera) & quicquid tranſeun-
„ do fit ſi cui ſileat omnino; quoniam, ſiquis audiat, dicunt
„ hæc omnia: Non ipſa nos fecimus, ſed fecit nos qui manet
„ in æternum: his dictis, ſi jam taceant, quoniam erexerunt
„ aurem in eum qui fecit ea; & loquatur Ipſe ſolus, non per
„ ea, ſed per ſe ipſum; ut audiamus Verbum ejus, non per
„ linguam carnis, neque per vocem Angeli, nec per ſonitum
„ nubis, nec per ænigma ſimilitudinis; ſed Ipſum quem in
„ his amamus, Ipſum ſine his audiamus: ſicut nunc extendimus
„ nos, & rapida cogitatione attingimus æternam Sapientiam,
„ ſuper omnia manentem; ſi continuetur hoc, & ſubtrahantur
„ aliæ viſiones, longe imparis generis, & hæc una maneat,
„ & abſorbeat & recondat in interiora gaudia ſpectatorem ſuum;
„ ut talis ſit ſempiterna vita quale fuit hoc momentum intelli-
„ gentiæ cui ſuſpiravimus: Nonne hoc eſt, Intra in gaudium
„ Domini tui? Et iſtud, quando?

XV. Lutherus de veritate Evangelii intelligenda in *cordis ſilentio* ſive *quiete*, *evacuatione*, *internaque* attentione ut vere *illuminemur*, ita loquitur: (*a*) *Evangelium ita clarum eſt, ut non egeat explicatione multa: requirit tantum ut bene conſideretur, & nobis cordi ſit: nemoque majorem inde utilitatem feret, quam illi qui cor ſuum tenent* QUIETUM, (vel ſilens, ſtille halten.) *omnibus* EVACUANT, *& diligenter* INTUS *inſpiciunt* (vel attendunt:) *ad eum modum quo ſol in quieta aqua ſeſe conſpiciendum præbet, eamque efficaciter calefacit; at in agitata & currente aqua id neque ita facit, neque aqua caleſieri poteſt. Quapropter, viſne & tu hic* ILLUMINARI, *divinas gratias &* MIRABILITATES VIDERE, *ita ut cor tuum ardeat, illuminetur, devotione ac gaudio repleatur; Ito, &* QUIETUS (ſive ſilens) eſto.

XV. *Item ex Luthero,*

(*a*) In Poſtill. Evang. die Nativ. Chr. fol. 67. a. apud D. Arnold. in vit. Luth. p. 536.

Idem de operatione Dei in nobis, deque ſilentio vel quiete & ſabbato interno ita: (*b*) *Sancta mentes ſibi invigilarunt ne quicquam aggrederentur niſi prius certa eſſent Deum id* IN ILLIS OPERARI: *ac ſicubi certa non erant,* QUIESCEBANT (vel ſilebant) *ab omni* ACTIONE *& locutione ſua: atque hoc vere eſt* SABBATUM *illud verum, quod univerſi nunc deſeruerunt.*

(*b*) Tom. IV. Jen. fol. 516.

Addam & tertium locum, quem reperio apud D. Joach. Lan-

 gium

gium in ſuo Antibarbaro Hermeneutico, To. I. ſect. 1. p. 155. qui liber D. Jægero bene legendus eſſet, ſibique maximam partem applicandus: (a) *Quemadmodum ſupra*, inquit Lutherus, *ita & nunc hortor, ſi Spiritus S. dum talia cogitas interveniret, inciperetque ipſe in corde tuo cum ſplendidis* (copioſis) *& luminoſis cogitatis prædicare: præbe tu illi hunc honorem, ut conceptus tuos dimittas.* SILE & AUSCULTA *eum, qui melius quam tu prædicare poteſt: quodque ille prædicat, hoc tu nota & deſcribe, & mirabilia experieris.* Addit D. Langius & ſequentia Melanchthonis verba Lutheri ſcriptis inſerta: *Sua* SILENTIA *amat Spiritus.*

(a) Tom. VI. Alteb. fol. 473.

Alio in loco inſinuat Lutherus, Deum nos attrahere ad intima noſtra, ubi nos illuminet, & patiamur ejus actionem ſine agitatione & activitate noſtra: (b) *Impius*, inquit, *non venit etiam audito Verbo, niſi* INTUS *trahat doceatque Pater; quod facit largiendo Spiritum. Ibi alius tractus eſt quam is qui foris fit: ibi oſtenditur Chriſtus per* ILLUMINATIONEM *Spiritus, qua rapitur homo ad Chriſtum dulciſſimo raptu, &* PATITUR LOQUENTEM DOCTOREM *& trahentem Deum, potius quam ipſe quærat & currat.*

(b) De Servo Arbitr. p. 368. Ed. Smid.

XVI. *Et ex Arndio.*

XVI. Tertius liber Arndii de Vero Chriſtianiſmo pene totus hîc deſcribendus eſſet: è quo hæc pauca, de mentis intimis, deque requiſitis ad quærendam Dei Sapientiam, ejuſque excellentia, accipito. E Præfatione in eum III. Librum: „ Introvertamus nos ad æternum, abſconditum, cœleſte & æternum bonum, ac theſaurum illum incomparabilem. Quid quærimus extra nos, in mundo; cum intus, in nobis habeamus omnia, totum Regnum Dei cum bonis ſuis univerſis? Nam in corde noſtro & anima, vera eſt Schola Spiritus S., vera officina SS. Trinitatis, verum Dei Templum, verum denique oratorium in Spiritu ac veritate. Joan. 4: 23. - - - Ad hoc autem requiritur anima QUIETA ET TRANQUILLA - - -: ita Spiritus S. in hujuſmodi animam ſe effundit. Dein Cap. I. §. 2. ſcire prius oportet quomodo animus noſter ad tranquillum illud ſabbatum perveniat, - - - per introverſionem in ſe ipſum, immo in Deum. - - - Ex hoc theſauro orta eſt omnis ſapientia hominum divinitus illuminatorum quotquot unquam vixerunt, adeoque ipſorum Sanctorum Prophetarum & Apoſtolorum.

„ lorum. - - - Apud Deum non externum valet; ſed internum: „ non quod in litera conſiſtit; ſed quod ex Spiritu proficiſcitur. „ Et Cap. II. §. 5. & 6. Neque enim Deus alia re indiget ad „ opus ſuum in nobis obeundum, quam corde HUMILI & „ TRANQUILLO: quod cum habet, in anima hominis ea o- „ pera edit quæ & nullis viribus humanis poſſunt præſtari, & „ hominis oculos aſpectumque non admittunt. - - - Ubi homo „ cor ſuum amore mundano, proprio, & appetitu affectuque „ rerum terrenarum exſpoliavit & VACUEFECIT; Deus non „ poteſt non VACUAM & FERIATAM animam divinâ ſuâ „ gratiâ, charitate, SAPIENTIA & COGNITIONE ad- „ implere.

Producam adhuc locum unum è Cap. VI. §. 1. unde ſubſtantia omnium ferme quæ de Eruditione dixi, confirmari poſſit. „ Etſi Dilectus noſter (Filius Dei, Verbum Patris) ſemper no- „ biſcum eſt, nunquam tamen ſe patefacit niſi cum cor TRAN- „ QUILLUM eſt, cum omnes ſenſus INTROVERSI ſunt, „ & in Deum COLLECTI QUIESCUNT: cum in intellectu „ NIHIL terrenum apparet; ſed univerſa animalis ſapientia „ occidit, & in divinam noctem & caliginem eſt commutata. „ (Hæc eſt *vacuitas* intellectus.) Tunc DIVINA LUX exori- „ tur, & fundit de ſe radium & ſtricturam per tenebras & ca- „ liginoſum illud (*fundum*) in quo Deus habitat, in quo volun- „ tas dormit & cum Deo eſt unita, in quo denique memoria „ mundi & temporis eſt oblivioni tradita. Unde & viciſſim in „ momento divina lux INTELLECTUM ferit, cœleſte de- „ ſiderium VOLUNTATEM, & æternum gaudium MEMO- „ RIAM (*acquieſcentiam*): utcunque nec intellectus, nec vo- „ luntas, nec memoria quicquam horum comprehendere aut „ continere valent: non enim ipſis animæ facultatibus hoc in- „ hæret aut inſidet: Sed in illius *intimo fundo* ac eſſentia occul- „ tum permanet.

Et hæc quidem ſufficiant ad remotionem *obicis* quinti generalioris D. Jægeri, quo contendit vitilitigare circa ea quæ dixi requiri ad adeptionem veræ Eruditionis, ut inde concludat in genere, falſa eſſe omnia, quæ hinc per me in Oeconomia aliiſque Scriptis prodierunt.

XVII. *Verbulum de Methodo à Jæg. commendata, rejectis quiete & evacuatione facultatum precibusque passivis.*

XVII. Non examinabo multis eam quam ipse postea opponit & laudat *Methodum ad Eruditionem solidam ac divinam acquirendam*, scilicet, (*a*) SCRIPTURAM SACRAM, rejiciendo simul, *inactionem* (quam Lutherus & Arndius sub nomine *sabbati* tantopere commendant,) rejiciendo item *silentium in facultatibus animæ*, *quietem*, *evacuationem*, *exspectationem Operationum divinarum*, quam deridet ibidem. Admittit equidem (*b*) *postea attentionem* & *preces*; sed *activas*, *non passivas*. Verum ATTENTIO sine silentio & *quiete* est merus *perturbatus adspectus*: eadem sine evacuatione prævia, est attentio ad præjudicia partium & affectuum: eademque sine exspectatione operationis divinæ, est superba tantum præsumtio de propriis viribus, & confidentia in se: *preces* autem *activæ*, rejectis à Jægero passivis, sunt nihil aliud quam desideria propria affectuum & præjudiciorum quæ non pudet eum Deo offerre uti illa habeat rata. Qualem vero *attentionem*, *precesque* ejusmodi *activas* habere D. Jægerum *cum lectione Scripturæ* aliorumque etiam librorum pro *methodo eruditionis suæ* minime dubito, convincor ex fructibus.

(*a*) Jæg. ibid. p. 32. &c.

(*b*) Ibid. p. 33.

XVIII. *Deque fructibus ejusdem methodi suæ omnibus conspicuis.*

XVIII. Et sane convincentur omnes qui ejus opera, speciatim adversus me videre dignaturi sunt, eum Scripturæ aliorumque librorum Lectioni se applicuisse cum mente minime *inactiva*, *tranquilla* & *quieta*; minime *evacuata*, minime *operationes divinas præstolata*, minime præsumptione sui denudata, minime desideriis propriis exuta: sed animo turbulento & maris instar agitato, præjudiciis & affectibus suis perpleno, sui confidentia turgido, operationum non Dei certe, sed propriarum abundante; quibus vero amplissimam de Scriptura vel Scripturæ sacræ (ut cum (*c*) Luthero loquar) *spumam* consecutus est & in ore habet cum sua indole concordantem, & cum *precibus* sive *desideriis* illis propriis quæ sunt (teste (*d*) Scriptura) abominatio coram Domino; in aliis autem quorum Scripta videt Scriptis suis indolique suæ non consentientia, quæsivit mala & reprehensibilia invenire; ubi non invenit, ibi & fingere & affricare: innocentia depravare, mutilare, corrumpere; problematica & adiaphora in essentialia ac fundamentalia invertere; umbras difficultatum in hæreses & blasphemias imputare; intricata & obscura sophismata sua sæpe admodum puerilia, dissimulatis auctorum so-

(*c*) In Psal. 11.

(*d*) Prov. 28. ℣. 9.

ſolidis probationibus, hinc inde objicere, & interſerere; criminationes denique, convicia, maledicta, & quoſvis animi impotentis fluctus & impetus effundere, ut omnium horrori & abominationi exponat quotquot vel è probioribus, imo & ex defunctis vere Sanctis, ipſi diſplicent & abominationi ſunt. Cujus quidem D. Jægeri Methodi documenta vidimus hucuſque nonnulla; videbimus & quædam deinceps; ſed pauca ſpecialiora: nam omnia in apertum protrahere, opus eſſet plurium & voluminum & annorum, ac nullius etiam utilitatis, quando ex hiſce & paucis ſequentibus patebit plus ſatis, quales præterea fructus ac effectus eſſe poſſint qui ab origine tali prodierunt; & annon hic quadret apprime verbum Evangelii: (a) *Arbor mala bonos fructus facere non poteſt:* & illud Jacobi: (b) *Num fons ex eodem foramine dulci aqua manat & amara? Non poteſt* origo *ſalſa dulcem facere aquam*, niſi accedat miraculoſa & bona Dei potentia, quam D. Jægero propitiam exopto ad illius emendationem.

(a) Matth. 7:18.
(b) Jac. 3: 11, 12.

LIBER SECUNDUS.

Obices quoſdam à Jægero oppoſitos ſpecialiores circa media ſalutaria externa, recenſens & removens.

CAPUT I.

De accuſatione falſiſſima, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum à Poireto aſſeri peccatorem.

I. Vidimus hactenus è generalioribus D. Jægeri obicibus quinque mihi oppoſitos, qui ſatis fuiſſent uti libri mei, ſpeciatim Oeconomia Divina, à quibuſvis rejicerentur antequam vel lecti fuiſſent vel viſi: & merito quidem ſi obicibus veritas ineſſet: ſed illis nihil eſſe falſius

I. *Argumentum, ſeries & nexus ſequentium.*

falſius atque iniquius, palam fecimus abunde. Attulit idem præterea alios ſpecialiores, eouſque innumeros, non modo in Examine ſuo Theologiæ, ſed & in aliis ſuis Scriptis paſſim diſperſos & repetitos. Hi ſpeciales articulos Doctrinæ reſpiciunt. Exhibebimus & examinabimus eorum nonnullos, è quibus Lectores de ceteris ferre poſſint judicium, utrum digni ſint, cum illo qui eos opponit, ut pretioſum tempus impendatur iſtis inſpiciendis: & an ob iſtiuſmodi futiles larvas à veritatibus ſolidis ac ſalutaribus & fructuoſis cognoſcendis & admittendis abſterreri debeant aut poſſint.

Obicum ſpecialiorum Jægerianorum nonnulli reſpiciunt media per quæ Deus nobiſcum ſalutaria communicat: alii conſiſtunt in rebus ipſis ſive in doctrinis ſalutaribus ac neceſſariis: alii denique ſunt de rebus quæ potius ſunt problematicæ vel acceſſoriæ, imo Metaphyſicæ & Philoſophicæ, quam eſſentiales ac ad Theologiam Chriſtianam pertinentes; quas nihilominus D. Jægerus quaſi pro fundamentalibus habet, erroreſque quos ſua Methodo inde exprimit, pro magnis hæreſibus atque etiam grandibus blaſphemiis ſolet proclamare. Deſumemus è trina hac claſſe aliquot exempla, pro ordine eorum jam notato recenſenda.

II. *Incredibilis criminatio Jægeri, animoſiſſimè objicientis Poiretum per ſummam proterviam & malitiam aſſerere D. N.* JESUM CHRISTUM *eſſe peccatorem.*

II. Inter Chriſtianos nullum eſt dubium, quin ſalutis noſtræ excellentiſſimum ac primum medium ſit Dominus noſter JESUS CHRISTUS qui propterea excellenter MEDIATOR dicitur; & quidem in ſacris *Mediator unus Dei & hominum.* Hunc D. Jæger publicavit eouſque à me negari & blaſphemari, ut ſententia mea ſit eum eſſe *peccatorem*, non eo ſenſu quo in Scripturis dicitur inter iniquos reputatus, vel factus peccatum pro nobis, vel quo Patrum nonnulli eum dixerunt peccatorem, & maximum peccatorem, ferentem ſcilicet peccata noſtra: ſed ſenſu morali, ſenſu qui oppoſitus eſt ſanctitati, & notat *morales defectus*, ſive vitioſos, qui *impletionem legis moralis* faciant nullam, & oppoſitus ſit Scripturis Chriſtum Sanctum aſſerentibus. Quis crederet potuiſſe unquam D. Jægerum affectibus iræ & odii adverſus me pati ſeſe eo uſque excœcari, ut ejuſcemodi criminationes mihi publice, nec ſemel, nec frigide & dubitanter, ſed ſecuriſſime & animoſiſſime objiceret? Proferam ejus verba, in re alioqui incredibili. Sic igitur ille in ſuo Examine Theol. Novæ; *(a) In*

(a) Controv. 33. pag. 397. & ſeq.

Poireto

Poireto detestanda est SENTENTIA *& blasphemia quod Salvator noster non perfectissime adimpleverit legem, & quod perfectionem non attigerit angelicam. Execranda est hæc* SENTENTIA, *& plane ex inferno deprompta. Salvator noster* Dan. 9. *Sanctus Sanctorum dicitur; ab Angelo Gabriele vocatur τὸ Sanctum in abstracto: à Paulo describitur Hebr. 7. ℣. 26. quod sit sanctus, purus, immaculatus, separatus à peccatoribus, excelsior cœlo, qui non necessum habuerit propter propria peccata seu delicta intrare in Sanctum & sacrificare; sed tantum pro nostris delictis & peccatis, ut constat ex Esaiae 53. ℣. 5.* [jam quasi his contraria statuerem, addit ille protinus:] *Cui ergo jam magis credemus, an Danieli, an Angelo Gabrieli, prophetæ Esaiæ, Paulo; an vero* FANATICO CUIDAM FURIOSO POIRETO, *qui sui oblitus, ut sæpe, hominibus aliis talem in justificatione* (*) *purificationem adscribit, ut plane ne minimum quidem seminium mali, nulla plane macula & labes in iis sit; & Sanctissimo nostro Salvatori* DEFECTUS ET INFIRMITATES MORALES *adscribit? — Unde ajo* SUMMAM *esse* PROTERVIAM *in* FANATICO *isto, tanto conatu adstruere perfectam adimpletionem legis in regenito, qualem ille in se vult credi; & in ipso molimine tantæ doctrinæ* SUMMUM SCELUS ET BLASPHEMIAM *contra* SALVATOREM *nostrum, unicum omnis justitiæ fontem, committit. Quanta hæc est* MALITIA! Hanc criminationem repetit in Epistola suo Examini subnexa, in qua me sic alloquitur: *Quid dicam de illa* SENTENTIA *cum asseris — quod* SALVATOR *noster habuerit suas fragilitates, non naturales tantum; sed &* MORALES (†). Hæ BLASPHEMIÆ in *Sanctissimum effusæ, tibi Dn. Poiret, theoreticæ tantum videntur? An credis quod stans in die novissimo ante tribunal illius cui Cherubim & Seraphim ter* SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS *acclamant, impune sis laturus dum ex ipso* PECCATOREM FECISTI?

(*) Fuerunt ergo peccatores, si justificati & plane purificati; quo uno Jægerus comparationis suæ vim frangit ipsemet.

(†) His quæ mihi ultro affinxit, addit deinde ex meis sequentia: *quod* SENSERIT *in se motus inordinatos, quod carnem suam fræno injecto cohibuerit: quod ejus vim per jejunia & vigilias precesque fregerit, ut rebelliones omnes sese exerere non potuerint:* quæ verò omnia sensum solùm sive sensationes corporeas esse, non autem liberæ voluntatis & consensus, contextus ipse evidenter declarat. §. 14. Cap. 12. Libri IV. Oecon.

TI? — *homines peccatores facis immaculatos & sanctos*, & EX SANCTO SANCTORUM FACIS PECCATOREM! *Quantum* SCELUS!

III. *Provocatio ad conscientiam ipsius Jægeri, qui tantam criminationem alicubi recantat.*

III. Obtestor tuam, D. Jægere, conscientiam in conspectu Dei, persuasus-ne es ipsemet coram illo quod habeam Christum pro peccatore, quod credam illum peccavisse & legem non implevisse, & adversus eam moraliter defecisse? Si non credis (neque enim mihi persuadere possum quod me velis esse quovis inter Christianos hæretico, Turcis ipsis, imo & diabolis, qui Christum fatentur esse Sanctum Dei, deteriorem & execrabiliorem; siquidem in Disputatione tua V. §. 4. de me dicas: *Nihil præjudicamus æternæ Dn. Poireti saluti. Forsitan* ANIMUS ET INTENTIO EJUS BONA EST, *cui multum indulget benignissimus Deus. Imo locus Pauli* 1. Cor. 3. ℣. 11, 12. *multa hic spondet iis* qui SINE MALITIA in *doctrinalibus peccant*: quod sane est recantare *summam proterviam & malitiam* hic à te mihi adscriptam;) si, inquam, talia de me in conscientia coram Deo non credis, nec me habes pro inimico & abnegatore Salvatoris, quem habere pro peccatore, est habere pro non Salvatore, sed pro eo qui salvatore alio opus habet; cur coram hominibus mihi contrarium impingis sine timore judiciorum Dei in mendaces & maledicos, qui à Deo judicandi declarantur eodem judicio quo ipsi alios judicaverunt? Si autem odii affectibus à tentatore motis & inspiratis id nihilominus suppressâ conscientiâ tuâ tibi & aliis persuadere voluisti, cur ad tantam criminationem probandam verba mea non profers? Ubinam legisti in libris meis, CHRISTUM ESSE PECCATOREM, NON IMPLEVISSE LEGEM PERFECTE, ET DEFECTUS MORALES (hoc est, defectus voluntatis in vitia consentientis,) HABUISSE?

IV. *Quàm inique talia fundentur in solis consequentiis, exemplis ostenditur, cum voto misericordiæ divinæ*

IV. Tu id per consequentiam bonam dices te elicuisse. Atqui in tam capitalibus criminationibus, non consequentiis, sed ipsis verbis aut factis innitendum esse, tu nosti optime, & ratio id omnibus dictat. Vel optimi possunt aliquando ea statuere ac tenere bono scopo atque animo, intentioneque ac mente optima, è quibus tamen consequentiæ malæ atque falsæ consequantur, quas vero ob mentis nostræ tenebras reliquas ipsi neque videant, neque teneant ac fateantur; reliqui vero inde sequi videant. An tamen propterea hi illis eas adscribent con-

sequentias

ſequentias veluti doctrinas quas teneant? Reformati cum Luthero & Thomiſtis ea ſtatuunt de decretis Dei, è quibus alii dicunt conſequi auctorem peccati eſſe Deum. Horrent illi hanc conſequentiam, negantque ſe videre eam ex ſuis poſitis vere ſequi. Tune is eris qui propterea publice proclames eos *per ſummam proterviam & malitiam ſceleratam*, in hac eſſe deteſtanda ſententia, quod Deus auctor peccati ſit? Ita & de Omnipotentia; quia iidem Reformati tenent fieri non poſſe ut unum corpus ſimul ſit in diverſis locis, unde obloquentes concludunt Omnipotentiam Dei ab illis negari, audebis-ne propterea illis imputare quod ſentiant Deum non eſſe *omnipotentem?* Infinita ejuſmodi omitto exempla, in quibus ipſemet moderamine fateberis utendum eſſe, nec iſtis conſequentiis ita abutendum ut pro doctrina ſua aliis objiciantur: & tamen tu in criminatione planiſſime incredibili, ejuſmodi æquitatis, humanitatis, ne dicam Chriſtianæ charitatis, quæ malum non cogitat & omnia bona ſperat, ita eris erga me oblitus, ut etiam maledictis me ſimul obruas atrocibus, ipſum infernum pro ſententiæ quam tu depravaſti, origine aſſignes, ipſumque etiam Dei tribunal ultimum pro ejus punitione miniteris! Bonus Deus tui miſereatur, & te à malo liberet! Non me gravant, per ejus gratiam, tua minus favorabilia. Doleo tamen ex animo quod alios nimium credulos malis præjudiciis & affectibus inficias, & à lectione meliorum & ſolidiorum quam tua ſint, alienos reddas, hocque ipſo illis non parum noceas.

pro tam atroci accuſatione.

V. Ceterum ad hanc D. Jægeri criminationem, (de quâ nunquam mihi vel fuit vel erit per Dei gratiam minima cogitatio) refutandam minime crediderim opus eſſe ut pluribus oſtendam, eam nequidem per conſequentiam cum aliqua veri ſimilitudinis umbra elici poſſe ex iis quæ in Oeconomiæ Libro IV. Cap. 2. pluribus expoſui de Tentationibus & infirmitatibus noſtris à Chriſto in ſe aſſumtis. Rogo Lectores, ſi dignentur de his judicare, uti obſervare velint quanta curâ, & quàm conceptis verbis, ex occaſione plurium ſcripturæ locorum, & ſpeciatim horum ex Apoſtolo, Chriſtum (a) *fuiſſe tentatum ſecundum omnia ad ſimilitudinem noſtri ſine peccato*, non modo exceperim eum à peccato; ſed & dixerim quas ſentire voluit, tentationes, eas

V. *Eam ne per conſequentiam quidem cum aliqua veri ſimilitudinis umbra ex verbis Oeconomiæ elici poſſe.*

(a) Hebr. 4. ℣. 15.

præbuiſſe ejus puritati, ſanctitati atque gloriæ illuſtrandis materiam inſignem, ſimulque nobis animum impugnandi atque etiam triumphandi per ejus auxilium tentationes noſtras & ſolicitationes mundi, diaboli & carnis ad conſenſum peccati & actum. Certe inter omnes qui legerunt ea quæ hic loci tractavi conſideratu digniſſima, (legerunt autem plurimi, ac inter Lutheranos etiam non pauci eruditi & Theologi doctrina, pietate ac probitate inſignes,) nemo huc uſque fuit qui difficultatem ejusmodi in his repererit aut mihi ſignificaverit. Unus D. Jæger inventus eſt qui talem *obicem ponere* mihi geſtierit, qui tamen ipſiusmet famæ ac bonæ fidei æternus *Obex* erit potius: quis enim in poſterum homini talia ac tanta mihi coram omnibus falſo imponenti fidem adhibere tuto poſſit, quando vel ea in controverſiis ſuis parti adverſæ imputabit, quæ ſunt minoris ponderis?

CAPUT II.

De Verbi & Sacramentorum efficacia, utrum ea pendeat à Miniſtro.

I. *Hoc in Oeconomia doceri Jægerus confidenter aſſerit.*

I. INter media ſalutis noſtræ promovendæ quæ poſt ſe Chriſtus nobis reliquit, merito ex præcipuis habentur ADMINISTRATIO VERBI ſui & SACRAMENTORUM ab eo inſtitutorum. De illis egi in Oeconomiæ Libr. IV. Capitibus quatuor, quibus D. Jægerus quæſivit obices uti opponeret ſpeciales aliquot, ſed qui ejuſdem ſunt naturæ atque præcedentes, falſo ſcilicet imputati, ac falſatis, vel truncatis, vel perverſe interpretatis verbis mei ſolummodo innixi. Exempli gratia,

D. Jæger in libro ex quo præcipuos obices ſuos deſumo, ita format de Miniſterio Verbi ſtatum Controverſiæ ſuæ numero XXVIII. (a) *An efficacia Verbi & Sacramentorum dependeat à Miniſtri pietate vel impietate?* Reſpondet ille me id aſſerere, & diſputat contra paginis quinque vel ſex ſequentibus, quas ad calumniam hanc ſuam magis propagandam, repetiit ad verbum in

(a) Exam. Theol. Nov. pag. 354.

in Dissertatione (*a*) quadam contra Joannam Leadam, viduam insignibus Dei donis dum viveret præditam; recoxitque tertia vice iisdemque verbis, (*b*) cum ea ipsa tota Dissertatione in Historia sua Ecclesiastica. Incipit autem censuram suam insigni truncatione verborum meorum ab eo infideliter citatorum, omissis præcedentibus quæ obicem hunc totum destruent. Post controversiam ab eo & calumniose positam, uti vidimus, sic pergit: *In hac controversia Dn. Poiret premit vestigia Donatistarum: ait enim Libro IV. Cap. 8. Si Minister Spiritu S. & charitate divina sit instructus, tum Spiritum donis quæ Deus offerat accedentem, & verba & acta Ministri animantem, ea efficacia & fructuosa reddere: contra* &c.

(*a*) pag. 61. & seqq.
(*b*) Tom. II. Part. II. a pag. 90. ad 117.

II. Atqui integer contextus, repositis lineis immediate præcedentibus, quas D. Jægerus sustulit, sic habet: (*c*) *Deus gratiam suam hominibus per media externa Verbi & Sacramentorum offert.* HÆC GRATIA *utique à* MINISTRO ECCLESIASTICO NON PENDET: *at dubio procul si Minister Spiritu S. atque divina Charitate instructus sit, is* SPIRITUS *donis quæ Deus offert accedens, & verba atque acta ministri animans, eadem reddit efficacia & fructuosa: Contrà si minister sit mundanus & irregenitus, Spiritus Dei eundem cum non comitetur, ille* EX SUA PARTE *literam & res externas tantum administrat, imo & spiritum & tenebras naturæ suæ corruptæ iisdem insuper adjungit.* Addere debuerat D. Jægerus & hæc sequentia: *quibus res administratas non tantum inutiles,* QUANTUM POTEST, *reddit; sed & noxias, veluti fit quando Ministri res divinas administrant hominibus indignis; quando Verbum Dei perperam applicant, imo & id male interpretantur: quo casu, in venena convertunt animabus mortifera illa, quibus ad vitam præparari debebant.* Omitto cetera adhuc clariora, ne sim prolixior.

II. *Quamvis contrarium conceptis verbis ibidem assertum viderit tum in genere.*
(*c*) Oecon. Libr. IV. Cap. 8. §. 12. p. 201.

III. Sed nec debuerat D. Jægerus dissimulare quæ paulo ante legerat, suæ huic accusationi plane opposita; nempe: (*d*) *Nequæ a ratione absunt qui in celebratione Sacramentorum intentionem requiri volunt: Ego vero de Fide id ipsum intelligendum esse arbitror.* NEQUE AD FIDEM SOLIUS ADMINISTRANTIS *intentionem hanc restringi debere puto; sed ad fidem eorum quibus, aut coram quibus & quorum nomine res sacræ administrantur,*

III. *Tum in specie de Sacramentis.*
(*d*) Oecon. L. IV. C 7. §. 21.

 pariter

pariter extendi ETIAM SI FORTE QUI EAS ADMINISTRAT IMPIUS SIT, *aut fide bonaque intentione careat : quo in casu Deus utique* FIDEM ASSISTENTIUM INFRUCTUOSAM, INEFFICACEM AUT IRRITAM NON SINIT, *modo sincera sit, & non simulata.* Hæc est mea mens de Sacramentis: fingit & pugnat in umbram D. Jægerus quando mihi imputat contrarium illudque impugnat. De Verbi administratione quæ censeo, sequenti similitudine adhuc clarius exprimo.

IV. *Doctrina de Verbi administratione ejusque efficacia similitudine allata explicatur.*

IV. Minister regenitus, ignem Spiritus S. intra se habens, est veluti canalis aliquis aut tubulus qui dum se effundit aut flat in auditores, non ventum solum, sed & simul ignem in eos spirat, quo si qui jam antea in cordibus igniculos quosdam scintillasve habebant, augentur illi admodum; si nullos adhuc habuerint, communicari tamen iis per canalem illum possunt, unde ipsi incipiant salutariter ardere. Verum quando Minister divino igne destituitur, canalis est qui spirat tantum sine igne ventum, qui quidem ventus in cordibus ubi jam ante ignis fuit, eum ignem sic juvare potest ut magis inde accendatur magisque ardeat: ast in cordibus, in quibus ante nullus inerat ignis, nihil ille accendere potest; dat duntaxat ventum, qui motus quosdam frigidos & paulo post evanescentes excitat solummodo. Ubi autem idem ille frigido vento suo quem exspirat, admiscet & simul mali sui cordis inspirationes corruptas ac venenatas, iis tunc literam divini Verbi corrumpit, ex eoque facit medium corruptionis, erroris, adulationis, odii Cainini, mortisque æternæ communicandæ: atque ita plane vitandus est, quantum fieri potest, haud secus ac lupus pestisve mortifera.

(*a*) Num. C. 23. & 24.
(*b*) Jud. 7. ℣. 13, 14, 15.
(*c*) Vide vitam Dn. Queriolet: Gall.

Equidem interdum Deo placet dispensatione uti: (*a*) Benedicit per Bileamum: (*b*) animat Gideonem per extraneum infidelem: potest & Dæmonis ipsius interventu uti ad conversionem magni peccatoris; & fecit hoc (*c*) haud ita diu stupendum in modum. Sed hæc cum miraculosa sint & præter ordinem, non faciunt regulam, neque veritatem Regulæ generalis concutiunt.

V. *Ex Phil. I. vs. 16. barbara conclusio Jægeri.*

V. Ex loco Epist. ad Philippenses Cap. 1. vs. 16. & seq. ubi Paulus conqueritur de quibusdam qui non sincere, sed ad invidiam Apostoli annunciabant Euangelium, significatque se sperare

rare quod illud triſte incommodum nec ipſi nec Evangelio ſit nociturum, ſed per preces eorum & interventum Spiritus Chriſti id vertendum ſit ei in ſalutem, & in promotionem Euangelii. Ex hoc inquam loco, horridam hanc concluſionem hic conficit D. Jæger: (*a*) NIHIL INTERESSE *ſive ex animo devoto, ſive ex contentioſo prædicetur Evangelium, modo prædicetur*: nihil ſcilicet intereſſe paſtor ſit an lupus qui ovibus paſcendis præſit. Barbaram hanc doctrinam, quâ non pauci ejus conſimiles contendunt, ab irregenitis & impiis Verbum Evangelii vere ac recte poſſe doceri, vide multis confutatam apud D. Joach. Langium, toto Tomo primo ſui *Antibarbari*: quem D. Jæger quaſi ſibi ea in re ſcriptum inſpicere poterit ſi placet.

(*a*) Exam. p. 355.

VI. Libet nonnullorum ipſi non ſuſpectorum verba quædam conſideratione digna hocce de ſubjecto ſubjungere.

VI. *Auctoritates quædam huc facientes: ex Hieronymo;*

S. HIERONYMUS in Comment. ad Galat. Cap. I.

„ Marcion & Baſilides, & ceteræ hæreticorum peſtes, non „ habent Dei Evangelium, quia non habent SPIRITUM SAN- „ CTUM, ſine quo humanum fit Evangelium quod docetur. „ Nec putemus in verbis Scripturarum eſſe Evangelium; ſed „ in ſenſu: non in ſuperficie; ſed in medulla: non in ſermo- „ num foliis, ſed in radice rationis.

„ Tunc Scriptura utilis eſt audientibus cum abſque Chriſto „ non dicitur, cum abſque Patre non profertur, cum ſine Spi- „ ritu non eam inſinuat ille qui prædicat —.

„ Grande periculum eſt in Eccleſiâ loqui; ne forte inter- „ pretatione perverſa, de Evangelio Chriſti, hominis fiat Evan- „ gelium, aut, quod pejus eſt, Diaboli.

VII. CASSIANUS in Collatione XIV. quinque Capita, (a 14. ad 19.) huic materiæ impendit, e quibus en aliquot lineas.

VII. *Nec non ex Caſſiano:*

„ Cap. 14. Impoſſibile eſt hæc [ſpiritualia] inexpertum quen- „ quam vel agnoſcere, vel docere. Nam qui ne ad percipien- „ dum quidem capax eſt, quomodo erit idoneus ad tradendum? „ De quibus tamen etiamſi aliquid docere præſumſerit, ineffi- „ cax proculdubio & inutilis uſque ad aures tantum audientium „ ejus ſermo perveniet, cor autem eorum penetrare non pote-

„ rit,

„ rit, inertia operum, & infructuositate suæ proditus vanitatis: quia non de thesauro bonæ promitur conscientiæ; sed de inani jactantiæ præsumptione. Impossibile namque est immundam animam, quantalibet desudaverit lectionis instantia, adipisci scientiam spiritualem, &c. Et Cap. 16. Prædiximus, hujusmodi homines disputandi tantum habere peritiam, & elocutionis ornatum: ceterum Scripturarum venas & arcana spiritalium sensuum intrare non posse. Etenim VERA SCIENTIA non nisi à veris Dei cultoribus possidetur. — Cum enim (a) *in Christo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi* esse dicantur, quomodo is qui Christum invenire contemsit, aut inventum sacrilego ore blasphemavit, aut certe catholicam fidem immundis operibus polluit, veram scientiam assecutus esse credendus est? *Spiritus* (b) enim *Dei disciplinæ effugiet fictum, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* —— Psalmographus dicens: (c) *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini; beati qui scrutantur testimonia ejus* —— per hoc evidenter ostendit, neminem recte posse ad perscrutanda testimonia Dei pervenire, nisi prius per actualem conversationem in via Christi immaculatus incedat, &c. In corde bono requiescet Sapientia; & qui timet Deum inveniet scientiam cum justitia. &c.

(a) Col. 2. ℣. 3.

(b) Sap. 1. ℣. 4, 5.

(c) Ps. 119. ℣. 1, 2.

VIII. *Item ex Luthero, & Libro Concordiæ;*

VIII. LUTHERUS, in Institut. de Ministerio Ecclesiastico; „ Melius est nullum habere, quam sacrilegum, impium, sceleratum Ministrum, qui non venit nisi ut mactet & perdat sicut fur & latro. Et in Præfat. in Ezech. Scriptura in ore impii non est Verbum Dei.

LIBER CONCORDIÆ, pag. 155. (d) " Impii Doctores deserendi sunt, quia hi jam non funguntur persona Christi, sed sunt Antichristi: & Christus ait, *Cavete à Pseudo-prophetis.*

(d) Edit. Lips. 1654.

IX. *Et ex Arndio.*

IX. JOAN. ARNDIUS, in Præfat. Theologiæ Germanicæ, quæ Editioni Londinensi Librorum suorum de Vero Christianismo subnexa est Tom. II. pag. 478. " Sub ipsis Christianismi initiis pœnitentia & sancta Christianaque vita magis urgebantur, ut ipsa Christi doctrina in vitam transferretur. Et ita quidem veros Christianos decet. Hinc vero satis superque apparet, quod eo ipso quo PURAM DOCTRINAM

„ ac

„ ac Religionem conſervare ſtudent homines, magis magiſque il-
„ lam AMITTANT, ſiquidem veram pœnitentiam vitamque Chri-
„ ſtianam ita prorſus extingui patiuntur, ut quid ſit pœnitentia,
„ quidve nova vita (quæ ipſa excellentiſſima vita Chriſti eſt,) vix
„ conſtet. Cum autem PURA DOCTRINA non habitet, imo
„ HABITARE NEQUEAT in hominibus pœnitentia vacuis,
„ (quippe qui Chriſto, æternæ illi VERITATI vita ſua re-
„ ſiſtunt;) hinc verò ſat CRASSUS ERROR EST, PURAM
„ DOCTRINAM POSTHABITA VITA CHRISTIANA
„ SCRIBENDO TANTUM AC DISPUTANDO [vel con-
„ cionando] VELLE CONSERVARE, inque eo tàm operoſo
„ conatu deſudare. —— Conſideremus *quæ communio ſit luci cum*
„ *tenebris, & quæ concordia Chriſto cum Belial.* 2. *Cor.* 6: 14, 15.
„ Hoc eſt, quomodo is Chriſti DOCTRINAM PURAM con-
„ ſervaverit, cujus vitam regit Diabolus? Vel quomodo pura
„ Chriſti doctrina ibi habitaverit, ubi Chriſtus ipſe non habi-
„ tat neque ejus vita? Si modo eſſemus Chriſtiani, non ver-
„ bis, ſed re ipſa & veritate; non eſt dubium quin ÆTER-
„ NA LUX ultro nos ILLUMINARET, inque fide & do-
„ ctrina uniret. IMPOSSIBILE eſt ut æternæ veritatis Spi-
„ ritu luceque colluſtrentur illi qui in vita Chriſtum ſequi re-
„ cuſant. Non enim ſine ratione dixit Dominus: (*a*) *Ego ſum* (*a*) Joan. 8. ℣. 12.
„ *Lux Mundi: qui ſequitur me, non ambulabit in tenebris, ſed*
„ *habebit lumen vitæ.* Et hæc imitatio ad ipſam Chriſti vitam
„ reſpicit; & hoc LUMEN VITÆ, veris imitatoribus Chri-
„ ſti promiſſum, eſt LUX COGNITIONIS DEI, PURÆ-
„ QUE DOCTRINÆ. &c." Tota præfatio hæc inſpicienda
eſt. Deſino plura adducere aliorum teſtimonia.

CAPUT III.

An Sacramenta ſint tantum meræ ceremoniæ ſine realitate.

I. *Sacramenta Poireto non in*

I. D. Jægerus magno flagrans deſiderio inveniendi, imo & fingendi *obices* ubicunque & quomodocunque potis eſt,

 in

esse canales gratiæ, sed ceremonias meras, falsò ei imputat Jægerus.
(*a*) Tom. II. Libr. III. pag. 176.
(*b*) Ex. Th. N. p. 307.

in doctrina de Sacramentis & de BAPTISMO aliquot etiam mihi suscitavit perinde falsos uti præcedentes ceteros. In Controversia XXIII Examinis sui, (quam recoctam ad verbum reposuit in alio recentiore opere, videlicet in *Systemate* (*a*) *suo Dogmatico-Polemico*:) falsa mihi aliquot imputat, quæ sola negatione & ad contextum meum provocatione dissolvere, si plura non dicam, satis erit.

Incipit illico ita: (*b*) *Sacramenta hactenus apud Theologos sinceros habita fuere pro mediis gratiæ exhibitivis, seu pro canalibus per quos Deus gratiam conversionis, remissionis peccatorum, accensionis fidei in nos derivare voluit. Sed Poiret prorsus alia incedit via. Asserit enim Libr. IV. C. 5. Oecon. quod circumcisio & agnus Paschalis fuerint tantum ceremoniæ legis, & quidem accidentales: At vero Baptismum ac S. Eucharistiam esse ceremonias Evangelicas.*

II. *Contra expressa ejus verba tum de ceremoniis in genere,*
(*c*) Oec. Libr. III. C. 10. §. 10.
(*d*) Ibid. Cap. 16. §. 14.

II. Ut breviter appareat quam nulla sit in his, uti & in ceteris D. Jægeri bona fides: en ex multis propria verba mea: (*c*) *Proprietas quæ in ceremoniis consideranda occurrit, hæc est, quod ex parte Dei nunquam realitate sive veritate careant.* Reliqua, quæ omitto ne sim prolixior, merentur legi ut clarius appareat D. Jægeri falsitas. Alio in loco: (*d*) *Ceremoniæ* (*Legis*) *quatenus ad homines singulos privatim pertinebant, erant typicæ* REALITATIS PRÆSENTIS *respectu singulorum hominum rectè præparatorum. Equidem ceremoniæ non erant ipsa realitas: sed erant in se* (qua signa) *umbra quædam realitatis, cum quibus tamen per gratiam Dei ac hominum singulorum fidem realitas conjuncta aderat.*

III. *Tum in specie de Sacramentis & Baptismo, citante etiam Jægero.*
(*e*) Jæg. ibid. p. 308.

III. Et quantum ad ceremonias Novi Testamenti, de illarum altera, Baptismo, hoc FALSUM mihi rursus imputat Jægerus, (*e*) *Poiret — totum effectum Baptismi pene in distinctione fidelium ab infidelibus ponit.* Quisquis legere dignabitur Cap. V. Libri IV. Oeconomiæ, contrarium ibidem videbit. En verba notabilia §. VII. in margine: *Ceremoniæ non sunt nuda signa distinctionis; sed instrumenta divinæ gratiæ.* In ipso autem textu: *Ceterum dum dico, Christum ceremonias sacras, & præcipue quidem Baptismum atque Communionem sacram, ideo instituisse, ut impediret ne membra mundi ac membra Ecclesiæ suæ promiscue confunderentur, atque utrosque ab utrisque rectè discerneret, nequicquam velim*

Sacra-

Sacramenta hæc esse mera ac nuda distinctionis signa, ac nihil aliud in iis contineri. Supra ostendimus ceremonias divinas nunquam sine realitate fuisse in omnibus qui iis utentes ita animati erant, ut Deo non displicerent. Et profecto, etiamsi Deus nonnulla instituisset quæ per se momenti essent admodum exigui; nihilominus tamen si quis ex spiritu subjectionis, fidelitatisque & amoris erga Deum iisdem utatur, perspicuum est certissimumque eorum usum ipsi MEDIUM ATQUE CANALEM *fore per quem Deus* GRATIAS SUAS DIVINAS ATQUE SALUTARES *impertiatur & augeat.* & ibidem paulo post repetitur; *Sacramenta* esse MEDIA *ac veluti* CANALES *qui* GRATIAM *atque* BENEDICTIONUM INCREMENTUM *afferant omnibus qui animo legitime præparato iisdem utuntur.* Imo ipsemet D. Jægerus mox post suum imputatum, citabit (pag. 309.) ex meo textu, hæcce: *Realitatem quæ in Baptismo adest in hoc consistere ut anima - - - secundò, à Christo Spiritum Dei ita recipiat, ut ille divino igne amoris cor impleat* &c.

Falsum est quod idem innuit ibidem, & in libri sui Indice alphabetico in voce *Sacramenta*, me asseruisse Sacramentum ullum esse vel *fuisse proprie loquendo tantum ceremonias.* Hoc neque scripsi, neque unquam sensi.

IV. *De voce Ceremoniæ indigna vitilitigatio, Sacramenta Theologis quarumvis partium appellari modo signa, modo sigilla, modo ceremonias.*

IV. Vitilitigatio est præterea tali Doctore indigna, quod ægre ferat me vocabulo *ceremoniarum* eo in subjecto usum fuisse, oblitus id in usu esse apud Theologos quarumvis partium, ut Sacramenta appellent sine scrupulo modo signa, modo sigilla, modo ceremonias, quod vel è suo *Concordiæ* libro meminisse poterat: (*a*) *Sacramenta sunt* SIGNA *voluntatis Dei erga nos. - - In sacramento duo sunt,* SIGNUM *& verbum. - - - Verbum offert remissionem peccatorum; &* CEREMONIA *est quasi pictura verbi, seu* SIGILLUM, *ut Paulus vocat, ostendens promissionem. Ergo sicut promissio inutilis est nisi fide accipiatur; ita inutilis est* CEREMONIA *nisi fides accedat.* Lutherus ipse: (*b*) *Tenendum est, Patrum Sacrificia à Deo instituta esse ut sciretur Deum propitium esse: quemadmodum nunc cum verbo habemus Baptismum & Sacramentum,* (Eucharistiam,) *ut per utraque, per verbum & per* SIGNA *certi simus de gratia Dei.* Thomas (*c*) ea dixit esse *in genere* SIGNI. Maresius (*d*) definivit, *Signa sacra & visibilia* &c. addiditque, *Qui genus sacramenti faciunt Symbolum, aut ritum, aut* CEREMONIAM

(*a*) pag. 267.
(*b*) Tom. IV. Jen. Germ. fol. 34. b.
(*c*) Part. III. C. 60.
(*d*) Maref. Loc. ult. §. 8.

NIAM - - - *eodem redeunt.* Piscatoris definitio est (*a*) *Sacramenta sunt ceremoniæ à Deo mandatæ populo ipsius ad promissionem gratiæ* &c.

(*a*) In Aphorismis Doctrin. Chr. Loc. 23.

V. *Male citat & interpretatur J. locum Oeconomiæ de Baptismo adultorum, ut inde Novatianismum imputet.*

V. D. Jægerus, ut Novatianismum mihi imputet, non bene citat nec bene interpretatur quæ dixi de Baptismo Oec. Cap. V. §. XI. Ibi loquebar de prima origine primaque usurpatione Baptismi ab initio Ecclesiæ, dixique, quod ejus usus ad eos solos spectabat qui peccato jam mortui erant, neque illi amplius vivebant, quique conscientiis suis coram Deo sincere examinatis, nihil in eis inveniebant quod à Deo non probaretur. Hoc, quod ad adultorum Baptismum spectare, nemo non videt, ut explicarem clarius exemplis, addidi (§. XII.) Scripturas sacras si consulas, videbis neminem unquam baptizatum fuisse nisi qui peccata sua ante DERELIQUERAT, indeque irrevocabili voluntate absolute decreverat nullo unquam tempore iisdem reviviscere; sed eorum respectu instar hominis mortui sepultique perpetuo manere. Ex quibus patet, me per *τὸ mortuum esse peccato* ante Baptismi susceptionem, intelligere DERELICTIONEM peccati & voluntatem sive propositum sincerum non amplius peccandi; qualia a baptizandis requisita fuisse cum assertione abnegationis mundi, Diaboli & voluntatis atque concupiscentiæ propriæ, nullus est qui nesciat. D. Jæger hinc persuadere vellet me hoc sentire, Baptismum esse solum pro perfectis, imo perfectissimis, pugnatque per unam atque alteram paginam contra id quod mihi nunquam in mentem incidit.

VI. *Quæ fuerit perfectio in adulto baptizando requisita.*

VI. Perfectio in adulto baptizando requisita hæc fuit: ut toto corde ac voluntate desineret vivere peccato; atque decerneret se post Baptismum non amplius per gratiam Dei scientem volentem peccaturum. Remanebant in eo post Baptismum & radix & inclinationes naturæ corruptæ, & non paucæ ignorantiæ & caliginis reliquiæ: illæ impetum in eum faciebant; hæ impediebant non raro ut nesciret id malum esse ad quod impellebatur, errabatque in suo bona fide circa hoc judicio; atque ita peccabat ex infirmitate (ex motibus qui ipso invito excitabantur in eo) & ex *ignorantia* (non videns clare id malum esse ad quod inclinabatur.) Sed hi lapsus non destruebant promissionem baptismalem, modo per Dei gratiam receptam id faceret quod per

illam

illam potest ad detegendum voluntatem divinam, eamque agnitam executioni mandandum. Quæ est vera Baptismi requisitio. A peccatis ignorantiæ & infirmitatis non affectatæ nec amatæ, quis è perfectioribus exceptus dici poterit? Sed ista peccata per gratiam Dei eorum integritati non obsunt, & facile condonantur à Deo propter Christum.

VII. Superaddit D. Jæger alium obicem, asserens paulo post, (*a*) quòd *nullum alium effectum formalem baptismo adscribo, quam signi:* Hoc falsum esse, paulo ante evidenter ostendi ex ipso contextu meo. Verba mea à D. Jægero allegata, ponunt quidem unum Baptismi effectum sive usum, sed non tollunt ceteros, ut ille vult. Quando autem falso imputato fidem ut conciliet, provocat ad mea verba, inquiens: Idem (Poiret) p. 113. *aperte fatetur, Baptismum aquæ per se nullam utilitatem afferre, nec quenquam salvare*, falsantur mea verba ex omissione unius vocabuli quod sensum alium exhibet. Verba integra sunt: *Baptismum aquæ* SOLUM (hoc est, sine fide vel bona utentium dispositione & considerato solo aquæ elemento sine operatione Dei gratiosa,) & *per se, nullam utilitatem afferre nec quenquam servare.* Ille omisit vocem *solum*, uti & probationem quæ sensum explicat exemplo *impiorum, si qui tales* (adulti) *forte baptizarentur.* Istis sane modis facile est cuivis *ponere obices:* sed si detegantur, ecquis dignabitur in ceteris omnibus adhibere fidem tali obicum positori?

VII. *Falsò asscribi cari Poiretio, eum nullum adscribere Baptismo effectum quam signi.*

(*a*) Exam. p. 314.

CAPUT IV.

De Baptismo infantum, & an requiratur fides administrantis.

I. JÆgerus noster, ut pro novo obice me *Anabaptismi* suspectum reddat, *venenumque* me dicat *tegere*, impendit in (*) Controversia sua XXIV. vel decem integras paginas, quas & recantat iterum verbo tenus in suo Systemate Polemico, ut magno molimine pulverem moveat; & tamen nulla urgente de causa,

I. *Male Anabaptismi suspectum reddi Poiretum, qui Pædobaptismum a-*

(*) Ex. Th. N. pag. 318. ad 329. & Syst. Th. Tom. II. Libr. III. pag. 210. ad 217.

perte probat & defendit. causa, siquidem totam admisi Baptismi substantiam, etiam in infantibus, ita ut sustinuerim (*a*) eos male egisse vel etiamnum non bene agere, qui Ecclesiam Christianam turbaverunt vel turbant dum ejus praxi ac consuetudini infantes baptizandi se subjicere noluerunt. Verum quia hoc non appellavi hæresin, neque propterea in eos cum fumo & igne infernali (uti D. Jægerus in me solet) grassatus sum; sed potius ita egi ut benignius respici possint, id nostro displicet, cui non displicuissent infernales anathematismi. Videlicet simul cum approbato & defenso Pædobaptismo insinuavi, *dubium valde esse atque controversum, an infantes sub initio Ecclesiæ Christianæ baptizati fuerint:* & postquam addidi, eos qui è bono principio id primi fecerunt, rem fecisse quam Deus habuerit ratam; subjunxi etiam, *timendum esse ne non pauci, aut saltem aliqui & initio id è principio non ita bono, aut parum illuminato* fecissent. Atqui non punctum doctrinæ, sed res facti est, vigetque adhuc ita ut hodie, ut multi dubitent, & controversiam faciant ea ipsa de re: de qua vero re nihil decidere volui, contentus sustinuisse, ipsum baptismum infantum. Agnoscit rem facti, quantum ad Scripturas, Beveregius hisce verbis: (*b*) *Infantes sacro Baptismate abluendos esse, & sponsores ad illud sacramentum adhibendos* &c. *hæc & alia hujusmodi nusquam in Sacris Scripturis diserte ac nominatim præcipiuntur.* Qui hac in re plures plurium antiquorum ac recentiorum sententias & praxes discere cupiat, adeat notas Rigaltii & Pearsonii in Epist. 64. Cypriani, Edit. Oxon. Sed, in primis Cl. G. Arnoldi historiam Germanicam cui titulus *Vera Imago* (Abbildung) *primorum Christianorum* &c. Lib. II. Cap. XIV. pag. 307. & seqq. ubi sufficienter & accurate referuntur omnia quæ huc spectant; ac de quibus, post ea quæ dixi, minime omnium solicitus sum.

(*a*) Oec. L. 4. C. 5. §. 28. 31.

(*b*) In procemio Canonum Eccl. Prim. vindicatorum.

II. *Falsò ei imputari, quod remissionem peccatorum nullibi attribuat Baptismo:*

II. D. Jægerum itaque pro lubitu secum vel cum aliis prolixe de hisce disputantem, libentissime sibi relinquo, nisi quod monere debeam, illum pag. 323. (in System. 213.) falsum aliquod, pro more, mihi imputare hisce verbis: *effectum Remissionis peccatorum Poiret Baptismo nullibi attribuit, ut in antecedentibus vidimus.* Atqui *in antecedentibus* Poiret non semel *gratiam Dei ejusque augmentum*, quæ re vera remissionem peccatorum in se continent, Baptismo attribuit: & *in sequentibus*, eodem Capite

§. 21.

§. 21. hæc sunt ejus verba: *Si res eodem nunc loco esset quo olim fuit, sique homines baptizandi hodie perinde animo præparati essent, atque in Ecclesia primitiva*, GRATIA *etiam Dei*, *seu* REMISSIO PECCATORUM, *baptismo* (eorum) *nunc quoque necessario adhæreret.* Hocne est, *Remissionem peccatorum Baptismo* NULLIBI *attribuere?*

III. Delectari diceres D. Jægerum *obicum* suorum multiplicatione per falsa mihi imposita, è quorum numero tota est quoque Controversia sua XXV. quam, ut eo magis multiplicaretur, ad verbum inseruit litigiosi sive Polemici Systematis sui Tom. II. Libr. III. pag. 218. ad 220. Eam ita proponit: (*a*) *An ad Baptismum & ejus efficaciam pertineat pietas & fides administrantis? & utrum melius sit baptizari à pio quam ab impio Ministro.* Et porro pro decisione sic pergit: *In hac controversia iterum Poiret cum aliis, à sana sententia recedit. Requirit enim ad valorem baptismi ut Minister sit ipse in statu regenerationis & fide. In quo manifeste ad castra Donatistarum abit.* Imo manifeste ad castra calumniantium & falsa imponentium abit D. Jæger donec ostenderit me ea scripsisse quæ tamen neque scripsi neque sensi unquam. Videatur Oeconom. Libr. 4. totum Caput 5. quod D. Jæger male notat 4. circa finem suæ hujus controversiæ, quam concludit iterata assertione hujus suæ mihi impositæ falsitatis, quod *Poiret* ibi *non tantum Donatistica*, *sed & Anabaptistica principia aperte foveat.*

III. *Item quod ad valorem Baptismi requirat ut Minister sit in statu regenerationis; cum novis calumniis.*

(*a*) Exam. Th. N. pag. 330 & in Systém. T. II. Libr. III. p. 218.

IV. Quantum ad secundam partem quæstionis; clarum est per se, omnia quæ à pio & justo Ministro administrantur, habere sibi adjuncta, præter gratiam Dei Sacramentalem, effectum etiam particularem & adventitium benedictionis divinæ, precibus piis Ministri uti & precibus omnium fidelium provocatæ & à Deo promissæ: nunquam enim sunt preces vere fidelium nec pii Ministri sine benedictione aliqua, pro quibuscunque fundantur, & de quacunque re fiant, adeoque nec tum quando fiunt pro baptizato & in ipso Baptismate: quæ sane benedictiones accessoriæ cum gratia Dei Sacramentali, à Ministro non pendente, non sunt, ut sic dicam, incompatibiles; sed cum iis optime concordant: harum autem privatarum benedictionum accessione non augentur illi, qui per Ministros impios sacramenta recipiunt,

IV. *Utrum melius sit baptizari à pio quam ab impio?*

ma-

manente tamen Sacramentali gratia per iltos impios intacta & integra iis qui baptizantur vel Euchariftiam recipiunt.

V. *De quæst. An iterandus sit Baptismus ab hæretico aut impio factus, aut si susceptores fuerunt impii, P. idem semper sensit cum tota Ecclesia.*

V. Fluctus fluctum pellit, & falsitas falsitatem. Proponit D. Jæger post præcedentia & hanc duplicem quæstionem pro Controversia sua XXVI. quam & ad verbum reponit totam cum omnibus erratis in Systemate suo sæpe laudato. Ea quæstio est, (a) *An qui ab hæretico vel ab impio fuit baptizatus, iterum debeat baptizari? Item, si susceptores fuere impii, an talis baptismus sit validus, an vero repetendus?* Ego nunquam de his nec scripsi nec sensi aliter quam sentiunt Ecclesiastici in tribus partibus Christianismi hodie vigentibus cum Ecclesia Christiana: neque S. Cypriani sententiam ullibi feci meam. Et tamen D. Jægeri ea est fides atque æquitas, ut & me hic quoque Anabaptismi suspectum reddat hisce suis verbis: *Hæc controversia ingenti olim motu excitata fuit: & renovatur nunc ab Anabaptistis & fanaticis; Poiret autem noster lubricè admodum in ea se gerit.* Atqui Poiret de hac controversia tractanda ne cogitavit quidem. De priori parte, jam dixi, nullam me ab Ecclesia Catholica & Christiana dissentientem fovere sententiam, etiamsi S. Cyprianus aliter senserit. De iteratione Baptismi postquam baptizatus qui dein ad maturam pervenit ætatem, per crimina commissa à Baptismi olim accepti gratia exciderat, sententia mea ita est una cum Ecclesiæ mente, ut si hæc aliter statuisset ac statuit, ejus decisioni locum dandum fuisse censeam: multo magis autem cùm illa, uti factum est, (b) id sanxit, ut qui baptizati sunt ab iis hæreticis qui veritatem SS. Trinitatis agnoscunt, non baptizarentur iterum. cui plane assentior. Locus quem ex Oeconom. Lib. 4. cap. 5. (c) (male 7.) attulit D. Jægerus ut fidem faceret suæ accusationi, ita est castratus, mutilatus, immutatus, depravatus, ut sensum plane contrarium offerat. Videant illum in ipso Libro meo qui hæc examinare dignabuntur: qui se eo labore fatigare noluerint, non habebunt cur de hoc dubitent si antè annotatarum in D. Jægero istiusmodi falsitatum meminisse voluerint. De fidejussorum fidelitate vel impietate non ita fui solicitus ac de parentum statu, fidelitate, capacitate ac voluntate liberos suos Christianum in modum instituendi ac educandi. Illorum requisita recensui ibidem §. 29. Et sane nullum debet esse dubium quin

(a) Exam. Th. N. p. 335. & in Syst. T. II. Libr. III. p. 221.

(b) Vide *Tillemont Histoire Eccles. Tom. IV. P. I.* en S. Cyprien artic. 42. & note 39. it. artic. 51. not. 44.

(c) §. 30. p. 124, 125.

quin ſi liberi à nonnullis bona licet intentione arriperentur ad Baptiſmum, reluctantibus parentibus vel exiſtentibus infidelibus, quemadmodum olim Judæorum liberis in Luſitania factum eſſe narrant hiſtoriæ; id baptiſmi genus pro nullo habendum ſit, vel pro horribili ejuſdem abuſu.

VI. Ceterum ſi in iis regionibus degerem ubi Anabaptiſtæ non tolerarentur, dubitandum non videtur quin D. Jæger mihi ejuſmodi de Anabaptiſmo accuſationes tam abſurdas ac nullas nullam aliam ob cauſam ita ſolicitè & ardenter intentaret, eaſque omnibus perſuadere vellet, niſi ut mihi perſecutiones ſuſcitaret. An autem ſimile quid per eas intenderit illis accerſere qui aliis in locis ab ipſo dicentur meis adhærere ſententiis, id novit ſcrutator cordium, à quo occultiſſima animi ſui non poterit ille abſcondere pro ut ea coram hominibus ſub ſpecie zeli rixoſi ac controverſantis huc uſque diſſimulavit.

VI. *De Anabaptiſmo à J. tam ardenter imputato.*

CAPUT V.

De S. Cœna in diverſis partibus Chriſtianorum.

I. QUi Cainino animo vel turbandi & rixandi indole præditi ſunt, iis nihil odioſius eſt quam pacificandi ſtudium; ipſaque pax atque concordia, vel fraterna & tolerans dilectio, utut amabilis, monſtrum iis horrendum & heterodoxum apparet. Conatus ſum inter pios ac probos quarumvis partium ſimilem concordiam inſinuare. Ex iſto conatu ingentem obicem ſuſcitare D. Jæger voluit ſuis hiſce verbis: (a) *In articulo de Cœna Domini Poiret talia tradit, tamque monſtroſa dogmata, ut difficulter credam quod ullus unquam Hæreticus à prima ejus inſtitutione ita inſaniverit. Unde mirari ſubit quod inter nos dentur homines, quique Theologiam puriorem amare videntur, qui Poiretum defendere audeant.* Hoc angit Jægerum ſcilicet, eumque ita male habet, ut vel plus decem paginas impendat quo in diſſidiis, perturbatione & condemnatione mutua relinquat & confirmet omnium animos, Lutheranorum ſcilicet in Romanos & Reformatos, & horum viciſſim in illos ac inter ſe. Atque quo hunc turbandi

I. *Pacis conciliandæ ſtudium quam male habeat Jægerum.*

(a) Exam. Th. N. contr. 27. pag. 342.

animum ejusque effecta ulterius diffundat, neve ea intermorerentur, noxiam hanc cramben restituit & apposuit iterum in Opere (a) suo polemico ad verbum integram, addito insuper judicio J. A. Osiandri, contendentis S. Cœnam inter Reformatos non esse verum Sacramentum: ubi vero ille per figuram politicam nolens condemnare Osiandri judicium minime pium, nec audens placere Reformatis, quos tamen hic nec offendere vellet, lepide se expedit unico hoc verbo: *Nos hanc litem inter superfluas numeramus:* & ego quoque Jægerianas infinitas lites atque pene omnes duco inutiles.

(a) Syst. Th.Dogm. Pol. T.II. Lib. III. p. 232 ad 240.

II. *Quid sentiat P. circa Communionem S. quod ad bonos quarumvis partium, qui pacem & amorem ex Dei præcepto sectantur.*

II. Hac ipsa de causa subjiciam paucis solam mentem meam hacce de quæstione, Lectores rogans qui specialius eandem nosse voluerint, uti loca inspicere dignentur (b) ubi eam pluribus tractavi: Jægerianas autem oppositiones ac loquacitates inter superfluas & inanes numerabimus, & sibi relinquemus.

Deus pacis nos miseros vocavit ad pacem secum & inter nos invicem per ingentem amorem suum & interventum effusionis pretiosi sanguinis Filii sui. Dixit hoc fore signum quod simus ejus amici atque discipuli, ei reconciliati, si dilexerimus alii alios, & pacem quam suis reliquit & commendavit inter nos colamus super omnia, quippe quæ sit perfectionis vinculum, imo paradisi elementum, uti turbæ sunt revera elementum inferni & Diaboli. Qui hoc ultimo elemento delectantur, ipsos hic missos facio, nec considerabo. Ago tantum hoc in loco, & hanc de S. Cœna materiam tractans, de iis qui amant divinum pacis & amoris in Domino elementum, quales non dubito quin inter Christianos quarumcunque partium non pauci reperiri possint etiamnum, & olim reperti fuerint.

(b) Oec. Libr. IV. C. 6. & 7. Et Irenic. Univers. Sect. I. II. III. in Tom. II. de Erud.

III. *Hos Communione utentes Deo esse acceptos, qui fidem eorum ratam habet modis diversis sibi cognitis. Ta-*

III. Bonæ mentes inter Catholico-Romanos quæ humilitate, contemtu sui, amore Dei, desiderio ei placendi per restitutionem divinæ imaginis, per virtutem & spiritum Christi in illis renovandæ, serio præditæ sunt, quæque id optant in aliis quoque fieri, & per preces bonaque acta & exempla id promovent quantum possunt; non dubium est quin quando ad Sacram Communionem accedunt in simplicitate fidei suæ eoque scopo, ut per Christi gratiam & communionem cum ejus corpore augeantur in iis gratia & amor Dei omnesque Christianæ dispositiones

ſitiones quibus Deo placeant, non dubium eſt inquam, quin iſtud agentes, acceptæ ſint Deo, qui fidem ipſarum ratam habet modis ipſi ſoli bene cognitis. Idem dico & cenſeo de bonis omnibus qui inter eos ſunt quos Lutheranos dicunt: ac idem etiam de piis animis inter Reformatos.

les fuiſſe & eſſe in omnibus partibus.

Tales eſſe & fuiſſe olim, nullum dubium eſſe poteſt: in illis quidem vel ante ſchiſmata admirandi v. g. Franciſci, Tauleri, Kempiſii, Angelæ, Catharinæ Senenſes & Genuenſes, &c. exempla ſunt veritatis hujus certiſſima: dari & adhuc inter eos hujuſmodi vere pias Deoque gratas animas, dubitari nequit: quales etiam dico in aliis partibus degere.

IV. Bonæ iſtæ mentes ut ut in diverſis Chriſtianiſmi partibus, ſi quocunque modo aliæ aliis cognitæ eſſent, minime dubium eſt quin aliæ alias in pace ac charitate Chriſti ſeſe mutuo diligerent & amplecterentur: imo quin ſeſe jam diligant ut ut quantum ad externam ſpeciem aliæ aliis ignotæ, idque ob Chriſtum iis amatum, in iiſque habitantem & creſcentem indies, minime attendentes interim ad diverſa alia quæ inter ſe poſſunt intercedere; obſecundantes ita ea in re præcepto Chriſti, qui pacem & dilectionem in primis poſuit & commendavit; atque Apoſtoli mandato obſequentes, ut qui Chriſtum fide & dilectione amplectitur, & tamen ſimul credit dierum & ciborum diſtinctionem ſibi ob Deum eſſe obſervandam, is in pace ſuſcipiatur ab aliis, nec tamen ipſe alios condemnet ac minus diligat; quemadmodum & viciſſim qui aliam de iſta diſtinctione mentem habent creduntque nullam eſſe, ii non turbent quos infirmiores judicant.

IV. Hi bonos qui in aliis ſunt partibus ob Chriſtum in iis viventem amant, non attendentes ad ea quibus à ſe differunt, ex mandato Chriſti & Apoſtoli.

V. Certe Deus ex ſua quidem parte bonas iſtas mentes in quibuſcunque Chriſtianiſmi partibus, quando à corpore mortali diſſolvuntur, ſuſcipit in gratiam & gloriam ſuam eaſque & ſibi & alias aliis æterna dilectione ac pace æternum duranda augendaque unit & conjungit, ita ut invicem ſe magis diligant quam optimus in his terris amicus amicum diligere potuit. Quæ cum ita ſint, nonne optandum eſſet ut & in hac vita inter ejuſmodi bonas animas præludium quoddam eſſet talis unionis, dilectionis ac pacis illius quæ in vita æterna futura eſt perfecta? Atque hoc votum, hic ſcopus fuit eritque eorum qui vere pacem

V. Bonos quarumvis partium poſt mortem æternum uniri. Cujus unionis præludium hac in vita optant qui pacem inter eos promovere quærunt.

cem, unionem & dilectionem inter bonos quarumvis partium promovere quæsiverunt olim aut quærunt usque adhuc: quibus vero calculum addidi.

VI. *Hoc valde displicet Satanæ, Sacra ipsa in causas rixarum, odii & cædium vertentis.*

VI. Displicet hoc summopere pacis ac dilectionis divinæ inimico & turbatori Satanæ. Suscitavit ille animos Caininos, qui uti ejus instinctu Cain fecit contra Abelem, ex ipsis Sacris Deo oblatis quærerent ansas rixandi, turbandi, dividendi, odio prosequendi, diffamandi, & interdum sese mutuo occidendi, easque vel invenirent, vel excogitarent, ac funesto successu cum aliis communicarent. Suggesserunt bonis etiam mentibus animi Cainini, nonnulli quoque meliores ex zelo obscuriore & carnaliore ut ut non sine intentione meliore, inspirarunt inquam illi bonis hæc vel similia: " Ecce, hi & illi aliarum istarum „ partium non faciunt sicuti vos, nec concipiunt hoc & illud „ sicut vos, adeoque hoc ipso vos arguunt & mali & falsi, at- „ que ita illi vos condemnant: & tamen quæ ipsi faciunt & „ sentiunt sunt falsa, absurda, hæretica, mala, sunt idololatri- „ ca; sunt ceremoniæ vacuæ, negatio veritatis & realitatis Sa- „ cramenti Christi &c. has aliasque ob causas, rationes, ar- „ gumentationes & consequentias. Separate ergo vos ab illis, „ eosque habete pro errantibus, hæreticis, Sacramentariis, „ Idololatris & inimicis veritatis ac proinde Dei, qui & vestri „ idcirco inimici esse debent. " Qui vero Diabolici instinctus ita obtinuerunt ut Christianismus non semel per eos in cruentas etiam belli, cædiumque officinas, & sanguinis balnea conversus fuerit, nec procul dubio malorum adhuc finis adest.

VII. *Cui ut obviam eatur, inculcandum bonis ut in bonis aliarum partium respiciant ad cordis eorum rectitudinem sinceritatemque fi-*

VII. Hisce impiis Satanæ moliminibus ut obviam iretur, mihi visum est, inculcandum esse bonis quarumcunque partium mentibus, ut si quando ad eas, quæ in aliis partibus bono animo Deum quærunt, respiciunt, easdem non respiciant ea parte qua ab illis dissentiunt, neque attendant ad ea in quibus inter se differunt; sed earum bonam dispositionem, sua forsitan coram Deo meliorem considerent, illarumque intueantur pietatis, intentionis, fidei ac cordis sinceritatem, quæ verò cum Deo grata sit, hic proculdubio in Sacramenti pia usurpatione eandem habet acceptam, ac pro promissionis suæ sacramentalis veritate, & inexhaustæ potentiæ suæ abundantia eam ratam facit modis

variis

variis pro diverſâ fidei Sacra adhibentium conditione : ita ut qui bona & ſincera fide confiſi Verbo omnipotenti de præſentia ſui corporis, ſacra Communione utuntur, cum iis vere Sacrum ſuum Corpus ſecundum eorum fidem communicet : qui autem bono itidem & ſincero animo divinam gratiam morte ac ſanguine Chriſti acquiſitam, & in ſacramento oblatam anhelat quidem, ſed ita ut ſibi repræſentet ipſum corpus ac ſanguinem Domini ibi non adeſſe materialiter quantum ad ſubſtantiam corpoream, ſive quod id glorioſo ſtatui, ubi nunc eſt Dominus, non putet congruum, ſive quod non concipiat quî res fieri poſſit, ſive quod præjudicia in quibus educatus eſt & jam ante cum pia devotione & fructu Sacris uſus eſt, id ei non permittant, quidni eum donet Dominus efficaci gratiæ ſanguine ſuo acquiſitæ eſſentia ac effectibus, abſente licet corporis ſui materialitate? *dei, quam Deus in Sacramento ratam habeat modis variis pro diverſitate fidei.*

VIII. Videmus etenim in Evangelio Chriſtum non eſſe indignatum illi Centurioni, qui, cum præſentiam ſuam ei ſimul & gratiam obtuliſſet, (*a*) *ibo, & ſanabo*; gratiam volebat ſine Domini corporea præſentia; quam gratiam & adeptus eſt ſimulque Chriſti de fide ſua elogium & approbationem, Domino ita ſeſe potentiamque ſuam accommodante variis fidei ſincere fidelium diverſis conditionibus, uti ex Evangelii plurimis exemplis conſtat, in quibus Chriſtus repræſentatur non ſemel ægris inquiens, *ſecundum fidem tuam*, ſicut credis, ita *fiat tibi.* VIII. *Simile quid videri in ægris à Chriſto ſanatis.*

(*a*) Matth. 8. ℣. 7.

IX. Iſto pacto minime in animo habui id quod ſine vero imputavit mihi D. Jægerus, *& ineptias ingentes meas* appellat, videlicet, (*b*) *tres Religiones in fide & Sacramento combinare velle:* volui tantum ut piæ mentes unius Religionis alias quæ in aliis Religionibus verſantur, non contemnerent, non condemnarent, non pro errantibus, hæreticis &c. haberent; ſed amarent potius, conſiderando Chriſtum id & velle ut faciant, & ipſum id facere, imo ipſarum fidem ut ut alio modo ſe habeat, poſſe eum variis & ſalutaribus modis gratia ſua cumulare atque ratam habere qui eſt omnipotens. IX. *Ita P. non voluit combinare tres Religiones, ſed ut piæ mentes unius, eas quæ in aliis ſunt, amarent.*

(*b*) Ex. Th. N. p. 345.

X. Id etiam minime verum eſt quod & idem mihi imputat ibidem, ſcilicet, me *putare fidem eſſe cauſam aut rationem propter quam Chriſtus ſit præſens in Cœna :* ita ut Chriſtus *Ceremoniam inſtituerit in ſe caſſam & inanem : ſed quam* diſcipuli *per fidem fœcundare* X. *Falſo ei imputari, ſolam fidem communi-*

cantis causam esse præsentiæ Christi in S. Cœna. Quid fides hic faciat.

cundare possint : atque ita , fides discipulorum aut cujuscunque fidelis communicantis longe efficacior & potentior sit , *quam institutionis verba Salvatoris : & quod* NIHIL ,*juxta* me ,*faciat Christum præsentem in Cœna quam fides communicantis.* Atqui contra , non semel declaravi , etiam cum de Sacramentis in genere agerem , Dei potentiam , voluntatem & promissionem ac verbum causam esse , ut sic dicam , efficientem uti & emanativam omnis boni quod Deus in Sacramentis offert , neque id pendere à Ministro vel à quovis alio ut ab efficiente causa. Sed (*a*) fidem esse causam sociam & admittentem , aut etiam sano sensu , moventem ac determinantem Dei voluntatem atque potentiam , nemo unquam inter Christianos , quod sciam , inficias ivit.

XI. *Præsentiam Domini ejusque gratiæ sine fide esse nullam omnes fatentur.*

XI. Consentiunt enim in hoc omnes , quod si qui celebrant & usurpant Sacramenta , fide destituantur , præsentiam Domini ejusve gratiæ ibi fore nullam : nec Jægerus , credo , ipse id diffitebitur. Etenim ipsemet , quia Catholico-*Romanorum fidem circa articulum de Cœna* pro nulla habet sive pro *non vera* ; illico *figmentum* appellat *transsubstantiationem* , quam illi se credere profitentur , quando ipse tamen *ubiquitatis* figmentum admittens , opinatur se vera fide , cui & res respondeat , esse præditum. Non est mihi animus vel rixari cum ullo , vel ullum lædere ; sed ea potius dicere quæ probis ac piis quibusvis , etiam inter Lutheranos possint satisfacere : sinant modo ipsi ut & in gratiam proborum inter Catholicos ea dicam quibus impediri possit ne ab aliis condemnentur.

XII. *De veritate Transsubstantiationis quomodo convictus fuerit P.*

XII. Me , horrentem olim Transsubstantiationis & fidem & usum , temperaverunt primum divini *Thomæ à Kempis de Imitatione Christi* libri , speciatim quartus , ubi vidi virum sanctum insignemque Dei amicum , credidisse , defendisse , celebrasse (Presbyterum quippe) Eucharistiam sacram in ea fide atque sententia , imo & inde in pietate & sanctitate incrementa sumsisse. Sanctum illum virum non ausus sum inde ab eo tempore condemnare uti idololatram : sed nec statim ea propter , ob inolita

(*a*) Christus asserit , omnia credenti , sive fidem habenti , esse possibilia. Fide & precibus Deum vinci , eas esse vel Deo potentiores , in ore Sanctorum nonnunquam fuit ; & Scriptura in Jacobo & in Mose exempla ostendit : quo sensu dixi alicubi fidem esse principium omnipotens.

lita contraria præjudicia, ei adhibebam fidem: putabam errare, sed errore quem Deus dissimulet bonis, iisdemque facile condonet, quique saluti minime sit noxius in illis qui bona & sincera fide eo à teneris imbuuntur. Incidebam autem procedente tempore in cognitionem plurium similium, de quorum probitate, pietate, imo & sanctitate nullus dubitare poteram tametsi in eadem essent sententia ejusdemque praxi: Tauleri, Susonis, similiumque Scripta & exempla non parum me movebant & afficiebant: sed ubi videre contigit divina omnino sanctarum mentium S. Catharinæ Genuensis, & maxime S. Angelæ Opera, unde sentire est bono cuivis cordi, fuisse eas Spiritus Dei templa & organa in quibus is vivebat, operabatur, loquebatur, desiere mea dubia omnia, postquam vidi Deum ipsum illas de veritate hujus suæ fidei certas & securas fecisse. S. Angelam tanti fecit pius & sanctus inter Protestantes Arndius, ut ex illius libro vel quatuordecim Capita Operi suo de Vero Christianismo, licet de alia materia, inseruerit. (a) Erat autem illa modo plane supranaturali planeque divino illuminata immediate à Spiritu Dei. Videantur ea de re nostra confirmationes indubiæ in Capitibus suæ Vitæ 37. ad 43. & Cap. 67.

(a) [Qua de re vide infrà Accessionem C. seu Responsorias ad Epist. Jægeri §. 55.]

XIII. Tres sententiæ inter Lutheranos de præsentia corporis Christi in Cœna; duæ absurdæ, tertia sanior.

XIII. De Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentia, ternæ reperiuntur apud Protestantes Lutheranos sententiæ, quarum duæ ceteris Christianorum absurdæ habentur; tertia sanior est, & sanioribus inter illos communis. Prima in eo fundata est, quod statuant Corpus Christi, ejusve humanam naturam ubique esse à tempore quo concepta est ac Divinitati hypostatice unita. In hac, quæ est omnium maxime absurda, est præter alios & noster D. Jægerus, qui etiam in Opere suo Systematico eam omni conatu sustinet. Altera & huic quoque ubiquitati innititur; sed ubiquitatem agnoscit tantum à tempore quo Christus in gloriam ad dexteram Patris assumtus est. Tertia præsentiam Christi corpoream fundat in potentiâ, voluntate & verbis Christi Sacramentum Cœnæ instituentis, quibus fit ut dum celebratur Eucharistia, corpus & sanguis Christi in eadem adsint: quæ sententia sanior, duarum priorum non gravatur absurdis.

XIV. Absurda il-

XIV. Absurda illa nihilominus in bonis mentibus Christum, ea

la in bonis animis Christum non offendere. ea dissimulantem, minime offendunt; haud secus ac pater aliquis optimus minime læditur, nec minus benignus est ob filiorum quorundam suorum eum amantium ac ei obsequentium imaginationes aliquot ineptas, quæ magis blandum risum movere aptæ sunt quam minimam indignationem, quamdiu insunt bona fide in bonis cordibus.

XV. *Jægerum studio obices ponendi in contraria abripi circa fidem Discipulorum in prima Cœna.* (a) Ex. Th. N. p 347. (b) Syst. Dogmat. Polem. T. II. Lib. III. p. 243.

XV. Ceterum uti appareat quousque obices ponendi animus D. Jægerum in diversa & contraria trahat, velim observari, eum, quando putavit (at male) me in ea esse sententia, quod fides præsentiam Christi in sacramento operetur, & faciat ibi omnia, opponere mihi, (a) *quomodo ergo corpus Domini in prima Cœna Discipulorum fides præsens potuit facere, quæ* (fides eorum) PLANE NULLA ERAT? Quod an Apostolis honorificum sit, & veritati congruum, quibusvis dispiciendum relinquo. At idem ille alio in loco, contra D. Maresium disputans, contendentem Discipulos in eadem prima cœna nullam de præsentia corporis Christi in pane Eucharistico fidem habuisse; eodem opponendi animo vel quinque (b) suppeditat Discipulis ratiocinia quibus ipsimet confirment se præsentiæ corporis Christi in pane Eucharistico ejusque orali manducationi FIDEM habere maximam. En quî cacoëthes contradicendi hominem adducat ut sibimet ipse contradicat!

CAPUT VI.

De suasione prætensa cultus externi simulati.

I. *Quæ sit origo coactionis conscientiarum, qua factum ut infirmiores multi non sine peccato & conscientiæ flagello cultui alieno se dederint.*

I. SI Christianismus hodiernus utut in partes plures, præcipue vero ternas divisus, constaret tamen bonis tantum ac piis mentibus, quarum aliæ quidem scientiam majorem, aliæ minorem haberent, & infirmiores essent; evidens est, fidelium quemlibet mediis externis Sacramentorum & cultus divini ita usurum prout in usu sunt inter bonos illos Christianos quibuscum ipse in eodem loco vitam degit: fierent itaque omnia eo ordine ad gloriam Dei & promotionem gratiæ ejus salutaris, ut unusquisque sponte sua liberoque corde & bona conscientia hic faceret quæ

facit:

facit: abessent scandalum atque coactio. Verùm ex quo mali, & magna quidem copia, in Christianismum introducti sunt; imo & in ejus sacra officia & ministeria, hique auctoritate apud potentiores creverunt, factum inde est, ut eorum instinctu atque consilio potentiores unarum partium vi cogere voluerint non tantum infirmiores suarum partium, sed & omnes ceteros, quantum poterant, in partibus aliis diversis, uti sese eorum redderent sententiis sive opinionibus & usibus atque praxi, licet non sponte nec cum bona conscientia. Nemo nescit quo tempore & quibus in locis hæc nuper potissimum evenerint, & quidem ita, ut cum ejusmodi coactione pœnæ aliquot, infirmitati nostræ ipsa morte magis formidandæ, morem non gerentibus fuerint intentatæ & superadditæ. Unde factum est ut earum declinandarum gratiâ infirmæ quam plurimorum mentes ei se suosque liberos, dediderint externo cultui, cui tamen sua repugnabat conscientia: atque ita sese simul & peccato contaminaverint, & morsibus ac flagello conscientiæ torquendas tradiderint miserum in modum.

II. Neminem crediderim esse eorum quibus proximi dilectio & commiseratio erga miseros chara est, qui non cupiat illis qui in eo statu, in iis circumstantiis sunt, esse auxilio quantum quidem possit. Hoc autem quî possit fieri, ostendere conatus sum in speciali aliqua Epistola unde postea tractatus integer sub titulo (*a*) *Irenici universalis*, emanavit. Legendus est totus, & quidem integro nec Cainino animo, uti ea de re judicetur recte. Caininus enim animus ad mortem æternam omnes pertinaciter decrevit condemnare qui extra suum cœtum sectarium degunt, extra quem (ceu extra Ecclesiam) salutem nullam dari clamat; eos autem qui ipsi adhærent mavult miseriis omnibus torqueri ac confici, quam ut ab eo ex necessitate, imo & consentiente conscientia, lumine majore perfusa, discedant, seque cum aliis conforment. Et istiusmodi animis nihil à me neque scribitur, neque dicitur, neque legendum commendatur.

II. *His qui succurri possit ostendere conatus est P.*

(*a*) Exstat in Tom. II. de Eruditione.

III. Dicam autem melioribus verbo & obiter meam mentem quæ in meo libro illo est, hanc esse: scilicet, ut bonæ mentes quæ in iis locis & angustiis sunt, considerent, utrum in illis partibus, in ea societate vel Religione ad quam impelluntur, reperiantur etiam fundamentalia, necessaria, sufficientia & salu-

III. *Si sc. verè convinci queant de essentialibus eo in cœtu*

salvis, déque cultus illius externi salutari usu. taria Christianismi; & an cultus ibidem externus medium esse possit quo suæ mentes in hisce essentialibus crescant, atque magis & magis Deo & Christo appropinquent. Horum primum constat ex divinis & excellentissimis libris ibidem vigentibus; alterum è praxi sanctarum mentium quæ ibi olim & nunc degentes, eo cultu ejusque praxi usæ sunt salutari plane modo, & in amore Dei veraque sanctitate per eum profecerunt: quod non paucis patet earum exemplis. Hæc & similia, pluribus suo loco exposita, si considerare velint bonæ illæ vexatæque mentes, si bene ea possint capere, deque eorum veritate insuper persuaderi; ecce tunc eo reductæ sunt ut sine læsione suæ conscientiæ sineque peccato, imo cum salutari progressu, & simul cum levamine angustiarum ipsis imminentium, ea agant, quæ antea sine iis incommodis sineque peccato facere non poterant.

IV. *Si non queant, quidvis potius subeundum esse quàm ut contra conscientiam tant:*

IV. Verum si de hisce persuaderi non possint, neque de eorum veritate convinci, tunc sentio; & scripsi, iis esse satius ut patiantur incommoda, imo ipsam mortem, quam ut ea faciant de quibus conscientia sua ipsis objiciat se facere contra Dei voluntatem, atque adeo peccare contra Deum.

V. *Verba Poireti de his clarissima. Confessores & Martyres bonæ conscientiæ.*

(*a*) Irenic. Univ. Sect. II. §. IV. & V. de Erud. T. II. p. 277.

V. Verba mea hac de re sic habent: (*a*) *Existimo eos qui credunt* (licet forte ex errore) *factum aliquod esse malum Deoque exosum, recte facere si illud evitaverint, utcunque eo ipso gravissima pericula, ipsamque adeo mortem, adire cogantur. quo quidem casu, etsi Martyres veritatis essentialis doctrinæ Christianæ dicendi non sint, Confessores certe erunt aut Martyres bonæ conscientiæ, bonæ fidei, sincerique erga Deum animi. Deus autem, qui cordis rationem habet, si videat eosdem aliàs divinum timorem suum, amorem, humilitatemque amplecti, istud, quicquid hic est tenebrarum defectuumque, indulgenter in iis dissimulat, bonamque eorum conscientiam atque sinceritatem præmiis quæ divina justitia bonitasque eorum cum bona mentis constitutione commetietur, ornaturus est. Atque ita pro certo habeo in partibus singulis Christianæ gentis homines fuisse probos quibus non vitio, sed laudi dandum est quod gravissimos quosque cruciatus, imo & mortem amplecti maluerint, quam illa in quibus peccatum inesse putabant quod tamen non inerat, admittere* &c. quæ pluribus verbis sequentibus, ac longioribus quam ut hic apponantur omnia, prosecutus sum, inter quæ hæc leguntur veluti conclusio-

nis

nis ergo: (*a*) *Atque ita illos qui, ut peccata quæ putabant evitarent, magnas sibi ærumnas compararunt non reprehendo non tantum, sed & in honore etiam habeo & laudo, modo de cetero, Dei timore atque amore non careant. Præstat utique ad pacem bonæ conscientiæ conservandam, carnis tormenta adire; quam ad pacem & commoda carnis tuenda, conscientiam vulnerare.* Dici vix potest quanta cum solicitudine evitaverim per cetera quæ legi ibidem poterunt, ne quis putet sibi licere aliquid facere simulate tantùm & quod ad speciem, contra internum conscientiæ suæ testimonium atque dictamen. Rogo id legere velint qui de mea hic sinceritate planissime convinci cupient.

(*a*) Ibid. §. VI.

VI. Hanc mentem meam clarissime expressam perverse admodum traduxit D. Jægerus mihique contrarium cum multis maledictis, injuriis & mendaciis imputavit in suo (*b*) Examine. Ibi *literæ* meæ ei sunt *maledictæ.* ibi ei dicor is *quo vix ullus fuit tam impudens, tam proterve sceleratus qui extremam hypocrisin & nefandam apostasiam palam defendere ausus sit: quique adeo cœco, adeo scelerato Enthusiasmo* infectus sit. Imponit mihi, *suasisse me ut se subjiciant illi sacris Religionis Pontificiæ* SALTEM QUOAD SPECIEM: mihi *stultos fuisse* eos *qui ob externum Religionis cultum, vel in exilium abierint, vel jugulum carnifici præbuerint,* (quos tamen, quamvis errantes fuissent, declaravi ibidem & totidem verbis pro *martyribus bonæ conscientiæ,* qui *Deo grati sint.*) me dixisse, *posse eos sine conscientiæ scrupulo Religionem* aliam SIMULARE, *sineque peccato* &c. item secundum me, *potuisse Martyres omnes in primitiva Ecclesia sine ullo scrupulo Diis gentium sacrificare, aut ritibus paganis interesse.*

VI. *Ejus mentem à Jægero apertissimè perverti cum multis maledictis, injuriis mendaciisque:*

(*b*) Exam. Th. Nov. Contr. 33. pag. 399.

VII. En ipsummet integrum contextum verborum suorum. „ Quot sunt scandala excitata & apostasiæ procuratæ per illas „ maledictas literas (*c*) quas ad constantes in fide sua Hugenotas „ in Gallia scripsit, ubi multa verborum pompa ipsis SUADET „ ut se subjiciant sacris Religionis Pontificiæ saltem QUOAD „ SPECIEM: STULTOS hactenus fuisse qui ob externum Re„ ligionis cultum vel in exilium abirent, vel jugulum carnifici „ præberent: Religionem in animo consistere, non in externo „ opere: ipsos posse SINE ULLO CONSCIENTIÆ SCRU„ PULO sacrificio Missæ interesse, in genua procumbere, SI-

VII. *Quod ipsiusmet verbis ostenditur.*

(*c*) Sunt in Irenic. Univ. Sect. I.

„ MULARE Religionem Pontificiam, idque SINE ULLO
„ PECCATO. Sane tam impudens & tam proterve ſceleratus
„ vix ullus fuit hactenus qui EXTREMAM HYPOCRISIN &
„ NEFANDAM APOSTASIAM palam DEFENDERE au-
„ ſus eſt. Nihilominus Poiret, uti putat [plane non] purificatus
„ eſt perfecte, nullum ſeminium ex antiquo ſerpente in illo eſt,
„ legem Dei perfectiſſime implet, adeo cœcus, adeo ſceleratus
„ eſt Enthuſiaſmus ſi ſemel radices egit. Sane ſtante Poireti
„ ſententia, ſtultiſſima fuit mater Machabea cum ſeptem filiis
„ ſuis, quod tam cruentum Martyrium ſuſtinuerit. Potuiſſet,
„ juxta Poiretum, legem Dei perfecte adimplere ſi FIDEM
„ PAGANAM SIMULASSET. Sic & Martyres omnes in pri-
„ mitiva Eccleſia ſtulti fuere quod ſe carnifici ſubjecerunt: jux-
„ ta Poiretum enim SINE ULLO SCRUPULO DIIS GEN-
„ TIUM ſacrificare, aut ritibus paganis intereſſe potuiſſent". Hactenus D. Jægerus. Judicet inde æqui ac veri amans Lector quivis, utrum tam evidentia, tam urgentia, tam criminoſa imputata falſa animum deceant tantiſper Chriſtianum; & utrum è principiis ac verbis à me propoſitis & modo oſtenſis, talia exprimi debuerint atque potuerint: videantque vel hinc cum quo viro mihi res ſit, & quantum robur, quantam fidem, obicibus ſuis mihi oppoſitis atque opponendis ineſſe è tot exemplis judicandum ſit.

VIII. *De mutando cultu externo quid ſuaſerit P.*

VIII. Ceterum vere teſtificor, me nunquam auctorem fuiſſe alicui vel ſuaſorem mutandarum partium in cultu externo, niſi ſolis iis qui coram Deo in lumine bonæ conſcientiæ intelligere poterant ſe id poſſe facere ſalutariter & Deo approbante, quique erant præterea in locis ac circumſtantiis ubi ipſis liberum non erat aliter facere. namque eorum qui libertate fruebantur, nulli unquam, cujuſcunque partis is fuerit, mutationem ſuaſi, imo non raro diſſuaſi, ſatis eſſe aſſerens ut unuſquiſque ubicunque degat, eſſentialia Chriſtianiſmi dogmata ac præcepta teneat & obſervet fideliter.

LIBER TERTIUS,

Complectens & repellens obices specialiores oppositos circa media salutis interna.

CAPUT I.

De peccati originalis imputatione, hujusve negatione objecta.

I. HActenus exempla sufficientia specialiorum Obicum D. Jægeri ad primum eorum ordinem supra notatum pertinentia, satis vidimus. Demus & nonnulla secundi ordinis, hoc est, illorum obicum quos desumsit, non solum, uti priores modo memoratos, è consideratione mediorum salutarium quæ extra nos sunt, sed & eorum quæ sunt vel debent esse intra nos ipsos, veluti, agnitio peccati & corruptionis nostræ, fides, & quidem in Christum pro nobis satisfacientem, & justificatio. Plura ad hanc classem non referemus; tametsi præterea & nonnulla alia infra a nobis sint exhibenda, sed quæ magis considerari possunt ut problematica quam fundamentalia, vel fundamentum fidei evertentia, tametsi D. Jæger promiscue omnia pro perniciosis, blasphemis, hæreticis, è stygia palude & ex inferno &c. oriundis proclamare gestiat. I.

I. Transitio ad Obices specialiores circa media salutis interna.

II. Inter prima quæ in peccatore salvando requiruntur, uti in se habeat, obtinet peccati sive corruptionis suæ agnitio. Qui ignorat se ægrum sive corruptum, & quousque sese corruptio in eo exeruerit; quomodo sanationem sui, & potentissimum auxiliatorem desiderabit? Corruptio autem nostra è peccato originali ortum trahit, & hoc ex Adamo, unde illico, à primo nostro ortu in nos & in totum id quod sumus, influit. Hoc ego tam vivide & solide (sit venia veritati læsæ) ostendi & probavi in

II. De corruptione originali. Ejus communicationem solidissime demonstravit P.

in Libr. II. Oeconomiæ totis Capitibus quatuor, ut ea de causa, quod jam forte notavi antea, à Pelagiani ac Sociniani erroris ea in re defensoribus invidiam & calumnias tulerim; gratias vero à parte doctissimorum quorumdam inter orthodoxos, ipsosque etiam Lutheranos. Et tamen oportet nihilominus me in eadem causa infamantem à D. Jægero obicem experiri, quem plures alii (*) ab eodem assumtum, ulterius cum multis ceteris communicarunt.

III. *Qui vero, quod aliam ei causam assignavit, quàm actionem seu imputationem Dei, id impugnat J. non sine errato multiplici.*

III. Is mihi fecit ea de re Controversiam decimam sextam Examinis sui, ibi me impugnat quasi magnum errorem commisissem concedendo quidem corruptionem originalem tam universalem, tam extensam tamque intensam quam agnoscere velint aut possint qui eam asseverant: sed tamen ita, ut dicam eam fieri per propagationem & communicationem naturæ corruptæ, non per causam *imputationis* Dei à causa propagante distinctam. Impugnor igitur, non propter negatam corruptionis originalis communicationem: sed quod huic communicationi causam aliam assignaverim quam actum Dei imputantis, sive, actionem & *imputationem Dei*. Et hic quidem D. Jægerus ipse non semel erravit in hoc suo obice. Nam primo, ea dicit inscius quorum vi deberet me missum facere. Deinde concedens disputandi causam esse fere nullam, male tamen me cum Barclaio ac sui similibus confundit; tum fallitur in alleganda causa cur ipse me impugnet: maleque postea ipse probat imputationem: ac denique transit extra oleas ad aliam de mercenariis materiam. Singula hæc paucis ostendemus.

IV. (1.) *Ea affert quibus patet hanc litem frustra moveri Poireto, qui* imputationem mediatam *omnino agnoscit.*

IV. (1.) Incipit sic D. Jæger. In *hac controversia non tractabimus litem quam Theologi Ecclesiæ Reformatæ ante dimidium seculum habuere, ubi tota difficultas demum abiit in distinctionem inter* IMPUTATIONEM MEDIATAM ET IMMEDIATAM, *uti videre est apud Garissolium & Josuam Placæum.* Neutrum horum videram cum Oeconomiam meam scriberem, nec memini utrum eos inspexerim postea: sed video satis ex ea distinctione, mentem meam convenire, quantum ad substantiam, cum mente Dn. Placæi: quando enim imputationem negavi, *immediatam* intellexi,

(*) [v. g. D. *Jac. Bernard* in Novellis Literariis Gallicis Junii 1708. D. *Joach. Langius* in Part. III. Libri Germanici Richtige Mittelstrasse / cum aliis.]

xi, non *mediatam imputationem*, hoc eſt, in qua intercedit corruptionis inhærentis communicatio: nam cui ſubjecto ineſt vel communicatur corruptio, ei corruptionem iſtam recte *imputari*, ſive, id pro corrupto recte haberi & declarari, & rejici, nunquam mihi in mente fuit uti hoc negarem. Libenter potius facio mea hæc Nic. Lyrani verba (in Cap. V. ad Rom.) *Peccatum Adæ* IMPUTATUR *omnibus ab eo deſcendentibus, ſecundum vim generativam, quod ſic ſunt membra ejus.* PROPTER QUOD *vocatur peccatum originale.* Et Auguſtini ſequentia: (*a*) *Nondum erat ſigillatim creata & diſtributa forma in qua ſinguli viveremus: ſed jam* NATURA *erat ſeminalis ex qua* PROPAGAMUR, *quâ ſcilicet propter peccatum* VITIATA, *& vinculo mortis obſtrictâ, juſteque damnatâ, non alterius conditionis homo ex homine naſceretur.* Debuiſſet igitur D. Jægerus declarando ſe controverſiam cum D. Placæo velle miſſam facere, & me quoque in pace cum illo reliquiſſe; idque eo magis, quod conceptis verbis fateatur, (*b*) *hanc controverſiam ſubtilem magis videri quam utilem & neceſſariam; quia corruptionem hominis non negat Poiret* &c.

(*a*) De Civ. Dei Libr. 13. Cap. 14.

(*b*) Jæg. Exam. p. 202.

V. (2.) Male me D. Jæger cum Barclaio, ejuſve ſententiam cum mea confundit in unam. Barclaius ſiquidem corruptionem hominum ex Adamo conſiderabat potius veluti adjunctum aliquod, (*ſemen Satanæ* ei dictum,) quod homines magis tentabat ad malum, quam ut ipſum malum eſſet, homineſque à Deo æternum ſepararet, ac in morte teneret æterna, niſi inde per gratiam Liberatoris eruerentur. Et hoc ſenſu non modo *imputationem* hujus mali negat (*c*) *donec infantes actualiter ſeſe ei peccando conjungant*; ſed & negat eos eſſe *filios iræ*; ridet dicentes *peccatum hoc baptiſmo ablui*; negat (*d*) *infantes à conceptione peccato contaminatos eſſe*, & *iniquitatem in iis omnibus eſſe*; ſed tantum vult id *occaſionem peccandi præbere:* unde & ipſum *peccati originalis* vocabulum reſpuit. Ego vero quàm contrà ſentiam, videri poteſt ex Cap. XIV. Libri II. Oecon. §. II. ubi enumerans quatuor de *peccato originali* opiniones *falſas*, hanc pro ſecunda recenſui: *Alii dicunt id ſolis inclinationibus aut propenſionibus ad malum conſtare, propter quas nemo antè reus dicendus ſit quam actu eaſdem ſequatur.* quod vero hiſce inter alia repuli verbis, §. IX. *Qui volunt peccatum originale non eſſe niſi animæ inclinationem ad ma-*

V. (2.) *Male cum ejus ſententia confundit ſententiam Barclaji ab ipſo expreſſe rejectam.*

(*c*) Barcl. Theol. Theſ. 4. p. 59.

(*d*) Ibid. p. 61, 62.

malum, quæ inclinatio culpam nullam habeat nisi consensus accedat; ii rivum cognoscunt, fontem seu principium dissimulant — Næ, quicquid dicant, inclinatio prava, eaque intestina, non potest nisi ex corrupto animæ fundo oriri. Planta bona, non nisi ad bonum; quæ vero ad malum tendit, prava est, etiamsi forte actus suos, qui alias prorumperent, ipsamet reprimat. Et in Cap. XV. §. VIII. apposita est margini hæc mea nota: *Post lapsum Adami homines omnes in eo solo sine Liberatore interveniente considerati, ab ipsa usque nativitate naturali maledicti & damnati sunt:* quod pluribus in ipso textu exprimitur. Et sic patet D. Jægero eam inesse animi æquitatem, ut *Quackerorum* quidem, quos hic *fanaticis* accenset, errores dissimulet & extenuet; meas vero sententias, utut verissimas, hic & alibi passim quantum potest aggravet & depravare annitatur.

VI. (3.) *Falsò imputat, illum ex negata imputatione (immediata) corruptionis vellicasse imputationem meriti Christi.* (a) Jæg. Exam. p. 202.

VI. (3.) Et hinc est quod quando vult causam ostendere cur & hîc me impugnet, hanc falsam proferat: (a) *Cum ex eo fonte* (negatione imputationis peccati originalis immediatæ) *Poiret vellicet* IMPUTATIONEM MERITI CHRISTI *in articulo de* JUSTIFICATIONE, - - - *ideo res eximiis fundamentis examinanda est:* Falsum falso contegit Jægerus. Falsum est me *vellicasse* imputationem meriti Christi in Justificatione, uti cuilibet videre est ex Oecon. Libr. V. Cap. VIII. §. VI, X, XV, XXII ad XXIV. Hoc falsum mihi imputavit Jæger quia adulatoriam quam statuit *imputationem* mere externam, qua quivis nebulo abutitur & in peccato induratur, minime agnovi. Æque falsum est, eam *vellicationem imputationis meriti Christi* à me deductam esse vel potuisse deduci *ex fonte* negationis imputationis peccati originalis.

VII. *Calumniam hanc in Oeconomia expresse praverti.*

VII. Contrarium posui non sine ratione addita, hisce verbis à D. Jægero lectis in Libro II. Oecon. Cap. XIV. §. XVIII. *Mali imputatio omnis & falsa est & injusta nisi subjectum simul actu, aut implicite, consentiat. Respectu Dei imputatio nulla datur nisi in bono: quoniam Deus, fons & auctor boni, bonum, si volet, ubi deest, immittere & ingenerare potest: & si nulla adsint merita boni acquirendi, potest tamen cum subjecto quod bono dignum non erat, perinde agere ac si idem commeruisset: adeoque potest vel* PROPTER MERITA ALTERIUS EORUMQUE IMPUTATIONEM,

NEM, *vel propter seipsum solamque voluntatem suam divinam, eidem benefacere: ipse enim ceu abundantissimus liberalissimusque boni fons, in se ipso causam invenit unde voluntatem judiciumque suum, quo creaturæ suæ bonum attribuere volet, jubeat esse ratum. At idem* (Deus) *nequaquam est fons mali; nec quippiam in se, vel in voluntate ac decreto suo, imo nec in potentia sua invenit unde creaturam faciat peccatricem ac nocentem, aut unde verum & ratum velit esse judicium hoc*, eam nocentem esse, *si quidem re vera nulla in ipsa ratio adsit propter quam nocens dici possit.* E quibus sole meridiano clarius est me innocentissimum esse accusationis Jægerianæ, scilicet, me *ex fonte* negatæ imputationis peccati, *vellicare imputationem meriti Christi.* Præveni hic calumniam, & antè demonstro, id minime ex eo sequi posse.

VIII. (4.) *Quomodo unius*, CHRISTI, *justitia sufficere possit ad justitiam omnium*, id *Poiretum* minime *torquet*, contrarium licèt asserat Jægerus. Nunquam enim Poiret negavit *imputationem justitiæ Christi* (*a*) pro illis qui sunt in eo, suntque membra ejus, quæ divinus Spiritus suus animat & regit: sed imputationem justitiæ Christi pro iis qui sunt extra eum, qui sunt de mundo, qui amant mundum & quæ in eo sunt, qui reguntur mundi & naturæ per Adamum corruptæ spiritu, non agnoscit Poiret cum tota Scriptura S. licet innumeri adulatores adulatoriam istiusmodi justitiæ imputationem hominibus, qui sibi scientes volentes vivunt, ac ea in vita perseverant, annuncient & promittant, modo illi hoc sinant sibi persuaderi, & credant ita esse. Paulus, inquam, non docet imputationem nisi illam quæ fit iis qui se tradunt Christo, sunt in eo, sunt animati atque gubernati Spiritu Christi.

VIII. (4.) *Non pro illis qui in Christo sunt, sed pro iis qui sunt extra eum, negat P. imputationem justitiæ Christi, ut facit tota Scriptura.*

(*a*) Vid. Tractat. de Educ. in Defens. Art. XX. qui Tom. II. de Erud. est pag. 100.

IX. Atque id patet ex ipso loco quem D. Jæger pro mere externa & adulatoria imputatione contra se ipsum attulit: Nam Apostoli, Rom. 5. ℣. 12. & seqq. comparatio imputationis justitiæ Christi cum imputatione peccati Adamici, in eo consistit, quod quemadmodum peccatum Adami omnibus ex eo natis, & qui per nativitatem suam ex eo naturæ corruptæ suæ participes revera sunt, imputatur, ita ut ii revera peccatores coram Deo sint, habeantur & declarentur tales ex quo sunt in natura corrupta Adami: ita meritum & justitia Christi iis imputatur

IX. *Et Paulus quem contra seipsum allegat Jægerus, cujus instantiæ solvuntur.*

tur qui mundo ac veteri Adamo mortui, ex Christo nati, ejusque membra viva effecti sunt. Legatur totum Caput sequens, uti & Cap. 8. ubi evidenter ostendit Apostolus, debere eos esse peccato mortuos qui resurrectionis Christi justitia & victoria potiri volunt; eosque solos qui vivunt non secundum carnem, sed secundum Spiritum, esse illos in quibus nulla amplius sit condemnatio. Certe quando idem Apostolus dicit (1. Cor. 1. ℣. 30.) *Estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia à Deo*, & JUSTITIA, *& sanctificatio, & redemptio*; id non voluit dicere: Estis per imputationem externam in Christo qui factus est nobis imputative Sapientia, JUSTITIA, sanctificatio & Redemptio, dum realiter sumus adhuc in veteri & corrupto Adamo, & inhærenter sumus adhuc stulti, injusti, impuri, & captivi Satanæ. Horruisset Apostolus adulatoriam & horribilem ejuscemodi imputationem, non minus absurdam & inutilem, quam imputatam sanitatem homini inhærenter ægro permanenti. Exempla filiorum ob patrum delicta punitorum instantiæ loco à D. Jægero allegata pro imputatione, erant subjecta corrupta, jam coram Deo mortem æternam commerita, ac proinde quibus, permittente Deo, pœnæ leviores ex quacunque occasione infligi poterant sine ulla juste conquerendi causa. Sed quidvis potius tentabit D. Jæger, & vel castra *horribilis decreti* proximabit, quam ut non contendat & non contradicat. Argumentor hunc in modum.

X. *Imputationem peccati immediatam vel nullam esse, vel in horribile decretum Calvini resolvi.*

X. Illa imputatio peccati, quam defendit D. Jæger ut à Deo factam liberis Adami, & quæ distincta est à propagatione peccati, aut auget hominibus peccatum, eosque reddit magis peccatores, magis reos, magis Deo odiosos & magis demerentes, quam sine ea fuissent; aut non. Si non reddat eos magis peccatores, reos, odiosos Deo & demerentes, cassa est, nulla est, nullius usus est, figmentum est. Si reddat eos magis peccatores ac reos, si Deo magis odiosos, si magis demerentes & pœnis magis obnoxios; cùm, secundum D. Jægerum, non proficiscatur è natura rei, sive ex propagatione naturali, sed ex Dei voluntate, ecce hoc pacto ratio, causa & fundamentum istius mali aucti resolvitur in VOLUNTATEM & arbitrium DEI; quæ vero ipsissima est causa quam allegat Calvinus (*a*) pro ratione cur

(*a*) Instit. Libr. III. C. XXIII. §. 7.

cur *unius culpa omnes à salute exciderint: neque enim*, inquit, *id factum est naturaliter*, (per solam scilicet propagationem naturalem:) *ab admirabili ergo Dei consilio profectum id esse* dicit; item, *quia Deo ita visum est:* & hac occasione addit hoc verbum; DECRETUM *quidem* HORRIBILE, *fateor*; quod tantum non sexcenties Reformatis objectum à Lutheranis fuit, & à nostro quoque D. Jægero, qui tamen hîc augmentum mali insigne sine necessitate & sine *horrore* (quod Calvinus non fecerat) ad Dei VOLUNTATEM tanquam ad causam & rationem refert; atque ita lætus Calvino horrenti accedit.

XI. (5.) Equidem causatur, (a) *fundamentum verum & adæquatum hujus imputationis, hoc esse, quod Deus cum Adamo fœdus pepigit, atque in eo, cum tota sua posteritate.* Verum præterquam quod fœdus illud sine auctoritate Scripturæ fingatur; cum nihilominus id ipsum suppositum fœdus fuerit Deo voluntarium & arbitrarium, ac, secundum D. Jægerum, præviderit Deus hujus fœderis voluntarii per Adamum violationem, quæ foret posteris ejus in augmentum mali, accedente ejus imputatione, quid hoc est aliud, quam pro causa mali aucti accersere voluntatem Dei arbitrarie & malo omine fœderantis atque malum imputare gestientis? XI. (5.) *Nec gratis suppositum fœdus Dei cum Adamo & posteris ejus aliò redire.*

(a) Exam. Theol. N. pag. 207.

XII. Fœdera inter Deum & hominem considero potissimum triplicia. 1. Est *fœdus naturale* & indispensabile, quod natura ipsa facit inter fœderatos, ut sic dicam, quale inter patrem & filios. Qui pater esse voluit, naturali ac bona indole teneri voluit ut amaret filios, eosque bonorum suorum participes & hæredes faceret: qui filius est, tenetur amare patrem eique morem gerere ob ejus genuinum amorem. Nec aliter esse potest in natura bona beneque se habente, qualis est proculdubio natura Dei, & hominis natura pro ut ex Deo prodierat. Qui hoc fœdus frangit, uti fecit homo, naturam suam, ac simul etiam quicquid in posterum ex ea natura corrupta prodire potest, deturpat & corrumpit, neque opus hic est alia ulla imputatione quam corruptione illa originali per propagationem communicata. 2. Fœdus alterum inter Deum & hominem, *conjugale fœdus* dici potest, fitque quando anima eousque Deo fidelis fuit, ut oblita sui, (b) *oblita populi sui, oblita domus patris sui*, (omnium creatu- XII. *Fœdus Deum inter & hominem triplex vel quadruplex. Deus ut tertium & quartum elevaret Filio misso primum renovavit.*

(b) Pf. 45. ℣. 11.

 rarum

rarum & vinculorum humanorum,) soli Deo vacet, qui est ipsi omnia. Atque tunc à Deo assumitur in æternam sui sociam & *Conjugem*, quam æterno suo throno deinde associet secumque (a) sedere faciat. Hoc fœdus peculiare est, nec cum omnibus salvandis commune: personale est, personam sociatam respiciens solam: ac sive servetur, sive frangatur id fœdus dum hic adhuc vivitur, ex eo quicquid sequitur, personam illam sequitur, non alias. 3. Tertium quoddam fœderis genus inter Deum patrem fit & inter filios rudes, stupidos atque ferme adhuc brutos, sed tamen quos Deus pater vult paulatim adducere ad generosiora, per media eorum crassis conceptibus & affectibus accommodata, adeoque externa, terrena, & futurorum meliorum umbratica præludia. Tale fuit fœdus Dei antiquum cum populo Israëlitico, quod ubi violabatur, puniebatur populus per temporales pœnas & afflictiones, quibus carebat & prosperitate rerum afficiebatur quando sine malitia fœdus id observabat. Addi potest & quartum aliud genus, quod tamen ex Deo proprie non fluit neque ei debet originem: id fœdus est quod dicitur mercenarium, quando quis non ex motivo amoris, sed ex motivo mercedis, aliquid alteri præstat atque servat. Deus nunquam ex se proposuit hominibus ut non propter se, sed propter mercedem, aut magis propter mercedem quam propter se Deum, aliquid facerent. Sed quando homines eo vecordiæ devenerunt ut se quærant in omnibus, & nihil boni velint facere nisi propter emolumentum inde eis accedens, (qua in re nuper nonnullus è doctis, excellentiam Religionis Christianæ publicato Scripto pudendum in modum constituit,) tunc bonus Deus, creaturarum suarum amator, eousque istis condescendit, (ut sic dicam) ut & illis velit per modum compensationis mercenariæ, sive mercedis promissæ, auxiliatum venire, quò paulatim etiam crasso hocce modo à malis operibus discant abstinere, Deo mercenarie obediendo, ejusdem amabilitatem paulatim detegant, atque ita disponi possint ad ulteriora, & quæ filios parentis optimi genuinos deceant. Istud fœdus sicut & Judaicum, uti eliminaret Deus, misit Filium suum qui fœdus paternum & filiale renovaret; nec amplius servos, sed amicos, sed filios & fratres Patri ac Deo sisteret; (b) *misit Spiritum libertatis, Spiritum adoptionis filiorum* qui Patrem ob Patrem, &

(a) Ps. 45. ℣. 10. Matth. 19. ℣. 28. Apoc. 3. ℣. 21.

(b) Rom. 8. ℣. 15. Gal. 4. ℣. 6.

& non ob mercedem amant; *Spiritum Filii sui in corda eorum clamantem, Abba, Pater!* qui idem est *Spiritus* puræ *veritatis* & PURI illius AMORIS qui haud ita diu ab animis doctorum & potentium mercenariis impugnatus est, quia (*a*) *mundus non potest eum accipere, nec videt eum, nec scit eum.* (*a*) Joan. 14. ℣. 17.

Sed hæc aliò pertinent: & satis erat ostendisse hic, D. Jægeri in hisce obices nullam plane considerationem mereri. Veniamus ad alium, qui ipsi est inter præcipuos, & quem præmonui *Fidem* respicere.

CAPUT II.

De Fide.

I. NUlla in parte magis se gessit pueriliter ac inaniter D. Jægerus quam in hoc Capite circa fidem. Putat se adeo momentosos, ferreos & æneos obices mihi hic posuisse, ut ista re vera crambe recocta denuo ad verbum reponatur cum erratis vel suis vel typographi, in Systemate Dogmatico-Polemico Tom. II. Libr. III. p. 48. &c. Promittit hic examen præcipuarum difficultatum, imo & errorum capitalium à se in me ostendendorum; & promit tantum tres vel quatuor vitilitigationes adeo futiles, ut earundem quemlibet animum utcunque candidum pudere debeat. En præludium grande & tragicum!

I. *Hic post præludium tragicum J. nil nisi meras vitilitigationes affert circa dictorum de Fide repetitionem summariam.*

CONTROV. XXX. (*b*) *In quo consistat Fides vera & salvifica. In hoc cardinali salutis nostræ puncto Dn. Poiret non secundum veritatis lineam, hoc est, juxta Scripturam S. incedit, ut dicere ausim, si in omnibus aliis Religionis articulis vera dixisset, quod tamen in hoc* CAPITALITER ERRAVERIT. (*b*) Ex. Th. N. p. 371.

Hoc uti evincat, describit ex Oeconomia (*c*) lineas aliquot ubi non explicationem pleniorem, sed breviorem aliquam recapitulationem feci præcipuorum quæ de fide jam proposueram, quæ vero ille, examinaturus erit pro more pedantico (ut ajunt) scholasticorum in rigorosis *definitionibus* suis, visurus num in mea illa recapitulatione reperturus sit non fieri mentionem causæ instrumentalis, videlicet Scripturæ S. aut causæ alterius, vel objecti (*c*) Oec. Lib. V. Cap. 4. §. 66.

jecti ſpecialius notati, & iſtiuſmodi pedanticos defectus, qui tamen copioſiſſime in antecedentibus compenſati ſunt: imo ad quos neque viri ſancti, neque ipſi etiam doctiores, voluerunt reſpicere: & tamen ipſe eos mihi imputabit in errores maxime capitales.

II. *Objectio* (1) *& (2.) de omiſſa ibi mentione Scripturæ Meritique & Satisfactionis Christi.*

II. Exempli gratia, pro prima & ſecunda ſua oppoſitione, objicit mihi D. Jægerus, quod in breviuſcula illa reſumtione quam feci fidei, (a) *nulla omnino mentio facta ſit Scripturæ S.* quæ tamen eſt *medium* fidei: nulla item *de ſanctiſſimo Chriſti merito & ſatisfactione.* Atqui divinus Apoſtolus quando definivit fidem; (b) *Eſt fides ſperandarum rerum ſubſtantia, argumentum non apparentium*; quando item Lutherus eam deſcripſit, ut refert (c) Liber Concordiæ, *Fides eſt divinum quoddam opus in nobis quod nos immutat, & ex Deo regenerat, veterem Adamum mortificat, & ex nobis plane alios homines in corde, animo, & omnibus viribus noſtris facit, & Spiritum S. nobis confert,* &c. per totam paginam: in iis inquam deſcriptionibus ex Apoſtolo, Luthero, & quæ ex aliis plura deſumi poſſent, *nulla omnino mentio facta eſt Scripturæ ſacræ, nulla de ſanctiſſimo Chriſti merito & ſatisfactione*, (quæ inſtantia eſt Jægeriana:) Ergo ne illi (quæ Jægeri eſt in me concluſio) *in hoc capitaliter erraverunt?* At, inquiet D. Jæger, Apoſtolus de iſtis in præcedentibus Capitibus fecit mentionem aliiſque pluribus in locis: Lutherus itidem, & ſi qui alii. Bene, an non ego & id ipſum feci copioſiſſime quampluribus aliis in locis Oeconomiæ, ſpeciatim Libr. III. & IV.; imo & in hoc V. Libro, quin in hoc ipſo etiam Capite ſi in eo inſpiciantur paragraphi 24, 25, 29, 34, 37, 44. item in Capite VIII. §. 22. ad 24. Et in Capite ultimo videatur, quæſo, fidei, quam ibi feci deſcriptionem, quam hic apponerem niſi eſſet longiuſcula, utpote fidei præcipua effecta complectens. Prima ejus verba ſunt: *Fides eſt lumen divinum atque amabile, animæ ex mera Dei gratia propter unius* JESU CHRISTI MERITA *oblatum, quo perculſa anima* &c. Sed vel ſine hiſce, quid eſt in fidei deſcriptione mea à D. Jægero allata & hic reprehenſa, quid, inquam, ibidem eſt ea *Dei, Verbi ſive Filii, & Spiritus S. in anima* PRÆSENTIA, *unde deſiderium animatur, intellectus illuminatur, cor purificatur, omneſque animi motiones formantur atque diriguntur* —

(a) Exam. p. 373.
(b) Hebr. 11. ℣. 1.
(c) pag. 701. Edit. Lipſ. 1654.

veluti sancta Christi humanitas directa est & collustrata — nisi Christus cum merito suo ejusque effectis?

III. Cavillatur tertio D. Jægerus (nam re vera meræ sunt hominis obicem ponere quærentis cavillationes,) me in fide nolle inesse (*a*) *appropriationem* sive applicationem beneficiorum Dei; id *Poireto displicere*, *quia non vult ut fides vera habeat activitatem aliquam - - - vult totum intellectum totamque animam ab omnibus motibus & actibus evacuandam.* Equidem num hic ipse error possit esse D. Jægeri & Librorum suorum Symbolicorum, quando asserunt, (*b*) *hominem in conversione sua* (quæ per Fidem fit) *se habere* MERE PASSIVE; *ita ut nihil agat, aut operetur, sed* TANTUM PATIATUR: item quando negant hominem, (*c*) *tametsi Spiritus S. initium fecerit, posse tamen una cum Spiritu S. cooperari*; hosque qui id affirmant, nomine *Synergistarum*, sive, cooperatorum traducunt; id cuivis dispiciendum relinquo. Sed me longe abesse à falso mihi à D. Jægero hic loci impacto, vel solus titulus hujus Libri V. qui est de COOPERATIONE HOMINIS CUM OPERATIONE DEI, evincere sufficienter posset, siquidem declarat me agnoscere & explicare velle hominis *operationem* sive activitatem, ipsamque ejus actionem cum Deo agente concurrentem: nemo autem, credo, me eousque insanire putabit, ut quod in titulo supposui & promisi, id in ipsa tractatione deleam ac tollam, ponamque contrarium. Verum ea hic est D. Jægeri vel fraus vel oblivio, ut taceat me ipsissimam illam activitatem antea, in hoc ipso Capite asseruisse, quò me convicio *fanatismi* & culpâ CAPITALIS *errati* per impositam ejus negationem perfundat. Videat æquus Lector activitatem in hoc Capite de fide agnitam esse à me (1.) in fide quam Deus ab homine exigit, & cui idcirco dedi nomen (*d*) *fidei activæ* §. 4. & 7. eamque activitatem fidei in *desiderio* (quod partim est subjectum fidei) collocavi. §. 9. & 10. ut & §. 14, 18, 23. Equidem desiderio adjuncti & alias qualitates magis passivas quam activas, ut & passivitatem sub Deo: sed addere quædam rei positæ neque est rem positam tollere, nec ejus *mentionem non fecisse.* Activitatem in *intellectu* negavi debere esse, ex parte scilicet *rationis & phantasiæ* §. 36. Sed non negavi illam sui *actionem* qua se tradit Deo: idem & de acquiescentia quoque. Atque ea ipsa

III. (3.) *Falsum ejus imputatum de negata Fidei activitate. Cujus hic possit esse error.*

(*a*) Lib. Concord. p. 374.
(*b*) Ibid. p. 681.
(*c*) Ibid. p. 678.

(*d*) Oecon. Lib. V. C. 4. p. 392. & seq.

ipsa *activitas* sive *actio* animæ conceptis verbis expressa est in meis de fide in genere, deque fide in Patrem, in Filium, & in Spiritum S. descriptionibus ab ipsomet D. Jægero allatis & vellicatis, quando fidem dico esse *deditionem*, *traditionem*, *resignationem* quam facit anima sui fundi suarumque facultatum Deo, Patri, Filio & Spiritui S. Credens qui se *dedit*, se *tradit*, se *resignat*, utique actus facit, & eousque *activa* est ipsius fides, licet in aliis sit *passiva*. Faciam hic mea quæ asserit Arndius: (*a*) *Hominem se ipsum Deo totum tradere, devovere, & resignare debere:* (hæc activitatis sunt; sequentia sunt passivitatis, omnia in fide:) tum, addit, *voluntatem divinam passivo modo exequendo, propriâ abnegatâ, solum Deum in se agere & operari permittere.* Sed contradictores malevoli oculos claudunt, rebus ipsis vel præsentissimis, ut dicere possint, sicuti hîc D. Jægerus; *Poiret non vult ut vera fides habeat activitatem aliquam*, atque adeo hæc sua *deprompsit è fanaticorum Schola, & capitaliter errat.* O cœcitatem & tenebras oculi maligni! Matth. 5.

(*a*) De Ver. Chr. Lib. I. Cap. 1. §. 6.

IV. *Reprehendit (4.) tres fieri in Fide gradus ad SS. Trinitatem relatos.*

IV. Reprehendit me etiam falsi hic D. Jæger, quod (4.) *faciam in fide tres gradus, ut primus tanquam imperfectissimus sit Dei Patris, qui nihil faciat nisi quod desiderium animet.* Cui vero ille opponit; *contrà, Scripturam sacram Deum Patrem facere principium, fontem, consummatorem omnis boni & perfecti quidem*, omnis item benedictionis, felicitatis &c. tunc clamat in me, ut in fanaticum, qui tribuam Patri, *Fonti SS. Trinitatis, minima, vilissima, quæ serviant tantum pro tironibus, nec faciant consummatos.* Non jam dicam hæc verba extenuantia, eaque exclusiva, verba esse non mea sed D. Jægeri: verum assero tironem trium mensium in Theologia, si tam inscienter & simul tam arroganter talia objiceret, omnium commilitonum sibilo fore dignissimum.

V. *Immemor distinctionis tironibus notæ, imo & à Scriptura & Theologis assertorum.*

V. Discunt & sciunt tirones Theologiæ, SS. Trinitatis Personas considerari vel in se, ratione naturæ suæ; vel œconomicè quatenus per dispensationes quasdam externas assumserunt dispensationes & officia quædam, in quorum aliis alia Persona magis se manifestet suasque operationes, quam alia Persona. Priori modo, quando Personæ quod ad naturam suam considerantur, omnia (exceptis personalibus proprietatibus) inter illas sunt communia,

munia, tam intus, quam extra. Pater æternus, potens, ſapiens bonus infinite: Filius itidem, uti & Spiritus S. In externis (excepta ſola incarnatione eique annexis) nota eſt regula, *actiones vel operationes ad extra omnibus Perſonis eſſe communes.* Omnia quæ facit Pater, facit & Filius, & Spiritus S.; & quæ hi faciunt, facit & Pater quoque. Sed quando divinæ Perſonæ conſiderantur *œconomice*, ſciunt vel catechumeni ex Catechiſmis ſuis ad Patrem referri hoc modo peculiariter Creationem; ad Filium, Redemtionem; & ad Spiritum S. Sanctificationem. Hanc operationum œconomice conſideratarum diverſitatem volui & applicare tribus Perſonis SS. Trinitatis ſecundum œconomiam ſuſceptam conſideratis: atque ita, cum ipſa Scriptura divina, attribui Patri primum *fidei principium*, quod Chriſtus appellat *tractum Patris* ad Filium: (*a*) *nemo venit ad me niſi Pater traxerit eum:* attribui Filio, id quod ſibi ipſe ſæpius attribuit, *illuminationem* fidei noſtræ, cujus ille eſt lux: attribui Spiritui S. ſpecialius, perfectionem & conſummationem fidei, nixus verbis Chriſti, qui Apoſtolis in Patrem & in Filium jam credentibus dicebat: (*b*) *Adhuc multa habeo vobis dicere: ſed non poteſtis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Nullus Theologorum hæc neſcit, nullus ſimilia non dixit: ac ne minus graves huc appellem, audi vel hæc verba S. Chryſoſtomi, (*c*) quæ propemodum ipſiſſima ſunt quæ D. Jæger reprehendit in me: *Fides à Patre quidem incipit*, (ἀπὸ πατρὸς ἄρχεται:) *ad Filium vero tranſit: & in Spiritu Sancto* COMPLETUR; (πληροῦται:) *Fidei radix viva*, *Pater*; *ramus nunquam marceſcens*, *Filius*; *fructus perpetuus*, *Spiritus Sanctus*. Concludat jam ex his D. Jæger, Patri ita, contra Scripturam, tribui *imperfectiſſima*, *minima*, *viliſſima*, quæ *tironum* propria ſunt; cum tamen ſit *Fons SS. Trinitatis*, *omnis boni & perfecti*, *conſummator* &c. Pudet me quod tanto Doctori talia repræſentare cogar ne CAPITALITER *errans* publice per illum perpetuo habear.

(*a*) Joan. 6. ℣. 44.

(*b*) Joan. 16. ℣. 12, 13.

(*c*) Vel alterius Doctoris antiquiſſimi inter ejus Opera Orat. 17. tom. 7. Edit. Etonenſis.

VI. *Fallitur* (5.) *circa prætenſum* πρῶτον ψεῦδος.

VI. Quod dicit idem (5.) meum πρῶτον ψεῦδος (ſcilicet!) in eo eſſe quod ſubjungit, de *Patre* qui ſit *principium*, *lumine & acquieſcentia* ſive amore *vacuum* &c. fallitur & in hoc. Ex conſideratione fundi, & trium facultatum animæ, item & ex Scripturæ, aliiſque conſiderationibus modo recenſitis, diſtribu-

(a) Infrà L. IV. C. I. tio fidei quæ à me facta est, occasionem sumsit. De Patre an sit tale principium quale hic dicit, agemus (a) alibi.

VII. *Carpit* (6.) *idque sæpius & clamosissimè*, Fidem *dici* esse Deum.

VII. (6.) Denique reprehendit D. Jæger id quod alicubi dixi, *fidem esse Deum*, quod quidem sæpius variis in locis nec sine clamosis vellicationibus objicere solet; hic autem simpliciter negat, dicitque *sine Scriptura* id esse, *& è stolidissimo Boëmio* (præ quo tamen D. Jægerus & sui similes sunt plane plumbei) *deromptum*. Non deprompsi hæc è Boëmio, nec vidi in eo. In Scriptura similia vidi, & postea in multis egregiis plane auctoribus; quæ vero hic aliquantum exhibere, operæ pretium erit, quando quidem hoc effatum, *Fidem esse Deum ipsum*, cum nonnullis aliis, v. g. de *immediata operatione vel illuminatione* &c. tale est, ut nulla unquam crambe toties recocta sit & apposita, quoties id & talia Lectoribus suis passim contra me apponit D. Jæger. Sunt ei veluti copiæ auxiliares, quas ubi ubi se in obicibus ponendis sentit debiliorem, advocat & miscet vel plus sexcenties quibusvis suis objiciendis vitilitigationibus, ut inde vim acquirant aliquam, sicuti & convicia fanatismi atque similia, hic quoque occurrentia.

VIII. *Locutionis hujus sensus planissime expositus.*

(b) Oecon. Libr. V. C. 4. §. 2.

VIII. Si D. Jægero aliquid inesset æquitatis, vel sola verba, quæ jam repræsentabo, quæque ipsemet legit circa initium (b) Capitis hujus IV. debuissent eum ab universis suis clamoribus & repetitis exprobrationibus *de fide qua sit Deus*, dimovisse: Sunt autem hæcce: „ Quæ in sequentibus ex usu nobis futura, „ hic in memoriam revocare volui, ne eadem deinceps ubique „ repetenda essent. Lector itaque ut omnem confusionem caveat, „ singula suo loco recte distinguet: Exempli gratia, ubi „ dicetur, *Fidem esse ipsum Deum*, hæc verba de *objecto* intelliget: „ ubi dicetur *fidem mori* aut finiri, ad *actus facultatum* earumque „ cum actu Dei *unionem* id referet: ubi audiet *ad essentiam* „ *hominis Fidem magis pertinere quam Rationem*, illud de *facultate* „ (fundi, desiderii, intellectus, acquiescentiæ) dictum „ sciet: ubi dicetur, *non nisi unam solam Fidem dari*, de *objecto* „ hujusque actu hoc explicabit: denique ubi dicitur, *oportere ut* „ *singuli propriam suam habeant fidem*, itemque, *justum propria sua* „ *fide vivere*, de *actu* facultatis hoc interpretabitur: quales quidem „ locutiones innumeræ occurrere possunt; ubi tamen verborum

„ borum quæ *fidei* mentionem faciunt, ſenſus momentanea con-
„ ſideratione haud difficulter patebit. Tanto Doctori, qui profundiſſimus dici geſtit, haud difficile debuiſſet eſſe poſt hocce monitum intelligere, *fidem* appellare *Deum*, idem eſſe atque conſiderare & dicere, *Deum ſolum & quæ Dei ſunt*, *in fide apparere*, *nobis objici & ſiſti*; neque id per modum aliquem pictum & mortuum, veluti Alexander ſiſtitur in tabula Alexandri, quæ tamen Alexandri nomen fert nemine contrà cavillante; ſed modo vivo, qui re vera ipſam Dei præſentiam ſecum infert in anima fideli: potuiſſet & ex ſe ipſo benevolus Doctor profundus alias aliquot hujuſce denominationis rationes detegere, v. g. Deum eſſe fidem efficienter, quia eſt cauſa efficiens fidei, non externa tantum, ſed interna, & quidem interne lucens, & hoc ipſo producens fidem cujus ipſemet, lux æterna, anima eſt. Deus etſi in omnibus animabus ineſt, in pleriſque tamen latens ineſt, in ſe ipſo occultus, propter oppoſitiones quas animæ illæ eruptioni ac manifeſtationi illius opponunt; atque tunc illæ vere dicuntur fide deſtitui: ſed in quibus manifeſtat ſe Deus, in quibus erumpit per luminis ſui radiationem, illæ fiunt hoc ipſo *fideles*, earumque *fides* hoc ſenſu ipſe *Deus præſens ac lucens* dici poteſt. Poteſt & fides hoc ipſum *Dei* ferre nomen in iis qui ſunt ſanctiores & prope conſummationem, qui ſibi & omnibus mortui, ſe & omnia ſua, imo omnia creata pro nihilo habent ut DEUS iis OMNIA ſit, veluti Paulo vel vita ſua nihil erat, ſed Chriſtus erat vita ſua, & ſua vita erat Chriſtus ipſe; ad quem etiam modum (*a*) DEUS erit olim IN OMNIBUS OMNIA: atque ita vel ab hoc tempore Deus eſt ſpes, fides, charitas, humilitas, omnes virtutes in Sanctis, qui hoc ipſum ſæpe profeſſi ſunt.

(*a*) 1. Cor. 15. ℣. 28.

IX. *Eam à Scripturis & Sanctis alienam non eſſe:*

IX. Certe Paulus Chriſtum dicit (*b*) *noſtram juſtitiam*, *ſapientiam*, *ſanctificationem & redemptionem*. Idem aſſerit (*c*) *Chriſtum in nobis* eſſe SPEM gloriæ: & conceptis verbis Dominum Jeſum Chriſtum appellat (*d*) *ſpem noſtram*. Joannes Apoſtolus poſtquam dixit, (*e*) *Charitas ex Deo eſt*, addit illico, *Deus eſt* CHARITAS: & repetit adhuc: *Deus* CHARITAS *eſt: & qui manet in charitate*, *in Deo manet*, *& Deus in eo*. Divinus Ignatius Antiochenus in Epiſtola ad Smyrnæos Cap. 10. ait: *Vincula mea non deſpexiſtis nec erubuiſtis: nec vos erubeſcet* PERFECTA FIDES,

(*b*) 1. Cor. 1. ℣. 30. vid. Jer. 23. ℣. 6.
(*c*) 1. Col. 1. ℣. 27.
(*d*) 1. Tim. 1. ℣. 1.
(*e*) 1. Joan. 4. ℣. 7, 8, 16.

FIDES, JESUS CHRISTUS: & ad Magnesianos Cap. I. *Ecclesiis opto unionem secundum carnem & Spiritum Jesu Christi sempiternæ nostræ* VITÆ, FIDEI, *&, cui nihil præfertur*, CHARITATIS. Et ad Ephesios, Cap. 14. secundum veterem versionem Latinam: *Principium, fides: finis autem charitas: hæc autem duo in unitate facta*, DEUS EST. S. Macarius in Homil. XXXI. *Ubi viderit* (Deus) *diligentiam tuam in eo quærendo adhibitam, tunc* MANIFESTATUR *& apparet tibi - - - hic te docet, datque tibi veram* ORATIONEM, CHARITATEM VERAM QUÆ EST IPSEMET, IN TE FACTUS OMNIA, *paradisus, lignum vitæ, margarita, corona, architectus, agricola, patibilis, impatibilis, homo*, DEUS, *vinum, aqua viva, ovis, sponsus, bellator, arma*, OMNIA IN OMNIBUS CHRISTUS. Alibi (a) postquam dixit, hominem *viam Dei secutum in tolerantia, in spe, in humilitate, in paupertate spiritus, in mansuetudine, obtinere per hæc justitiam in se ipso* (inhærentem & inhabitantem,) addit: *dicimus autem* JUSTITIAM IPSUM DOMINUM. Martyr aliquis (b) sub Diocletiano dicebat Imperatori, Christum esse ipsam pietatem: *Credite verum Dominum esse Christum: hunc esse lumen, hunc esse veritatem, hunc esse* PIETATEM. Divinus Franciscus *Deum* appellat *Fidem* & plura alia, in divino illo Cantico, quo Deum laudare solebat, & quod non pigebit hic totum apponere: „ (c) Tu es, canit ille, „ Tu es Sanctus Dominus Deus. Tu es Deus Deorum, qui „ solus facis mirabilia. Tu es Fortis. Tu es Magnus. Tu es „ Altissimus. Tu es Omnipotens. Tu es Pater Sanctus, Rex „ cœli & terræ. Tu es Trinus & Unus Deus. Tu es Bonus, „ OMNE BONUM, Summum bonum, Domine Deus unus & „ verus. Tu es AMOR ET CHARITAS: tu Sapientia: tu „ HUMILITAS: Tu es PATIENTIA: Tu es Pulchritudo. „ Tu es Securitas: tu es Quies; tu es Gaudium; tu es SPES „ NOSTRA ET LÆTITIA. Tu es JUSTITIA & TEMPERANTIA: tu es FORTITUDO & PRUDENTIA: tu „ es OMNES DIVITIÆ ad sufficiendum. Tu es MANSUETUDO. Tu es Protector: tu es Custos & Defensor. Tu es „ Refugium nostrum & VIRTUS. TU ES FIDES, „ SPES, ET CHARITAS NOSTRA. Tu es magna Dul-

(a) Homil. 27.

(b) S. Genesius apud Ruinart.

(c) In Opuscul. T. I. p. 101.

„ Dulcedo nostra. Tu es Bonitas infinita, Magnus & Admirabilis Dominus Deus meus, Omnipotens, Pius, Misericors, & Salvator!

X. Possem plura ex pluribus aliis ejusmodi adducere exempla; sed sufficiet si unum adhuc & alterum addidero ex J. Arndio ipsoque Luthero. Notabilia sunt verba hæc Arndii: (a) *Cum Fides nostra sit victoria per quam mundum vincimus, quis dubitet id quod vincere debeat, pollenti robore maximisque viribus esse instructum?* FIDEMQUE *nostram, cui à Deo præceptum sit mundum vincere, oportere esse vivam, victricem, efficacem, operosam, divinamque quandam vim & influentiam, imo,* CHRISTUM IPSUM, *fide apprehensum, & animo intimisque sensibus nostris infixum?* Dixerat & idem paulo antè: (b) *Nihil in homine esse, vivere, & operari debere* EXCEPTO SOLO DEO. Ita Lutherus in Epistola ad Melanchthonem adhuc expressius. (c) *Et ego soleo, mi amice, ut hanc rem melius capiam, sic imaginari quasi nulla sit in corde meo qualitas quæ* FIDES *vel charitas vocetur. Sed in locum ipsarum pono* IPSUM CHRISTUM; *& dico: Hæc justitia mea est, id est,* IPSE CHRISTUS *est qualitas & formalis, ut vocant, justitia mea, ut sic me liberem & expediam ab intuitu legis & operum, imo & ab intuitu Objecti, nimirum Christi, qui vel Doctor vel donator intelligitur: sed volo mihi* IPSUM ESSE DONUM ET DOCTRINAM PER SE, *ut* OMNIA *in ipso habeam; sicut Joannes dicit, Ego sum via, veritas & vita. Non dicit; Ego do tibi viam, veritatem & vitam, quasi extra me positus operetur in me talia: in me debet esse, manere, vivere, loqui mecum.* Idem Lutherus de vera fide ab imaginaria & historica hodiernorum fide distincta: (d) *Multi sunt inter nos qui putant Christum in ipsis esse, modo solum cogitent quod is pro illis passus sit; neque existimant* FIDEM *in* CHRISTUM *esse* VERAM *spiritalemque* ESSENTIAM (vel substantiam, vel τὸ ESSE, das rechte Goettliche wesen) CHRISTI IN NOBIS, *vel nostram in illo: sed sibi* PERSUADENT, *fidem illam historicam dare vitam æternam:* Et alio in loco. (e) FIDES *pure est docenda, quod scilicet per eam sic conglutineris cum Christo, ut ex te & ipso fiat quasi una persona, quæ non possit segregari, sed perpetuo adhærescat ei; ut cum fiducia dicere possis,* EGO SUM CHRISTUS; *hoc est, Christi justitia, victoria, vita &c. est mea.*

X. *Nec ab Arndio ipsoque Luthero.*

(a) De Vero Christ. Libr. I. Cap. 5. §. 4.

(b) Ibid. C. I. §. 6.

(c) Ex Epistolis Melanchth. à J. Manlio collectis, Basil. apud P. Queckum. 1565. p. 83, 84.

(d) Tom. V. Alt. f. 679. a.

(e) Tom. IV. Lat. p. 54. apud Werdenh. 554.

XI.
De ea non sine ratione & cautela adhibita dilucidéque explicata, ineptissimæ criminationes Jægeri.

XI. Quod si nunc ego fidem illam putativam, historicam, persuasivam vel adulatoriam; fidem operibus cassam bonis, malis autem abundantem, obtinere cum aliis animadverti apud hominum maximam partem, inter doctos etiam vigere, quorum alii fidem activitate rationis sterili volunt acquirere, alii eam in ratione fundari eique inniti statuunt, alii eadem deprimere gestiunt & Rationi postponere: sique mihi, de fide scribenti, quo hisce perniciosis erratis obviam irem, acciderit ut cum sanctiorum imo eruditiorum nonnullis dixerim, veram fidem non esse ejusmodi futile quid, umbratile & cassum, sed *esse in nobis ipsum Deum*; *lumen fidei in nobis esse Verbum Dei*, *Filium Dei æternum qui est lux hominum*, *lux mundi*, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; decueratne D. Jægerum, tam profundum, tam veteranum, tantæ Lectionis Theologum, qui hæcce e Sacris, e Patribus, e Sanctis, ex Arndio & Luthero modo citata legerat, qui monitum ex Oeconomiæ Capite de Fide, ubi ejus diversa significata indicantur, coram oculis habebat; tam tragice, vel potius, pueriliter clamare, me in hoc *errare capitaliter*; quia scilicet hæc propositio non potest vera dici in sensu rigoroso & scholastico, vel pedantico eo quod subjectum non identificetur cum prædicato, alterumque non sit formaliter alterum? Atqui hæc quæ auctores à me citati neglexerunt de suis locutionibus monere, quia cum Sophistis malevolis res ipsis non erat, ego præveni accuratissima cautione semel & bis in hoc ipso Opere Oeconomiæ. Nam præter locum à me modo adductum ex Libr. V. Cap. IV. §. 2. remiseram ibidem ad Libr. I. Cap. IX. §. 6. ubi hæc occurrunt: „(a) Nemo miretur quod dicimus *Fidem esse ipsum Deum:* Lumen fidei esse Verbum Dei, Filium Dei æternum, quippe qui lux est hominum, lux mundi, is qui hominem omnem venientem in hunc mundum illuminat, hoc est, in quo sunt realitates & perfectiones illæ per quas nos Deum vivide repræsentare ac vivæ ejus imagines esse possumus. QUÆ UT PERSPICUE INTELLIGANTUR, sciendum est, vocis FIDEI significationem esse variam: fides enim aliàs notat capacitatem animæ qua Deum admittit, quam *facultatem* fidei vocant: & hæc quidem *non est Deus*. Aliàs vero designat ejusdem

(a) Oec. Tom. I. p. 124.

„ ejusdem facultatis *actus*, desiderium puta, evacuationem (in-
„ tellectus,) suique traditionem, quæ vero similiter *non sunt*
„ *Deus*. Aliàs denique significat OBJECTUM IPSUM in fa-
„ cultatibus præsens; vel etiam ACTUM OBJECTI illumi-
„ nantis & tranquillantis, & hæc profecto SUNT IPSE DEUS
„ AGENS, Deus inquam & Verbum Dei, vita vera ac fidei lumen.
Tam clara obliviscitur D. Jægerus, imo sponte iis occludit oculos. Nam cum primum anno 1706. ea legeret, & oppugnaret hoc ipsum ex I. Libro Cap. IX. tota Disputatione, quæ septima erat inter illas istius anni, non tantum pueriles objectiunculas quibus ex dictis nullus est locus, opponebat, v. g. Sic in
„ Deo fore decrementa & incrementa, quando sunt in fide: Deum
„ fore in aliis majorem, in aliis non; fiduciam, ut & promis-
„ siones Evangelicas non esse Deum: plus tribui Spiritui S. quam Patri & Filio, & ejusmodi ficulnea: sed etiam ex eadem dissimulatione voluntaria, accusabat me (*a*) *impuri dogmatis*, *monstrositatis sententiæ*, *temeritatis carnalis ac Scholasticismi damnabilis*, *assertionis fanaticæ & absurdissimè Weigelianæ*; hanc esse *sputa spurca quæ lambat hodiernum seculum*, esse denique *tam crassos fanaticorum hominum errores*, *ut talpa & Tiresia sit cæcior qui eos non videat*. En hominem sui compotem præclaréque videntem, & quidem oculo minime maligno!

(*a*) Disp. VII. Thes. 37. ad 41.

XII. Quia me tam solide tamque circumspecte loquentem *temeritatis*, *monstrosæ* ac *damnabilis* assertionis D. Jægerus accusat, operæ pretium est ut ei hic ex hac ipsa Disputatione sua VII. Thes. 42. ob oculos ponam assertionem aliquam suam, quæ an *temeraria*, *monstrosa* atque *damnabilis* dici mereatur nec ne, ipse viderit, viderint Lectores. Dixeram, de *Amore* sive *Charitate*, haberi etiam in Scriptura, quod *Deus sit Amor*, & notaveram locum ex Apostolo 1. Joan. 4. D. Jæger ne hic non sit etiam contentiosus, ita contendit contra: *Verùm*, *uti cum Apostolorum amantissimo Joanne toto corde profitemur quod Deus sit Amor*, *imo quod sit essentialis & infinitus amor*, *in quo tanquam in inexhausto & immenso Oceano totus mergi* * *desidero*; *Ita* NEGAMUS QUOD IN

XII. *Qui Apostolo in os contradicens*, *negat Deum in corde amantis esse ipsum amorem.*

* Qui totus est & manet in odio proximi, non potest vere velle immergi in amore Dei. *Qui enim non diligit fratrem suum quem videt*, *Deum quem non videt*, *quomodo potest diligere?* 1. Joan. 4: 20.

IN CORDE RENATI ET AMANTIS DEUS SIT ILLE AMOR. *Gutta est ex illo mari immenso, non mare ipsum. Omnis noster amor in via, scintillula est, ex infinita flamma in renatos derivata, non flamma vel ignis infinitus ipse - - - Crescet hæc scintillula in patria, nec tamen assurget ad magnitudinem & Essentiam divinam.* Hactenus ille. Quæ vero hæc est audacia, & simul cœcitas, contradicere in os S. Apostolo, & quidem per farraginem contradictionum sese mutuo conficientium? Dicit Apostolus: *Deus est Amor: & qui manet in Amore, manet in Deo, & Deus in eo* est: Regerit Jægerus: *Negamus quod in corde amantis & renati Deus sit ille Amor!* Quid? Deus est amor: Deus est in corde amantis & renati. Ergo Deus in corde amantis, & renati non est Amor ille?

XIII. *Fundamentum ejus negationis quàm sit nullum.*

XIII. Quæ vero ratio novi hujus argumentandi generis? scilicet hæc: *Amor noster in via scintillula est*; (vox metaphorica,) *quæ scintillula non est ignis infinitus ipse.* Imo est ipse ignis quantum ad substantiam & τὸ esse. *At non est infinitus.* Est ipsissimus infinitus ignis. *Atqui crescet hæc scintillula in patria, nec tamen assurget ad magnitudinem &* ESSENTIAM DIVINAM. Si hæc valet ratio ad evincendum cur ille ignis, ille amor qui in amante est, non sit ipsemet Deus, non sit ille Amor qui Deus est; tunc Deus verus & essentialis nunquam poterit vere esse in ullo neque viatorum, neque beatorum, quia nullus unquam ita in amore, ita in Deo, crescet *ut assurgat ad magnitudinem & essentiam divinam.* Atqui tirones vel in Philosophia didicerunt, Deum infinitum esse essentialiter in omni loco & creatura, nec tamen comprehendi à loco nec à creatura, sive, nec locum, nec creaturam eò unquam devenire posse, ut *assurgat ad magnitudinem & essentiam divinam:* & tirones in Theologia sciunt, quod licet Deum nunquam simus adæquate cognituri nec comprehensuri, ipsum tamen vere cognoscemus (*a*) *sicuti est*, & (*b*) *sicut ipsi cogniti sumus ab eo*; eumque ita vere possidebimus, ut ipse sit in nobis (*c*) *& in omnibus, omnia.* Quæ autem hæc est nova illa supposititia nostri Doctoris regula philosophica vel theologica; *Quicquid non comprehenditur adæquate*, ita ut non detur ulterius assurgere ad magnitudinem ejus, *id vere & quantum ad essentiam, non est in ea re quæ ipsum adæquate non comprehendit!* Et tamen hoc falso axiomate

(*a*) 1. Joan. 3. ℣. 2.
(*b*) 1. Cor. 13. vs. 12.
(*c*) 1. Cor. 15. vs. 28.

axiomate niti oportet quæ hic objectavit! Quæ vero quam futilia & nulla ſint, diſcat ex ipſa à ſe allata *ignis* ſimilitudine. Sit ignis maximus & intenſiſſimus in quem vero frigidum ferrum injectum, candens & ardens, & lucens reddatur: poſſitne D. Jægerus hic dicere: NEGAMUS *quod in ferro ardente & lucente* SIT IDEM IGNIS ILLE, quippe qui in ſe maximus eſt, hic autem *creſcere* poteſt, & veluti *ſcintilla* eſt? Certe aliter viri à divino lumine vere illuſtrati; inter quos ita Gerlacus, qui alter Kempiſius dicebatur, &, ſi quæ ſentio dicere audeam, non parum illo erat ſublimior. (*a*) *Anima quæ in Deum tranſivit - - - ardore Charitatis ignita eſt: ſicut enim ferrum ignitum totum ignis efficitur, ſic anima amori unita, tota fit amor, (præter eſſentiam* tamen, *quam æternaliter differre neceſſe* eſt.) Et aliquantum poſt: *Sicut ferrum totum ignitum dicere poteſt; Ardeo quidem, ſed ex* IGNE QUI IN ME EST, NON QUI EGO SUM: *& ſicut lucerna dicere poteſt: Verum eſt, luceo quidem; ſed ex lumine quod in me eſt, non quod ego ſum: Et quodlibet inſtrumentum aptum; Operor, ſed per manum artificis: Sic anima dicitur ardere, non ex ſe, ſed ex amore qui in ea eſt: dicitur lucere, non ex ſe; ſed ex lumine ſapientiæ & veritatis quod in ea eſt: dicitur operari; ſed per illam* DEUS *omnia operatur.*

(*a*) In Soliloq. Cap. 18. & 21. vid. *Sacra Orationis Theologia.* p. 215. & 225.

XIV. Prolixior fui in hocce *de Fide* Capite quam initio ejus putaveram, ſed nec ſine cauſa: non ſolum ideo quod D. Jæger illud ſexcenties interponat paſſim ubi obices ſui ſolido aliquo ei videntur indigere firmamento; ſed & quod declaraverit ſe hoc argumentum cum ſuis in illud notatis, habere pro omnium quæ hactenus adverſus me ſcripſit, oppoſitione ſolidiſſima ita ut *quamvis in omnibus aliis Religionis articulis vera* dixiſſem, hoc eſt, quamvis omnia cetera de quibus me accuſavit, falſa eſſent; *tamen in hoc* me *capitaliter erraviſſe*, ſit ab eo firmiter oſtenſum. Certe ſi hic obex, qui tamen meris puerilitatibus, ignorantiis & conviciis conſtat, ceteris aliis ſit inſignior, vel Jægero judice; quanti igitur æſtimandi ſint omnes reliqui quantique valeant, judicent hinc Lectores perſpicaces quibus veritas & æquitas cordi ſunt.

XIV. *Quare hæc fuſius tractata ſint.*

CAPUT III.

De pœnarum peccati æternitate, & an ea sit ex Justitia Dei.

I. *Qui fiat ut J. obices inveniat ubi nulli sunt; uti hic:*

I. QUi maligno oculo quicquam intuentur, fieri non potest quin id ipsum prave admodum videant, sæpe etiam videre credant cujus contrarium coram ipsis adest: verum enim lumen quia ex Deo est, iniquis non se adjungit animis. Id non semel vidimus hactenus D. Jægero, Scripta mea hostili oculo intuenti ut illis contradiceret, eaque juxta ac me diffamaret, odiosa aliis redderet obicemque iis poneret, accidisse. Nec finis tamen: plura speret Lector se visurum similia; & ne spes sua eum fallat, dedit operam D. Jæger ut tantum non in omni Controversia ab illo mihi mota, ejusve tractatione, exemplum aliquod ejus quod dico exstaret evidens. Quod quidem & in hoc subjecto protinus ex dicendis apparebit.

II. *Ubi quæstionem de pœnarum æternitate cum quæstione de æternitatis ejus causa confundens, inde manifesto falsum imputat multis cum conviciis.*

II. Controversiæ de Satisfactione Christi ad reparandum genus humanum, quam innui supra me hic loci è D. Jægero inserturum, præposuit ille aliam, de duratione æterna pœnarum quæ peccata sequuntur. Ea est XVIII. sui Examinis *, cui discutiendæ paginas vel viginti sex impendit integras, in quibus omnibus mihi imputat & supponit falsum, videlicet, me in Oeconomia statuere pœnas damnandorum & damnatorum sive hominum sive Dæmonum, fore temporarias, & non æternas; quando contrà in tota Oeconomia, uti ostendam, asserui plane contrarium. Confudit ille, uti solent homines quos affectus turbidi reddunt præcipites, & miscuit in unum quæ inter se sunt diversissima. Formantur hic quæstiones binæ, altera, an peccato admisso pœna quæ id consequitur, futura sit æterna & nunquam finienda? quod constanter affirmavi in Oeconomia. Altera quæstio

* In secunda Editione, quæ præfert annum 1719. & quam hoc tempore (Octob. 1718.) primum accipio, ea est Controv. XIX. & continet paginas sex & triginta, solis Editoris auctoritatibus, quæ me non respiciunt, auctior. Sed uti hactenus primam secuti sumus sic & eandem etiam in posterum sequemur, nisi ubi quid notatu dignum alteri accesserit.

ſtio hæc eſt, quænam ſit cauſa hujus æternæ durationis, undenam illa deſumenda ſit? an ex conſideratione & parte Dei; an vero ex parte & conſideratione creaturæ ſive ſubjecti peccantis?

D. Jæger cum trivialioribus Scholaſticis, hoc eſt, cum iis qui Theologiam aliquam Syſtematicam è Scholis vulgarioribus hauſerunt, eam rationem æternitatis pœnarum deſumit ex parte Dei ejuſque juſtitiæ, quâ ſalvâ res aliter fieri non poſſit. Ego vero cum ſelectioribus tum antiquorum tum recentiorum in quibuſvis Chriſtianiſmi partibus, aſſero, rationem æternitatis pœnarum peccati deſumendas eſſe ex conſideratione ſubjecti peccantis. Videat quæſo, Lector, utrum id ſit unum atque idem, aſſerere, æternitatis pœnarum peccati rationem eſſe deſumendam à conſideratione peccantis, & aſſerere pœnas peccati non eſſe æternas, ſed temporarias; & tamen id mihi adfricat hic D. Jægerus cum tanto affectu, ut illi propterea ſim *calumniator Eccleſiæ*, *hypocrita*, *vir à fanaticis faſcinatus*, *cui Diaboli gratias debeant*, *ex inferno & loco tenebrarum & deſperationis mea producens*, *ſcelus* committens, *per ſceleratiſſimam hypotheſin latam portam ad omnem impietatem aperiens Epicureis & filiis hujus mundi*, *peſtilenter errans*, *ſummæ impudentiæ* & *impoſturæ* reus, qui omnes ſunt floſculi quibus me per totam Controverſiam adſpergit, dum interim ipſum non pudet mihi tam impudenter ea imponere coram omnibus quæ omnes propriis oculis videre poſſunt eſſe mendacia & impoſturas ſuas.

III. Crimen mihi facit (*a*) capitale, quaſi *meliorem Eccleſiæ partem*, imo totam *Eccleſiam Catholicam*, *tenebroſam* & *monſtroſam* appellaſſem, ideo quod dixi, opinionem quæ rationem æternitatis pœnarum deſumit ex conſideratione Dei ejuſve juſtitiæ, eſſe ſcholaſticorum quorumdam *figmentum*, (cui latinus interpres adjecit vocabulum *monſtrum*:) cujus ſuæ criminationis ratio bellula eſt, quod iſti Scholaſtici ſint *membra Eccleſiæ*, atque adeo *Eccleſiam Chriſtianam in membris ſuis* vitupero, ipſamque adeo *Catholicam Eccleſiam*: Et dum ipſe hunc culicem percolat, tot camelos calumniarum & conviciorum ſine conſcientia deglutit, & aliis deglutiendos propinat. O cœcitatem ſpiritus contradictionis & malevoli!

III. *Turbæ inanes ob rejectam Scholaſticorum ſententiam, hujuſque incommoda.*

(*a*) Exam. Th. N. pag. 222, 223.

Scholasticorum sententiam esse incommodam, & contra Socinianos non posse consistere Scholasticos qui æternitatem pœnarum peccati in ea fundant, ipso actu vidi juvenis in Academia celebri, ubi cum nonnullus Candidatus, qui Theologiæ Doctoris gradum ascensurus erat, pro exercitio inaugurali thesin proposuisset de necessitate pœnarum peccati fundata in hoc, quod justitia esset Deo essentialis, adeoque non posset non punire peccatum, obmutuit ad hanc objectionem: *Misericordia est Deo essentialis, & tamen posito objecto miserabili Deus potest non misereri; Ergo licet Justitia sit Deo essentialis, posito objecto peccante potest tamen Deus non punire, saltem æternaliter.* Similia à Theologis non parvi nominis confirmari audivi. Sed ad rem.

IV. *Contra eam demonstrari in Oecon. quod pœna à solo peccatore, non vero positive à Deo veniant, nedum pœnarum æternitas: licet & contrarium bono animo cogitari queat.*

IV. Demonstravi in Oeconomiæ Libro II. Cap. XIII. Deum proprie non punire positive, sive, nullas pœnas fluere ex Deo, neque æternas, neque temporales: at eas omnes venire ex solo peccatore: qui cum non sit vera & solida causa ullius boni, ac multo minus æterni boni; sed id solus sit Deus; sequitur inde, quod peccator se avertens à Deo per peccatum, hoc ipso se avertat à fonte omnis boni, atque adeo nullo bono potiantur ejus facultates id naturaliter desiderantes & ad id factæ. quod ipsum est origo indeficiens miseriarum æternarum, ut pluribus alibi exposui, adductis eo etiam S. Scripturæ locis. Legimus alicubi Deum (a) sanctæ cuidam animæ testatum esse, se non magis malum inferre Dæmoni in orco, quam Angelo in cœlis.

(a) S. Brigittæ. Vid. Revelationes ejusdem Libr. I. C. 34.

Si ex ipso Deo pœnæ nullæ veniunt proprie ac positive, quomodo pœnarum æternitas ex ipso ejusve justitia veniret? Equidem si bonus aliquis animus id ita esse cogitet, atque inde occasionem sumat majorem evitandi ne in Deum peccet; absit ut ab illo ejusmodi cogitationem velim tollere. Sed ubi agitur cum scholasticis disputatoribus, qui per sua ratiocinia tentant omnia ex omnibus, mala interdum ex bonis, magisque mala ex malis elicere, ut simpliciores postea per ista implicentur, quidni liceat, si res aliter habet, id illis ostendere, & sua refutare? Atque hoc est crimen illud quod D. Jæger partim tragice partim ironice per unam atque alteram paginam exaggerat.

V. *Duo dein-*

V. Restat nunc ut ostendam duo, alterum, me pœnarum pec-

peccati æternitatem asseruisse, & interdum quidem allatis istius æternitatis causis sive rationibus; alterum, antiquos, medios, recentiores in Christianismo Auctores, easdem ejusdem æternitatis attulisse rationes, aut earum nonnullas, atque ego feci. Quibus ostensis, D. Jægerum cum umbra sua per totam Controversiæ tractationem animose certantem sibi relinquemus.

ceps ostendenda contra Jægerum.

VI. Locus quem D. Jæger ex Oeconomiæ Libro III. (a) adducit pro thesi mea quam deinceps impugnet, talis est, ut si sex lineas sequentes non omisisset, à labore suo pugnaci potuisset hic quiescere: sed putavit Lectorum plerosque qui librum meum vel non habent, vel à labore illum consulendi se abstinebunt, fraudem illam omissionis animadversuros non esse: sic habet textus. *De duratione pœnæ peccati adæquatæ, ajo, illam secundum justitiam Dei essentialiter æternam non esse; sed tantum per accidens. Hoc est: secundum justitiam Dei pœna peccati non durabit nisi quamdiu libertas à Deo aversa erit, aut facultates divinas à Deo aversas tenebit: unde si fiat ut libertas facultates divinas ad Deum convertat iterum,* * *tunc pœna peccati cessabit: quoniam Deus, origo omnis boni, tunc in animam redibit.* Ergo *pœna peccati sua natura & essentialiter æterna non est.* Sequuntur illico quæ omisit D. Jæger & quæ triplicem ostendunt causam æternitatis pœnarum in homine ipso, extra Deum. *At* QUONIAM *homo dum in peccatum delapsus est,* (1.) *lumen etiam Dei in sese extinxit;* (2.) *nec non consuetudine longa ad malum sese convertere assuevit, in eoque obduruit;* (3.) *idemque etiam indignus est cui Deus id quod perdidit redonet; hinc velut accidens quoddam supervenit, ut homo facultates suas divinas, quibus contrarias veluti plicaturas induxit, ad Deum, quem nec videt nec possidet, convertere nequeat: atque ita ex accidenti fit, quod* PECCATI POENA NUNQUAM SIT CESSATURA, *nisi homo Liberatorem inveniat.* En peccati pœ-

VI. Æternitatem pœnarum in Oeconomia asseri expressis verbis, locum qui impugnatur proximè sequentibus.

(a) Cap. IV. §. 10. p. 637.

* Hæc non ita stricte intelligenda sunt, ac si eodem momento quo libertas & facultates ad Deum convertuntur, cessaret illico peccati pœna omnis, præcipue ea quæ sensus est. Cessat pœna damni, privatio favoris divini: cessat pœna sensus quantum ad eam durationem, quæ futura fuisset æterna nisi conversio ad Deum intervenisset: at non obstante conversione, facultates prius aversæ, quia mali habitus non tam facile nec ita cito tolli possunt, ut plane restituantur, non erunt ea in operatione tam parvo tempore sensu dolorum anxio liberatæ. Confer Oec. Libr. V. Cap. 6. §. 11. ad 14.

nam nunquam cessaturam, ejusque perpetuæ durationis rationes ternas.

VII. *Quo sensu peccati pœna sit æterna non essentialiter, sed per accidens, contra vellicationes Jægeri.*

VII. Equidem hic admodum tumultuatur D. Jæger quod dixerim, peccati pœnam esse æternam *non essentialiter*, sed *per accidens*; opponitque peccati Adamici commissionem &, quæ eam secuta sunt, *imaginis divinæ totale deliquium*, *mortem animæ spiritualem*, *conscientiæ* ejusdem *horrorem*, *expulsionem è Paradiso* & *re significata*, *hoc est à vita æterna*, *hæc omnia* NON PER ACCIDENS FUISSE: sed confundit & turbat omnia solo contradicendi studio. Peccatum Adami cum omnibus sequelis in sensu composito, hoc est, ut unum quid & simul consideratum, fuit per accidens: etenim non erat essentiale Adamo nec ulli creaturæ ut peccarent & se damnarent: poterat homo hoc omittere, & voluit Deus ut omitteret: verùm sine ulla causa cogente, necessaria & à Deo ad hoc constituta placuit Adamo è mera lubidine ut hoc accideret: eum itaque eventum dico cum omnibus philosophis, exstitisse *per accidens*, quod acciderit præter intentionem Creatoris Adami, ac præter hujus constitutionem & essentiam suarum facultatum, è quibus id non sequebatur naturali necessitate & consecutione. Idem peccatum ejusque omnes sequelæ si spectentur seorsim & in sensu diviso, ita ut primo, consideres peccatum commissum, deinde ea quæ ex illo sunt consecuta, hoc inquam sensu, sequelæ peccati, *imaginis divinæ totale deliquium*, *mors animæ spiritalis*, pœnæ reliquæ, sequuntur ex peccato non per accidens; sed *per se* & necessario. Sed quod illæ pœnæ, quæ peccatum sequuntur per se, æternum sint duraturæ, id, uti & ipsum peccatum, est per accidens, non ex causa à respectu Dei desumenda. Ceterum ne id vocabulum, *per accidens*, videatur, quod idiotis accidere posset, rei gravitatem & pondus extenuare, cogitent vel tantillum Docti, ipsum totum Redemptionis opus, quo nihil est augustius, evenisse per accidens, ex occasione scilicet peccati hominis: namque si homo lapsus non fuisset, (quod per accidens factum est,) neque operi Redemptionis ullus fuisset existendi locus.

VIII. *Alia Oeconomiæ loca æternitatem*

VIII. Pergo ad reliqua, quibus in Oeconomia asserui pœnas damnatorum esse, non temporales, uti mihi D. Jægerus imposuit; sed æternum duraturas. Sic aio ibidem §. XII. p. 639.

Li-

Liberator si quis deinde adveniet, hominem re vera à pœnis SEMPITERNIS *liberasse dicendus est. Siquidem pœnæ peccati in homine re vera* ÆTERNÆ *fuissent; non quidem ex causa hac imaginaria & falsa, quod unum solum peccatum punitionem æternam, eamque talem insuper quæ à Deo positive inferatur, mereatur: verum ex causa* (vel causis) *impotentiæ, habituum, & indignitatis seu demeriti hominis. Clarius loquar.* POENA PECCATI IDEO EST ÆTERNA, (1.) *quoniam hominis impotentia non permittit ut ad Deum revertatur;* (2.) *quoniam idem per consuetudines inveteratas ad malum abripitur;* (3.) *denique quoniam indignus est qui ex eo eripiatur. Atque ita cum peccatum* SEMPER *repullulet, & pœna ipsa* PERPETUO *repullulabit.*

pœnarum assertentia.

In hoc ipso Libro III. Cap. I. §. 3. assero hominem lapsum sibi relictum, fuisse futurum dæmonem vel hac etiam in terra. In §. 4. dico, malum, nisi Liberator accedat, in natura usque duraturum: & in sequenti §. augendum potius quam minuendum esse. In Cap. II. §. 3. verba mea sunt, *totius mundi materiam ---fore homini* SEMPITERNAM *scaturiginem dolorum* PERENNIUM: & §. 13. *neque tamen tantæ calamitatis finem in* ÆTERNUM *attingere* damnatos, asseritur. §. 14. postquam descripsi unam è causis *miseriarum inferni*, concludo his verbis, id futurum *nulla quiete interposita:* in Gallico est: *& cela, sans jamais cesser*, h. e. *& id quidem nunquam cessaturum est.* Paragraphus sequens (15.) *tertium* aliquem *fontem* ÆTERNARUM *calamitatum inferni* hisce ipsismet verbis indicat. In paragrapho 20. verba mea sunt: *mentes quæ quam fieri potest penitissime & in ipso centro ac fundo voluntatis suæ à Deo sunt separatæ,* IN ÆTERNUM *tenebrosas fore ac maledictas:* & in eo qui est numero 24. dixi, quod tres *calamitatum* inferni *fontes* ÆTERNUM *duraturi* sint. Et Cap. IX. §. 6. *Quotquot ita peccant* (contra conscientiam &c.) *& in illo statu ex hac vita decedunt, certissime pereunt ita, ut* NULLA IIS SALUTIS AUT VENIÆ SPES *relinquatur.*

In Oec. Libro IV. Cap. XIII. §. 7. ita de impiis damnatis loquor: *Cum in desideriis suis pravis æternum maneant, neque ea per desideria contraria destruant, faciunt ut arma ac causæ tormentorum suorum* ÆTERNUM SUBSISTANT. Et Cap. XV. ita incipit paragraphus XI. *Illic* [in inferno] *sua* [damnatorum] *du-*

durabunt ÆTERNUM *tormenta.* Quid, quod dudum, ante annos plus quadraginta, in *Cogitationibus Rationalibus de Deo, anima & malo* demonſtraverim, idque in earundem altera editione, tertiaque nupera pluribus confirmaverim, Juſtitiam Dei poſtulare ut peccator à Deo averſus, ac ſemper averſus manens, omnibus bonis privetur ac ſumme miſer æternum reddatur: quæ quidem conceptis hiſce verbis concluſi: (*a*) *Sic igitur poſtulat voluntas quæ Ens ſe ipſum non improbans decet* (hoc eſt, Juſtitia Dei) *ut peccator ſit* ÆTERNUM MISER.

(*a*) Cog. Rat. Libr. III. Cap. 21. §. 8.

Nonne vero hæc ſufficiunt teſtimonia D. Jægero uti calumniæ convincatur, quando Lectores ſuos decipit hocce grandibus literis ſignato mendaci titulo ac promiſſo, pag. 233. SOLUTIO *Dn. Poireti ratiuncularum pro pœnis temporalibus damnatorum?*

IX. *Fraudes Jægeri calumniæ ſuæ ſpeciem conciliaturi.*

IX. Calumniæ ſuæ ut ſpeciem conciliet, poſtquam me uti *Epicureis* & *Diaboli regno* faventem, ac *Eccleſiæ ſcandalum ingens dantem, coram Tribunali Divino, ubi etiam de verbis otioſis ratio erit reddenda*, vocare non dubitavit ille, cujus omnia adverſus me alioſque me meliores Scripta copioſa nihil aliud ſunt quam *verba*, non *otioſa* ſolùm, ſed & mala, & ex invidiæ, odii ac mendacii fonte & ſpiritu profecta; addit & ſequentia in quibus operæ pretium eſt fraudem ejus etiam detegere. Sic pergit igitur paulo poſt, (p. 237.) *Sed adhuc peſtilentius errat Poiret cum ait, Scholaſticos tantum excogitaſſe hanc ſententiam de æternitate pœnarum, ut inde inferre queant neceſſarium omnino eſſe ut Liberator futurus, hoc eſt Chriſtus, eaſdem pœnas perſolvat, & quidem gradu aut menſura infinitas.* Hæc non ſunt verba Poireti, ſed Jægeri gloſſa ſenſum meum pervertens, qui hic eſt: Scholarum quoſdam Theologos hanc ſententiam, non *de æternitate pœnarum*, ſed *de ratione & cauſa* æternitatis earum, quam in natura ipſa pœnæ, & hanc in Dei Juſtitiam refuderunt, excogitaviſſe; & hac excogitatione abuſos eſſe ut adularentur peccatoribus in peccato perſeverantibus; quibus perſuadent, ſe nihilominus à pœnis peccati liberos eſſe, quia alius, qui ſolus eas, utpote natura ſua æternas, portare poterat, ſuſtulit eaſdem, ita ut ipſis jam *nihil aliud reſtet* quam hoc credere, ac Liberatori occinere, **Du haſt fur mich bezahlt:** *Tu pro me ſolviſti!*

Continuat porro Jæger ita: *Addit Poiret hanc ſententiam Scholaſticorum,*

laſticorum, Amoris proprii figmentum, quod carni non parum adu-letur ac faveat: At vero & prius eſſe falſum, nempe quod pœnæ peccatorum ſint futuræ æternæ. Hæc verba ultima ſunt iterum gloſſa D. Jægeri falſa & addita: debuiſſet dicere; quod hæcce ſit Poireti mens & ſententia; nempe, falſum eſſe, quod ratio cur pœnæ ſint æternæ, ſit ex ipſa natura pœnæ peccati, atque è ratione Juſtitiæ Deo eſſentialis deſumenda. Quando autem Jægerus ſuperaddit de tranſlatione pœnarum in alium mea hæcce verba: *fieri non poteſt ut peccator à peccati pœna ita abſolvatur, ut alius pro alio cui illa infligenda erat, ſeſe offerat*; omittit hæc annexa; *ac peccatore pœnæ* (æternæ) *ejus* NECESSITATEM *in illum transferente, eam alter, peccatore ipſo exempto, in ſe ſuſcipiat*: quæ oſtendunt ibi agi de NECESSITATE abſoluta pœnæ quà æternæ, item de exemptione abſoluta omnis præterea pœnæ vel punitionis peccato debitæ. Debuiſſet candidus ſi fuiſſet adverſarius, Lectores hortari ut totum id Caput (*a*) legerent in quo hæc explicantur; ac ad verba hæc notabilia, quæ is longo demum poſt intervallo (pag. 265.) retulit, jam hic attenderent: videlicet: (*b*) *Non nego dari exemptionem qua peccator à perpetuitate pœnæ liberetur: nec non eam qua pœnæ ejuſdem ſenſus tantum non infinitus intolerabiliſque ita tollatur, ſive minuatur, mitigetur, & ad creaturæ conſtitutionem temperetur, ut cum patientia ſalutari perferri poſſit. Hæc exemptio in ſe veriſſima eſt, fitque per miſericordiam, per meritum Liberatoris & per ipſam Dei Juſtitiam.* Sed hæc ad ſequentem pertinent articulum de quo mox agemus, & qui totus in meo Libro legendus eſt: nam citatis & gloſſis D. Jægeri fidere, ſe ipſum eſt decipere velle: ſiquidem cuivis conſtet ex allatorum hactenus exemplorum copia, ejuſque animi patefacta millies erga me conſtitutione, eum non eſſe à quo expectanda ſit æqua, ne dicam favorabilis ſenſuum meorum explicatio, vel relatio fidelis ac plena.

(*a*) Scilicet Oec. Div. Libr. III. Cap. IV.

(*b*) Ibid. §. 19. p. 641.

X. Supereſt ut hic videamus aliquot Auctorum inter Chriſtianos probatorum exempla, qui *rationem æternitatis pœnarum* in damnatis deſumpſerunt ex ratione continuationis peccati ipſius ſive voluntatis peccandi, quoniam ſcilicet ea perpetuo durat ac perſeverat. Quæ vero ratio ſi ſecundum illos eſt ſufficiens ad æternitatem pœnæ, ſecundum eoſdem ceteræ rationes ac cauſæ

X. (2.) *Eaſdem æternitatis pœnarum rationes quas P. aſſert, ab Auctoribus*

probatis afferri, tum inter Lutheranos;

erunt ſuperfluæ, etiamſi illi eas non excluſerint conceptis verbis: nam quando de re mala agitur, non licet ejus atrocitatem aggravare aut æſtimare ex cauſis ab ipſo malefico diverſis atque aliunde deſumtis.

Deſumam ea exempla, primum, ex ipſis Lutheranis eruditis, quorum unus, ab ipſo D. Jægero alicubi (*a*) laudatus, non tantum ſuum mihi dabit teſtimonium, ſed & aliorum plura ſecum adducet. Is eſt Auctor Scriptis non paucis illuſtris D. LEIBNITZIUS; in tractatu ſuo Gallico, *Eſſais ſur la Bonté de Dieu* &c. ubi ſe THEODICÆUM appellavit. Ibi de objectione Sociniani alicujus contra æternitatem pœnarum, quæ objectio pro Demonſtratione jactabatur, loquens, ait; ſententiam ſuam contrà exponens: (*b*) *ſupereſſe conſiderationem aliquam quæ D. Sonerum* (auctorem Demonſtrationis obtenſæ) fugerat: SUFFICERE *nimirum ut dicatur* adverſario, quod DURATIO CULPÆ CAUSABATUR DURATIONEM POENÆ; *quod damnati perſiſtentes improbi, non poterant è miſeria ſua trahi; atque adeo* NON OPUS ESSE *ad probandum pœnarum ſuarum* CONTINUATIONEM *eſſe juſtam, ut ſupponamus peccatum eſſe valoris vel ponderis infiniti eo quod objectum offenſum, nempe Deus, infinitum ſit.*

(*a*) Jæg. Hiſt. Eccl. Tom. I. pag. 778.

(*b*) Theodic. p. 451.

Addit idem, D. FECHTIUM, *Roſtochienſem Theologum celebrem*, (eum ipſum cui D. Jæger ſuum hunc Examinis librum dedicavit,) *optime in libro ſuo de ſtatu damnatorum refutaviſſe Scholaſticorum opinionem, ſtatuentem in altera vita nullum fore locum neque merendi neque demerendi; dixiſſeque* §. 59. *eam eſſe falſiſſimam.* Si autem ſecundum D. Fechtium datur ibi *locus demerendi*, evidens eſt, ſufficere demeritum continuum continuationi juſtæ pœnæ per demeritum hocce perpetuum commeritæ.

Pergam reddere Latine quæ idem Auctor pagina ſequenti de aliis memorat Auctoribus tribus. (*c*) *Animadverti*, inquit, *præſtantes Theologos non paucos eandem durationis pœnarum in damnatis rationem reddidiſſe atque ego feci:* JOH. GERHARDUS, *inter Theologos Auguſtanæ Confeſſionis celebris, in Locis Theol. loco de Inferno* §. 60. *adducit inter alia argumenta, Damnatos malam ſemper habere voluntatem, ac ea carere gratia quæ illam poſſet bonam reddere. Zacharias Urſinus, Heidelbergenſis Theologus, poſtquam hanc*

(*c*) Theod. p. 452.

in

in tractatu suo de Fide quæstionem formavit, cur peccatum mereatur pœnam æternam, rationemque attulit vulgarem, eum qui offensus est, infinitum esse; & hanc alteram quoque profert rationem, quod, NON CESSANTE PECCATO, NON POTEST CESSARE POENA. Pergit D. Leibnitz, *Pater quoque Drexelius, in libro cui titulus est* NICETAS (Libr. II. Cap. 11. §. 9.) *ait: Nec mirum damnatos semper torqueri; continue blasphemant, & sic quasi semper peccant, semper ergo plectuntur.* Addit idem D. Leibn. *quam eandem rationem adfert quoque & approbat in opere suo* DE ÆTERNITATE, Libr. 2. Cap. 15. *inquiens: Sunt qui dicant, nec displicet responsum; scelerati in locis infernis semper peccant; ideo semper puniuntur. quibus verbis,* inquit D. L. *insinuat ille eam sententiam Doctoribus Ecclesiæ Romanæ satis ordinariam esse.* - - -

Idem D. Leibnitz asserit, plures celebres Theologos è Protestantibus pro sententia D. Gerhardi produci à D. Fechtio: allegatque & ipse è D. Juriæo locum à Baylio indicatum, qui hic est: (*a*) *Dictat nobis ratio, eam creaturam quæ non potest non esse semper criminosa, non posse non esse semper miseram.* Hactenus è D. Leibnitzio.

(*a*) Jur. de Unit. Eccles. p. 379.

XI. *Tum inter Reformatos;*

XI. E Protestantibus addi possunt Rev. D. King, Episcopus Derensis, & Sam. Maresius, celebris Theologus Groninganus. Ille in suo de *Origine mali* libro, eam quæstionem tractans in Appendice (à pag. 203. ad 209. Edit. Londinensis) sentit, *pœnas futuras nobis lumine naturali* (ratione) *innotescere, non vero, eas esse æternas.* ratione autem innotescerent si argumentum desumtum vel è Dei justitia, vel è consideratione quod Deus, objectum offensum, sit infinitus, validum esset. De justitia Dei vindice ita ille: (pag. 204.) *Non opus est ut pœnæ æternæ vindictæ divinæ tribuantur, quæ ipsa in Deo proprie nulla est:* nempe, Deus proprie neminem positive punit, ut alibi ostendimus. Pœnarum æternitatis causas è consideratione impiorum idem allaturus, profert plura, è quibus en unum atque alterum verbum. pag. 206. *Impii pervicaciter se Deo opponunt: - - - placent sibi in ea oppositione. Odisse Deum - - - & totis viribus obluctari, ipsis placet. Et licet infinitis malis se mergi videant, malunt tamen ea perferre quam pœnitere - - -.* (pag. 208.) *Verissimum credo miseriam impiorum* ex *ipsa* CONSTITUTIONE PECCANTIUM ORIRI,

& electiones pravas naturæ (suæ corruptæ) *legibus sequi. Videmus corpora nostra posse in perpetuum mutilari, & artus dislocari & distorqueri, ut penitus ad actiones quibus à natura destinantur, inepti fiant. Cur non idem de mente sentiendum, scilicet posse illam pravis electionibus* (pravo usu libertatis) *passionibus & affectibus ita à recto cogitandi tramite detorqueri, ut non minus ad regendas actiones, prout recta ratio suadet, inhabilis & inepta fiat, quam mancus pedibus ad cursum?* Reliqua videantur, quæ ita concludit Rev. Præsul. (p. 209.) *Habet ergo* (impius) *Deum pro inimico: omne igitur commercium cum Deo fugit; & sese ab illo condere conatur, nec mutare voluntatem cogitat. - - - frustra in æternum potentiori, scilicet Deo, colluctatur, nec miseria & desperatione plenus à lucta cessat. - - - Deus interim talem sibi relinquit.*

Sam. Maresius in System. Majori, cum notis, Loco VI. de peccato & peccati pœna, ad §. 57. lit. *f.* hæc habet in annotatione (pag. 296.): *Adde quod damnati intendunt quotidie sua debita, & in statu pœnali peccare continuant: & quod simul divulsi à Dei favore & amore, semper ab ipso manent separati, cum nequeant se ipsos restituere in integrum.* In §. 58. dicit idem, quod damnati *peccata peccatis cumulent desperatione & blasphemiis in Creatorem:* & in annotatione sequenti subjungit: *Damnatorum desperatio ita est pœnalis, ut sit culpabilis & vitiosa, vel eo quod æstuent odio Dei, & optent illum non esse; ut toto cœlo aberrent qui negant peccari in inferno.*

XII. *Tum inter Catholico-Romanos.*

XII. Addam & è Catholico-Romanis aliquot testimonia.

Thomas Aquinas, in Summa Theol. ad Quæst. 87. ex prima secundæ, Artic. 3. sic habet apud Abbreviatorem Alagonam Jesuitam, in Compendio, pag. 251. *An aliquod peccatum inducat reatum æternæ pœnæ? Resp. Sic, id est, mortale, quia aufert charitatem & ultimum finem.* Subjungit: *Pœna non est adæquanda culpæ secundum durationem; sed secundum acerbitatem: sed peccator ponens finem in peccato* (in actu transeunte ac peccaminoso) *habet* VOLUNTATEM PECCANDI IN ÆTERNUM; IDEO *patitur in æternum.*

Bernardus in Epist. (*a*) ad Abbatem Guarinum: OB HOC *proculdubio inflexibilis & obstinatæ mentis* PUNITUR ÆTERNALITER *malum, licet temporaliter perpetratum,* QUIA *quod breve*

(*a*) Ea est CCLV. in Edit. Mabill.

breve fuit tempore vel opere, LONGUM *esse constat in* PERTINACI VOLUNTATE: *ita ut si nunquam moreretur, nunquam vellet peccare desinere*: *imo semper vivere vellet, ut semper peccare posset.* Unde & idem alibi hoc nixus principio dixit: (*a*) *Quid enim odit aut punit Deus præter propriam voluntatem?* CESSET *voluntas propria*, ET INFERNUS NON ERIT. *In quem enim ignis ille desæviet nisi in propriam voluntatem?*

(*a*) Serm. 2. in tempore Paschali.

Quanti fiant in Ecclesia Catholica Revelationes S. Brigittæ patet ex hisce pii ac docti Cardinalis Bonæ verbis: (*b*) *Brigitta, Sanctissima fœmina Revelationes maturo Theologorum judicio approbata*: sed & maxime, & abunde ex approbationibus Conciliorum, Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, & quorumvis Doctorum, quæ ultimæ (*c*) earum Editioni præmissæ sunt, uti & ex iis quæ in præfixo iisdem tractatu Episcopi Duranti pag. 87. memorantur. Et re vera, non obstante dictionis simplicitate, sapiunt plane cœlestem Sapientiam divinæ illæ Revelationes. In iis autem hæc verba leguntur de damnatorum pœnis: (*d*) *Ideo* SEMPITERNUM *erit eis* (damnatis) *supplicium*, QUIA ET SEMPITERNAM *habent* VOLUNTATEM PECCANDI.

(*b*) In notitia Auctorum Operi divinæ Psalmodiæ subjecta.

(*c*) Monach. 1680.

(*d*) Libro I. Cap. 37.

Conspirant cum hisce verba Sanctæ Catharinæ Genuensis, cujus divina opuscula maximi, pro merito, fiunt apud veros rerum divinarum æstimatores: (*e*) *Malum desiderium, voluntati divinæ oppositum, facit culpam: & mala voluntate perseverante, culpa perseverat.* Item: *Culpa manet semper quamdiu homo manet in voluntate peccati commissi vel committendi.* Loquitur autem de damnatis æternum torquendis.

(*e*) De Purgatorio. §. 7. & 8.

XIII. Videbimus in sequenti articulo & Patres in Ecclesia antiqua, & Doctores in quibusvis partibus hodiernis, qui fuerint ea in sententia, *potuisse peccata remitti & hominem salvari sine interventu passionis & mortis Christi.* Quod si ita est, Justitia divina, saltem secundum illos, non exigit ESSENTIALITER pœnas peccati ÆTERNAS, ne minus quid dicam: alioqui secundum illorum suppositionem, Justitiæ divinæ essentia potuisset omnino violari, & fuisset eo in casu plane violata: quod illi tamen censuerunt nunquam. Igitur censuerunt divinam Justitiam non exigere essentialiter, necessario & indispensabiliter (ut sic dicam) ÆTERNAS peccatorum pœnas. quod quidem noster

XIII. *De Patribus aliisque Doctoribus, secundum quos Justitia divina non exigit essentialiter pœnas peccati æternas.*

D. Jæger aut adhuc ignoravit, aut se ignorare simulavit ut mihi contradiceret, meque quasi qui toti Ecclesiæ Catholicæ essem oppositus, exosum omnibus redderet pro suæ charitatis indole.

XIV. *Justitiam vindicativam male dici Deo essentialem.*

XIV. Addo *Justitiam vindicativam* male ac non vere dici Deo *essentialem*; siquidem in Dei essentialibus nihil sit præter Deum & naturalia Dei æterna, sine ulla peccati, sine ulla vindictæ, imò sine ulla creaturarum idea. At placito Dei, ex quo voluit libere creaturas liberas existere, placito inquam illi divino ac arbitrario, illud justi ac decentis inest, ut creatura intelligens à Deo libere aversa, Deo Deique bonis privetur aversione illa sua durante: quod quidem ejus facultatibus omnibus non potest non esse summe anxium atque acerbissimum. Videsis Cogit. Ration. Libr. III. Cap. XI. §. XI. & seqq. & Cap. XXI. §. V. &c.

CAPUT IV.

De Merito & Satisfactione Christi.

I. *Præludium Jægeri. Partitio Capitis in Sectiones duas.*

I. D. Jæger tractationi præcedentis controversiæ finem imponens, appellat in antecessum *infernalem sententiam Poiretianam*, eam quam illico sit ex me relaturus & deinde impugnaturus. Quibus verbis sane præcavet ipse, ne facile credamus hominem pro præludio *infernum* adversus me spirantem, sententiam meam ex æquo relaturum & explicaturum esse, adeoque recte etiam impugnaturum & refutaturum, quicquid pro more audacter clamet, & maledicat. Rem sistemus paucis, quantum fieri potest, ex illo cum nostris animadversionibus; deinde ex nobis ipsis eandem quoque brevibus repræsentabimus vel non obnoxiam difficultatibus præcipuis, vel iisdem solutam.

SECTIO PRIMA.

De Oppositionibus Jægeri circa hunc articulum.

II. *Accusatio Jægeri circa*

II. Asserit D. Jæger initio Controversiæ suæ XIX. (p. 244.) *Poiret circa hoc punctum quod* PRINCIPALE *est Christianæ Theologiæ*

logiæ, excogitavisse varia quæ cum sanis & fundamentalibus principiis fidei (Jægerianæ scilicet) *plane non conspirant.* Sana & fundamentalia fidei principia Jægero, mercenariis, mundanis & quibusvis adulatoribus sunt, jugum, onus, crucem, leges & mandata Christi esse hominibus portatu impossibilia; adeoque debere illos se his exonerare, eaque EXTRA NOS in alium qui ea pro illis portet, transferre; atque tum non amplius *terreri* per *morsus conscientiæ*, (Jæg. p. 253.) sed *obedientia aliena* & *externa* lætos ac leves clamare; Hic pro nobis substitutus est, fecit & tulit pro nobis omnia, modo id credamus, & nos peccatores, fragiles atque impotentes esse agnoscamus. Quam autem viam ostendi latam esse viam, ducentemque ad interitum. Christum intervenisse, vixisse, docuisse, crucem tulisse ac mortuum esse, ut impetratâ per ejus meritum gratiâ, eum sequamur, ejus mandatis pareamus, eum, ejus crucem, passiones, mortem per conformitatem & participationem veram cum illo, amplectamur; atque ita sanguine, virtute & Spiritu Christi INTRA NOS DERIVATIS sanctificemur, ac cum illo uniamur & beati reddamur. Hæc D. Jægero minime sapiunt, *nec conspirant cum* suæ *fidei fundamentalibus principiis*; suntque una è præcipuis causis cur ille libris meis, qui ista pluribus explicant & probant, adeo infensus sit, ut nec fraudes aversetur, modo sensa mea Lectoribus per illas quam maxime horribilia appareant. *hoc punctum, ejusque causa.*

III. Si candide, si ut ingenuum animum, imo ingenuum adversarium decet, agere voluisset D. Jæger, non satis erat unam atque alteram laciniam è libris meis laceratam publico exhibere ut inde de tota aliqua materia ideam sibi formaret, deque ea ferret judicium. Longe plura requirebantur exhibenda: quæ vero si nollet è libro exscribere sive quod laborem defugeret, sive ne sui Scripti moles nimis accresceret longioribus excerptis; debuisset saltem indicare & legenda commendare præcipua loca ubi materia de qua agitur, tractata est, & ipsus cavere ne aliqua objiciat quibus per ea quæ pluribus vidit à me explicari, quæque citare detrectat, nullus detur locus. Neutrum fecit ut malediceret coram incautis, illisque & mihi imponeret pro lubitu. III. *Ingenui adversarii partes in eo desiderari. Loca Oeconomiæ sententiam Auctoris exhibentia.*

Rogatos velim Lectores qui de hocce momentoso articulo,

de

de quo nunc agitur, cupiverint ea quæ ſentiam & ſcripſerim percipere, uti dignentur in ipſis meis Oeconomiæ Divinæ libris ea perlegere loca quæ infra, in margine * annotabo: è quibus præcipue videre eſt quî merito, interceſſione, paſſionibus, ſanguine, morte Chriſti purificentur fidelium animæ, & quanta ſit eorum quæ ille pro nobis fecit & paſſus eſt excellentia, neceſſitas, quæ rationes, ſcopus, fructus, imitabilitas; ubi &, quinam ſint, quos mundani & adulatores vellent hinc trahere, abuſus periculoſiſſimi.

IV. *Locus primus à Jægero allatus, ſed monito neceſſario truncatus.*

IV. Videamus nunc paucis quî rem aggreſſus ſit D. Jægerus. Citat initio locum ex Oeconomiæ Libro III. Capite V. numero VIII. quem locum non tantum illico falſa gloſſa adjecta pervertit, ſed & ipſum truncatione ſequentium, quæ difficultatem objectandam ſuſtuliſſent vel leniviſſent, mutilat. Dixeram rationum unam cur homo præ Dæmonibus redimi poſſet, hanc eſſe: Quod Filius Dei, verus ac æternus *Deus*, naturam noſtram poſt creatum Adamum & ex illo aſſumſerat, & jam inde mox ab Adami lapſu ille Θεάνθρωπος *ſe, corpuſque & animam obtulerit ut Divinitatem moveret; ut cooperationem deficientem hominis*, (Adami qui tunc non quærebat ſed fugiebat Deum) *ſuppleret; ut demeriti ejus veniam obtineret; ut gratiam*, OMNIAQUE AD HOMINIS REPARATIONEM NECESSARIA *impetraret.* Atque *per ejus interventum ac meritum, Deum commoveri ſe paſſum eſſe, daturum propter eum omnia quæ ipſe pro homine efflagitavit.* Poſt mea hæc verba, ne iis offenderentur illi qui Filium Dei non credunt fuiſſe adhuc naturæ noſtræ unitum, addideram continuo monitum ſequens. *Illis, qui non credunt eum qui in Sacris appellatur Filius hominis* (ſive Adami) *& Adamus alter, jam tum exſtitiſſe, - - - hæc & quæ ſequentur, interpretari licebit ſenſu retroagente, ut ita dicam, quo ſcilicet cauſæ efficacia ante actualem cauſæ*

* Videantur in Oeconomiæ Libro III. Capita IV. V. & XVII. integra.
In Libro IV. Præfationis ſive Moniti præfixi Sectio ſecunda: & Capita ejuſdem I. II. & III. integra.
In Libro V. Capite V. paragraphi XII. XIII. & XIV. & Capite VIII. paragraphi XXXIV. ad XXXIX. Plura addere ſuperſedeo: ſed fine hiſce lectis, velim ut ſuſpendat quivis æquus animus ſuum de hiſce judicium, nec ex productis à D. Jægero, aperto ac impotente nimis inimico rem ipſam æſtimet.

sa ejusdem existentiam jam consideratur, ut fit, verbi gratia, quando quis commovetur per considerationem causa nondum quidem exstantis, sed quam tamen certo exstituram cognoscit, quamque veluti jam nunc præsentem considerat: qua agendi ratio Deo infrequens non est, qui multa innumera qua nondum existunt, velut jam tum præsentia considerat. Quibus verbis declaro satis me minime urgere ut quis credat hæc quæ modo dixi, jam tum, (quantum ad humanitatem assumtam) eo tempore ita esse facta; mihique perinde esse sive id quis ponat, sive consideret rem quidem in se nondum ita præsentem fuisse, sed tamen ejus considerationem jam potuisse haberi, & re vera habitam fuisse. Noster D. Jæger ea moniti mei verba sustulit ut aliter sentientibus circa temporis circumstantiam, ipsum intercessionis factum (quod tamen nemo negare potest jam tum fuisse inceptum) appareret in sententia mea durius ac insolentius.

V. Tum postea falsam pro sensu meo annectit hanc interpretationem suam: *Huc ergo*, inquit, *redit sententia Poireti*; *Opus Reparationis nostræ jam in Paradiso* FUISSE à Θεανθρώπῳ PERACTUM. quod vero falsum imputatum ipse aliquoties in sequentibus repetit ac Lectoribus inculcare gestit: REPARATIONEM STATIM IN PARADISO FACTAM, *contra S. Scripturam, sanam antiquitatem, & totum Christianæ fidei & Religionis typum*, pag. 248. *Mortem Christi jam in Paradiso factam*; pag. 251. *In Paradiso fusum Christi sanguinem*; pag. 252. Neque præterea cessat ista de Paradiso in quo omnia jam dudum peracta sint, iterum atque iterum occlamitare antequam huic articulo finem imponat, quamvis coram oculis suis habeat in sequenti paragrapho contextus mei concepta hæcce verba mea contrarium asserentia: (a) *Atque adeo Filius hic, ejusque interventio*, OMNIAQUE QUÆ *gerebat* GESTURUSQUE ERAT, *preces ejus tum præsentes tum* FUTURÆ, *quas habebat* HABITURUSVE ERAT, *curæ ac sollicitudines, quæque* POSTEA SECUTA SUNT, ADVENTUS *scilicet ejus in terram*, VITAQUE *mortalis & ipsa ejus* MORS, DENIQUE OMNIA QUÆ FACTURUS ERAT, STATUSQUE *ac instantiæ omnes quibus se* IMMISTURUS ERAT, *verbo, persona ejusdem actionibus suis* OMNIBUS ET SINGULIS *juncta, tantum* MERITUM *habebant, ut Dei justitia in iis contenta*

V. *Falsa ejusdem sæpiusque audacter repetita interpretatio de Reparationis opere jam tum in Paradiso peracto, claris verbis totique tractationi Oeconomiæ contraria.*

(a) Oec. Libr. III. C. 5. §. 9.

ta acquiesceret. Quis non stupeat hominem hæc coram se habentem, eo audaciæ progredi, ut publice dicat sine rubore; *Huc redit sententia Poireti, Opus Reparationis nostræ jam in Paradiso* FUISSE *à Θεανθρώπῳ peractum; mortem Christi jam in Paradiso factam, fusum sanguinem*, idque aliquoties repetat ut tanto efficacius per illum ab omnibus pro eo habear qui *contra S. Scripturam, sanam antiquitatem, & totum Christianæ fidei & Religionis typum, circa punctum quod principale* est ac *in fundamentalibus fidei* principiis sentiam ac scripserim? Caute igitur, imo fraudulenter admodum verba illa mea, scopo suo, qui erat *obices ponere*, contraria reticuit: At in cassum tamen; siquidem animadvertere possint Lectores majora his adhuc & clariora in sequentibus sententiæ meæ documenta exstare quæ ille minime obscurare poterat, & quibus miror illum ab eo falsò mihi impingendo, de *Opere Reparationis jam tum in Paradiso* PERACTO, non fuisse deterritum. Scilicet Redemtionis opus, in Paradiso solum INCEPTUM, deinceps à Liberatore peragendum in septem FUTURAS *periodos*, hoc & sequenti libro repetendas & explicandas, solenniter distribui, sub quarum quinta demum mortuum esse Christum pro peccatis nostris, Libro IV. Cap. 3. pluribus exposui.

VI. *Locus alter cujus partem supprimit ut tutius convicietur.* (a) Jæg. p. 245. & seqq.

VI. Quando D. Jæger (*a*) citat alterum ex Oeconomiæ eodem Capite (§. 10.) locum, ubi agitur de ratione qua Filius Dei primùm pro nobis intercesserit ingenti dolore percussus, & quasi jam ex eo tempore occisus (Apoc. 15. ℣. 8.) per peccatum commissum, resecuit iste è media citatione sua conspicuam partem interjectam, in qua probantur è Scriptura S. dolores summi quos Christus in Spiritu pertulit ex peccatis adversus Deum commissis: idque omisit ille, ut hoc convicium in me tutius vibrare posset (pag. 251.) *illud, somnium quoddam fanaticum esse Poireti, cujus nullum vestigium in Codice Sacro exstat.* Atqui DUO ea de re loca Scripturæ (Esa. 43. ℣. 24. & Cap. 63. ℣. 9. & 10.) in suppressis à Jægero verbis recensita sunt.

VII. *Conclusionem quam ex his elicit constare me-*

VII. Quæ hactenus observavimus respiciunt duo illa loca quæ D. Jæger ex Oeconomia initio Controversiæ hujus suæ produxit: videamus nunc quid idem velit ex iis duobus elicere; nempe hanc universalem conclusionem, (pag. 247.) *Ex quibus omnibus*

bus (imo ex duobus avulsis) SATIS *pellucet, quàm* TEMERE *hic author loquatur de summo nostro fidei articulo, videlicet de Redemptione Salvatoris nostri per pretium sanguinis, per passionem & mortem: imo* QUAM NIHIL *Satisfactioni tribuat, dum* TOTAM *nostram Reparationem in intensissima* SALTEM (tantum) *charitate ac compassione, & in intercessione apud Patrem pro nobis ponat, & quidem quæ* FACTA FUERIT *in ipso* STATIM PARADISO. repetit paulo pòst, MERAM *intercessionem*, & pag. seq. *in* MERA *intercessione, in amore* MERO: quæ vero esse mera D. Jægeri imputata falsa, patet luce clarius vel è solis verbis meis, modo ante lineas viginti allatis, ac coram oculis D. Jægeri tunc jacentibus, sed ab ipso dissimulatis. Quod autem de summo hoc articulo *temere locutus* non sim, vel hinc patet, quod D. Jæger, columbarum censor, locutiones temerarias meas nullas notat; tum inde quoque, quod cum S. Scriptura locutus sim, atque Christo pro nobis intercedenti eas locutiones accommodaverim quas Spiritus Sanctus Viro Dei, Mosi cum summa charitate Deique simul veneratione maxima inspiravit. Legatur, si placet in Oeconomia (*a*) totus paragraphus XIII. cujus contentis, quæ ex S. Scriptura sunt, nonnulli admiratione non parva perculsi fuere. Ut autem aliquis dicere possit sicut D. Jæger, sibi SATIS *pellucere - - quàm nihil*, vel potius contrà, quam infinita *tribuam Satisfactioni Christi*, opus est ut ea loca, ad quæ paulo ante Lectorem remisi, ipse attente ac bono animo perlegere dignetur.

meris imputatis falsis.

(*a*) Libr. III. Cap. V. pag. 654. ad 657.

VIII. Urget Jægerus vehementer, haud secus atque Antinomi, vocabulum SATISFACTIONIS, quia sub hoc tegumento sibi adulantur ac persuadent, Christum tam agendo quam patiendo Patrem suum ita contentum reddidisse, ut nihil deinceps à nobis prorsus exigat, quo præterea eum etiam contentum reddamus eive satisfaciamus ex nostra parte. Quod Diaboli inventum eo tendit, ut Satanæ opera, amor proprius, amor mundi & eorum quæ in mundo sunt, maneant sarta & tecta in homine sine damnationis timore, quandoquidem Christus, haud secus ac Minister peccati, pro his passus sit & fecerit SATIS Patri, ut modo hoc credamus, id nobis sit SATIS: quando tamen ut & nos Deo satisfaciamus tantopere urgent Scripturæ,

VIII. *Satisfactionis voce qui abutantur* Antinomi.

Patres, Christiani Catholici; ipsique etiam qui inter Protestantes sunt optimi omnium, ut deinceps videbimus.

IX. *Calumniam esse, Poiretum Satisfactionem non admittere & in castra Socinianorum transire.*

IX. Calumnia est istud quod Jægerus dicit (pag. 252.) πρῶτον ψεῦδος *Poireti esse quod meritum quidem agnoscat in Filio Dei; — sed non admittat Satisfactionem proprie sic dictam. quo ipso fundamentum Christianæ Religionis deserit & in castra Socinianorum tanquam transfuga quidam abit & transit.* Hanc calumniam vel solum Caput III. Libri V. ex iis ad quæ supra remisi, dispellere valet. Ubi D. Jæger mihi exhibebit Socinianum qui dicat, Jesum Christum, verum Deum, Patri æqualem, SATISFECISSE intercessione, merito infinito, vita & passione ac morte sua ut peccatorum veniam impetraret, à morte æterna nos liberaret, à peccati dominio & maculis purificaret, modo & nos, non rejecta Spiritus sui gratia, quam nobis quoque impetravit & offert, SATISFACIAMUS officio captivorum redemtorum, qui catenis suis solvi volunt, ægrotorum qui abstinentia ab insalubribus, medicamenti intra se assumptione & bono deinceps regimine salutem impetratam & oblatam amplecti cupiunt; ubi, inquam, tales Socinianos mihi exhibebit D. Jæger, iis ego haud gravatim me adjunctum ea in re dicam. Alioqui in castra calumniatorum transit quisquis me aliter Socinianismi accusare audet.

X. *De imputatione obedientiæ Christi, fonte solatii Evangelici; eam à P. verius agnosci quàm à Jægero.*

X. *De imputatione obedientiæ alienæ, Christi*, quam ait D. Jæger *me rejicere*, agnosco eam verius quam Jæger, qui, mali hospitis instar, eam vult extra se hospitari, excludi, extraneam & *alienam* esse ac manere; quando contra assero eam ejusque vim debere intromitti, intus, in corde inhærere, sua fieri, cor renovare ac reddere prorsus Deo obediens. Alioqui obedientiam Christi inobedientibus imputari, Satanæ dogma est, Scripturæ S. plane oppositum. Hebr. 5. ℣. 9.

Porro obedientes Christo, quandoquidem mortui sint inobsequentiæ, (ut sic dicam) & audiant vocem Christi, eumque sequantur dantes operam justitiæ, non amplius habent *conscientiam* malam, quæ ipsos *mordeat* & accuset quasi id adhuc facerent quod sciunt se non debere facere. Qui tales sunt, & volunt *contra morsus conscientiæ* (verba sunt D. Jægeri) opponere externam imputationem obedientiæ Christi, seducunt se & alios.

Nihil

Nihil medetur *morsibus conscientiæ* quam per pœnitentiam mori peccato in morte, sanguine & doloribus Christi; & deinde resurgere cum eo in novitate vitæ. Alius *fons solatii Evangelici*, quem promittit vel indicat D. Jæger, est merus ac falsus obedientiæ Christi abusus & eversio, meraque sui ipsius adulatio.

XI. Promittit idem paulo post, (pag. 255.) idque notanter, SOLUTIONEM *Ratiuncularum Dn. Poireti contra* SUBSTITUTIONEM *Salvatoris nostri pro genere humano.* Magno isti Herculi Jægero omnia sunt levia, & tenues tantum *ratiunculæ.* Sed titulo inest falsum: neque enim locutus sum contra eam *substitutionem*, ex qua sequitur nos adstringi & induci ut peccato moriamur & vivamus justitiæ; sed contra EAM qua filii seculi solvi volunt ab obligatione obediendi Deo active & passive, sive imitandi Christum in animi sui sinceritate quantum per ejus gratiam eis datum est, siquidem in vitam æternam ingredi velint. XI. *Substitutionem quo sensu agnoscat P. vel non. Verba ejus huc maximè facientia vel afferre differt, vel plane omittit J.*

Producit ille ex meis *ratiunculis* duas ex Oecon. Libr. III. Cap. 4. §. 16, 17, & 18. desumptas, contra quas postea argutatur, sed suo more, antequam adducat verba mea, quæ tamen ejus objectationibus obicem ponere potuissent; quæque demum postquam suo sensu triumphavit, profert post paginas decem, scil. pag. 265. Imo quod præcipuum ea in re erat, quodque omnibus æquis animis hic satisfacere & objectiones D. Jægeri nullas reddere aptum est, quod etiam rogavi Lectores uti observare vellent, omisit ille omnino, neque ejus ullam plane fecit mentionem. Id operæ pretium est uti repræsentem, idque eo magis, quod, veluti vitilitigationum futurarum olim præscius, additamentum sit quod Latinæ Editioni tunc adjeci, nec in Gallica comparuerat. Exstat autem id in Præfatione Tomi II. sub titulo, *Monitum de Contentis hujus Libri* (quarti) ubi in §. II. paulo ante §. III. hæc verba profero.

„ XII. Repeto, ne quis sibi hic anxie difficultatem figat, „ cuivis per me licere sua vulgari isthæc explicandi ratione ac „ via uti, modo ex ea eliciat, non (ut vulgo fit) majorem & „ securiorem peccandi licentiam, sed majorem peccati fugam, „ animæ sanctimoniam, majoremque Dei amorem, quæ om- „ nium scopus sunt. Agnosco præterea ex animo Passionis Do- „ mini sapientiam tam esse profundam, ut quæ eam respiciunt, XII. *Locus Oeconomiæ omnes super his vitilitigationes prævertens.*

„ nunquam ſatis poſſint ab ullo exhauriri : ita ut rationes ejus, „ quæ hic recenſitæ ſunt & poſitæ, nequaquam omnem in ea „ exhauriant numerum : Ac licet excluſivo modo ſint prolatæ, „ hoc ſic ſumi velim ; me voluiſſe ita denotare cæteras mihi quæ- „ ſitæ rei rationes non occurriſſe, aut clarius perſpectas non „ fuiſſe; imo mihi viſum eſſe, ea quæ excluſa expreſſe ſunt, „ expedire * eo tempore ex hominum iiſdem abutentium con- „ ſideratione excludi. Denique cum ſubſtitutio duplici ſenſu ſu- „ mi poſſit, altero excluſivo, quo peccator Chriſtum ita pro ſe „ vult ſubſtitui, ut ſe ipſe interim ab ejus imitatione & confor- „ mitate excludat & excipiat: altero incluſivo, quo homo per „ gratiam Chriſti ſeſe ejus vitæ ac morti conformans, nec ta- „ men ſe reputans adhuc dignum qui coram Deo Patre ſe ſiſtat, „ inſinuat ſe in Chriſtum, eoque indutus, ſive in eo latens, „ eum pro ſe, (latente & abſorpto in illo) ſubſtituit ac offert Pa- „ tri, atque ita in Chriſto coram Patre ſe ſiſtit. Priorem ſub- „ ſtitutionem, ubique fere obtinentem, ſolam volui rejectam : „ alteram minime. Quod quidem obſervatum velim". Hacte- nus verba Moniti mei, ultra quæ non video quid præterea in ge- nere cautelæ circa dictionem deſiderari poſſit.

XIII. *De impoſſibilitate abolendæ pœnæ per ſurrogationem, J. truncat & ſeparat verba ejus obici contraria.*

XIII. Ubi citavit D. Jæger rationes meas de IMPOSSIBILITATE ut pœna peccati per ſurrogationem aut ſubſtitutionem exemptoriam alterius aboleatur ; alteram truncat reſectione verborum quæ oſtendunt, à pœnâ ſenſus neminem peccatorum debuiſſe in totum eximi nec exemtum fuiſſe: Dixeram prius de peccati pœna vel damno principali, privatione ſcilicet divini luminis ac amoris, id *re ipſa ſingulis peccantibus accidere* : de pœna ſenſus addidi: „ (a) Pœnam vero peccati minus principalem „ ſeu acceſſoriam, hoc eſt, pœnam ſenſus quod attinet, illa pa- „ riter in ſingulis inhærenter inveniri debet : non quidem tota „ ac plena ; ſed ita tamen ut miſeriæ ſuæ ſtatum ſatis vivide ex- „ periantur, quod ni fiat, nec liberationem uti fas eſt deſide- „ rabunt, neque neceſſitatem ejus ac pretium intelligent, ne- que

(a) Oecon. Libr. III. C. 4. §. 18.

* Non ſemel Scripturæ ſacræ in uſu eſt ut nonnulla exprimat excluſivo modo, quæ tamen abſolute non excludunt reliqua ; ſed comparate tantum. v. g. *Miſericordiam volui, & non ſacrificium.* Oſ. 6. ℣. 6. Matth. 9. ℣. 13. Item. *Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare*, & multa ſimilia, quibus notatur quid præcipue & præ ceteris aliis conſiderandum ſit.

„ que quantas Liberatori suo gratias debeant, bene scient; ne-
„ que bonum à malo discernere discent. Ceterum & eventus
„ docuit, neminem eorum quibus liberatione frui datum est,
„ aliter quam per sensus anxios & dolorificos ad illam admissum
„ fuisse. Atque ita videmus pœnas & effecta Justitiæ Dei in
„ personas numero easdem quæ peccaverant necessitate quadam
„ inevitabili effusa.

Hisce verbis prætermissis, annexa sunt sequentia quæ D. Jæger longe separavit licet statum quæstionis illico ingredi debuissent. Ea sunt: „ (*a*) Non nego tamen dari exemptionem quan- (*a*) Ibid. §. 19.
„ dam, scilicet qua peccator à perpetuitate pœnæ liberetur;
„ nec non eam qua pœnæ ejusdem sensus tantum non infinitus
„ intolerabilisque ita tollatur, sive minuatur, mitigetur, & ad
„ creaturæ constitutionem temperetur, ut cum patientia salu-
„ tari perferri possit. Hæc exemptio in se verissima est, fitque
„ per misericordiam, per meritum Liberatoris, & per ipsam
„ Dei Justitiam. Verum alia est exemptio substitutionis de qua
„ nunc loquimur, & quam in eo consistere dicunt: Quod Ju-
„ stitia Dei NECESSARIO [necessitate ESSENTIÆ suæ] à
„ peccatore pœnas infinitas aut æquivalens quippiam exigat;
„ quodque peccator ab iis liberari NON POSSIT nisi in alium
„ easdem transferat, qui in ejus locum substitutus, eas in se re-
„ ceptas pro illo luat; adeo ut NEC POTENTIA, NEC
„ BONITAS, NEC MISERICORDIA Dei, nec Liberato-
„ ris MERITUM ET INTERCESSIO veniam ipsi SINE sub-
„ stitutione hac exemptoria obtinere VALEANT. Hæc autem
„ nos falsissima esse dicimus.

Cetera quæ ibi sequuntur, deberent hic adjungi, sed longiora sunt.

XIV. Quæ nunc ex hisce citavit D. Jægerus, non unis vexat ea oblocutionibus. Quod talem pœnæ substitutionem exemptoriam sensu modo dato dixi esse impossibilem, hoc ille *protervum* (*b*) dicit ac *temerarium* ac contra Scripturam, allegato Pauli loco Rom. 8. ℣. 3. *Quod legi* IMPOSSIBILE *erat, id fecit Deus, mittendo Filium suum in similitudine carnis peccati, & pro peccato condemnavit peccatum in carne*; omittens sequentia sensum Apostoli aperientia: *ut Justitia* (δικαίωμα) *legis* IMPLERETUR

XIV. *Locus* Rom. 8. ℣. 3. *vindicatur præeunte Augustino.*

(*b*) Jæg. Ex. p. 257.

IN

IN NOBIS (ἐν ἡμῖν) *qui* NON *secundum carnem ambulamus*, SED *secundum Spiritum:* quibus verbis ostendit Paulus se non ibi agere de pœna nec de translatione pœnæ peccati; sed de annihilatione peccati in nobis, à quo lex non poterat nos liberare, Spiritus autem Christi id facit, in eo quidem in similitudine carnis peccati, in nobis vero ut secundum carnem peccaminosam non amplius vivamus, sed secundum Spiritum, prout lex Dei justa id postulat; quâ ita impleta in nobis per Spiritum gratiæ Christi, tunc justificati sumus inhærenter à peccato per eandem gratiam. Audi sis Augustinum hujus loci sensum aperientem: (a) *Dicimus, lege fieri ut Deus quid fieri velit, audiatur: gratia vero fieri ut legi obediatur: non enim auditores legis, ait Apostolus, justi sunt apud Deum; sed factores legis justificabuntur. Lex ergo auditores justitiæ facit: gratia factores. Quod enim impossibile erat legi, ait idem Apostolus, in quo infirmabatur per carnem, misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justitia legis adimpleretur in nobis qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum. - - - Impossibile enim est legem impleri per carnem - - -; ideo justitia legis in iis impletur qui non secundum carnem ambulant. - - - Non sunt liberæ filii qui legem acceperunt literæ, - - - sed qui* SPIRITUM GRATIÆ, *quo lex ipsa sancta, & justa, & bona possit impleri. Ecce quod dicimus. Intendant, & non contendant. Illuminentur, & non calumnientur.* Hæc sibi sumat D. Jægerus dicta.

(a) Libr. 3. ad Bonif. contr. 2. Epistolas Pelagian. Cap. 2.

XV. *Quam mire porro turbet omnia J. imo ipsissima* Antinomorum *principia sua faciat. Duo ejus falsa respectu Poireti.*

XV. Quæ præterea adducuntur ab eodem, non magis ab ipso intelliguntur, nec magis pro ipso faciunt, quam locus modo ex Apostolo Paulo excerptus. Contradicit Patribus ad quos provocat: præbet (inscius forte) Antinomis suorum errorum fundamenta. Pro *idea justitiæ Patris* quam dare vult (p. 261.), describit ideam Bonitatis: idem errat & de *Justitia* ex parte Filii: sed id quod dicit de *justitia* ex parte hominis, nempe quod modo is „ se *peccatorem agnoscat* & *credat* Christum esse *vadem* suum; „ tunc obedientia, mors, omnia Christi sua sunt; in ipso sustinuit pœnam peccati, in ipso legis justitiam implevit;“ hæc *pulcherrima*, ut ea vocat, ipsissima Antinomorum & Libertinorum sunt principia & fundamenta, de quibus qui plura videre velit, consulat Doctissimum ac pium G. Bullum, Theologum

gum & Episcopum Anglum celeberrimum ac simul orthodoxissimum, quo nemo melius Socinianos ex antiquitate refutavit. * Adscripsi loca ad marginem huc facientia.

Omitto Jægeriana cetera quæ ipse ad finem usque Controversiæ hujus accumulat, objicit, solvit, turbat, quando interim elegantiarum suarum interjectis hinc inde ordinariis flosculis mea clamat esse *vana, impia, futilia & inania somnia, ex fastu carnali & infernali prodeuntia, stolida figmenta, spuria, spiritum vertiginis & malignum authorem* habentia &c. Inter quæ omnia perpetim regnant falsa Jægeriana duo, quæ me respiciunt; duo itidem alia quæ respiciunt materiam ipsam.

Primum falsum respectu mei hoc est, quod uti incepit, ita continue pergat supponere ea pauca quæ ex me retulit imperfecte & cum pravo interpretamento, vere esse sententiam meam: alterum, quod ea quæ suppressit, ad rem nihil faciant.

Duo item falsa in ipsa materia, (1) impossibilem esse peccati sine satisfactione condonationem. Conviciandi temeritas.

(a) Jæg. Ex. p. 257.

XVI. Primum falsum respectu ipsius materiæ est, hoc totidem Jægeri verbis pronunciatum: (*a*) *Impossibilis est peccati sine Satisfactione condonatio.* Vult ille scilicet IMPOSSIBILE *fuisse* Deo propter Justitiam ei essentialem, condonare peccata & restituere hominem aliter quam per *Satisfactionem rigorosam*, (ut loquitur p. 251.) *qua solvatur id quod erat in obligatione in omni rigore suo accepta: ita ut nec potentia, nec bonitas, nec misericordia Dei, nec intercessoris meritum*, possint id aliter obtinere. Quam sententiam suam appellat VERITATEM *Evangelicam & divinam* (*pag.* 266.) eamque ita asserit ex *Scripturâ S. & Ecclesiasticis Testimoniis* constare, ut pateat inde *quod spiritus vertiginis &* MALIGNUS *author sit opinionis Poiretianæ*, hoc est, oppositæ. Atqui mox videbimus ex ipsis Auctoribus Ecclesiasticis, tam clara in contrarium documenta, & quidem pleraque dudum ab orthodoxis publicata, ut plane miranda sit D. Jægeri temeraria & audax in conviciando aliter sentientes ignorantia.

XVII. Contumelia

XVII. Sed nec minorem meretur horrorem sequens ejusdem

 in

* Vid. *Harmoniæ Apostolicæ* Dissertatio I. Cap. III. & Grabii ad hoc annotata in Edit. Londin. 1703. pag. 17. & seqq.

Et in *Examine sive Resp. ad Animadversionem* XI. pag. 37. &c. ubi tantum non formalia Jægeri examinantur & confutantur. Addesis Annotat. pag. 43. ibid.

in Meriti Christi dignitatem ex amore proprio nata.

(*a*) Jæg. Ex. p. 275.

in dignitatem meriti Christi contumelia; quod scilicet (*a*) *Meritum* CHRISTI *valorem non habeat nisi prius suppposita Satisfactione:* Cum contrà, Satisfactio & quicquid fecit & passus est Christus, non haberent valorem, qualis hic requiritur, infinitum & divinum, sine Merito personæ ejus divinæ, quæ cum sit Deus verus, æqualis Patri, fit inde ut quicquid ab illo proficiscitur, infinitæ sit considerationis & immensi valoris, ita ut si Dei Filius, Deus ille magnus, deliciæ Patris, aliquid à Patre precibus vel actibus requirat, tantum illæ preces vel illi actus apud Patrem obtineant respectum, ut quamvis propterea Pater mille myriades mundorum, ut sic dicam, crearet, id tamen nondum adæquaret magnitudinem *Meriti* quod Pater in Filio considerat & æstimat. Sed mercenarii & mancipia amoris proprii haud ita curant & magnificiunt ea quæ Dei dignitatem & gloriam concernunt uti quæ proprium amorem respiciunt, ejusque adulationi demulcendæ inserviunt. Hic vult gaudere & non vult tristari nec pati; meretur tamen pœnas: Quid faciet? Postposita & non curata priùs Dei bonitate, sufficientia, nullius restitutionis indigente, dignitate & merito infinito, fingit sibi mercenarium Deum, mercenarium Dei creditoris, & sui ipsius debitoris officium: peccati pœnas esse debitum quale inter mercenarios. hoc mercenarium debitum ille nolens, ne minima quidem ex parte, solvere, ne scilicet doleat, id gaudet ab alio solvi Creditori mercenario, qui, nimirum, aliter debitum non possit dimittere, ne scilicet aliquid ei sine hoc desit: sed qui soluto debito, teneatur ex jure rigoroso & mercenario debitorem mercenarium absolvere, qui jam se liberum credit ob hanc satisfactionem, quæ ipsum (sui ipsius amantem) tangit ita, ut sine hac vel totius Deitatis Christi dignitas, consideratio, *meritum, non habeant valorem.* O servilem & mercenariam amoris proprii contumeliam in Deum!

XVIII.

(2) *Falsum alterum, Christum ita loco nostri satisfe-*

XVIII. Alterum falsum D. Jægeri in ipsa materia, est principium illud insigne Antinomorum, Libertinorum & adulatorum, qui magnam hominum partem perniciosis suis adulationibus perdiderunt, scilicet, CHRISTUM ita satisfecisse pro genere humano, PRO NOBIS ET LOCO NOSTRI, *ut* (*b*) *omnes*

(*b*) Jæg. Exam. Th. N. p. 261, 262.

nes eas conditiones, activas & passivas, pro nobis impleverit, quibus *cisse, ut nihil ex parte nostra superſit quàm hoc credere &c.*
præſtitis (ab ipſo) *hæreditas ex Teſtamento ad nos pervenit: ita ut nihil ex parte hominis ſuperſit, quam ut hoc credat, ſe peccatorem agnoſcat, & Chriſtum ita tanquam vadem apprehendat*, ſine alia præſtationis vel ſatisfactionis cura ex ſua parte. horreſco referens. O Deus, in quæ nos tempora reſervaſti! Sed ſatis de Jægerianis.

SECTIO SECUNDA.

Duobus Jægeri falſis oppoſita, totamque rem Reparationis ab ovo exponens.

XIX. QUæ nunc dicenda habeam de ipſa re, ea opponam duorum horumce falſorum aſſertionibus: & incipiam quidem à remotione falſi primi D. Jægeri. XIX. *Contra Primum Falſum opponuntur teſtimonia contraria Doctorum omnis ævi, & quidem*

TESTIMONIA DOCTORUM

Antiquæ, mediæ, ac recentis Eccleſiæ Chriſtianæ in quibuſvis partibus, cenſentium hominem potuiſſe à Deo aliter redimi quam per Satisfactionem rigoroſam mortis & paſſionum CHRISTI.

HOrum non pauca collecta ſunt dudum à Doctiſſimo Voſſio Patre in Reſponſione ſua ad Ravenſpergerum pro tractatu Grotii de Satisfactione Chriſti, Cap. 28. è quibus, quia libellus non omnibus ad manus adeſt, nonnulla deſumemus, quædam alia & interjiciemus, rati pluribus hic haud opus eſſe.

XX. ATHANASIUS (eſſentialium Chriſtianiſmi contra Arium propugnator) in Sermone III. contra Arianos, pag. 239. Edit. Commel. Ἠδύνατο καὶ μὴ δ' ὅλως ἐπιδημήσαντος αὐτοῦ μόνον εἰπεῖν ὁ Θεός, καὶ λῦσαι τὴν κατάραν. ἀλλὰ σκοπεῖν δεῖ τὸ τοῖς ἀνθρώποις λυσιτελοῦν, καὶ μὴ ἐν πᾶσι τὸ δυνατὸν τοῦ Θεοῦ λογίζεσθαι. POTERAT SINE ULLO ADVENTU IPSIUS (Chriſti) SOLUMMODO *loqui Deus*, & SOLVERE MALEDICTIONEM: *Ceterum* XX. (1.) *Patrum & Doctorum Eccleſiæ Catholicæ.*

spectandum est isthic, quid hominibus sit utile, non QUID SITUM SIT IN POTENTIA DEI.

Refert Dallæus in Libr. II. de Usu Patrum, Cap. 4. GREGORII NYSSENI hanc fuisse sententiam: *Christi incarnatione non opus futurum fuisse* (a) *si omnes Heliæ, Esaiæ, Ezechieli similes forent.* Sane qui in hac sententia fuit (quicquid alioqui de ea censendum sit) clarum est eum non potuisse hanc fovisse opinionem: Redemtionem fieri à Deo non potuisse sine interventu mortis ac Satisfactionis Christi rigorosæ.

(a) Contr. Apollin. ad Theoph. T. II. p. 293. c. d.

AUGUSTINUS Libr. XIII. de Trinitate, Cap. X. *Eos itaque qui dicunt, Itane defuit Deo modus alius quo liberaret homines à miseria mortalitatis hujus, ut Unigenitum Filium, Deum sibi coæternum, hominem fieri vellet, induendo humanam animam & carnem, mortalemque factum mortem perpeti; parum est sic refellere ut istum modum quo nos per Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum, Deus liberare dignatus, asseramus bonum, & divinæ congruum dignitati: Verum etiam ut ostendamus* NON ALIUM MODUM POSSIBILEM DEO DEFUISSE, CUJUS POTESTATI CUNCTA ÆQUALITER SUBJACENT: *sed sanandæ nostræ miseriæ convenientiorem modum non fuisse, nec esse oportuisse.*

Idem Cap. XIII. ejusdem Libri: *Cur ergo non fieret mors Christi? Imo, cur non* PRÆTERMISSIS INNUMERABILIBUS MODIS QUIBUS AD NOS LIBERANDOS UTI POSSIT OMNIPOTENS, *potissimum eligeretur ut fieret, ubi nec de Divinitate ejus aliquid imminutum est aut mutatum, & de humanitate suscepta tantum beneficii collatum est hominibus.*

Idem Libr. de Agone Christiano, Cap. XI. *Sunt autem stulti qui dicunt: Quare non poterat aliter Sapientia Dei homines liberare nisi susciperet hominem, & nasceretur ex femina, & à peccatoribus anima illa pateretur? Quibus dicimus:* POTERAT OMNINO: *Sed si aliter faceret, similiter vestræ stultitiæ displiceret.* Et post nonnulla, addit Christum in carne vixisse & passum esse ut nos sanaret per conformationem nostri cum ipso: *ut disceremus docente ipso Domino, infirmitates quas peccando collegimus, recte faciendo posse sanari. Itaque Filius Dei hominem assumsit, & in illo humana perpessus est. Ostendebatur itaque nobis ad quam fragilitatem*

gilitatem homo sua culpa pervenerit, & ex qua fragilitate divino auxilio liberaretur. Hæc medicina hominum tanta est, quanta non potest cogitari. Nam quæ superbia sanari potest si humilitate Filii Dei non sanatur. Sed hæc ultima aliò pertinent.

LEO M. in Serm. de Nativitate Christi: *Verax namque misericordia Dei cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei &* MULTA SUPPETERENT, *hanc potissimum consulendi viam elegit, qua ad destruendum opus Diaboli non virtute uteretur potentiæ, sed ratione justitiæ.*

GREGORIUS M. Libr. XX. Moralium, Cap. 26. *Mediator Dei & hominum* CUM POSSET NOBIS ETIAM NON MORIENDO SUCCURRERE, *subvenire tamen moriendo hominibus voluit. Quia nos videlicet minus amasset nisi & vulnera nostra susciperet; — nec vim nobis suæ dilectionis ostenderet, nisi hoc quod à nobis tolleret, ad tempus ipse sustineret.* Et mox; *Annon* IN DIVINITATIS SUÆ DIVITIIS *nobis invisibilis permanens, miris nos* POTUIT VIRTUTIBUS DITARE? *Sed ut ad internas divitias rediret homo, foras apparere dignatus pauper Deus.*

BERNARDUS in tractatu (*a*) de erroribus Abælardi, agnoscit hominem potuisse etiam liberari non interveniente Christi passione, tametsi *non defuerit justitia quædam & in ipsa liberatione: quoniam hoc quoque fuit de misericordia liberantis, ut (quod congruebat remediis liberandi) justitia magis contra invasorem* (Diabolum) *quam potentia uteretur.* Postquam Abælardum loquentem his verbis introduxisset: (*b*) *Deinde* (Abælardus) *laborans docere & persuadere Diabolum nullum sibi jus in hominem vindicare potuisse aut debuisse nisi permissu Dei, & quod sine injuria Diaboli Deus profugum suum, si vellet misereri, repetere,* ET SOLO VERBO ERIPERE POSSET: regerit Bernardus: *quasi quis hoc diffiteatur!* Tum Abælardus: *Quæ itaque* NECESSITAS, *aut quæ* RATIO, *aut quod opus fuit, cùm* SOLA JUSSIONE SUA, *divina miseratio* LIBERARE *hominem à peccato posset; propter redemptionem nostram Filium Dei carne suscepta tot & tantas inedias, opprobria, flagella, sputa, denique ipsam crucis ignominiam & asperrimam mortem sustinere, ut cum iniquis patibulum sustineret?* Ad quæ vero ita Bernardus continuo: *Respondemus* - - -: RATIO *hujus facti fuit dignatio facientis.* QUIS NEGAT *Omnipotenti ad*

(*a*) Tom. I. Ed. Mabill. Opuscul. XI. Cap. 6.

(*b*) Ibid. Cap. 8.

manum FUISSE ALIOS ET ALIOS MODOS NOSTRÆ REDEMPTIONIS, *justificationis*, *liberationis? Verum hoc non præjudicat hujus, quem è multis elegit, efficaciæ. Et* FORTASSE *is præstat per quem in terra oblivionis, gravedinis, lapsus nostri, tot & tantis gravaminibus Reparatoris fortius & vivacius admoneremur. Alias autem nemo hominum novit, nec noscere ad plenum potest quid boni ad gratiam, quid congrui ad Sapientiam, quid decori ad gloriam, quid commodi ad salutem penes se contineat hujus venerandi mysterii altitudo.*

Idem Bernardus Sermone XI. in Cantica: *Quis digne penset quantæ fuerit humilitatis, mansuetudinis, dignationis, Dominum majestatis carne indui, mulctari morte, turpari cruce? Sed, dicet aliquis: Non valuit opus suum reparare Creator* ABSQUE *ista difficultate?* VALUIT: *sed maluit cum injuria sui; ne pessimum atque odiosissimum vitium ingratitudinis occasionem ultra reperiret in homine.*

ARNOLDUS CARNOTENSIS, Abbas Bonævallis, in tractatu de Cardinalibus Christi operibus, qui solet operibus S. Cypriani subjungi: in Capite de *Passione Christi* sic loquitur: *Hoc vis intelligi, quæ sit causa mortis* (Christi, ad quem loquitur) *quis quæstus*; ut *utraque re cognita, peccatum appareat & gratia; & quanti ponderis sit utrumque, rerum probet effectus: cum originali morti nullum nisi in Christi morte potuerit esse remedium; nec conciliare Deo potuerit exules & damnatos qualibet oblatio, nisi sanguinis hujus singulare sacrificium. Et* SINE HOC HOLOCAUSTO POTERAT DEUS TANTUM CONDONASSE PECCATUM: *sed facilitas veniæ laxaret habenas peccatis effrenibus, quæ etiam Christi vix cohibent passiones, quæ vix sceleratos animos à voluptatum fæce avellunt.*

THOMAS A KEMPIS, Libr. III. de Imitatione Christi, Cap. 18. introducit Christum ei ita loquentem: *Fili, ego descendi de cœlo pro tua salute: suscepi tuas miserias*, NON NECESSITATE, *sed charitate trahente, ut patientiam disceres.*

Auctor recentior libelli *Histoire de la Vie de N. S. Jesus-Christ*, Parisiis anno 1678. editi, qui dicitur esse MR. LE TOURNEUX, Presbyter pietate & eruditione celebris, præmisit ei libello præfationem in qua hæc occurrunt è Gallico latine reddita: *Ne*

Ne inquiramus cur Dei Filius, ut nos salvos faceret, viam non elegerit faciliorem quaque ei minoris constaret. Certum est quodvis ALIUD MEDIUM *Omnipotenti fuisse* POSSIBILE: *sed nec minus* quoque *certum est id quod adhibuit, spectandum nobis esse veluti nobis commodissimum nostrisque defectibus convenientissimum. - - - Ne examinemus quam igitur* VIAM ALIAM POTUISSET *inire Deus; quin potius attente consideremus quantum gloriæ ei, quantum utilitatis nobis conferat ea quam ille elegit.*

XXI. Scholasticos Theologos aliter non sentire fidem faciunt inter plures, XXI. (2.) *Theologorum Scholasticorum aliorumque ex eadem Ecclesia;*

THOMAS in Summæ Part. III. Quæst. 46. ART. 1. *An fuerit necessarium Christum pati pro liberatione generis humani? Resp.* NON ABSOLUTE: *nec ex causa cogente: sed ex suppositione, quia sic Deus præfinivit pro nostra salute & exaltatione Christi.* ART. 2. AN ALIO MODO *potuerit nos Deus redimere quam per passionem?* Resp. ABSOLUTE SIC: *ex suppositione præscientiæ & præordinationis Dei, non.* Quibus addit P. ALAGONA hanc expositionem: *Si sine satisfactione nos salvasset,* NON FECISSET CONTRA JUSTITIAM; *quia condonando, nulli facit injuriam.*

GABR. BIEL. III. Sentent. Dist. 20. Quæst. un. asserit: *Quod possit Deus remittere peccatum per solam non imputationem: ac proinde rationes Anselmi in libris, cur Deus homo, nihil probare, nisi præsupposita divina ordinatione.*

Huic addit Vossius P. TATARETUM *in IV. Sentent. Dist.* 15. *fol.* 524. & ANTONIUM POSSEVINUM Libr. X. Biblioth. selectæ Cap. IX. aliosque qui contra Abælardum ipsumque etiam Socinum & ejus asseclas erudite scripserunt, inter quos producit JOAN. DRIEDONEM, Theologum Lovaniensem, & MART. SMIGLECIUM è Soc. J. contra Smalcium. De horum primo ita ille:

Verba ejus [Driedonis] *inter alia hæc sunt* Tract. III. fol. 69. *Quamvis* ALIUS MODUS LIBERANDI *genus humanum Deo fuerat* POSSIBILIS, *non tamen inde consequens est quod iste fuerit aut irrationabilis, aut supervacuus.* „ Continuo quatuor causas adjungit, „ cur modus iste Divinæ Sapientiæ maxime fuerit consentaneus. „ Atque inter alia AUGUSTINI hæc verba adducit: ALIUS MO-

MODUS LIBERANDI POSSIBILIS *Deo non defuit: sed sanandæ nostræ miseriæ convenientior modus non fuit quam iste, in quo nobis contulit & REMEDIUM; ac humilitatis, patientiæ & dilectionis præbuit* EXEMPLUM. Et aliquibus interjectis ait idem DRIEDO: *Deus, ut inquiunt Augustinus & Bernardus, quanquam secundum suam benignitatem, sapientiam, & justitiam potuisset opus istud redemptionis* ALITER, *sicuti placuisset, perficere; placuit tamen ei potius hominem sibi reconciliare eo modo & ordine quo noverat illum cecidisse, ut quemadmodum Adam in mortem cecidit per feminam; ita rursus spem vitæ accipiat per feminam Mariam:* (per incarnationem in ea). - - - *si roges, cur hoc modo potius quam* MODIS ALIIS *voluerit sapientiam suam, justitiam, & misericordiam declarare, cum* ALIUS MODUS *hæc eadem declarandi* POSSIBILIS *ei non defuerit: Respondet Bernardus: Mihi, inquit, scire licet quod ita fecerit: sed cur hoc modo, & non aliter fecerit, mihi curiose scrutari non licet. Quomodocunque aliter fecisset, inquit Augustinus, semper stulta creatura diceret; Cur isto modo, & non aliter, fecit qui innumeros apud se modos tenet? O homo, tu quis es, qui contrà respondeas Deo? - - - Convenientius erat Divinæ Sapientiæ ita misericorditer hominem à potestate Diaboli liberare, ut in ipsa liberatione servaretur justitia quædam sapienter in puniendo peccatum quantum satis est Deo irato, secundum ordinem suæ justitiæ peccatum non dimittens inultum. Divina tamen Justitia* NON ITA ABSOLUTE *erat ad hunc faciendi modum coarctata: quia, & ipsa manente salva, Deus si secundum benignitatem aliter &* ABSQUE SATISFACTIONE *hominem liberare voluisset, decenter utique & juste fecisset, ex sua misericordia pro nihilo, id est,* ABSQUE PRETIO SANGUINIS, *omnia peccata delens, & hominem in priorem statum constituens.* „ Exinde occurrit iis quæ ad„ versus hanc sententiam objici solent: inter alia ad illud; quod „ si peccatum dimitteretur impunitum, Deus foret injustus; re„ spondet hoc pacto“: *Deus, cum sit Judex & Dominus omnium, non est intelligendus quemadmodum alius quispiam judex, qui servus est, atque subjectus justitiæ: sed est ipsa justitia, & fons ac plenitudo, consummatio & finis omnis justitiæ: & idcirco ipse non est in ullam aliam justitiam ordinabilis. Quamobrem neque potest aut esse aut fieri debitor ulli justitiæ: sed creaturæ universæ debitores sunt*

ipsi.

ipsi. Proinde & ipse si injuriam in se commissam ABSQUE SATISFACTIONE SIBI FACTA REMITTAT, *non facit neque contra ullam justitiam, neque ulli alteri injuriam.* Plura ibidem in hanc mentem legere est.

Similiter MARTINUS SMIGLECIUS, Libr. de Christi Satisfactione adversus Valentinum Smalcium, Cap. XI. POTERAT (inquit) *Deus nobis clementiam suam* ALIA RATIONE, *hoc est,* SINE ULLA REDEMTIONE *ostendere: at statuit eam* POTIUS *in redemtione exhibere; tali inquam redemtione quæ esset divinæ in nos charitatis & gratiæ plenissima.* - - - UTRUMQUE *Deus potuit,* ET ABSQUE ULLA SATISFACTIONE, *& cum satisfactione peccata nobis remittere.* &c.

XXII. E Theologis Protestantibus, ita FRANZIUS, Theol. Witteberg. in Disputat. de Sacrificiis, Thes. 63. & 64. *Quæritur utrum non Deus potuerit primos parentes & omnes homines ex mortis imperio eximere & in gratiam recipere, sed* SOLA VOLUNTATE, CITRA MEDIATORIS SATISFACTIONEM ULLAM? *Et respondetur:* OMNINO POTUISSET, *nisi prius & antea protulisset decretum* (VELLE) *suum comminatorium.* XXII. (3.) *Theologorum Protestantium.*

OTTO CASMANNUS, in Anti-Socino Part. 2. Cap. 1. *Licet concedamus justitiam punientem peccata,* & *misericordiam ea condonantem, utramque scilicet esse Dei* LIBERRIMÆ VOLUNTATIS *effectum: tamen satisfactionem pro peccatis ad condonanda ea non esse* ULLO MODO *necessariam, non concedimus.* Eam appellat deinde HYPOTHETICAM, propter decretum seu voluntatem Dei.

CALVINUS, Comment. in Joan. Cap. 15: 13. *Poterat nos Deus* VERBO *aut* NUTU REDIMERE, *nisi aliter nostrâ causâ visum esset, ut proprio & Unigenito Filio non parcens, testatum faceret in ejus persona quantam habeat salutis nostræ curam.*

ZANCHIUS, Libr. 2. de Incarnatione, Cap. 3. Quæst. 1. *Etsi vero Deus* SERVARE NOS POTERAT SOLO SUO IMPERIO, *peccata simpliciter* EX SUA MISERICORDIA *condonando; noluit tamen: sed sapientissime constituit, sicut justitia ipsius exigebat, peccata non condonare nisi vere per effusionem sanguinis humani prius piarentur.*

TILENUS, Theol. Sedan. Disputat. de Incarn. Filii Dei:

Restituere sive recreare hominem, non minus liberum fuit Deo quam creare. Nulla enim actionum transeuntium necessaria est in Deo nisi ex hypothesi - - - peccatum solo imperio tanquam nubem tollere poterat. Isa. 49: 22.

Finiam hæc VOSSII ipsius calculo, quo ipse responsioni suæ ad Ravenspergerum imponit finem. Cap. 30. „*Censor*, inquit, „ *tale pro sententia sua adfert argumentum: Quod quemadmodum Deus* PER NATURAM SUAM *nequit esse mendax aut malus; ita nec peccata queat remittere* NISI SATISFACTIONE *adhibita: nam alioqui, inquit, remissio* JUSTITIAM *læderet. Sed* (respondet Vossius) *hoc est quod quæritur; non, an justum sit satisfactionem accipi; sed, an injustum sit non accipi? Non enim sequitur: si misericors est Deus hoc vel illud agendo, eo immisericordem fore non agendo. Sæpe enim inter illa est medium aliquod. Parentes certe & Reges minime se obstrictos putant ut pro omnibus delictis satisfactionem accipiant. Scio quanto perfectior sit Dei justitia quam hominum: attamen mens humana impressas habet notitias, divinæ naturæ imagines. Præterea omne agens quod agit* NATURALITER, *agit in objectum suæ actionis* NATURALITER *receptivum. Quare si punire esset* NATURALE (*illa nimirum acceptione quæ secum fert* NECESSITATEM) *non posset actio talis de persona peccatoris in personam alteram transire. Neque etiam Sapientia Dei, quæ in hoc negotio maxime elucet, locum habitura videtur si* PER NATURAM *nequiisset Deus aliter agere: Sapientia enim est* ELECTRIX *mediorum. Maxime autem miror eos qui jus libertatemque divinam eousque extendunt, ut decernere potuerit homini pœnas æternas & gravissimas, etiam citra peccati rationem;* (hoc Supralapsarios respicit) *eosdem Deo in partem alteram tantillum libertatis non concedere, ut* CULPAM ULLAM CITRA SATISFACTIONEM POSSET CONDONARE; *cum tamen hoc non tam clare pugnet cum justitia, quam illud pugnare videtur cum bonitate divina.*

XXIII. *Nullitas condemnationis Jægeri; cujus etiam allata Testimonia non faciunt pro ipso.*

XXIII. Hæc crediderim abunde sufficere ut inde pateat quantum fidei D. Jægero adhibendum sit, non tantum cum quid ego sentiam ille suo more repræsentat; sed & cum audacter asserit (pag. 257.) *impossibilem esse peccati sine Satisfactione condonationem;* & *spiritum vertiginis & malignum Authorem esse opinionis Poiretianæ:* ac propterea provocat (pag. seq.) ad TESTIMONIA EC-

CLE-

clesiæ Christianæ, quorum equidem ille nonnulla profert, ſed planiſſime ſine ullo pro ſententia ſua emolumento. Etenim hoc dicunt illa teſtimonia, Chriſtum morte ſua ſatisfeciſſe ut redimeret nos à peccatis noſtris: id quod nemo negat: ſed non dicunt, impossibile Deo fuiſſe ut aliis modis nos liberaret, & necessarium fuiſſe ac juſtitiæ ſuæ essentiale ut hunc modum eligeret. Auguſtinus, quem potiſſimum citavit, dixit contrarium, uti vidimus, & contra ipſum eſt. Atque ita D. Jægerus & aliena & ſua in caſſum hactenus protulit.

XXIV. Nunc proferam paucis ea quæ hic de hiſce habeam repræſentanda contra ſecundum D. Jægeri Falſum. XXIV. *Contra Falſum ſecundum.*

Velim in anteceſſum ut probe diſtinguantur ea quæ in fidei rebus eſſentialia ſunt & ad ſalutem neceſſaria, ab iis quæ ſunt veluti adventitia, quæ theoretica, ſpeculativa, idealia, diducta in circumſtantias, ſuntque ad problematica & exercitia Theologorum Diſputatorum potius pertinentia, quam ad res fidei ſalutaris ac proprie ita dictæ, ſine qua nemo Chriſtianorum ſalvari poteſt, & qua poſita, ceteris illis aliis poteſt quis carere aut etiam in iis non malo animo errare. Quod apprime notandum eſt contra duros ac immiſericordes rixatorum animos, qui omnia errata in rebus quæ ſunt externæ reſpectu eſſentialium fidei, cupiunt in capitalia & damnoſa, in everſiones articulorum fidei, convertere, ut quos ipſi odio proſequuntur, eos ſub hoc erratorum in fide pallio, horrendos aliis exponant. *Præmonitum. Diſtinguendum eſſe in rebus fidei inter eſſentialia & adventitia.*

XXV. Quo verò fallaciæ genere vel ab initio libri ſui adverſum me Jægerus noſter ſe uſurum (ut & fecit ſæpius) clare inſinuavit, imo me hujus ſuæ artis auctorem eſſe voluit quando ait pag. 20. & 21. *Error omnis in fide, juxta Poiretum in Oeconomia ejus divina, eſt infernale venenum.* Nec notat ubi hoc dixerim: ſed notabo ubi contrarium dixi, & pluribus explicavi, nempe in Oeconomiæ Libr. V. Cap. 4. num. 53. ad 57. ubi videre eſt pluribus, quî & cur anima fidelis (a) *nonnunquam ex infirmitate, aut diſpenſatione aliqua, opiniones quaſdam ſingulares, etiamque* erroneas circa divina *poterit tenere: verum hoc quicquid ſit, neque purificationem animæ impedire, neque animam* XXV. *Jægeri fallacia. Non omnem errorem in fide venenum eſſe infernale.*

(a) pag. 425.

mam ipsam coinquinare, & reliqua. Id solum in rebus fidei venenum est quod nos avertit ab amore Dei & imitatione Christi, illave in nobis extinguit, quales sunt eorum errores qui corruptionem nostram, itemque internarum operationum Dei in nobis necessitatem negant, & suarum idearum ac operationum phantasmata iis substituunt. Qui vero se sincere Deo Creatori ac Redemtori suo tradunt illuminandos, purificandos ac regendos, ii, quicquid præterea erronei in quibusdam opinionibus circa res divinas, v. g. præsentiam aut absentiam corpoream Christi in S. Cœna, & plura ejusmodi, sentiant, id nocere eis non potest.

XXVI. *Quænam circa Articulum de Reparatione hominis per Christum sint essentialia.*

XXVI. Quantum ad fidem salutarem respectu hujus articuli *De Reparatione generis humani per Christum*, quem articulum D. Jægerus jure merito dicit *punctum* esse *principale Christianæ Theologiæ*, vel doctrinæ potius, repetam quid de ea veluti de Summa totius Doctrinæ Christianæ alicubi professus sum; videlicet: „ (a) Ubi sincere agnoscitur, hominem, opus manuum Patris, „ Filii & Spiritus S. in justitia & sanctitate ab illis creatum, „ descivisse in statum injustitiæ & impuritatis, tenebrarum, „ errorum, concupiscentiarum malarum atque mortis æternæ; „ UNDE UT LIBERARETUR misit Pater Filium inter nos „ qui vita, morte & resurrectione sua Spiritum S. nobis impetraret; per quem nobiscum veritas amorque divinus, sanctitas ac justitia communicarentur, quibus possemus cum Deo „ iterum extra peccata & tenebras Societatem inire, ac ambulare perpetim coram eo; ubi inquam ista ex animo agnoscuntur & admittuntur, cetera præterea veluti accessoria errata „ infirmitatis humanæ toleranda sunt.

(a) De Natur. & Orig. Idearum pag. 355.

XXVII. *Qui & quatenus cetera accessoria vel ignorare vel etiam utiliter inquirere liceat, sed sine condemnatione dissentientium.*

XXVII. Si quis hæc ex animo admittat, seque secundum hæc regendum tradat Deo totum, id ei sufficit; neque opus est ad integritatem salutarem fidei suæ ut præterea ad quælibet specialiora descendat, & discutiat atque teneat quænam horum omnium fuerint causæ materiales ac formales, efficientes, moventes, finales & reliqua ejusmodi quæ trivialia recensent Scholarum Systemata. Equidem si qui vel ratione officii, vel ad piam mentis exercitationem, in similibus discutiendis vel meditatione perpendendis se occupent; id & licitum, & bonum, & fidei suæ

ſuæ etiam fovendæ ac conſervandæ inſervire poteſt: at nequaquam ferendum ut diſcuſſiones illi ſuas, ſpeculationeſque proprias, aliis obtrudant pro doctrinis fidei eſſentialibus; neque ut qui in ſimilibus ad diſſonas à ſuis ſententias meditando pervenerunt, eos pro peccantibus in Chriſtianam fidem habeant & traducant. Ex. gr. Sunt qui cogitatione deſcendentes ad ſpecialiora de cauſa movente ac ratione formali cur Reparatio generis humani facta ſit per incarnationem, vitam ac mortem Filii Dei, ſenſerunt ac dixerunt, alii quidem, id ex neceſſitate Juſtitiæ Dei eſſentialis, quæ aliter peccatum remittere non potuit, factum eſſe: alii, non ea de cauſa potuiſſe peccatum ſine hoc remitti; ſed ex arbitrio Dei id eſſe, cujus Sapientia hoc elegit medium propter varios fines hos vel illos. Modo utrique ſic in ſua ſententia maneant, ut inde in amore Dei & proximi, inque ſanctitate vitæ magis ac magis creſcant, ac præterea perſuaſi ſint infinite plura eſſe in myſterio illo ejuſque partibus, quam ea quæ concipiunt, quæque imperfectiſſima adhuc ſunt; profecto utrique placebunt Deo; nec poteſt alter alterum condemnare, quin condemnationem propriam ſibi juſto Dei judicio attrahat, ſeque charitate, animi Chriſtiani charactere deſtitutum eſſe oſtendat. Dolendum eſt D. Jægerum per totum librum, imo per omnia Scripta, talem ſe præbere ut qui non ad priorem, ſed ad hanc ultimam pertineat claſſem, ita vehemens in eo eſt, ut in hæreſes exitiales ac venena infernalia interpretetur & convertat quantum poteſt, quæ cum ſuis ſententiis circa ejuſmodi theoretica ac idealia ſpecialiora non conſpirant. Sed quid! quæſivit eis obices ponere.

Id tamen minime impediet quin candide proferam de his ea quæ ſentio.

Reparationis hominis ordo & Oeconomia.

XXVIII. *(1.) Deus creavit homines ut haberet quibuſcum ſe ſuaque ex amore paterno communicaret.*

XXVIII. (1.) Deus creavit homines ut haberet eos pro filiis ſuis, amaret eos amore puro ac paterno, ſe ſuaque cum illis delectaretur communicare. Hoc ſuſcepit Deus officium creando hominem: atque ut ei officio, paterno inquam, ſatisfaceret, in animo & in deliciis habere voluit.

XXIX. (2.) *Hinc indidit eis instinctum amoris filialis erga se, quò suo amori responderent sine ullo fœdere mercenario vel operum.*

XXIX. (2.) Quo ipſo homines per creationem ſuam conſtituti ſunt filii Dei, quibus Deus naturam & facultates & libertatem ſuis ſimiles dedit, immiſitque iis inſtinctum amoris erga ſe, ut eum amarent amore filiali ac puro, propter ipſum ac ut ſuæ paternæ voluntati, quæ fuit habere filios dilectos ut cum iis delectaretur, reſponderent. Atque hoc eſt officium hominum, filiorum Dei, cui filiali officio, amori videlicet Dei Patris paternæque voluntatis ſuæ puro, ut liberrime ac conſtanter vacent & ſatisfaciant, naturaliter tenentur; idque ſine ullo alio fœderis neſcio cujus mercenarii vel operum interventu fictitio, quandoquidem fœdus hocce, (ſiquidem eo nomine uti velis,) naturale, paternum ac filiale, omnia compleat: nec Deus ſit mercenarius amator, qui homines ob mercenaria opera amare velit; nec homines mercenarii amatores, qui Deo ob mercedem obtemperare cupiant, ut hinc ſcilicet habeant jus mercedem poſtulandi. Quis unquam in ipſa natura inter ingenuos patres ac ingenuos filios talia fœdera mercenaria & operaria finxerit, unde omnia eorum officia & eventa derivet?

XXX. (3.) *Ut homo plenioris communicationis divinæ capax fieret data ei periodus præparationis.*

XXX. (3.) Antequam Deus, hominis Pater, ſeque totum ſuaque omnia cum homine plene communicaret, quandoquidem initio hic adhuc erat inexpertus, necdum ſatis capax cui omnia illico committerentur, placuit Patri remiſſiori quodam modo, hominis capacitati ac incremento congruo, cum homine, filio ſuo, infante adhuc agere, idque durante aliquo temporis ſpatio, quo interim homo adoleſceret, capaciorque fieret indies donec ad perfectam maturitatem perveniret, atque ita capax eſſet filius cui omnia committerentur. Illud tempus eſt periodus præparationis, quo veluti curſu finito, communio fit omnium inter patrem & filios. Videmus ſimile quid in natura, ubi Patres ſolent filios ſuos infantes ac adoleſcentes prius per tempus, exercitia & diſciplinas præparare, antequam ſeſe ſuaque omnia plane cum illis reddant communia. Neque hic locum habet operum mercenariorum fœdus, ingenuis animis omnino indignum.

XXXI. (4.) *Lapſus hominis ejuſque ſequelæ & effecta.*

XXXI. (4.) Accidit autem ut homo haud procul ab initio ſtadii ſuæ præparationis negligentius ac par erat ſe gereret; cui vero ſuperveniens ſeductor cogitata injecit, quæ ab attentione ad inſtinctum filialis erga patrem amoris, eum diſtraherent; atque

ita

ita deinde homo ad objecta aliena & ad actiones (quas interea divinus parens ei prohibuerat) immorigerus desciſceret iiſque ſeſe traderet: quo peccato admiſſo & conſummato, factum eſt ut inſtinctus illi divini filialis amoris in corde hominis obſcurati, deleti ac tantum non plane extincti ſint: ceſſavit qualiſcunque præterita cum Deo, ejuſque luminoſis ac amoroſis bonis & effluviis communicatio: ſecuti ſunt inſtinctus vel concupiſcentiæ ad vana, mala, Deo contraria; tenebræ, confuſiones, vitia, anxietates; nec finis: Homo in eo erat ſtatu in quo ille eſt qui ex alto monte ruit in abyſſum cui nullus eſt fundus: adeoque in æternum præcipitium ruebat miſer, ſi non inde in medio jam ad præcipitium curſu retineretur, ac in ſtationem unde deciderat, reponeretur.

XXXII. (5.) Culpabilem hunc lapſum vidit Deus & averſatus eſt, at non ita uti in Angelis rebellibus qui ſola & mera malitia ſua defecerant; homo vero non ita, ſed diſtractione & impulſione maximam partem alienâ: quod Deo non ignotum, miſericordiæ ac bonitati ejus ea ex parte locum reliquit, ita ut inde ad miſerationem propenſus eſſet. Accedit Filius Dei unigenitus, æqualis Patri, ei dilectus, immenſæ dignitatis ac infiniti meriti. Hic poſtulat à Bonitate Patris ut ignoſcat miſero homini, eumque reſtituat unde ceciderat.

XXXII. *(5.) Deus hominis per miſericordiam ſuam & propter merita & interceſſionem Filii ſui miſertus.*

Nequit Pater Filio Unigenito ac ſibi æquali, infinite amato, infinitæ excellentiæ divinæ, paternæ æqualis, infiniti proinde meriti ac dignitatis, poſtulatum ſuum infiniti valoris denegare: dat locum & cedit ejus petitioni; ac propter eundem ſuamque ipſiuſmet bonitatem & miſericordiam aſpicit hominem lapſum oculo propitio, & conſentit cum Filio uti reſtituatur ac reparetur.

XXXIII. *(6.)* Hanc reparationem poterant Pater & Filius ex Omnipotentia & ſufficientia ſua infinita illico executioni dare ſolo accedente voluntatis ſuæ actu, ſi placuiſſet; quod quidem paulo ante ab Eccleſiæ Chriſtianæ Patribus ac Doctoribus pro vero agnitum fuiſſe vidimus.

XXXIII. *(6.) Reparare illum voluit, non ſolo actu voluntatis ſuæ, ſed viâ aliâ, quam ex Bonitate & Sapientia ſua elegit.*

Sed ne hanc facilem viam eligerent, effecit Sapientia Dei ejuſque Bonitas, quæ Deum impulêre ut viam aliam eligerent, hominis infirmitati ejuſdemque etiam eo in negotio utilitati ac ſe-

ſecuritati maxime competentem. Quod cito fit, cito perit, quia radices & habitus bonos per brevem moram ingenerare non potuit. Qui ſe tam cito & tam facile reſtitutum vidiſſet, non multum curaſſet iterum labi ac deficere: non adeo curaſſet violare mandata ac contemnere minas Dei, ſi minarum, ſi violatorum mandatorum nullum vidiſſet effectum: neſciviſſet ex quantis malis præſentibus atque futuris eſſet ereptus: amorem Dei ejuſque effectus non tanti feciſſet: ut taceam alia innumera, nunc & deinceps quibus Deus volet plus minuſve detegenda, quæque ſola ſcit perfecte Dei Sapientia. qua factum eſt, ut Deo placuerit eam reparandi hominis viam eligere quam vidimus eum ipſo facto elegiſſe.

XXXIV. (7.) *Demeritum hominis lapſi per meritum Filii Dei correctum.*

XXXIV. (7.) In homine lapſo, qui reparandus erat, inerant à lapſu ſequentia. Demeritum ingens, quod bonitas Dei & interceſſio Filii unigeniti contegere voluerunt per ejuſdem Filii meritum, cujus valor durat ad finem uſque reparationis eorum reſpectu qui id non conculcant & repudiant.

XXXV. (8.) *Mala & miſeria ejuſdem.*

XXXV. (8.) Inerat deinde homini extinctio vel totalis obſcuratio ac defectus divini inſtinctus ad amorem filialem & obſequioſum erga Deum; cui ſucceſſerat inſtinctus malus ac corruptus ad objecta vana ac corrupta atque à Deo aliena, qui concupiſcentiæ multi variique generis dicuntur.

Inerant ignorantia & tenebræ multæ, quibus neque objecta bona neque mala ipſa bene cognoſcebat, ut alia evitare, alia quærere potis eſſet.

Inerat amor ſui ipſius, ſuarum voluntatum, complacentiæ in ſe ipſo, ſua carne, ſuis delectationibus, ſuique ſimilium dilectione & exiſtimatione.

Egerant illa omnia, & egerunt magis ac magis in omnibus ceteris ab ipſo natis hominibus, profundas & animæ intimis infixas radices.

Aderant homini extra ſe natura & ipſa corrupta, alliciens tamen eum perpetuo jucunditate ſenſuali ad captivandum ſub ſe amorem ſuum. aderat & Satanas ejuſque Angeli, qui continue ſuis ſuggeſtionibus tenebroſis ac malignis, ſpeciem tamen boni ac luminis ferentibus, ſollicitabant hominem uti eum deciperent & ſibi obſequentem haberent; & quæ non præterea

hor-

horribilis omnium malorum lerna, soli Sapientiæ Dei perfecte cognita. XXXVI.

XXXVI. (9.) Ex tantis his malis ut hominem eriperet, suscepit Sacro-Sancta Trinitas Pater, Filius & Spiritus S. consilium atque decretum: & in ea quælibet divina persona officium aliquod speciale ac quodammodo proprium assumsit, cui se satisfacturam voluit addicere. *(9.) Quibus ut eriperetur, singulæ SS. Trinitatis Personæ officium speciale susceperunt.*

XXXVII. (10.) Pater præter moderationem mali ac restitutionem boni quam in natura primus reposuit, præterque repressionem sufficientem impetuum Satanæ, restituit in homine instinctum ad bonum, ad amorem, cognitionem & consecutionem boni, & ad fugam contrarii; ac præterea hominem hæc audire volentem tradidit perficiendum Filio. Hic est ille tractus Patris de quo Christus dicit, (a) *Nemo venit ad me nisi Pater traxerit eum:* hæc est illa Patris vox de quo idem; *Omnis qui audivit à Patre, & didicit* (obsequitur,) *venit ad me.* Hoc est illud Dei verbum internum, quod Apostolo dicitur, (b) *Veritas Dei,* quam homines *in injustitia detinent*: hoc τὸ γνωςὸν τȣ̃ Θεοῦ, *notum Dei, quod est* IN *hominibus, & quod Deus ipse manifestavit: per quod invisibilia Dei, Potentia ejus æterna & Bonitas,* ita *intelliguntur*, ut *inexcusabiles sint* qui se illis non accommodant, quando ita *cognoscentes Deum, eundem non glorificant nec gratos ei* se præbent: per quod *justitia Dei cognoscitur*, & *quod qui mala faciunt*, & *qui iis consentiunt, digni sint morte:* per quod *gentes ea quæ legis sunt, faciunt*, & *ipsi sibi sunt lex*, & *ostendunt opus legis* (dictamen legis) *scriptum* esse *in cordibus suis:* Hæc est *conscientia* illa quæ *reddit testimonium* quo *defensio* vel *accusatio* in corde hominis nititur, & quo qui *implet* hanc *legem* internam, *judicabit literalistas* externos qui *legem transgrediuntur*. Hoc verbum internum Patris siquis interroget ac audire velit, id in conscientia sua ipsi dicet; quod nos non fecerimus nos nec cetera, sed causa aliqua æterna, potentissima, bona, sapiens, justa, quam Deum dicimus, cui tenemur gratias agere, morem gerere, eum laudare, eum imitari in regimine nostro erga nos & ceteros, atque conari ut omnes ei grati sint nobiscum: hoc esse nostrum præcipuum & æternum officium, solum nobis dignum, & præ quo cetera externa ac temporalia vana sint ac pereuntia. Hoc pretiosum

XXXVII. (10.) *Officium Patris: instinctûs boni in homine restitutio. Tractus Patris, γνωςὸν τοῦ Θεοῦ, conscientia. Verbum Patris internum.*

(a) Joan. 6. ℣. 44. & 45.
(b) Rom. 1. ℣. 18--21, 32. & Cap. 2. ℣. 14, 15, 27.

tiosum Verbum Patris, verbum & *instinctum*, inquam, internum ac innatum conscientiæ, qui observat in sinceritate animi ac quantum potest; (est autem verbum in omnem æternitatem servandum ac immutabile,) is ducitur à Deo usque & usque in meliora: qui autem id negligunt vel violant, ii, quamdiu hoc agunt, æternum sibi ponunt in bono obicem, nec unquam promovebuntur à Deo. Et hac etiam de causa quivis Sancti ac amici Dei illud tantopere quibusvis commendant: (*a*) *Beatus vir in cujus spiritu non est dolus*; (*b*) *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit.* (*c*) *Redite, prævaricatores ad cor.* (*d*) *Si cor nostrum nos non reprehenderit, fiduciam habemus ad Deum; & quicquid petierimus, accipiemus ab eo*; & multa alia. De eo ita divinus Kempisius Deum loquentem introducit: (*e*) *Ego usque nunc non cesso omnibus loqui: sed multi ad vocem meam surdi sunt & duri: plures mundum libentius audiunt quam Deum.* Verum plura *alibi de isto Patris œconomico officio, de quo hic uti de ceteris, obiter tantum.

(*a*) Ps. 32. ℣. 1, 2. (*b*) Prov. 4. ℣. 23. (*c*) Isa. 46. ℣. 8. (*d*) 1. Joan. 3. ℣. 21, 22. (*e*) Libr. III. Cap. 3.

XXXVIII. (11.) *Officium Filii triplex:*

XXXVIII. (11.) Ad eandem hominis reparationem officium quod Filius Dei suscepit & cui se satisfacturum addixit, triplex fuit: Doctorale seu Propheticum, Sacerdotale, & denique Regium.

XXXIX. (12.) *Doctorale seu Propheticum; quo à Patre tractos specialius instruit. Quare abnegationem commendet.*

XXXIX. (12.) Ad primum quod attinet, quia in homine licet à Patre attracto, supererant instinctus mali à corde corrupto, à Satana, ab aliisque seductoribus ingesti & ingerendi, qui bonos Patris instinctus ac tractus turbabant ita, ut sæpe non posset eos recte distinguere, neque videre malignitatem & falsitatem extraneorum ingestorum; attulit Filius Dei lucem qua de istis homines illuminaret: docuit discernere vera à falsis, bona à malis, facienda à fugiendis, quod executus est modis internis atque externis, & his quidem per Prophetas, Apostolos atque per se ipsum, ut videre est in Evangeliis, & speciatim in Capitibus 5, 6, & 7. Matthæi, & 13, 14, 15, & 16. Joannis: ac notabile est eos qui ad præcedentem Patris tractum dociles erant, specialius & intimius à Filio doctos & instructos fuisse.

Cum

* Vid. Præfationem Libri *Fides & Ratio collatæ*, num. 32. ad 38. contra Lockium, qui principia hæc innata negavit. Item in Oecon. Div. Libr. III. Capp. 7, 8, & 9. in quibus de hisce & de pluribus quæ Deus bene his utentibus superaddit, agitur.

Cum autem homo rerum externarum, sui ipsius, suarum voluntatum & appetituum ac delectationum amore non parum detentus erat, quibus instructionum divinarum fructus, rerumque æternarum amor non parum impediebantur, adjunxit suis documentis commendationem abnegationis, ut quisque sibi ipsi, mundo, ac concupiscentiis renunciaret & studium crucis ac mortificationis amplecteretur.

XL. (13.) Sed profunde nimis inerant intimis hominis isti peccatorum omnium fontes, amor sui, suarumque voluntatum & delectationum, quam ut possent ab homine per contrariam disciplinam bonam ad radices usque extirpari & interimi; supprimebantur quidem actus mali per actus bonos iis oppositos: sed radix ac fundus vivax cum intimis tantum non identificati, remanebant, ac subinde impetum faciebant uti in fructus erumperent. Hoc in omnibus, in iis etiam qui ceteroqui bonæ sunt voluntatis, impedimento erat ne Deo uniri ac communicare cum eo perfecte possent. Abhorret enim Deus à perniciosis istiusmodi plantis, quas antequam se homini totum det, postulat eradicari, deleri, morti tradi, sacroque igne in holocaustum sibi comburi, quo nihil amplius obstet puræ ac perfectæ sui communicationi. Id autem cum præstare non esset virium hominis, sed solius Dei, ecce, Filius Dei, Sacerdotis officio suscepto simulque & victimæ, per Spiritum æternum humanitati nostræ unitum offert se qui in se ferat cum patientia, resignatione sui Deo, amoreque indeficiente omnes ictus profundissimos, passiones, dolores, pœnas, destitutiones, ignominias, & reliqua per quæ moriantur, deleantur & annihilentur omnia in quibus & per quæ peccatum radicitus in homine vivebat. Hæc Christi oblatio charitatem Patris primævam ac misericordiam maxime movit, ut oblitis ac condonatis hominum culpis & peccatis, eos propitio oculo intueretur, ac porro salvos & in filiorum numerum receptos vellet, modo illi per fidem huic Christi mortis spiritui se traderent, quo à peccato inhabitante purificarentur per admissam in se hujus oblationis Christi participationem, vim & efficaciam. Eo namque potissimum scopo & fine obtulit se & passus est Christus, ut Spiritus ille ejus potens, ac ferens cum amore & patientia ictus & passiones peccatum funditus interficientes,

XL. (13.) *Sacerdotale; sui per Spiritum æternum oblatione, passione & sanguine peccata radicitus delens, hominemque Patri perfecte reconcilians.*

cientes, in hominem fluat, ac ea ipſa, ſuam inquam efficaciam, in eo explicet, qua homo imbutus, & factus eadem planta atque victima cum Chriſto per conformitatem mortis ejus, peccato ejuſque amori, inclinationi, radicibus intimis ita moriatur vi Spiritus & ſanguinis patientis ac morientis Chriſti, ut nihil amplius iniqui nec propenſi ad iniquitatem in ejus intimo fundo, inſtinctu & conſcientia ſuperſit vivens: nec hoc tantum, ſed & ut id duret aliquandiu quouſque homo profunde ſciat, funditus meminerit, & alta mente repoſitum habeat quantis cum laboribus & ærumnis peccati vita deleri debeat, ita ut ipſe in poſterum caveat ne ſciens volens in illud incidat; neve poſtquam ubi à peccatis purificatus, Deo ſine ullo amplius impedimento unitus erit, facile ab eo, uti fecit Adam, ſe ſeparet, ac profanum ducat & conculcet ſanguinem Filii Dei quo purificatus fuerat.

Et hoc quidem pacto Filius Dei officio ſuo ſacerdotali ex parte ſua ſatisfecit, ſuique per Spiritum æternum oblatione, paſſione, morte & ſanguine peccata delet, purificat, ſanctificat, eoque pacto omnia Diaboli opera ad fundamenta uſque deſtruit in animis eum participantibus, atque ita Patri hominem, in quo omnis inimicitia deleta eſt, perfecte reconciliat.

XLI. (14.) *Regium; hominem deinceps regens Spiritu ſuo, eumque protegens.* (*a*) Rom. 6. ℣. 5.

XLI. (14.) Cum autem homo (*a*) factus una planta cum conformitate mortis Chriſti, fiat & ſimul una planta cum conformitate reſurrectionis ejus, hinc fit ut Spiritus Chriſti eum regat veluti caput membra corporis, ipſeque deinceps obediat regimini Spiritus Chriſti, cujus totus eſt, & ad quem pertinet. Atque ita Chriſtus regium ſuum officium in illo deinceps exercet, cui & ſatisfaciet protegendo hominem ſibi ſubditum ac obedientem, contra quævis pericula, eundem æternum glorificaturus in regno gloriæ cum mortalitatis ſuæ curſum fideliter abſolverit.

XLII. (15.) *Officium Spiritûs S. à Chriſto miſſi; qui hominem porro dirigit & donis variis inſtruit.*

XLII. (15.) Porro quia Chriſtus non reſtituit illico hominem in ſtatum fruitionis ſalutis æternæ; ſed in ſtatum initialem, ubi ſtadium aliquod ei decurrendum eſt quo durante fiat ex parvulo adoleſcens, & ex adoleſcente vir in Chriſto, ac vir factus laboret in vinea Domini, familiæ Chriſti inſerviat in iis quæ Deus vult & quamdiu Deo viſum eſt; homoque doctus à Chriſto per abnegationem, & mortuus ſibi ipſi, nolit amplius uti propria

ſa-

ſapientia, propria prudentia, electione, propriis viis; mittit Jeſus Chriſtus hominibus Spiritum Sanctum, qui eos ſpecialius dirigat.

Hic eis eſt fons Sapientiæ, datque eis dona, vocationes, officia varia, publica, privata, ſpiritualia, externa, multiplicia, prout novit competere cuilibet, idque expedire ad ædificationem, conſervationem & incrementum Eccleſiæ ſive membrorum Chriſti: atque ut unuſquiſque officio ſuo recte ac decenter fungatur, diſtribuit cuique capacitatem, aptitudinem, cognitiones & vires pro ut unicuique opus eſt: ita ut ſuo huic officio abunde ſatisfaciat Spiritus S. quandocunque ſinceros reperit Chriſti diſcipulos.

XLIII. (16.) Hiſce Dei Patris, Filii ac Spiritus S. pro reparatione totius generis humani ſuſceptis officiis, ut debito modo reſpondeat homo qui vult reparationis particeps fieri, requirit omnino Deus. Reſpondere Dei poſtulato, officium noſtrum eſt: reſpondere noſtro officio idem eſt ac Deo ſatisfacere.

XLIII. (16.) His officiis homo ex ſua parte debet reſpondere, ſicque Deo ejuſque poſtulato ſatisfacere; qua vox non ſonat meritum.

Satisfactio illa noſtra non conſideranda eſt ut meritoria, quæ ſola in Deo & Chriſto eſt: ſed diſponit nos ut non reſiſtamus ac inepti fiamus recipiendis Dei operationibus ac donis: Deus enim operari non vult, neque poteſt in ſubjecto quod ſeſe ei operanti opponit; ac dum ille operatur, divinas ejus operationes deſtruit.

XLIV. Non ignoro haud paucos offendi iſto *Satisfactionis* Deo debitæ vocabulo; ſed ſine ratione: ſiquidem alicui concedere aut præſtare id quod à nobis poſtulat, (qua phraſi nemo offenditur) & *ſatisfacere* ei unum prorſus & idem ſit. Certe in antiqua Eccleſia & in Catholica hodierna, quin & apud quoſdam inter Proteſtantium conſpicuos, ea vox in uſu reperitur. In Libro III. Viri Apoſtolici Hermæ, Similitudine VIII. §. 3. mentio fit de illis hominibus *qui* SATISFECERUNT *legi, & ſervaverunt eam.* Dixit Tertullianus in libro de Baptiſmo, *De priſtinis ſatisfacimus conflictatione carnis, & ſpiritu.* Idem in libro de Patientia, *Rex Babylonius Deo ſatisfecit.* Dixit Cyprianus in Tractatu de Lapſis: *Nec ceſſet in agenda pœnitentia atque in Domini miſericordia deprecanda; ne quod minus eſſe in qualitate delicti videtur, in neglecta* SATISFACTIONE *cumuletur. - - - Convertamur*

XLIV. Eademque antiqua Eccleſiæ, ut & Catholicæ, imo & Proteſtantibus in uſu eſt.

tamur ad Dominum mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur: illi se anima prosternat, illi mœstitiâ SATISFACIAT. & aliquantum post: *Ecce, pejora adhuc peccandi vulnera, ecce majora delicta; peccasse, nec* SATISFACERE: *deliquisse, nec delicta deflere.* Idem in Epist. XI. (a) *Virgas igitur & flagella sentimus qui Deo nec bonis factis placemus, nec pro peccatis* SATISFACIMUS: & in Epist. XVI. *Possunt* (fratres) *agentes pœnitentiam veram, Deo qua patri & misericordi precibus & operibus suis* SATISFACERE: Augustinus in Enchiridio: *Nemini dedit Deus laxamentum peccandi, quamvis miserando deleat jam facta peccata, si non* SATISFACTIO *congrua negligatur.* Lutherus in Catechismo majori, parte secunda, initio: (b) *Fides* in Symbolo proposita, *eo nobis servire ac prodesse debet, ut id quod præcepta* (Dei) *exigunt, facere queamus - - - ut sciamus quomodo* PRÆCEPTIS SATISFACERE *queamus, & unde tanta vis ac virtus petenda aut impetranda sit.* Arndius in Libro IV. de vero Christianismo Caput habet (scil. XII.) cui præfixa est hæc summa & inscriptio: *Qua ratione homo tantopere Deo obligatus possit* SATISFACERE. & in margine ad initium Capitis hoc legitur lemma, *Homo per amorem potest* SUÆ OBLIGATIONI SATISFACERE: textus dicit; *Esse aliquid in homine quod Deo* REDDERE *debeat.* quod ipsum qui reddit Deo postulanti, is & Deo, & proprio suo officio simul satisfacit. Voci tantisper insisto, tum quod eâ neglectâ, officiorum neglectio non parva secuta sit; tum quod non desint clamitatores insulsi qui bonos ab hac ipsa voce deterrere, absurdis suis vociferationibus * identidem conabuntur. Ceterum de hac materia, vid. Oecon. Div. Libr. IV. Cap. III. integrum.

(a) Edit. Oxon. Pamel. VIII.

(b) Libr. Concord. p. 488.

XLV. (17.) *Respondere debent homines voci Patris, cui qui obtemperant provehuntur ab eo ulterius; qui non,*

XLV. (17.) Omnia quæ tetigimus Dei pro reparatione omnium hominum consilia, volita, acta, beneficia, iis oblata sunt ut iis fruantur sub hisce conditionibus, quibus debent satisfacere.

Respondere debent ac satisfacere voci Patris in conscientia manifestatæ. Quid illa vox exigat, supra tetigimus verbo uno atque altero. Qui illi obtemperant sincere, quousque eam audiunt & quantum possunt, illi non parum placent Deo, ac dubio

* Vid. Jægeri Disp. de Purgat. in 4. p. 49. Hoc deest in altera edit. Editioni secundæ Examinis subjuncta.

bio procul ab eo ulterius promovebuntur. Sunt illi (*a*) *terra* ista *bona*, *cor* illud *honestum ac bonum*, semen verbi quod deinde ei committetur, retinere ac fœcundare aptum. Qui vero minus sincere obtemperant, alterum conscientiæ dictamen audiendo & forte sequendo, alterum negligendo ac prætergrediendo, in illis instinctus diviniores paulatim obteguntur, ac tandem plane obscurantur & non percipiuntur, dum ex altera parte instinctus maligni & concupiscentiæ malæ crescunt, donec obtineant ita dominium ut totam conscientiam occupent, corrumpant & pro ea ipsa habeantur, fiuntque homines istiusmodi haud secus ac illi qui vel à teneris nunquam ad interna attendêre dictamina, de quibus Psaltes ait: (*b*) *Alienati sunt impii à vulva, erraverunt ab utero: loquuntur falsa: furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas.* Ipsi sunt qui in Scripturis dicuntur, FILII BELIAL, & *Babylonis*, ZIZANIA, FILII NEQUAM, (*c*) quos Christus prædixit fore à Diabolo ejus inimico, dum homines dormient, non parva copia seminandos & apparituros in agro Ecclesiæ, ubi, eheu, non raro primas cathedras magnosque titulos obtinebunt.

fiunt tandem filii Belial.

(*a*) Luc. 8. ℣. 15.

(*b*) Ps. 58. ℣. 4, 5.

(*c*) Matth. 13. ℣. 24. &c.

XLVI. (18.) Tenentur præterea qui salvari volunt, satisfacere Christo quà DOCTORI, suoque simul discipulorum officio, attendendo & obsecundando ejus doctrinæ atque mandatis: hæc siquidem sit ejus conceptis verbis declaratio: (*d*) *Omnis qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam super petram - - - & non cecidit; fundata enim erat super petram*, (super Christum viventem & operantem in eo homine qui se realiter & factis ipsis ei tradiderat.) *Sed omnis qui audit verba mea hæc & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam*, (super imaginariam fidem quod alius fecit omnia illa pro ipso, & quod illius obedientia activa & passiva ipsi imputabitur.) - - *sed cecidit* domus, *& fuit ruina illius magna.* (*e*) O HUNC AUDITE. (*f*) *Verbum quod locutus sum, judicabit vos in ultima die.*

XLVI. (18.) *Respondere debent Christo quà Doctori.*

(*d*) Matth. 7. ℣. 24, &c.

(*e*) Matth. 17. ℣. 5.

(*f*) Joan. 12. ℣. 48.

XLVII. Qui sincero, humili, mansueto ac filiali corde Christum audiunt, illi ab eo recipiunt vim mandata ejus cum dilectione faciendi, experiuntur indies quod ejus (*g*) *jugum suave sit & onus*

XLVII. *Quibus mandata ejus facilia*

(*g*) Matth. 11. ℣. 30.

sint; quibus vero difficilia & impossibilia.

(*a*) 1. Joan. 5. ℣. 3.
(*b*) Joan. 14. ℣. 23, 24.

onus leve, & quod (*a*) *mandata ejus non sint* eis *difficilia:* nam, inquit ipsemet, (*b*) *Si quis diligit me, sermonem meum servabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus:* sed *qui non diligit me, sermones meos non servat.*

Si qui audiunt Christum cum corde superbo, viribus propriis confidenti, nec filiali, sed mercenario; iis mandata ejus difficilia & onerosa sunt, vel etiam impossibilia. Illis imponuntur ut lex, à cujus duro & tantum non importabili jugo liberari nequeunt quamdiu se non reddunt humili, filiali ac amabili Spiritui Christi: quo facto, mandata speciem & vim legis duræ amittunt, & fiunt Amor & amoris dulce exercitium, imo ipsa *vita æterna*, uti ait Christus, Joan. 12. ℣. 50. vid. & Psalmos 19. ac 119. Quamdiu hæc non experimur, signum id est, quod superbia, præsumtio, durities, harumve reliquiæ, supersint adhuc in cordibus nostris.

XLVIII. (19.) *Respondere debent Christo quà* Sacerdoti *& Victimæ, tradendo se passivos æterno Spiritui Sacerdotis, qui per participationem passionum suarum peccatum in iis exterminet.*

XLVIII. (19.) Respondendum quoque est & satisfaciendum nostrâ ex parte Christo Jesu quà SACERDOTI atque victimæ Patri oblatæ ut tolleret peccata nostra. Quæ antehac discipuli Christi sunt passi per abstinentiam, mortificationem aliaque istiusmodi, ea pertinent ad discipulatus conditionem & satisfactionem, ac maximam partem active se habent: sed hic longe aliud est id quod requiritur. Christus etsi semetipsum tradidit, se non crucifixit tamen, sed hoc passus est aliunde. Homo qui audivit vocem Patris, & secutus est præcepta Filii Doctoris, tradit se passivum Æterno Spiritui Sacerdotis, qui ne retrocedat ob ingentes ærumnas subeundas, ipsum veluti ligat ac clavis fixum reddit; tum in eum influit calicis sui, quem ipsemet bibit, amaræque mortis suæ, dolorum ac anxietatum eam portionem quam æquam & sufficientem judicat ad exterminationem radicalis morbi, vitæ intimæ ac radicum profundissimarum peccati; unde funditus ita purificentur, ut nihil restet in iis condemnatione dignum, nulla lex, nulla inclinatio peccati; sed meræ inclinationes, mera lex Spiritus vitæ quæ est in Christo Jesu. Audisis hic verba summi ipsiusmet sacerdotis: (*c*) *Pater, manifestavi* (docui) *nomen tuum hominibus quos dedisti mihi* (attraxisti) de *mundo. Sermonem tuum* SERVAVERUNT. *Verba quæ dedisti mihi*,

(*c*) Joan. 17. vs. 6, 8, 19, 21, 22, 26.

mihi, dedi eis; & *ipsi* EA ACCEPERUNT. *Ego pro eis sanctifico* (offero in Sacrificium) *me ipsum, ut sint & ipsi* SANCTIFICATI IN VERITATE, (realiter ac inhærenter, in intimis ubi est veritas;) *ut omnes unum sint sicut tu, Pater, in me, & ego in te, ut & ipsi* IN NOBIS UNUM SINT: *ut ubi ego sum, illi sint mecum, ut videant claritatem meam;* & *ut* DILECTIO *qua dilexisti me, in ipsis sit,* & EGO IN IPSIS. Ad quem statum eos per participationem calicis & dolorum suorum pervenire oportere, ipsos prius modo monuerat: (*a*) *Calicem quidem,* (*a*) Marc.
quem ego bibo, bibetis. (*b*) *Plorabitis & flebitis vos: mundus autem* 10. ℣. 39.
gaudebit: vos autem contristabimini: sed (postea) *tristitia vestra* (*b*) Joan. 16. ℣. 20.
vertetur in gaudium. (*c*) *Sumus filii Dei & coheredes Christi, si ta-* (*c*) Rom. 8.
men compatimur, ut & conglorificemur. Quos prænovit (quos prius ℣. 17, 29.
novit discipulos Christi esse) *eos destinavit ut conformes fiant imagini Filii ejus* crucifixi: in quo Paulus voluit (*d*) *inveniri cum ju-* (*d*) Phil. 3.
stitia Dei in fide, (tradendo se illi,) *ut eum cognosceret* in se, & ℣. 9, 10.
virtutem resurrectionis ejus, ET PARTICIPATIONEM PASSIONUM *ejus,* CONFORMATUS MORTI ILLIUS.

XLIX. Certe purificationem & deletionem peccati per vim passionum & effusionis sanguinis Christi, non fieri in nobis facili & alacri illo modo imputativo quem sibi vulgo imaginantur, Deus ipse palpabili & luculento typo nobis præ oculis exhibuit quando inter figuras Mosaicas instituit festum illud insigne purificationis peccatorum totius populi, significans quomodo omnes salvandi erant prius à peccatis purificandi per sacrificium Jesu Christi. In eo festo nullum inerat lætitiæ signum; sed afflictio magna & universalis à Deo cunctis imposita: (*e*) *Mense* (*e*) Lev. 16.
septimo, decima die mensis, affligetis animas vestras. In ea die ex- ℣. 29-31.
piatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris. Et affligetis animas vestras religione perpetua. (*f*) *Dies expiationum erit* (*f*) Ibid.
celeberrimus, & vocabitur sanctus: affligetisque animas vestras in eo, Cap. 23. ℣.
& offeretis holocaustum Domino. Omnis anima quæ afflicta non fuerit 27, 29, 32.
die hac, peribit de populis suis. Sabbatum requietionis est, & affligetis animas vestras. & adhuc: (*g*) *Illa dies erit vobis sancta atque* (*g*) Num.
venerabilis, & affligetis animas vestras. Quid sibi velit sextuplex 29. ℣. 7.
illa afflictionis animarum in die expiationis & purificationis repetitio, experti sunt Jobus, David, aliique Sancti quorum *la-*

XLIX. *Typus ejus purificationis luculentus in Veteri Testamento, ejusdemque exempla.*

(a) Ps. 56. ℣. 9. (b) Apoc. 7. ℣. 14, 17.

crymæ hominibus incognitæ, (a) *in vasis Dei sunt reposita inque libro ejus notata*, juxta cum lacrymis eorum (b) *qui venerunt ex tribulatione magna; qui laverunt stolas suas & dealbaverunt eas in sanguine agni*; & à quorum *oculis omnem lacrymam Deus absterget.* Quisquis intimæ ac profundæ hujus purificationis in participatione passionum, sanguinis ac mortis Christi videre vult exemplum vivum ac insigne, quale haud scio an ullum simile alibi reperire sit, *Effata & Epistolas* adeat Matth. Weyeri, divini ac sanctissimi discipuli Christi, tametsi eum (nec malo omine) Jægerus ultra modum horreat & passim diffamet cum pluribus aliis eadem de causa: viam enim ad cœlum non fecerunt latam, uti ille.

L. (20.) *Respondere debent Christo quà Regi, quærendo regnum Dei & justitiam ejus.* (c) Matth. 6. ℣. 33. (d) Coloss. 3. ℣. 1, &c.

L. (20.) Officio Christi REGIO obsecundare debent redemti simulque suo subditorum officio satisfacere, quærendo deinceps per reliquum vitæ, (c) *regnum Dei & justitiam ejus*, pro ut Christus requirit, ut & Apostolus prægnantibus hisce verbis: (d) *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus* est *in dextera Dei sedens: Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis* (cum Christo,) *& vita vestra*, in qua *consurrexistis cum illo*, (℣. 1.) *est abscondita cum Christo in Deo. Cum Christus*, qui *vita vestra* nunc est, *apparuerit*, & *vos apparebitis cum ipso in gloria.*

LI. (21.) *Respondere debent & Spiritui S. ejus ductui porro obsequendo, ne pereant denuo irreparabiliter.* (e) Phil. 2. ℣. 12, 13. (f) Eph. 4. ℣. 30.

LI. (21.) Respondetur tandem & satisfit officio Christiano erga Spiritum Sanctum, continuando hujus vitæ stadium secundum ejus ductum, in eo statu atque officio in quo unusquisque ab eo collocatus est, cavendo ne eum Ductorem & operatorem internum salutis nostræ contristemus aut depellamus per negligentiam vel opera peccati, atque ita pereamus denuo & irreparabiliter: quò pertinent divina hæc ex pluribus Sacrorum monita: (e) *Cum metu & tremore vestram salutem operamini: Deus enim est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* (f) *Nolite contristare Spiritum Sanctum, in quo signati estis in diem redemtionis:* & tremenda hæc ejusdem Apostoli verba: **Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus S., gustaveruntque bonum Dei verbum virtutesque seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari* ad

* Heb. 6. ℣. 4. Illud *τὸ impossibile*, non est absolutum, sed possibile difficillimum, non facile possibile.

ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimet ipsis Filium Dei, & ostentui habentes. * *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia: sed terribilis quædam exspectatio judicii, & ignis sævitia, quæ consumtura est adversarios. Irritam quis faciens legem Mosis, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim qui dixit: mihi vindicta, & ego retribuam; & iterum; Quia judicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* LII.

LII. (22.) Hæc qui evitaverint, & fideliter Christianis suis officiis ad finem usque cursus sui satisfecerint, illi salutem & coronam fruendam tandem inventuri sunt, dicturi cum Apostolo (a) *cum tempus resolutionis suæ instabit: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem* (Deo) *servavi. In reliquo, reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex.* Atque ita *Filius Dei* (b) *factus est omnibus* OBTEMPERANTIBUS *sibi causa salutis æternæ.*

(22.) Qui his officiis suis ad finem usque satisfaciunt, à Deo beantur.

(a) 2. Tim. 4. ℣. 6. &c.
(b) Hebr. 5. ℣. 9.

LIII. Ceterum in hisce officiis œconomicis Dei cum homine & hominis cum Deo, non sunt Deus & homo utrinque considerandi oculo ac intuitu mercenario, quasi ex altera parte ob compensationem mercenario operanti dandam, ex altera ob compensationem mercenario animo recipiendam secundum aliquod pactum mercenarium ageretur. Id ex Dei parte venire non potest: habet enim ut Creator, sic & ut Redemtor, animum erga hominem omnino paternum. Sed inter homines qui ab instinctu filiali ita degenerarunt, ut Deum non respiciant nisi animo & oculo mercenario, ut qui operi præstito mercedem det convenientem vel pactam; quique adeo agunt ut eam recipiant mercedem, quia ipsa eos respicit, juvat, servat; illos quidem Deus, qui non improbat ut creatura sua ad suam tendat conservationem, tolerat, ac compensat etiam: verum quam ægre & dif-

LIII. *Hæc officia Deum inter & homines non esse mercenaria. Obedientia mercenaria unde sit & quousque utilis.*

* Heb. 10. ℣. 26. &c. Peccantibus voluntarie, malitiose, & eo in statu aliquandiu perseverantibus, si redire velint & servari, (quod non est plane impossibile,) sustinendam tamen esse pœnam, ac purificationem ignis Dei terribilem hic innuitur; & qui id fiat, vide expositum plane admirabiliter à D. GUJONIA, in *Biblicis Explication. Vet. Test. Tom. II. ad Deuteron.* Cap. 30. ℣. 2. & 3.

difficulter illi agant quæ agunt, ipſimet norunt & dolent ſæpius; & præterea id bonum quod eo pacto conſequi poſſunt, neutiquam comparandum eſt cum bonis illis immenſis quæ in eo qui animo filiali erga Patrem Deum ſe gerunt, effundit Deus cum ſemet ipſo; niſi tamen illi è ſtatu mercenario ulterius promoveantur, ad filialem nempe. Si qui autem, ut mercenariis placeant, iis perſuadere velint alium, puta Chriſtum, opera illa quæ ipſis tam dura ſunt & quæ tam ægre faciunt, pro ipſis & loco ipſorum jam feciſſe; ita ut modo illi hoc ſolum credant, jam habeant jus mercedis poſtulandæ ac recipiendæ; illi mercenarios iſtos animos miſerabiliter decipiunt, eoſque in pejus, in deſides, imo in temerarios antinomos convertunt.

LIV. *Deus nihil exigit ab homine more mercenario, nedum tyrannico, ultra vires quas novit & dedit:*

LIV. Vult Pater liberos ingenuos cum quibus ſeque ſuaque omnia prout Patrem tenerum, generoſum ac amantiſſimum decet, communicet, ut cum iis æternum uti pater cum filiis delectetur. Et quæ ab illis exigit officia ut iis ex parte ſua ſatisfaciant, non exigit animo mercenario, multo minus rigoroſo (ut ſic dicam) atque tyrannico; nec exigit æqualiter omnia ab omnibus. Novit in illis varios fragilitatis, varios capacitatis, varioſque virium gradus: nec Pater optimus exigit ab infante imbecillo & multum adhuc ignaro, ea quæ ab adoleſcente, multo minus quæ à viro poſtulat paterne. Eſt ſcrutator cordium: videt intus quouſque quiſque attractui paterno & inſtinctui filiali quem ipſe plus minus in diverſis excitat reſpondet, aut reſpondere par eſt, aut ſe ab eo ſponte ſua avertit. Si quos videt nondum aptos per ineptitudinem naturalem ac involuntariam, fert & diligit eos uti pater infantulos per ætatem adhuc ad quidvis non aptos: ſed ubi apti ſunt qui inſtinctum boni percipiant & aliquo uſque diſcernant à malo, exigit ut ei obſequantur eouſque: atque tunc pergit in iis plura operari, quibus vult uti reſpondeant quouſque per inſtinctum & lumen boni excitati ſunt. Quod ſi in hoc labantur ex fragilitate, ſunt enim obſiti inſtinctibus & tentationibus ex carne, mundo, inimico, mentis avocatione, oblivione prodeuntibus, ignoſcit Pater ex Bonitate ingenita & propter Unigenitum ſuum intercedentem, lapſibus eorum, modo inde releventur, nec in iis iterandis delectentur.

LV. *Imo & ſtu-*

LV. Ac ſi quando videt filiales affectus in iis diutius per quan-

dam

dam naturæ ſtupiditatem & ſomnolentiam obdormiſcere, dum tamen naturæ ſe ipſa occupatæ inſtinctus veluti mercenarii apud eos oriuntur, tunc ſe iis eouſque accommodat, ut leges aliquas mercenariam ſpeciem habentes eis proponat, quibus ſuam ad minimum obedientiam exerceant ob mercedem promiſſam eo incitati; (id quod erga Judæos exſecutus eſt externa ceremoniarum lege:) ſed ubi infantes ad ætatis maturitatem pervenerunt, iſta diſſolvit Pater ut filiali affectui & dilectionis puræ ſpiritui locus detur: quo ſpiritu filiali ac puro qui durante adhuc ceremoniarum legalium tempore prædıti erant atque viri facti, ipſas jam ceremonias obſervabant tamen, uti ſancti inter Iſraëlitas, Joannes, & Chriſtus ipſemet, donec Pater eas aboleat, ut in ſpiritu filiali ac veritate mera & pura ipſe diligatur eique obediatur ab unoquoque pro menſura conceſſæ gratiæ & viribus datis.

pidioribus ſe accommodat propoſita mercede. Uſus legis ceremonialis.

LVI. Sunt namque, ut dictum, inter genuinos liberos adhuc pueri viribus & cognitione infirmiores; ſunt & alii adultiores, nec dum tamen virilem vigorem atque intellectum adepti. Qui parvas habet vires & parvam cognitionis menſuram, ſatisfaciat Deo ſuoque officio corde filiali ſecundum parvam illam, quam habet, menſuram, necdum enim tenetur ad majora, neque exigit bonus Pater plus quam quis habeat: condonat etiam quæ vere ex infirmitate, mentis evagatione, ac ſpeciatim quæ ex ignorantia peccata ſunt, modo ubi de lapſu conſtat, ab eo cum pœnitudine reſurgatur, nec ſcienter & ſponte iteretur lapſus, ſed bono corde bonaque conſcientia mos geratur Parenti optimo: Nam (*a*) *quomodo miſeretur pater filiorum, miſeretur Dominus timentium ſe: quia ipſe cognoſcit figmentum noſtrum, recordatur quod pulvis ſumus. - - - Miſericordia Domini à ſeculo uſque in ſeculum ſuper timentes eum, & juſtitia ejus ſuper filios filiorum, ſuper cuſtodientes pactum ejus, & eos qui recordantur mandatorum ejus ad faciendum ea.* Ipſeque ita per Malachiam: (*b*) *Timentes Dominum, & cogitantes nomen ejus, erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die quam ego facio, in peculium; & parcam eis ſicut parcit vir filio ſuo ſervienti ſibi.*

LVI. *Miſericordia Dei erga infirmos.*

(*a*) Pſ. 103. ℣. 13, 14. & 17, 18, 19.

(*b*) Mal. 3. ℣. 16, 17.

LVII. At ne quis ſub hoc obtentu tectam velit ſuam obedientiæ detrectationem lapſuſque amatos atque conſuetos, cauſſando ex infirmitate viriumque defectu fieri quod non obſequatur

LVII. *Ejuſdemque ſeveritas in eos qui ſua*

infirmitatis prætextu voluntarie peccant: tur divinis præceptis ac voluntati Dei, præmonuit Deus se non passurum ut derideatur, se esse scrutatorem cordium, qui noscat quousque vires homini dederit, & quid ex malitia vel è voluntario virium neglectu, & non ex earum defectu profectum sit; seque, etsi longanimitas ejus non illico puniat, idque habeant peccatores pro signo indulgentiæ erga se, attamen animadversurum tandem in eos quam severissime: ita enim ipsusmet loquitur: (a) *Si dixeris, vires non suppetunt,* (vel secundum Hebr. *non novimus hoc,* cognitio defuit, est peccatum ignorantiæ vel infirmitatis:) *qui inspector cordis est, annon intelliget; & servator animæ tuæ, annon cognoscet, is qui redditurus est homini secundum opera sua?* is qui *improbo* peccatori qui sibi de justitia externa imputanda, de promissis & verbis Dei adulatur, *dicet:* (b) *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum in os tuum? Tu vero odisti disciplinam, & projecisti verba mea post te - - -. Os tuum mittis in malum, & lingua tua concinnat dolos. Sedes, & contra fratrem tuum loqueris - - -. Hæc fecisti, & tacui; existimasti quod ero tui similis. Arguam te, & statuam contra faciem tuam* quæcunque fecisti. *Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum; ne vos abripiam, & non sit qui vos eruat.*

(a) Prov. 24. ℣. 12.

(b) Ps. 50. ℣. 16. &c.

LVIII. *Quò pertinent filii zizaniorum & falsi inter eos Prophetæ à Scriptura præsignificati cum doctrina sua adulatoria.*

LVIII. Hæc apprime competunt illis quos prædixit Dominus fore in agro Ecclesiæ suæ ab inimico seminandos, filiis ZIZANIORUM, falsisque inter eos prophetis, de quibus Paulus: (c) *Scito quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa: Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, - - - sine pace, criminatores - - - & voluptatum amatores magis quam Dei: Habentes* SPECIEM QUIDEM VERITATIS, VIRTUTEM AUTEM EJUS ABNEGANTES. (d) *Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt* homines: *sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus: & à veritate auditum avertent,* AD FABULAS AUTEM *convertentur.* SPECIEM PIETATIS & Christianorum habere volunt & ostentare filii zizaniorum; sed quia horrent Christi vim internam & Spiritum ejus, ad externa totos se convertunt, in quibus assumtis & jactatis glorientur, iisque salutem adsuant: Clamant ergo & reboant VERBUM DEI EXTERNUM, *Sacramenta externa, Christum minime internum, Ecclesiam externam;* atque suas & sui similium

(c) 2. Tim. 3. ℣. 1. &c.

(d) Ibid. Cap. 4. ℣. 3.

aures

aures prurientes ad has non minus sanioribus incredibiles quam insanis perniciosas fabulas convertunt: scilicet, eos, ut salutem à Christo acquisitam ac iis oblatam consequantur, non opus habere ut satisfaciant & obsequantur officiis sibi à Deo injunctis atque mandatis, præstando voci Patris & præceptis Filii obedientiam Deo gratam tam agendo quam patiendo; neque etiam requiri ut sanguinem, dolores, mortemque Christi ita participent, ut Spiritus ejus in iis talem cum illis conformitatem efficiat, ut peccati vita, radices & inclinationes in iis inhærenter destruantur, atque ita fiant inhærenter puri, justi & sancti, & deinceps à Spiritu Dei animati atque directi: sed sufficere uti agnoscant se quidem esse ac manere inhærenter peccatores ac nebulones; obedientiam autem activam & passivam alterius extra se, ipsis inhærenter active & passive inobsequentibus ita imputari, ut Deus ipsis contentus sit, modo hoc sibi firmiter persuadeant: quam vero monstrosam persuasionem *veram fidem* nominant. Et sane sic docent etiam hodie Antinomi, quorum parvus non est numerus pluribus in locis, uti neque pauci sunt qui eorum horridis principiis appropinquant.

LIX. Dicet forte aliquis, me recensendo officia illa nostra omnia quæ Deo exhibere debemus ut partam salutem participemus, non fecisse mentionem FIDEI, quæ tamen est præcipuum, imo unum participationis medium, quod à nobis Scriptura requirit. Quasi vero ejus non fecissem sæpe mentionem tametsi literas & syllabas vocabuli non adhibuissem: Fides etenim vera est illa ipsissima divina vis à Spiritu Dei indita quâ tractui Patris, quâ præceptis Filii obsecundamus, quâ tradimus nos Spiritui per quem Christus se obtulit quique in nobis operationes virtutemque suarum passionum, & mortis & resurrectionis producit; ac deinceps nos per totum regit vitæ curriculum. Liceat id describere verbis Arndianis: (a) „ Verus Christianus per FIDEM in „ Christum non tantum justificatur; sed etiam templum & ha„ bitatio fit Christi ac Spiritus Sancti. (1. Cor. VI. 19. Eph. III. „ 17.) Ad hoc enim illius cor divinitus per fidem est mundatum „ ut Christus in ipso vivat & regnet, illius scilicet charitas, hu„ militas & mansuetudo. Ad hoc item datus est illi à Christo „ Spiritus S. ut cor in illo novum, ac hilari promptoque A-

LIX. *Occurritur objectioni de* Fide *in his officiis non expressa. Eam his ipsis contineri. Auctoritas Arndii & Pauli.*

(a) De Vero Christ. Libr. II. Cap. 4.

GENDI

„ GENDI PRINCIPIO imbutum efficiat, ad PRÆSTAN-
„ DA EA QUÆ DEO GRATA SUNT & accepta ſponte &
„ EX LIBERTATE SPIRITUS. (Jer. XXXI. 31. Heb. X.
„ 16.) Quæ nova ſanctaque OBEDIENTIA non ex lege vel
„ mandato, ſed ex VIVA FIDE oritur, ut recte dictum ſit,
„ *juſto non eſſe legem poſitam*, (2 Tim. I. 9.) puta *cogentem* & ſer-
„ viliter coërcentem; utcunque alias præclara ſit regula vitæ
„ Chriſtianæ. VERA enim & viva FIDES FACIT OMNIA
„ SPONTE & ultro; renovat hominem, repurgat cor, amat
„ proximum cum gaudio, ſperat & ſpectat futura, orat, lau-
„ dat, confitetur & timet Deum. Pariter patiens eſt, humilis,
„ miſericors, amabilis, manſueta, placabilis, compatiens, pa-
„ cifica, condonat facile offenſas, eſurit ac ſitit juſtitiam, ap-
„ prehendit Deum cum omni ſua gratia, & Chriſtum cum to-
„ to ſuo merito & remiſſione peccatorum". Quæ ſane eadem ſunt, quantum ad rem ipſam, cum iis quæ dixi de officiis & effectis tum Dei Salvatoris reſpectu noſtri, tum noſtris reſpectu illius, ſatisfaciendis: quæque ſi vis tibi dici verbis Apoſtolicis, audi ſis hæc ipſa:

(a) Tit. 2. ℣. 11. &c.

(a) *Apparuit* GRATIA *Dei*, *ſalutaris omnibus hominibus*, ERUDIENS NOS *ut abnegantes omnem impietatem &* SECULARIA DESIDERIA, SOBRIE, ET JUSTE ET PIE VIVAMUS *in hoc ſeculo*, *exſpectantes beatam ſpem & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti*, *qui* DEDIT SEMETIPSUM PRO NOBIS UT NOS REDIMERET AB OMNI INIQUITATE, ET MUNDARET *ſibi populum acceptabilem*, SECTATOREM BONORUM OPERUM. En gratiam Dei Salvatoris ejuſdemque ex parte ſua paratam conſummationem, beatitudinem glorioſam cum illo, ſed ſperatam adhuc! En interim quid à nobis eadem requirat, quidve nos *erudiat* præſtare; ut vitam nempe agamus cum pietate & dilectione filiali Dei, cum juſtitia & temperantia: quid autem pati? ut is qui *ſe dedit pro nobis* veniat per fidem in nos, *diſſolvatque* virtute mortis & ſanguinis effuſi corda noſtra *ab omni iniquitate*, *ἀπὸ πάσης ἀνομίας*, (ab omni cordis affectu & propenſione non conformibus cum voluntate & lege Dei, quæ ſpiritualis eſt, quæque & cor & interna reſpicit;) atque ut recepta ab eo *puritate* cordis, ſimus dein-

deinceps *bonis* quibusvis Spiritus Dei in nobis *fructibus abundantes* iisque cum *zelo* & toto animo *addicti.*

LX. Qui mero mercenariorum, vel mancipiorum, vel zizaniæ filiorum animo præditi sunt, iis ista minime sapient: horrent enim labores, horrent lacrymas, horrent dolores, amant gaudia sua: atque adeo illis erit semper gratissimum audire hoc MAGISTRORUM ULTIMORUM TEMPORUM inventum; se scilicet per exemptoriam substitutionem obedientiæ activæ & passivæ alterius, ab officio satisfaciendi ex parte sua requisito liberatos esse, modo hoc credant, & de jure omnibus gaudendi acquisito minime dubitantes de eo potius glorientur atque sibi plaudant; ac etiam in diversa sentientes identidem strenue invehantur.

LX. *Quî fiat ut ista non sapiant mercenariis & filiis zizaniorum.*

Verum enim vero, (a) *beatus ille quem tu erudieris, Domine, & legem tuam docueris! ut quietem* veram *præstes ei à diebus malis, dum foditur impio fovea. Non enim deseret Dominus populum suum, & hereditatem suam non derelinquet: nam tandem* AD JUSTITIAM *revertetur judicium, &* POST ILLAM IBUNT OMNES RECTI CORDE. Amen!

(a) Ps. 94. ℣. 12. &c.

CAPUT V.

De Meriti & Satisfactionis Christi apud quosdam abusu.

I. PRolixior fui in præcedenti articulo tum quia is è præcipuis est & maxime fundamentalibus ac necessariis; tum quod ea quæ amplius ibi sunt exposita, multis sequentibus D. Jægeri objectatis ac confuse coacervatis inservient dissipandis: tum denique quod in ostensa subjecti hujusce expositione verior lateat potissimum causa cur D. Jægerus tantopere libris meis Oeconomiæ Div. sit infensus; nec mihi solum, sed & sanctissimis amicorum Dei defunctorum, Matth. Weyeri, Boëmii, Antoniæ, aliorumque animis ac libris, per quos dolenter videt non paucos è probissimis qui eos legunt, aliter sentire & aliter animari, quam per suos suique similium sensus atque libros, forte

I. *Cur de artic. præcedenti fusius actum. De lite mota circa dicta de Satisfactionis Christi abusu.*

te iisdem propterea contemtos ac pro adulatoriis viæque latæ faventibus habitos.

Hoc non semel ipsis à longo tempore & à quam plurimis objectatum fuit, quo etiam in Controversia sequenti (XX. pag. 272.) trahere vult D. Jægerus nonnulla quæ in Oecon. Libr. III. Cap. IV. §. 23. à me dicta sunt, quasi in his ad *Doctores* suos Lutheranos respexissem. Qua de causa ille suo more in me debacchatur impotenter satis.

II. *Quatuor hic à J. exhibita. Resp. ad* (1.) *de repetitione sententiæ suæ.*

II. Habet autem suæ illius Controversiæ tractatio præcipue quatuor: nam postquam locum ex Oeconomia retulit; paucis idem suam de Satisfactione sententiam justificaturus repetit: deinde de calumnia à me suis Doctoribus impacta conqueritur. Postea suspirium imputatorium è corde imputatâ pietate turgido emittit; ac tandem ad Arndii sententiam provocat. Hæc autem omnia sua tanti fecit ut totam eam cramben ad verbum denuo Lectoribus apposuerit in suo Systemate Dogmatico-Polemico Tom. II. Cap. de Officio Sacerd. Christi. Contr. II. p. 165. ad 173.

Nihil est cur de ejus sententiæ suæ repetitione simus solliciti post hactenus eo de subjecto visa & discussa. Vult se dispensatum, ut ita loquar, seu exemtum ab obedientia Deo active & passive præstanda per substitutionem obedientiæ alterius extra se, idque monstri cum Dei Justitia apprime convenire; & similia quæ ad nauseam reponit & vidimus.

Repetit etiam *Theologorum suorum* sententiam de *duplici fine passionis & mortis* Christi, altero *satisfactorio* & exemptorio; altero *exemplari. E quibus Theologi nostri*, inquit, (*a*) *nullo excepto, officia pietatis exinde derivarunt*, quique *non sunt separandi*; nam *qui unum* TOLLIT, *purpureum Christi sanguinem sacrilegis conculcat pedibus, & indignus est Christiano nomine.* Pulchra verba & paradisiaca; sed à quibus mox redit ad consuetas sibi *infernales* elegantias ac elocutiones: ita enim pergit: *Ex quo ipso consequitur atrocem, imo* INFERNALEM *esse Poireti sententiam dum* CYCLOPICO *plane ausu contendit per istos Doctores qui Salvatorem nostrum peccata generis humani in se suscepisse, atque pro iis tanquam sponsorem & substitutum satisfecisse statuant, multa millia hominum æterna morte periisse. - - - Quantum, quæso, hoc est in Poireto*

(*a*) Jæg. Ex. p. 278.

SCE-

SCELUS! *quanta* HYPOCRISIS, *dum passim nil nisi amorem jactat, & tamen* TANTIS FURIIS *veritatis divinæ Doctores exagitat.*

III. Quibus respondeo, meram esse in D. Jægero calumniandi ardorem qui eum impellit ut dicat me ad Doctores suos respexisse eosque exagitavisse, qui revera de iis ne cogitavi quidem quando hæc scribebam. Istam libri partem componebam circa annum 1683. & Gallice quidem, cum satis causarum cur ita loquerer, reperissem, nec sine dolore, inter quàm plurimos doctorum & indoctorum, concionatorum & auditorum in partibus ubi educatus sum, studiis operam dedi, atque cum quibus sum conversatus, ne dicam me perniciosa illa quæ arguo, ex Antinomis ipsis, eorumque etiam hisce in locis dum viveret præcipuo, non semel audivisse. Horum omnium causam si sibi suisque sumere ac eos defendere velit Jægerus, jam se ipsum suosque prodit ipsus, & in eodem casu eademque culpa esse fatebitur: & revera,

III. *Ad (2.) meram esse calumniam ibi respici ad Doctores Lutheranos, vel ad illos qui conformitatem cum Christo à doctrina sua non dissolvunt.*

Conscius ipse sibi de se putat omnia dici;

me tamen ejus indignationem, etiam hoc in casu, neutiquam merente, quippe qui, uti dixi, ad Lutheranos plane tunc non respexerim. Imo si qui eandem de Satisfactione, substitutione & imputatione sententiam ita teneant, ut tamen ab ea non dissolvant re vera Christi imitationem & cum eo conformitatem, nihil in illos dictum plane velim, quales fuere & nunc sunt ut plurimum in Ecclesia Romana, qui satisfactionem Christi sic statuunt ut teneant simul nos ex peccatorum pœnitentium officio debere Deo per virtutem Christi inhabitantis satisfacere, veluti ex Concilii Tridentini doctrina (*a*) videre est, sicut & ex operis * divinæ Angelæ de Fulginio Capite LXI, quod maximam partem J. Arndius in sui Libri II. de Vero Christianismo Capitibus XIV. & XVIII. transcribere non dedignatus est.

(*a*) Sess. XIV. Cap. 8. & 9.

IV. Quod si vero accidant tempora qualia fore ultima prædixit Apostolus, in quibus homines amore proprio animentur, dissolvant practica à doctrinis theoreticis, hasque male intelli-

IV. *Verba Oecodomiæ exhibentur & vindicantur.*

* Exstat in Collectione Bollandi. Vol. I. ad 4. Januarii; idemque separatim prodiit Coloniæ 1601. & postea Gallicè 1696. sub Titulo, *Theologie de la Croix de Jesus-Christ.*

gant & exponant, an non vere dici poteſt, quod qui iſtos amore ſuo turgidos ita docent, ut abuſus doctrinæ fiat major, cum tamen debuiſſet per tutiorem veramque doctrinæ explicationem præcaveri, ii dent ſic anſam hominibus iſtiusmodi pereundi, ut etiam quam plurimi inde re ipſa perierint? Hoc autem dixi; & verba mea à D. Jægero allata hæc ſunt: (a) *Non poſſum tamen quin* VEHEMENTER DEPLOREM (Jægero deplorare hic eſt *furiis* agi,) *homines ad explicandum modum Redemtionis ea inveniſſe, quæ Juſtitiam Dei & officium hominis penitus obſcurant ac deturpant*, (& hoc re vera ſæpe audivi, & faciunt id Antinomi ac iis propinqui) *quæque* ANIMIS AMORE PROPRIO REFERTIS *tantum periculi afferunt, ut pro certo habeam aliquot millena millia per res has* MALE EXPLICATAS MALEQUE INTELLECTAS *æterna morte periiſſe. Satius itaque fuiſſet eas ita intelligere, ita explicare, ut homines non eximerentur, ſed inducerentur ad patiendum, & ad perſequenda fideliter veſtigia Liberatoris ſui ſub pœna mortis æternæ, in qua omnes naturaliter jacent antequam Liberator accedat.* Hæ ſunt illæ *furiæ*, illud *ſcelus*, ille *auſus cyclopius*, illa *infernalis ſententia*, illa *hypocriſis*, quæ D. Jægeri Chriſtianus ac Theologicus animus mihi hinc placuit adſcribere.

(a) Oec. Tom. I. pag. 644.

V. *Non deeſſe tamen inter Doctores Lutheranos qui abuſui iſti favent, probat res ipſa;*

V. Ceterum (quod mea mens tunc non fuit,) ſi nunc, occaſione à D. Jægero mihi hic oblata, oſtendendum eſſet quantum Theologi non pauci inter Lutheranos, ipſeque D. Jæger, per ea quæ tradunt de merito & ſatisfactione Chriſti ad modum ſuum explicatis derogaverint apud maximam hominum partem imitationi Chriſti, Exemplaris noſtri, quantum officiis ſolidæ pietatis ac vitæ Chriſtianæ, integrum ac ſpiſſum volumen me conſcribere oporteret, ac præterea ſuperfluum poſtquam illorum probiores de hacce calamitate dudum conqueſti ſunt in Scriptis permultis, propter quæ improbi & filii zizaniorum inter ipſos quamplurimi probos Auctores eorumque optima Scripta millenis calumniis, & odiis ac perſecutionibus vexaverunt ad hanc uſque diem. Notabile eſt inimicos hoſce praxeos Chriſtianæ nihil aliud æque in ore habere & clamare pro fundamento quo nitantur contra eos qui pietatem & ſanctimoniam urgent ſpecialius, quam meritum Chriſti, ſatisfactionem ejus, per quæ juſti-

ſimus

simus sine concursu operum, modo id credamus: unde patet fundamentum suæ nequitiæ poni ab iis in modo quo meriti Christi & Satisfactionis doctrinam explicant, & quo nituntur qui eos audiunt.

VI. Hæc eis amata & facta dissolutio praxeos Christianæ à doctrina de Christi Redemptione, vita, passionibus & morte, ipsissima causa est cur olim tot & tanti in optimum Arndium, ac inter eos D. Jægeri Antecessor, Cancellarius, Professor Theologus, Lucas Osiander, quem tantum non pro martyre habet D. Jæger, insurrexerint, ac non pauci etiam hodie eidem infensi sint vel in ipsa Lutheri Cathedra, uti patet ex WERNSDORFFII Professoris Theol. Wittebergici hodierni in sua *de Osiandrismo* Disputatione, ubi (*a*) ARNDIUM cum SPENERO & *Pietistis* accenset *Osiandristis* ac *fanaticis* non minus calumniose, quam quando ibidem pag. 71. in me hisce verbis (liceat dicere quod res est) mentitur: POIRETUS, *cujus lectione Sanctuli mirifice delectantur*, *mysterium hoc* (SS. Trinitatis) *pro ludibrio habet:* Ac nisi fautores inter Principes viros aliquot & Theologorum optimos reperisset bonus ille Arndius, is tantum non ubique & omnibus esset qui olim fuit Lucæ Osiandro, Jægeri nostri Antecessori, aliisque permultis, quibus totus tunc assensisset omni procul dubio D. Jægerus, inter cujus quippe & Arndii spiritum antipathia & diametralis oppositio patet ex fructibus & libris utriusque utut hic illi nunc adulctur. Sed motus inhibuerunt nonnulli Theologi ac eruditi pii, librorum Arndii defensores, commendatores, Editores, quales à D. Langio recensiti sunt in suo (*b*) *Antibarbaro Hermeneutico*, qui liber totus ostendit inter Lutheranos dari non meros *veritatis divinæ Doctores*, sed & Doctores, eosque præcipuos, qui fidem dissolvant ac separent à veræ fidei vita activa & efficaci, ejusque Auctore ac principio veræ & salutaris cognitionis spiritualis, & internæ; &, quod pejus est, qui id alios doceant, quique præterea sustineant, impios homines ac irregenitos posse esse veros Ecclesiæ Christianæ ministros atque Doctores. Quid ab his exspectes aliud nisi adulatoriam & perniciosam meritorum & satisfactionis Christi interpretationem & applicationem, quam auditoribus suis proponant, eos ut sibi similes reddere nitantur? Certe apud eos in usu est

VI. *Probat invidia in Arndium, doctrinæque corruptio.*

(*a*) Cap. II. §. IX. pag. 61. Edit. 1717.

(*b*) pag. 65, 66.

tantum non universali, ut quosvis mundanos imo & impios decumbentes vel moribundos de salute mox obtinenda sine ulla mora sineque alia ulla purificatione subeunda reddant securos, annunciatâ eis Christi pro se satisfactione ac imputata puritate, exhibita etiam S. Eucharistia; & vix ullus eorum est quin si ita decedat, eum beatis accenseant per consuetas ipsis funebres conciones, quarum vel ipsum vulgus ita pudet ut eas proverbio appellent *conciones mendacii*, (Leichpredigten / Lugenpredigten.)

VII. *Probant probiorum inter eos testimonia, v. g. Arnoldi, Hedionis, Arndii,*

VII. Qui de ista Ecclesiasticorum corruptione & actuali separatione Christianæ praxeos à fide (hac ipsa separatione corrumpenda) plura videre vult, adeat Cl. D. Arnoldi Historiam Ecclesiasticam, Parte II. Cap. XVI. ac XVII. firmissimis rerum ac Auctorum documentis incredibilia confirmantem, ac propterea D. Jægero horrendum in modum invisam: audiat Hedionem, Theol. Doctorem & Concionatorem Ecclesiæ Cathedralis Argentoratensis, jam olim (Anno 1534. 27. Aug.) ad amicum scribentem: * ECCLESIIS NOSTRIS, *proh dolor, accidit quod Chrysostomus conqueritur de Constantinopolitanis, qui jactabant* FIDEM, *& non sequebatur virtus, virtutem scientia, scientiam temperantia, temperantiam patientia, pietas, fraterna charitas, & dilectio.* Audiat Arndium Capite IX. Libr. I. de Ver. Christian. cui titulus: *Vita Antichristiana hominum hujus temporis Christum & veram* FIDEM *abnegari:* audiat eundem adhuc alibi inquientem: „ (*a*) Quomodo is Christi (meritorum, satisfactionis & mortis ejus) DOCTRINAM puram conservaverit cujus vitam regit Diabolus? vel quomodo pura Christi DOCTRINA ibi habitaverit ubi Christus ipse non habitat nec ejus vita? - - - Unicus & Summus noster Pontifex Spiritum S. nobis promisit ut in omnem veritatem nos ducat. Cœlestem autem hunc Doctorem rejicimus. IN NOS quadrat Dei querela Jerem. II. 13. effusa; *Me reliquerunt, aquarum vivarum scaturiginem ut sibi cisternas exciderent fractas & quæ non capiunt aquas:* hoc est: Istiusmodi homines me non quærunt IN INTIMO CORDIS FUNDO, (audiat hæc & sibi sumat D. Jægerus) sed EXTRA SE. - - - hujus generis homines INTUS, omni

(*a*) Præfat. in Theolog. Germanicam.

* *In lib.* Sentent. Melanchth. Buceri, Hedionis &c. de Pace Ecclesiæ. *Edit. An.* 1607. *pag.* 45.

„ omni solida cognitione sunt destituti, cum nihil eorum quæ ha-
„ bent ex INTERIORI CORDIS FUNDO SCATURIAT.
„ Variis libris multisque Scriptis acquiescunt, & in cultu quo-
„ dam Religionis mere externo; in INTERIORI cordis pe-
„ netrali, EX QUO OMNIA derivanda erant, vacui ac egeni.
„ Et hæc quidem mens & falsis prophetis & falsis Christianis
„ inest. Aqua COGNITIONIS in ejusmodi homine - - - non
„ est viva aqua ex interna spiritus ac amoris scaturigine proma-
„ nans; sed stagnum quoddam nihil quam putridas aquas (do-
„ ctrinas) & hinc inde confluentes continens. - - - Item: Do-
„ CTRINAM aspiciendam esse, multi jam clamant, & non
„ VITAM. At Christus non ita: *A fructibus eorum*, ait ille,
„ *cognoscetis ipsos.* Matth. VII. 16. Aliam enim doctrinam pro-
„ fiteri & aliam agere, ipse Pseudo-Christianismi character est.
„ Ad verum enim Christianismum stabiliendum requiritur ut vi-
„ ta & doctrina pari passu ambulent, doctrinaque in ipsam vi-
„ tam transeat quantum per gratiam homini concessam fieri po-
„ test. Hoc nisi fiat, Christiana Religio nihil aliud est quam
„ merus Pharisaismus, mendacium & tenebræ, OMNIQUE
„ LUCE EST DESTITUTA".

VIII. Cetera prætereo, ut producam adhuc D. SPENERI testimonium, quod in allocutione ad Ecclesiasticos Saxonicos in suo tractatu *de Natura & Gratia* præfixo reperitur hisce verbis: „ (a) Neque enim adeo illustratis oculis, sed sanæ dunta- VIII. *Itemque Speneri;* (a) pag. ante fol. 9. Edit. Lat. Francof. 1715.
„ xat rationis usu, & à partium studio aliena consideratione o-
„ pus est, ut statu Ecclesiæ, qualis ad regulas & præscriptum
„ Christi esse debebat, cum præsenti Ecclesiæ nostræ facie col-
„ lato, tantum utriusque discrimen agnoscamus, quantum qui-
„ dem lucis & tenebrarum est. Unde si Jesaias quidam hodie
„ denuo existeret, de spirituali GERMANIÆ EVANGELI-
„ CÆ statu eadem prolaturus foret, quæ suo tempore de Juda
„ & Hierosolyma conquestus legitur, Jes. I. 5, 6. *Totum caput*
„ *languidum & totum cor mœrens: A planta pedis usque ad verti-*
„ *cem non est in eo sanitas: vulnus, & livor, & plaga tumens;*
„ *non circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* Hujus
„ rei veritatem ORDINUM HIERARCHICORUM consi-
„ deratio ita nobis demonstraverit, ut oculos dedita opera clau-

dat

„ dat necesse sit quicunque eam agnoscere noluerit. Neque e-
„ nim nos amore nostri adeo excoecatos esse existimo, ut NO-
„ STRUM ORDINEM à communi corruptela alienum & ex-
„ emtum esse statuamus, siquidem ille reliquis duobus similis est,
„ & forte corruptelæ quæ istis inest, magnam partem CAUSSA
„ existit. Unde diffiteri non possum me NOSTRI ORDINIS
„ CONTEMPLATIONE magis quam reliquorum animo fran-
„ gi, à Deoque deprimi". Hæc ille: quem, eosque qui ei adhæserunt, ac quicunque alii conati sunt pietati se addicere, ac officia Christiana doctrinæ copulare, ceteri alii præ illis fere innumeri, famoso PIETISTARUM titulo propterea ubique diffamarunt usque adhuc. *

IX. *Probat exemplum Jægeri, ejusque doctrina de impossibilitate servandi Dei mandata, & de bonis operibus ad salutem non necessariis.*

(a) Jæg. Exam. pag. 278.

IX. Sed quid longe à nobis quærimus id quod in præsenti, ante oculos omnium, proprio exemplo propriisque verbis exhibet D. Jægerus? Ipsemet ex sua de Satisfactione Christi doctrina ita sibi *derivat officia pietatis*, & imitationem (a) *Exemplaris* Christi in *infinito amore etiam erga crudelissimos hostes*, *in patientia*, *in humilitate*, *in mansuetudine*, (quæ sub poena criminis *proculcati sanguinis Christi* & amissionis justæ *Christiani nominis* ait non esse separanda;) ut pro hisce officiis piis nihil minus reipsa *derivatum* exhibeat in hoc libro aliisque multis, idque per plures annos, erga, non dico *hostes crudelissimos*, sed erga eos qui de ipso nunquam cogitarunt, mortuos quippe, vel si qui vivant, qui ei tamen nunquam nocuerunt, nil, inquam, exhibeat minus quam extremi odii, summæ intolerantiæ, superbi contemtus, duritiei ac ferocitatis singularis exemplum vel inter Turcas ac Ethnicos minime reperiendum; & tamen hoc subsistere facit & conciliat cum sua doctrina ac fide de Christi pro se satisfactione, nempe, (b) quia non est ille *solvendo* sua illa virtutum *officia debita*, Christus ut Sponsor, pro ipso & loco ipsius, ita SATISFECIT per suam obedientiam activam & passivam, ut si hoc credat noster, jam absolutus sit perinde ac si præstitisset

(b) Vid. Jæg. pag. 262.

* [Quàm corrupta sit Pseudorthodoxorum quorundam inter Lutheranos doctrina de *Justificatione* & de *Fide Justificante* testatur etiam verbis plane emphaticis D. Joach. Langius in Libro German. Auffrichtige Nachricht: in Append. Tom. IV. Observat. 3. asserens §. 7. per eam *multa millia hominum rectà citra ambages & plenis passibus, ad orcum abductos fuisse & etiamnum abduci*]

tisset quod non præstitit: atque ita quod una manu adstruere visus est, id per alteram destruit: nempe, Christus est mortuus & satisfecit ut ipsum quidem imitemur, sequamurque ejus vestigia: sed tamen si officio huic desimus, ipse supplevit, & obedivit active & passive pro iis qui & agere & pati omiserunt ac detrectaverunt. Alibi contendit (*a*) contra auctorem Theologiæ Comparativæ (de qua in sequentibus (*b*)) imo contra totius Scripturæ summam, reditum ad Deum post peccatum non fieri per viam amoris & charitatis; & pronunciat *væ* contra illos qui per illam salvari volunt. Contendit & alio in loco (*c*) impossibile esse, etiam regenitis ac illuminatis, ut Dei mandatis, quæ sane officia pietatis & amoris sunt, obsequantur secundum Dei voluntatem: legem amoris, *legem moralem*, *esse jugum insupportabile* (ut verbis ejus utar): (*d*) alibi statuit, bona opera *ne dicenda* quidem *esse necessaria ad salutem*, ne scilicet inde gloriemur; quemadmodum siquis infantulis dicat obedientiam paternis mandatis debitam necessariam non esse ad fruendam hæreditatem, ne scilicet ex obedientia sua trahant occasionem gloriandi. Attamen paulo ante (*e*) probabat idem bona opera esse nihilominus necessaria Christiano, nempe, ut alibi explicat, ad evitandam damnationem, (*f*) *ne damnemur*, id est, *formidine pœnæ*, non amore virtutis, obedientiæ erga Patrem. Verùm, quid, quæso, absurdius hac enunciatione, *opera bona non esse necessaria ad salutem, sed ne damnemur?* Perinde dicas, cibum, potum, vestes, vel quidvis aliud istiusmodi, non esse necessaria ad vitam, sed ne moriamur: navem non esse necessariam ad Angliam adeundam; sed ne submergamur.

(*a*) Ibid. p. 36. 39.
(*b*) Libr. IV. C. 10. §.6.& seqq. vide ibi §. 16, 17.
(*c*) Idem p. 400, 401.
(*d*) Syst. Theol. Dogm-Pol. Tom. II. Part. 3. pag. 132.
(*e*) Ibid. p. 128.
(*f*) Ibid. Part. IV. pag. 33.

X. *Nec minus patet, tales Doctores doctrinam de Christi satisfactione male intelligere & explicare.*

X. Observatu dignum est, hosce homines, qui tantopere adversantur possibilitati observantiæ mandatorum Dei & necessitati bonorum operum ad salutem, idque contra scopum & tenorem, literam & sensum totius Scripturæ, cujus finis est Amor Patri Deo obsequens, cujus contenta clamant finem & Creationis & Redemtionis nostræ esse ut Deus glorificetur per opera nostra, ut fructus feramus bonos, ut populus simus peculiaris bonorum operum sectator, ut grati simus Deo, cujus judicio procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui contrà arbores steriles eradicabit & in ignem projiciet, qui judicaturus est homi-

nes ex operibus suis, qui non intromittet in Regnum suum eos qui dicturi sint Domine, Domine, sed qui voluntatem Patris cœlestis fecerint, qui ex vera vite tollet omnem palmitem non ferentem fructum, foras eum projiciet, in ignem mittet ita ut ardeat; observandum, inquam, eos homines, eos obedientiæ divinis præceptis præstandæ, ac bonorum ad salutem operum necessitati pertinaces oblocutores, esse nihilominus & facere alios de salute sua omnium securissimos. quæ sane securitas evidenti documento est illos doctrinam de Redemtione nostra deque Christi satisfactione, cui ea securitas innititur, minime recte sibi & aliis intelligere atque explicare, indeque eadem abuti.

XI. *Iniquitas criminationum Jægeri.*

XI. Hanc suspicionem atque declarationem de istiusmodi hominibus tot ac tantis rerum & rationum ponderibus stipatam, utrum æqua sit an iniqua, judicet æquus rerum æstimator; ac præterea etiam, utrum ego, qui nec de hisce nec de similibus quicquam in Oeconomia cogitavi erga Lutheranos, à D. Jægero meruerim, quia Libri mei aliquot ejusmodi lineas voluit sibi suisve dictas esse, ut publice ab eodem accuser *atrocis imo infernalis sententiæ cyclopico plane ausu* adversus *Doctores veritatis* latæ, addita ejusdem tragica exclamatione: *Quantum, quæso, hoc est in Poireto scelus! Quanta hypocrisis, dum passim nil nisi amorem jactat, & tamen tantis furiis veritatis divinæ Doctores exagitat!* Largiatur Deus D. Jægero mentem sanam in corpore sano, hoc ultimum si & salutare esse possit.

XII. *Ad (3.) de Jægeri suspiriis & precibus.*

XII. Nihil dicam speciatim de ejus SUSPIRIIS & PRECIBUS, his aliisque in locis interjectis, ubi & Deo & sibi miris plane modis blanditur, & id quidem eo usque, ut sibi persuadeat serio atque profiteatur, se (*a*) VELLE AMORE MORI. Nova & inexspectata scena, JÆGERUS AMORE MORIENS! At timeat tamen ne sit illi similis qui (*b*) *somniat esuriens, quod comedat; cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima ejus: vel sicut qui sitiens somniat quod bibat; & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima ejus vacua est:* neve etiam Deus, cordium scrutator & operum inspector, ejusmodi suspiria & precationes remittat à se cum adscriptione simili aliqua: (*c*) *Quid vocatis me, Domine, Domine; & non facitis quæ dico? vel:* (*d*) *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum*

(*a*) pag. 293.
(*b*) Isa. 29. ℣. 8.
(*c*) Luc. 6. ℣. 46.
(*d*) Matth. 7. ℣. 21.

Regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est.

XIII. Quantum ad loca quædam ex Arndio quæ non sine conviciis mihi opponit Jægeriana mansuetudo post pia sua suspiria, ne ea loca molestiam pariant, operam dedi in Sectione altera *Capitis* præcedentis ubi sententias antiquorum & recentiorum recensui (*a*), tum & indicavi (*b*) quid hac in materia pertineret ad essentiam doctrinæ & fundamentum fidei, quid ad problematica; denique ubi de Sancta Angela Arndio quibusdam in locis transcripta (*c*) feci mentionem. Si Arndii loca adulatorios D. Jægeri sensus, glossas & applicationes prævertentia & evertentia essent hic producenda, volumen facerent sola. Eorum nonnulla exhibuit Vir Ampliss. T. Pfannerus in Libro Germanico *Christianæ pœnitentiæ ac vitæ via*, Cap. 3. & multis aliis in locis. Ego ex Arndio ipso unum tantum subjungam locum, substantiam omnium quæ dixi confirmantem, & Jægerianas glossas exemtorias ac adulatorias de impossibilitate obedientiæ activæ & passivæ à nobis præstandæ & inhærenter requisitæ exterminantem. Is locus est in libro I. de Vero Christianismo, Cap. VI. num. 3. & seqq. qui sic habet.

XIII. *Ad (4.) De locis ex Arndio oppositis. Adulatorios Jægeri sensus & glossas ab eo sæpissime everti.*

(*a*) §. 19. & seqq.
(*b*) §. 26, 27.
(*c*) vid. supr. §. 3. in fine.

„ Ad Novum Testamentum ut veniam, ecquid illud secun-
„ dum literam aliud est quam externum testimonium & exem-
„ plar, docens quod OMNIA similiter IN HOMINE per fi-
„ dem sint exprimenda IMPLENDAQUE? TOTUM, in-
„ quam, totum Novum Testamentum QUANTUM QUAN-
„ TUM est, IN NOBIS sit oportet: atque hoc unum illud est
„ quod exigit, urget & inculcat; hoc scilicet, quod (*d*) *regnum*
„ *Dei in nobis est.* Itaque quemadmodum Christus per Spiritum
„ S. in fide à Maria conceptus ac editus fuit; ita idem IN ME
„ similiter spirituali modo concipi, formari, nasci & adolescere
„ debet. Et quia in Christo nova creatura sum, sequitur in eo
„ vivendum mihi etiam & ambulandum esse; in eo & cum eo
„ eundum in exilium; cum eo exercenda humilitas; contemtus
„ seculi in patientia, in mansuetudine & charitate ferendus.
„ Condonandæ sunt inimicis injuriæ, exhibenda misericordia,
„ amandi sunt adversarii, & ita exequenda voluntas patris cœ-
„ lestis. Sequitur etiam cum Christo tentandum me esse à Sata-

(*d*) Luc. 17. ℣. 21.

„ na; reportandam vero etiam de illo victoriam. Sequitur, veritatis caussâ quæ in me est, deridendum me esse, contemnendum, conspuendum, &, si necessitas exigat, pro & cum illo, exemplo Sanctorum, moriendum, in testimonium coram ipso cunctisque electis quod ILLE IN ME ET EGO IN IPSO per fidem fecerim vixerimque. Atque hoc demum illud est quod dicitur, *conformari* imagini Christi, puta, IN ET CUM ILLO nasci, Christum induere, cum & in illo crescere & adolescere, exulare cum illo, tingi illius Baptismo, cum illo derideri, commori, crucifigi, conresurgere & conregnare; idque NON TANTUM per sanctam illam crucem, patiendo tolerandoque adversaria, SED ET PER quotidianam pœnitentiam, INTERNAMQUE CONTRITIONEM ET DOLOREM de commissis peccatis. Hoc inquam modo QUOTIDIE CHRISTO COMMORIENDUM EST, CRUCIFIGENDAQUE CARO NOSTRA, si desideret communionem cum illo ceu capite constanter habere. ALITER si fiat, tum vero NON IN TE, sed EXTRA TE Christus est, PROCUL A FIDE, corde & spiritu. Quo pacto NIHIL TIBI PRODERIT: nam INTUS & in corde tuo esse, vivere, teque consolari & SALVARE vult. Ecce, omnia hæc fides præstat!

Addo & hoc ex eodem. Cum Cap. IV. veram *pœnitentiam* dixisset eam esse *per quam Adam cum omnibus corruptæ mentis inclinationibus in nobis moritur*, *Christus autem contrà in nobis vivit per fidem*, eamque dixisset *internam pœnitentiam*, de eadem addit aliquantum post: *Huic etiam* SOLI IMPUTATIO JUSTITIÆ ET OBEDIENTIÆ SUÆ (Christi,) *virtute fidei apprehendenda*, *una cum* REMISSIONE PECCATORUM, *est promissa*. *Adeo ut citra hanc internam pœnitentiam Christus homini nihil prosit*, *hoc est*, *homo illius gratiæ ac meriti particeps fieri nequeat*.

XIV. *Monitum de stylo & modis loquendi Arndii, qui illos plane aliter in-*

XIV. Non possum quin hic de stylo Arndiano monitum quoddam consideratu dignum in gratiam Lectorum suorum adjiciam. Vivebat vir ille pius inter plerosque suorum veluti inter medios hostes, qui odio ac invidia animati, undique observabant numne possent eum, qui in vita erat irreprehensibilis, capere in dictionibus, vocibus & phrasibus aliquibus inusitatis, vel quas illi in

in aliis à se diffamatis damnaverant: sunt enim improbi sophistæ, *vocabulorum* & *phrasium* magni vitilitigatores, uti olim Pharisæi adversus Christum. Bonus igitur Arndius ne per eos Libri sui condemnarentur, atque ne ita fructu carerent erga probos, calumniatorum artibus circumventos, utebatur loquendi modis apud eos usitatis, ita tamen, ut ex adjunctis ac totius orationis scopo pateret se verbis ac loquendi modis iisdem sensum internum, spiritualem, practicum, vivum prorsusque divinum sanctumque jungere, qualis ad eos qui peccato, mundo sibique non vivunt amplius, sed Dei spiritui se regendos commiserunt, applicari possit, & non ad alios. Dabo exemplum. Quando de *fide* agit, quam vulgo, ipsique etiam adulatores, dicunt consistere in *notitia*, *assensu* & *fiducia* &c. utut vel peritissimi (*a*) contradicant; ipse tamen totum illud dictum & concedebat & affirmabat: sed hasce voces non interpretabatur uti adulatores, per notitiam aliquam speculativam, externam, rationalem & historicam; neque per assensum ejusdem naturæ, neque per confidentiam illam securam, cœcam & temerariam qua illi se & alios solent decipere: sed significabat se intelligere *notitiam* à Spiritu & luce Dei infusam in cor humile, quod à se ipso aversum, Deo se dedicat, quod *acquiescit* in Deo solo, nec in ulla alia re; quodque ex eodem nactum vim & gratiam regenerationis, *confidit* plane ac se committit Dei & spiritus ejus regimini ac dispositioni quantum ad omnia, in tempore & in æternitate. Tales sunt *notitia*, *assensus* & *fiducia fidei* Arndio; quæ quidem ille non ita verbotenus, sed tamen re ipsa passim intelligenda insinuat. Similiter & de aliis subjectis, de Christi, v. g. *merito*, *satisfactione pro nobis*, de *imputatione ejus justitia* &c. dat semper operam ut hæc intelligantur eo sensu qui includat realitatem internam, solidam, practicam, imitativam, immo possessivam Christi & Spiritus ejus in intimis nostris; uti constat omnibus Scripta ejus in sinceritate cordis legentibus. Dissimulant autem hæc Sophistæ & adulatores, qui ei ob humanos respectus contradicere non ausi, contentos se simulant, siquidem ille & voces & phrases iis usitatas adhibuit, sed sensu bene alio quam illo suo adulatorio, utut fingant illorum aliqui eum sibi esse favorabilem, qui tamen è diametro illorum spiritui contrarius est.

terpretatur, ac adulatores.

(*a*) Vid. G. Bullum, in Harmonia Apostolica Dissertat. priore Cap. 4.

De sententia A. Burignoniæ, *& falsissimo Jægeri ea de Virgine testimonio.*

XV. *Causa Controversiæ de* A. B. *hic à Jægero motæ per articulos quinque.*

XV. Addam huic articulo illum qui sequitur in Examine D. Jægeri, constituitque seorsum Controversiam suam XXI. Hæc, uti & antecedens Controversia de qua modo egimus, è mero vindictæ motu videtur à D. Jægero excitata. Cum enim ei displicuisset modus quo argumentum de morte ac satisfactione Christi ita explicaveram ut præverterentur adulationes hominum saluti admodum noxiæ, hoc, quod ille quasi sibi suisve dictum interpretatus est, movit eum ut se suosque ulturus, non modo per Controversiam suam XX. jamjam expensam invectus in me sit, sed & ut veluti per retorsionem mihi coram objiceret errata quæ sibi aliisque persuadere vult in libris Dñæ Burignoniæ à me laudatis hacce de materia contineri. Hinc nata ea Controversia XXI. alioqui huc, ubi de Scriptis meis agitur, minime pertinens. Atque ut vindicta sua latius pateret, totam hanc suam cramben, incredibilibus conviciis sordidatam, in systematis sui Dogmatico-Polemici Tomo II. ad verbum recoctam pag. 174. & seqq. non erubuit denuo apponere.

Constat illa articulis quinque quos è lacinia contextûs Dñæ Burignoniæ lacerati elicit Dn. Jægerus, quibus postquam adjecit sententias suas calumniis, conviciis ac maledictis pro more suo interspersas, conclusionem imponit exclamando, VOLO AMORE MORI!

XVI. (I.) *Eam cum P. Socinianorum vestigia premere asserit falsissimè, verba ejus resecans & falsans.*

XVI. In primo suo articulo hoc imputat illi assertum: (*a*) *quod* DEUS *ut* DEUS *non indigeat satisfactione, cum gratis peccata remittere valeat:* Cui subjungit deinde hanc suam crisin: (*b*) *quod ad primam assertionem attinet, valde cœcum esse oportet qui non videt quod mulier illa, cum Discipulo suo Poireto, Socinianorum vestigia premat, licet hic multis verbis per magnam* IMPOSTURAM *contra protestetur.* Magnam imposturam & quidem duplicem ipsemet hic loci committit Jægerus, dum, primo, textum Antoniæ in hacce censura resecat & falsat, deinde cum imponit falso eidem quod satisfactionem Christi haud secus ac Sociniani quos postea citat, negaverit.

(*a*) Jæg. ib. p. 287.
(*b*) Ibid. p. 288. & 289.

Tex-

Textus sic habet in *Lapide Lydio*, uti D. Jæger ipsemet ante tres paginas integriorem proposuerat. (*a*) *Falluntur homines quando sibi persuadent* JESUM CHRISTUM *in hunc mundum venisse* SOLUMMODO *ut pateretur, & sic pro peccatis ipsorum satisfaceret: Etenim* QUA DEUS, *non indiget ulla satisfactione.* Ex quibus verbis *cæcum esse oportet*, ut cum Jægero loquar, *qui non videt* cum Logicorum tirunculis, quod harum propositionum prior, *J. Christus non venit in hunc mundum solummodo ut pateretur & satisfaceret*, non sit negativa adventus ejus pro passione & satisfactione; sed negativa exclusivæ *solummodo*, nempe quod non venerit SOLUMMODO propterea, verum quoque & propter aliud quid, nempe propter conformitatem nostram cum illo, ut pluribus postea explicat. Deinde falsat textum D. Jægerus substituta voce DEUS, & quidem majusculis, cum debuisset ex linea antecedente substituere JESUM CHRISTUM, atque ita citare; quod JESUS CHRISTUS *ut* DEUS *non indigeat satisfactione.* Jam veniat ille, & integritate textus exhibita, coram orbe proclamet, eum hominem, qui fateatur, Jesum Christum quà DEUM non indigere pro se satisfactione, quique non neget illum venisse in hunc mundum ut pateretur & pro aliis satisfaceret; sed neget tantùm, venisse illum SOLUMMODO propterea; eum inquam hominem *plane paria facere* cum Socinianis, qui se profitentur negare plane Christi Divinitatem ejusdemque satisfactionem: & videbit, quam inde famam apud æquos rerum judices consecuturus sit; præsertim quando idem productis quatuor vel quinque locis è Socinianorum Libris eam Θεανθρώπου satisfactionem plane negantibus ac tantum non deridentibus, subjunget calumniosam hanc suam criminationem; (*b*) *idem sentit, idem dicit Burignonia & Poiret:* ac citato quoque loco è Catechesi Racoviana, *quod Satisfactio hæc hominibus fenestram ad peccandi licentiam aperiat, aut ad socordiam in pietate colenda eos invitet*; addet, uti fecit, *Catechismum hæc verba* PLANE PARIA HABERE *cum Poireto & Burignonia.*

(*a*) Edit. Latinæ §. 171. p. 118.

(*b*) Jæg. ibid. p. 289.

Atqui neque Poiretus neque illa Virgo dixere vel cogitavere unquam ista sequi ex ipsa Christi Satisfactione, sed ex ea male interpretata, maléque applicata. Nam, quantum ad me ipsamque Satisfactionem, hanc à me minime negari, ex supra dictis

luce

luce clarius apparet. Eandem autem fuiſſe mentem D. Burignoniæ, mihi ex ore ejus certo certius compertum eſt, ac ne verbis hiſce meis detrahatur fides, ipſam ex libris ſuis editis audiamus ſi placet.

XVII. *Loca alia ex Scriptis A. B. quæ contrarium luculenter evincunt. Satisfactionem Christi quo ſenſu illa aſſerat; quo neget.*

XVII. In hoc ipſo libro, qui eſt *Lapis Lydius*, ſæpius auctrix clavem porrigit unde apertum fiat quo ſenſu & pro quibus Chriſti ſatisfactionem & merita *aſſerat*, eademque contrà *neget* alio reſpectu atque ſenſu. v. g. pag. 50. hæc ſunt ejus verba: *Nec Jeſus Chriſtus pro iis qui a peccando deſiſtere nolunt*, SATISFECIT: SED *pro peccatoribus vere pœnitentiam agentibus, ac legi Evangelicæ ſeſe ſubmittentibus.* En, ne calumniæ locus ſit, Satisfactio quo ſenſu aſſerta, quo ſenſu negata ſit! Eodem in libro, ait pag. 81. *Si in luce ambulemus, ſicut ipſe eſt in luce (quomodo & ego loquor,) tum ſanguis Jeſu Chriſti emundat ab omni peccato omnes eos qui ambulant ſicut Jeſus Chriſtus ambulavit. Scilicet* PRO HIS JESUS CHRISTUS QUOAD OMNIA SATISFECIT; *nequaquam vero pro illis qui ambulant in tenebris: expreſſe enim monet Apoſtolus, eos qui in tenebris ambulant non habere ſocietatem cum J. Chriſto, & per conſequens* MERITI *ipſius non poſſe eſſe participes. Quamobrem omnia illa loca quæ Eccleſiaſtæ hi in medium producunt, quo me dum Chriſti Imitationem inculco, in errore verſari oſtendant, mihi potius ſerviunt ad illos ipſos errorum convincendos, quando docent,* Jeſum Chriſtum omnia perſolviſſe pro iis qui in vita ſua corruptis naturæ propenſionibus indulgent, *ſicuti faciunt illi queis talem Chriſti* SATISFACTIONEM *quotidie enarrant.*

Ibidem pag. 114. paulo ante locum à Jægero laceratum & adductum hæc leguntur de Satisfactione tum ex parte Chriſti, tum ex parte noſtri. J. Chriſtus *non dubitavit mortalitatem, miſerias, & languores noſtros ſuſcipere, atque* POENAM PECCATORUM NOSTRORUM FERRE, *licet ipſe nullo modo iiſdem eſſet obnoxius. Illud omne vero eſt aggreſſus, quo ipſis* (hominibus) *clare commonſtraret qua ratione mortales Juſtitiæ Dei* (ex ſua parte) SATISFACERE *deberent, & quibus mediis gratiam ejuſdem iterum poſſent nanciſci. Attamen J. Chriſtus haud ſuſcepit mortalium peccata quo hos in peccando continuare ſineret, ceu Novitii hi Doctores innuunt.* - - -

Adhuc

Adhuc eodem in Libro, pag. 137. *Quod ipsum* (de Amore ante dictum) *bene ponderanti pronum erit animadvertere, Jesum Christum mortalitatem nostram assumsisse non ut* SOLUMMODO *pro peccatis hominum Patri suo* SATISFACERET, SED *etiam ut quanam ipsos ab amore Dei abstraxerint, & quibus mediis hunc amorem recuperare possent, iisdem singulatim commonstraret.*

In Libro cui titulus, *Lux in Tenebris*, Parte III. integra exstat de hac materia Epistola, quæ numero octava est, quæque reperitur Latine edita in Libello è meris Epistolis Antoniæ Burignoniæ ab alio amico Latine redditis constante, & à me emisso sub titulo, *Virtutum Christianarum insinuatio facilis.* Tota Epistola, nisi longior esset, quia apprime huc facit, esset producenda: verum sufficiant ex eadem aliquot paragraphi. Incipit ita: „ *Ego vero salutem non exspecto nisi* PER MERITA JESU „ CHRISTI, *quippe qui in mundum venit ut nos redimeret postquam, omnibus peccati labe inquinatis, conclamatum erat, eoque* „ *ipso in Satanæ casses incideramus.* Deinde, num. 7. Jesus Christus merito Servator noster dici potest. Nisi enim in fine „ mundi apparuisset, nemo mortalium perniciem potuisset effugere. Ipse solus post lapsum AUCTOR est & ORIGO „ salutis nostræ. Proinde, CORAM OMNIBUS ex lumine fidei PROFITEOR, me neutiquam potuisse servari absque „ adventu Jesu Christi in mundum; & SEMPER SALUTEM „ MEAM SANCTISSIMO CRUCIATUUM EJUS MERITO ADSCRIBAM: TANTUM ABEST UT IDEM REJICERE VELIM sicut nonnulli cœca temeritate credunt; „ quibus potius Meriti istius contemtum imputare possem, utpote qui gratia Jesum Christum imitandi sese carere ajunt, „ nihil nisi naturæ suæ corruptæ vim respicientes, negligentes „ vero vim perpessionum Jesu Christi, quæ GRATIAM NOBIS MERUERUNT qua ipsum possimus imitari, imo Dei ipsius perfectionem assequi, modo sanctissima ejusdem merita animæ nostræ jungere, eamque divino ejus Spiritu imbuere annitamur, ipsa Veritate ita nos eo impellente, *Estote perfecti sicut* „ *Pater vester perfectus est.* Nunquam sane aliquid quod impossibile „ fuerit nobis injunget Jesus Christus, neque ejus Pater: at, *quærite*, inquit, *& invenietis: pulsate, & aperietur vobis: orate, & impetrabitis.* &c.

Adde quæ num. 9. „ Quia Jesus Christus in mundum venit „ ut nos Patri suo RECONCILIARET, & ad ipsum per GRA- „ TIAM suam REDUCERET, nihil amplius à parte Dei est „ metuendum : possumus omnia quæ volumus OPE ISTIUS „ GRATIÆ, quæ nemini serio quærenti ac petenti unquam „ denegatur, eoque certius, quod JESUS CHRISTUS EAN- „ DEM PER SUAM PASSIONEM NOBIS MERITUS SIT; „ minime vero salutem, quamdiu perversæ naturæ nostræ adhæ- „ rebimus. Patetque hinc abunde fallacia doctrinæ hujus, Je- „ sum Christum OMNIMODE pro nobis SATISFECISSE EO „ SENSU QUO COMMUNITER plerique hoc sibi IMAGI- „ NANTUR. Talis enim persuasio lethalem in ipsis animi so- „ porem gignit: quia gratiam quam Jesus Christus à Patre suo „ nobis acquisivit, rejiciunt, cujus nempe virtute possumus am- „ plecti media coërcendi atque enecandi carnem, ut vivamus „ in Spiritu Jesu Christi, sequamur ipsius exemplum, ejusque „ virtutem imitemur, quo deinde cum ipso æternam ac cœle- „ stem patriam ingrediamur, in quam nemo intrabit nisi Christi „ Spiritu indutus.

Et num. 12. ac 13. „ Omnes crimine læsæ Majestatis eramus „ aspersi, & ÆTERNIS suppliciis merito destinati, quibus „ nos minime liberare poteramus, amissa Optimi Maximi gra- „ tia, & facti, proh dolor! ejusdem inimici. Nil quicquam in „ nobis erat quod ullam eliciendæ divinæ misericordiæ spem af- „ ferre poterat, nequidem enim miserias nostras cognoscebamus, „ tantum abest ullam easdem sublevandi vim in nobis fuisse, vel „ fiduciam qua auderemus divinam gratiam petere, quippe ob „ peccata nostra Dei hostes facti, omnique per nos ipsos obti- „ nendæ misericordiæ spe destituti. Hinc JESUS CHRISTUS „ tanquam noster Advocatus causam nostram suscepit, & VE- „ NIAM pro nobis impetravit, nequaquam sicut Advocati in „ tribunalibus hujus mundi, qui lucro intenti causam agunt; at „ sicut Advocatus divinus, cui nonnisi Patris sui gloria cordi „ erat. OFFERT SE QUI SOLVAT IPSE POENAS PEC- „ CATIS NOSTRIS DEBITAS, QUO PATER EJUS „ CULPAM EORUM JUSTE NOBIS REMITTERE POS- „ SIT, NOSQUE IN GRATIAM SUAM RECIPERE; id

„ id quod omnimode OBTINUIT: LUX enim ejus & GRA-
„ TIA per Jeſum Chriſtum nobis REDDITÆ ſunt; alioqui
„ nemo ſciebat unde per peccatum exciderat, & quò per Dei
„ oblivionem devenerat. Sola illa lux quam Jeſus Chriſtus in
„ terram attulit, nobis utrumque detexit. Quum enim ille, qui
„ innocens erat, peccatorum noſtrorum remiſſionem, quantum
„ ad culpam, ſolo merito ſuo nobis acquiſiviſſet, ſeque doloribus
„ ac morti expoſuiſſet ut nos cum Deo reconciliaret, ac è po-
„ teſtate Satanæ, cui ſponte eramus traditi, eriperet; cor Dei
„ Patris eo ipſo flexum eſt, ut ſic dicam; ejuſdemque divina
„ voluntas eſt quaſi coacta ad miſericordiam nobis impertien-
„ dam. Quæ quidem GRATIA à Deo nobis conceſſa eſt PER
„ SOLUM AC UNICUM MERITUM JESU CHRISTI E-
„ JUSDEMQUE PASSIONIS AC MORTIS, ſine noſtro in-
„ terventu. Atque hoc nomine Jeſus Chriſtus re vera Servator
„ noſter dici poteſt: ſolus enim ille è barathro peccati ac mor-
„ tis nos extraxit, & ab æterna damnatione, quò nos ipſos
„ per delicta noſtra miſere præcipites dederamus, nos libera-
„ vit.

Pergit eadem, num. 15, & 16. „ Equidem ille re vera hu-
„ mani generis Archiater medicinam animabus noſtris præparat;
„ imo ipſe coram nobis aſſumit: at ſi nos ipſi eandem haurire
„ nolumus, nil quicquam certe in nobis efficiet. Id quod probe
„ expendere oportet, ſiquidem recte intelligere cupiamus quo-
„ modo Chriſtus Dominus pro nobis paſſus ſit, ac quomodo ſan-
„ cta ejus merita nobis applicabuntur. Quod ſi enim quis ſtoli-
„ de credere vellet eadem abſque ulla noſtra cooperatione ſalu-
„ tem nobis conferre, næ ille turpiter falleretur! - - - Jeſus
„ Chriſtus dixit, nos niſi pœnitentiam egerimus, perituros. Quo-
„ modo quis, quæſo, huic veritati poterit reluctari dicendo, ni-
„ mium nos eſſe fragiles ad imitandum Dominum? Hoc ipſo
„ namque directe rejicitur MERITUM noſtri Servatoris, ut-
„ pote quod delicti VENIAM, atque ſimul (a) GRATIAM RE-

(a) Memorabilia ſunt ea de re verba S. Clementis ad Corinthios, Cap. VII. *Sanguinem Chriſti intentis oculis intueamur, & quam pretioſus ſit Deo ſanguis ejus conſideremus, qui propter noſtram ſalutem effuſus, toti mundo* POENITENTIÆ GRATIAM (μετανοίας χάριν) *obtulit.* de quibus vide infrà Cap. 8. n. 23.

„ SIPISCENDI ac vitam emendandi nobis impetravit. Qui „ igitur poſt tot divina beneficia ad imitandum ipſum ineptos „ ſeſe profitentur, re vera ſpernunt merita ejus, nec ea ſibimet „ applicari volunt, ac ſi haud *ſufficerent* ad ſuggerendam vim re- „ ℓte ac pie vivendi: id quod longe falſiſſimum eſt.

Adhuc, num. 17. „ Contemnunt homines iſtam gratiam dum „ ſeſe ad imitandum Jeſum Chriſtum nimis fragiles eſſe ajunt; „ ſicque ſancta ejus MERITA repudiant, & minime credunt „ quod PRO NOBIS PASSUS SIT ad obtinendam ſalutis no- „ ſtræ GRATIAM: Hoc vero eſt fide in Chriſtum carere. „ Quod ſi enim credimus ipſum per paſſionem & mortem ſuam „ Dei GRATIAM NOBIS MERUISSE, neutiquam poterimus „ profiteri vel credere nos nimium eſſe infirmos ad ipſum imi- „ tandum.

„ Amici tui (continuat illa num. 18.) à ſententia mea abhor- „ rent ac ſi ſpernerem merita Jeſu Chriſti: nec animadvertunt „ ſe re vera eadem deſpicere dum illa ſe magnifacere aſſeverant. „ Id quod non niſi à notabili cœcitate promanare poteſt, quam „ ipſi non ſatis detegunt, quo nomine quam maxime ſunt de- „ plorandi; quia cum tali perſuaſione ſervari nequeunt: eo quod „ *fides ſine operibus* ſit fides *mortua*, in qua perſeverantes ſalutem „ nunquam aſſequi poſſunt. Requiritur enim fides viva & agens, „ quam nonniſi in imitatione Jeſu Chriſti recuperare queunt. „ Nemo enim per aliam viam gratiam Summi Numinis nanciſci „ poteſt, quam ipſe Dominus nobis promeruit iis ſolummodo „ impertiendam, qui legem Evangelicam amplecti volent.

Denique ſic concludit num. 19. „ Ego vero poſtquam in „ ſchola Jeſu Chriſti ecquid me facere oportet didici, cupio „ idem exequi, & ambulare in luce quam per ſanctam paſſio- „ nem ſuam mihi acquiſivit, nec inhærebo cœcorum hominum „ opinionibus qui mendacia pro veritate ſumunt - - -.

XVIII. *Impoſtura Jægeri in imputato Socinianiſmo.*

XVIII. Hæc dicta, omiſſis pluribus aliis, plenius repræſentare volui, quo certius pateret D. Jægeri accuſatoris mei IMPOSTURA manifeſta, donec è Scriptis Virginis illius divinæ vel meis loca produxerit in quibus *plane paria cum Socinianis habeamus*, condemnando ſcilicet eam Chriſti Θεανθρώπου ſatisfactionem, qua ille ſe obtulit Patri paratus omnia facere & pati quæ

Patris

Patris gloria, justitia, sanctitas, bonitas requirebant tum ab officio Redemtoris, tum ut redimendis obtineret remissionem, reconciliationem, gratiam, lumen & vires, quibus opus habebant ut ex sua redimendorum & salvandorum parte satisfacerent, & officio suo tam in agendis quam in tolerandis; quæ & Christus quod ad se implevit, uti superius explicavi. At quando Jægerianam & quamcunque illi similem de Christi Satisfactione doctrinam rejicimus, (quæ non Socinianis modo, sed & omnibus probis, imo communi sensui scandalo esse debet) non propterea veram rejicimus; sed falsam, absurdam, Deo indecoram, hominum veræ conversioni, sanctificationi sine qua nemo videbit Dominum, ac proinde saluti adversariam & perniciosam doctrinam rejicimus & horremus.

XIX. Nam quid falsius & in Omnipotentiam & Bonitatem Dei injuriosius, quam asserere non potuisse Omnipotentem aliter redimere homines quam per substitutionem alterius, qua eximerentur peccatores ab obedientia activa & passiva quam tamen Deo qua Patri omnium debent? Quid absurdius & in Christi dignitatem, meritum, Satisfactionem & sanctitatem magis injuriosum, quam clamare, illum per omnia quæ fecit, & passus est, quæque conatus & meritus est, non acquisivisse satis ac sufficienter gratiam, lumen, animum, spiritum & vires excutiendi jugum peccati, tenebrarum & Diaboli, potentiam ac vires placendi Deo, faciendi omnia ad illius gloriam, delectandi ejus amore, mandatis, obsequio amabili ac cordibus filialibus dulcissimo: sed quod contrà, quicquid fecerit ille & meruerit nihilominus homines redimendos, & redemptos, imo *ipsos regenitos*, in impotentia obediendi voluntati suæ ita reliquerit, ut lex sua sancta, *lex moralis*, lex regia, libertatis, salutis, gaudii æterni, lex quæ est ipsa vita æterna, uno verbo lex AMORIS, sit ipsis *jugum insupportabile* (uti pessime huc D. Jægerus hæc Apostoli verba applicat)? Atque ita Christus cum omni eo quod fecit, & passus est, & valet, non poterit tamen in hominibus redemtis opera Diaboli nunc destruere, quemadmodum sua in illis destruxit diabolus; non poterit præstare ut liberati ab inimicis nostris Deo serviamus in sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus nostris: Imo, ipse etiam erit peccati minister & servus

XIX. *Quam falsa, absurda, Deo injuria & hominibus perniciosa sit doctrina illa de Satisfactione adulatoria.*

Diaboli, quippe qui eos qui in peccato, opere Diaboli, perseverant, tamen faciet salvos per substitutionem obedientiæ suæ loco & vice illorum præstitæ. Annon hoc est negare Christum esse re vera Salvatorem nostrum, nos reipsa liberantem & salvantem à peccatis nostris; *contemnere*, & *blasphemare* pretium & vim satisfactionis & meriti Christi, ejusque sacrum sanguinem profanare & pedibus conculcare, simulque homines à via sanctificationis, salutis & vitæ retrahere, appellare à via angusta imitationis Christi ad viam latam libertinismi & substitutionis alienæ, nos ab obedientia Patri Deo debita redimentis?

XX. *Justitiam Dei per Christum placatam quidem esse at non destructam.*

XX. Absurde occlamitant pertinaciterque in sui & omnium perniciem, Justitiam Dei esse jam per Christum placatam: nos non posse ei satisfacere. Justitia Dei per Christum placata est, non destructa: subsistit enim adhuc & in æternum subsistet, (Ps. 119. ℣. 142.) nec Deus injustus aut iniquus factus est aut futurus unquam. Condonat ejus justitia cum bonitate peccata commissa, quippe propterea à Christo placata: sed exigit eadem justitia, ut ex quo remissio delictorum & gratia annunciatæ sunt & cognitæ, resumatur & continuetur per vim gratiæ oblatæ & pro ejus data cuique mensura & gradu, filialis obedientia erga omnium Patrum qui unquam fuerunt aut esse unquam possunt, optimum & amabilissimum, qui noscens figmentum nostrum, & videns cordis intima, contentus est quando infantuli sui id quod possunt, more faciunt infantili; si infirmo, bono tamen corde. Aliter sentire, ad zizaniorum filios, eosque quos seduxerunt, omnino pertinet. Sed satis ad primum D. Jægeri imputatum, cujus ipsemet reus est potius quam vel ego, vel divinitus erudita Dn. Antonia.

XXI. (2.) *Objicit de Christi corpore ex Adamo consequentias absurdas. Ex Ubiquitate sua sequi longe absurdiora.*

XXI. Quod ipsi secundo objicit de corpore Christi glorioso ex Adamo assumto, id quia ad problematica pertinet, non ad essentialia, examinabimus alio in loco (*a*). Vocat hanc opinionem, ex qua objicit consequi Christum habuisse *duo corpora*, *monstrum*, & *stolidum figmentum* is ipse cui ab universis ceteris Christianis objicitur, se per ubiquitatis suæ principia fecisse ex corpore Domini aliquid infinitè monstrosius. Statuit enim ille, Divinitatis proprietates, quæ à se invicem sunt inseparabiles, esse humanitati Christi communicatas. Si hoc ita est, hæc proprie-

(*a*) Infra L. IV. C. 3.

tas Divinitatis, quod fuerit & ante Mariam & ante Mundum conditum, erit ergo humanitati communicata ex quo Christi incarnatio facta est. Ecce absurditatum cumulum, & humanitatem unam-duas, duas-unam! Una incepit esse post Mariam; & ex quo concepta est in Maria, venit inde (ob communicationem idiomatum) humanitas quædam ante Mariam & ante Mundum; quæ sane alia est, & esse debet, ab illa quæ non fuit nisi post Mariam: atque ita, ecce duas humanitates, duas animas, *duo corpora in Christo*, secundum D. Jægeri principia. Quid ad hæc ille? Jus sibi sumet hasce negandi consequentias: & ego pari jure utar consequentias suas, nunc quidem, negandi simpliciter ac rejiciendi veluti inconsequentia laborantes. Quando autem postea addit, eam sententiam *blasphemam esse, quia omnes passiones, dolores, crucem & mortem ipsam Christi tam efficacem & salutiferam pro invalida habet*, cum epiphonemate eleganti; *Sane tam propudiosam sententiam in prodigiosa Muliere* SATANAS *produxit*; nemo non videt, motibus hisce epilepticis, animi non sui juris indicibus, opus esse maxime medico, responso minime.

XXII. Invalescit morbus, & post appellatum *Satanam*, jam adest *Infernus*. Audite clamantem hunc in modum: (*a*) *Sed & tertia assertio ex* INFERNO *ortum suum ducit*. Quæ vero illa assertio ex Orco? scilicet: *quod per passionem, per dolores, & per mortem Salvatoris, Imago ipsa divina obscurata potius fuerit quam reparata:* Certe si hæc propositio est ex INFERNO, Jægerum, qui eam è falsatis contextus verbis per sua deleta & addita fabricavit, in Inferno fuisse, aut Infernum in se habuisse oportuit. Verba contextus sunt: *Ex quo* (Christus) *miseriis & languoribus nostris fuit oneratus, illis* OFFUSCATA IN IPSO *erat, sicut in cæteris hominibus*, PULCHERRIMA *imago quam Deus ibidem ad sui similitudinem conformaverat:* Nemo tirunculus in Theologia novissimus, imo nullus inter Christianos, qui vel aliquantum rudimenta novit Christianorum dogmatum, ignorat, eum statum in quo Christus se miseriis & languoribus nostris oneravit, in quo homo similis nobis miseris factus est, dici statum *exinanitionis, ignominiæ*, (*b*) Paulo *annihilationis*, Davidi (*c*) statum *vermis & non hominis*, Esaiæ (*d*) statum ubi *non est species, neque decor*

XXII. (3.) *Verba ejus sanissima de divina Imagine in Christo offuscata in assertionem aliam, infernalem quam vocat, pervertit.*

(*a*) Jæg. Ex. p. 290.

(*b*) Phil. 2. ℣. 7.

(*c*) Psal. 22. ℣. 7.

(*d*) Esa. 53. ℣. 2, 3, 4.

cor, *neque aſpectus*, ſtatum *deſpectum*, *infirmitatis*, ubi *quaſi leproſus & percuſſus à Deo*, habitus eſt *& humiliatus*.

XXIII. *De ſtatu exinanitionis Chriſti, ejuſque participatione in nobis neceſſaria.*

XXIII. Certe per hæc eo tempore *offuſcatam* fuiſſe in Chriſto *Dei Imaginem*, non quà ſanctam, uti D. Jægerus vult intelligi quando hæc dicit eſſe *orta ex inferno*; ſed quà glorioſam, ut notat contextus per vocabulum *pulcherrimam* quod D. Jæger hinc reſecuit, evidentiſſimum eſt: namque ita obfuſcata erat, ut nequidem fuerit perſpicua vel agnita; ſed in ea apparuerit pro gloria ignominia, pro decore dedecus, pro robore infirmitas, pro ſanitate languor & dolor: res ipſa id clamat cum tota Scriptura, quæ nos etiam hortatur ut fiamus & ei conformes opprobriorum, afflictionum & paſſionum ejus participatione, uti fuere Sancti Apoſtoli, atque etiam in iis gloriemur; quia in hac *offuſcatione*, in hiſce ignominiis, miſeriis, languoribus, doloribus, & per hæc ipſa, deſtruuntur in nobis amor proprius, amor mundi & eorum quæ in mundo ſunt, ſuperbia vitæ, concupiſcentia carnis, uno verbo, imago quam Diabolus nobis per peccatum impreſſerat; quæ vero imaginis Diaboli deſtructio procurata per participationem quam habemus in Chriſto cum hacce offuſcatione, hacce exinanitione, hiſce ſuis miſeriis & doloribus, dat in nobis locum *reparationi Imaginis divinæ*, primum quidem obfuſcatæ & obſcuratæ, ſive glorioſa radiatione deſtitutæ hac in mortali vita, deinde autem in futura vita glorificandæ, ſicuti in Chriſto factum eſt.

XXIV. *Falſatio manifeſta Jægeri.*

XXIV. Nunc, quæſo, quid eſt ea in re quod D. Jægerum movere poſſit uti clamet, hoc *ex* INFERNO *eſſe ortum*, & aliquot faciat inſtantias, ſed ita inſulſas, ut neque ſenſum neque concluſionem habeant? Scilicet falſavit propoſitionem D. Antoniæ; & ex ſimplici vera fecit comparatam falſam. Vera & ſimplex propoſitio illius huc redit, *Pulcherrima Imago Dei fuit obfuſcata in Chriſto per miſerias & languores quibus ſe oneravit.* Falſa & comparata propoſitio quam Jægerus hinc conflavit, ea eſt, ipſiuſmet verbis; *per paſſionem & dolores & per mortem Salvatoris Imago ipſa divina obſcurata* POTIUS *fuit* QUAM REPARATA. Hæc verba, POTIUS QUAM REPARATA, D. Jægeri additio ſunt, &, teſte ipſo, ex inferno ſunt, atque etiam falſa: ſi-

siquidem per passiones & mortem Christi destructo peccato, Diaboli imagine, secuta sit *reparatio* imaginis Dei in iis qui Christum participant, contra quam D. Jægerus innocenti Virgini per falsa additamenta sua imputat, quò postea hisce verbis, uti facit, contra illam clamet: (*a*) *O infanda Stultitia! Et tamen mundus adeo fascinatus est, ut furiosas tales in insaniente muliercula opiniones adoret.* Quis non hic stupeat? aut non potius exclamet: O infandum facinus, non Theologo, Ecclesiarum plurium primipilo, sed hominum ultimo indignum! Et tamen mundus adeo fascinatus est, ut homines istiusmodi veluti magnum quid suscipiat atque retineat!

(*a*) Jæg. Ex. p. 291.

XXV. Quarta assertio quam improbat D. Jæger, est ipsissima illa quam supra copiose vidimus à Patribus & Doctoribus in Ecclesia Christiana positam ac probatam fuisse; videlicet: Deum non NECESSARIO opus habuisse ad reconciliationem generis humani passione & morte Christi. Potuisse Omnipotentem hoc medium (tametsi optime ac sapientissime adhibuerit,) nihilominus omittere, & aliis uti. Hanc doctrinam appellat noster *abominandam*; at suâ hic crassâ ignorantiâ, uti vidimus. Objicit extra oleas, Scripturam utriusque Testamenti respicere *sanguinem Christi* uti *expiatorium.* quod verissimum est. Scriptura asserit Deum hocce medium reparationis elegisse. Anathema ei qui non credit! Sed eadem non dicit quod Deus impotens fuerit aliud eligendi, sive quod alio modo nos salvare non potuerit ille, qui teste Scriptura nullius est indigens, & qui solo verbo, quæcunque velit omnia potest.

XXV. (4.) *Improbat assertionem supra vindicatam: Deum non necessario opus habuisse ad hominis reparationem, passione & morte Christi.*

XXVI. Denique & reprehendit hanc sententiam; Christum in glorioso corpore, à dextris Patris sedentem, plus potestatis habuisse, adeoque facilius potuisse reconciliare homines, quam in statu abjecto in terras descendentem. quam sententiam dicit insanam, imo *carnalem & stupidum ratiocinium*, sapiens ille, spiritualis, & subtilis Doctorum coryphæus: tametsi ea potius cum Scriptura ejusque analogia concordet, quam eidem adversetur. Certe Jesu Christi, qua Dei, potentiæ documenta majora & extensiora apud Patrem potuisse fieri quàm cùm ejus Divinitas sese in terram demisisset & obscurasset, per se clarum est: Ejusdem qua hominis potentiæ plura quoque attribuit Scriptura ex

XXVI. (5.) *Reprehendit Christo à dextris Patris sedenti plus tribui cum Scriptura quàm in statu suo abjecto.*

quo rediit ad Patrem unde venerat, quam cum hic adhuc esset infirmitatibus nostris involutus. Ipsemet suis declaravit Apostolis, (a) Spiritum veritatis & consolationis non posse eos ab illo recipere nisi ad Patrem abiret: Post resurrectionem gloriosam dixit demum; (b) *Omnis potestas data est mihi in cœlo & in terra.* Apostolus ampliores ac faciliores effectus ei tribuit ex quo resurrexit & ad Patris dexteram sedet, quam cum esset adhuc in terris: ita enim gradatim ascendit: (c) *Quis condemnabit? Christus mortuus est, & quod magis, resurrexit, quin etiam ad dextram Dei est, qui & intercedit pro nobis.* Idem & amplissimum & consummatissimum Sacerdotii Christi apicem considerandum exhibet in statu sessionis suæ ad Patris dexteram: (d) *Summa dictorum*, (inquit) *talem habemus Pontificem qui sedit ad dexteram throni magnitudinis in cœlis.* Tota Apocalypsis plura ejus potentiæ post ascensionem exhibet effecta quàm cum in terris esset.

(a) Joan. 16. ℣. 7. 13.
(b) Matth. 28. ℣. 18.
(c) Rom. 8. ℣. 39.
(d) Hebr. 8. ℣. 1.

XXVII. *An Christi intercessio in cœlis non sit satisfactoria.*

XXVII. Errat D. Jæger quando ait, (p. 292.) Intercessionem Christi ad Patris dexteram *meritoriam* quidem esse, sed *non satisfactoriam*, quæ fuit in terra. Christus *satisfacit* officio Redemptoris ac Pontificis etiam in cœlo, imo & splendidius & provectius (ut ita loquar) teste Apostolo. Sed forte D. Jægero satisfactio nihil aliud est quam dolere & pati ob fractum mercenarium fœdus, eo scopo, ut alii mercenarii qui fœdus mercenarium fregerunt, non amplius patiantur & doleant: cujusmodi satisfactio tantum in terris potuit esse. Generosa Christi satisfactio ob amoris filialis fœdus violatum, sese ad totum officium Christi Propheticum, Sacerdotale & Regium extendit; ut superius (e) ostendimus.

(e) Cap. Præced. §. 38. & seqq.

XXVIII. *Particularia hac esse problematica; & quam inique tam atrociter damnentur, cum eodem tendant quò Patres Christi passionem reducunt.*

XXVIII. Ceterum hæ materiæ particulatim considerandæ earumque discussiones magis ad problematica quam ad fundamentalia & absolute necessaria spectant; neque saluti nocet specialior earum ignorantia vel in eis nonnulla hallucinatio; & tamen D. Jægerus indiscriminatim omnia horrendum in modum damnat atque vituperat, etiamsi omnia eo redeant quo Patrum Sanctiores Christi incarnationem & passiones reduxere. Ita enim Augustinus: (f) *Unicus natura Dei Filius propter nos* MISERICORDIA *factus est Filius hominis, ut nos natura filii hominis, filii Dei per*

illum

(f) De Civ. Dei Libr. XXI. C. 15.

illum gratia fieremus. Manens quippe immutabilis, naturam nostram, in qua nos susciperet, suscepit à nobis: & tenax Divinitatis suæ, nostræ infirmitatis particeps factus est, UT *nos in melius* COMMUTATI, *quod peccatores mortalesque sumus, ejus immortalitatis & justitiæ* PARTICIPATIONE AMITTAMUS: *& quod in nostra natura bonum fecit,* IMPLETI *summo bono in ejus naturæ bonitate* SERVEMUS. *Sicut enim per unum hominem peccantem in hoc tam grave malum devenimus: ita per unum hominem, eundemque Deum justificantem, ad illud bonum tam sublime veniemus.* Quæ vero omnia de participatione reali & inhærente dicta esse clarum est. Addendum hîc & illud ejusdem: (*a*) *Nasci humanitus, & pati & mori voluit Christus, nihil horum meritus, sed excellentissima* BONITATE, UT *nos caveremus magis superbiam qua indignissime in ista cecidimus, quam contumelias quas indignus accepit; & æquo animo mortem debitam* SOLVEREMUS *si propter nos potuit etiam indebitam sustinere: &* QUICQUID SECRETIUS AUT PURGATIUS IN TALI SACRAMENTO A SANCTIS ET MELIORIBUS INTELLIGI POTEST. Quibus ultimis verbis significat Sanctus vir, vitam, passiones & mortem Christi tantum esse mysterium vel sacramentum, ut quæ ipse multique alii de eo capiunt, quasi imperfecta minusque *purgata* respiciat; præter quæ supersint etiam quam plurima in eo quæ de eo deque ejus rationibus & finibus minime capimus, quæ vero sanctioribus, dicam & soli Sapientiæ Dei maximam partem reservata, sufficit nobis ut implicita fide nunc credamus. Id autem est quod per Dei gratiam fecimus hucusque, & porro faciemus.

(*a*) De Music. L. VI. C. 4.

XXIX. Consulat & de Satisfactione Christi, qui cupiet, Rev. Bullum in Examine Censuræ Tull. p. 28. & in Apologia contra eundem, pag. 9. & 32. Edit. 1703. De abusu autem, quem ex suis de eadem conceptibus eliciunt hominum maxima pars, quisquis conquerentes Doctores Lutheranorum optimos audire cupiat, is tractatus Germanici Amplisf. T. PFANNERI *de Via Christianæ pœnitentiæ ac vitæ* Caput III. quod est de *pœnitentiæ impedimentis*, legat totum, in quo inter multa ex aliis collecta apparent & ex libris D. Burignoniæ loca plura ex quibus videre est solum abusum qui hic committitur, fuisse ei in animo uti reprehenderet, ejusdemque caussas. Utinam à Clarissimo illo hujusce

XXIX. *De Satisfactione Bullus, de ejus abusu ab optimis Lutheranorum deplorato Pfannerus videndi.*

Libri ut & alterius de *Theologia Gentilium* Auctore, exemplum sumsisset D. Jæger apes imitandi, non autem araneos.

XXX. *De testimonio Jægeri falso & putidissimo contra innocentissimæ Virginis vitam & mores.*

XXX. Dubitavi aliquandiu deberemne mentionem facere falsi ac horrendi testimonii quod D. Jæger hic non veritus est contra vitam & mores innocentissimæ Virginis Antoniæ reddere ut eam omnium horrori exponeret & ab ejus divinis ac salutaribus Scriptis omnes deterreret. Id autem sic habet. Postquam quinque illas falsis mixtas assertiones, quas modo excussimus, ex lacinia ejus more suo elicuisset, addit: (*a*) *Hæc sunt illa mysteria quæ Matrem suam* (Antoniam ipsam) hoc est, TURPISSIMAM IN VITA ET MORIBUS *Vetulam prima statim fronte ita monstrant, ut à longo tempore nihil* SCELERATIUS ET FOEDIUS *visum fuerit.* Ista forte si excidissent inconsiderato vel ebrioso alicui juveni nebuloni, possent quodam colore obtegi; sed in sene Theologo, vetulo magis quam erat Virgo illa (*b*) cum librum suum scriberet, quomodo id colorari queat, quod non modo scripsit, sed & post longum deliberandi spatium coram orbe universo protulit, ac imprimi curavit, in eoque perstitit, ac deinde post annos vel decem, adhuc magis Vetulus, voluit (*c*) denuo & tertio publicis typis iterari? Notandum est hoc falsum illius testimonium, non doctrinam, sed *vitam*, sed *mores* tangere, quorum tamen vel apertissimi quique hostes rationem religiose habuerunt in iis quos vel maximis erroribus involutos esse putaverunt, uti patuit in Origene quando totus fere Christianus orbis, & in eo vehementissimi adversarii contra illum propter invisa dogmata insurgebant: ubi tamen eorum nemo sanctam ejus *vitam moresque* tangere ausus est. Valuit & illud inter ipsos quoque Ethnicos honestos, quod sit scilicet *laudanda virtus in hoste*. At noster inter Evangelicos novos ex primariis, usque adeo obduruit, ut communia æquitatis, honestatis, humanitatis repagula publicè transiliat quo in Virginis innocuæ, & quidem dudum defunctæ, non doctrinam solum, sed famam, sed mores vitamque satis vecorditer involet, dum illam & *turpissimam in vita & moribus*, & qua *nihil à longo tempore sceleratius & fœdius visum sit*, gestit proclamare signis publicis ac perennantibus: quasi vero mandatum illud Dei, *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*, non pertineret ad eum, aut se ab eo excipere:

(*a*) Jæg. ib. pag. 288.

(*b*) Scribebat Lapidem Lydium anno 1674. ætatis suæ 58.

(*c*) In Syst. suo Theol. Pol. ac in Editione nova hujus sui Exam. Th. Novæ. 1719.

re posset. Non adeo tamen, credo, hominem exuit, ut saltem non sciat probetque vel commune illud jus, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Velletne igitur ut alter aliquis ei haud ita favens, quique nec eum nec eos qui ipsum noverunt vidit aut allocutus est unquam, DE EJUS VITA ET MORIBUS testimonium pro sua inclinatione daret publicum?

XXXI. Ipse nunquam neque vidit neque allocutus est eorum ullum qui cum illa Virgine fuerunt aut eam viderunt: sed è contrario videre potuit in Libro *Testimonium Veritatis* dicto, Part. I. vel sexaginta testimonia, plurimaque ex iis jurejurando coram Notariis, ut vocantur, publicis asserta, omnis generis fide dignorum testium qui eam vel à primis suis annis noverant, vel cum ea sæpius deinde quovis vitæ suæ tempore ad ultimos usque annos conversati erant, qui vero testati sunt omnes veluti unanimiter, *illius virginis vitam nil nisi virtutum Christianarum ac supranaturalium perpetuam fuisse concatenationem*, *ipsius autem personam* VIVUM *fuisse* TEMPLUM SPIRITUS SANCTI: id quod & ego, qui per totos quatuor ultimos vitæ suæ annos ei fui familiaris, ita se habere ac verissimum esse, iterum atque iterum vel sub salutis meæ periculo sancte confirmare possum, & confirmo adversus falsum D. Jægeri testimonium, asserens contrà per totidem verba ejus verbis opposita, fuisse illam SANCTISSIMAM IN VITA ET MORIBUS VIRGINEM, *itaut à longo tempore* NIHIL SANCTIUS ET PURIUS *visum sit.* Videat jam unusquisque utri parti credere velit, D. Jægero, testi neque oculato ac nequidem aurito; sed ab affectibus suis subornato, & toties hactenus falsitatis, animi irati ac malevoli, convicto; an testibus quos indicavi oculatis ac mihi ex eorum numero, qui quamvis ille me alicubi *noctuam* appellet, per Dei misericordiam mendacium odi, veritatem semper amavi, pro cognitionis mensura protuli, aliisque quantum in me fuit, commendavi, licet bene scirem mihi indè inter homines nulla emolumenta, sed contemtum, dedecus, odia esse emersura, præsertim si dicerem, quod feci, & confirmo ad hanc usque diem, me Veritatem illam salutarem, divinam, vivam, necessariam, omnibus ferme vel non bene notam, vel ideo invisam quod pericula æternæ mortis in quibus sunt & pertinacius permanere

XXXI. *Quid de ea testentur Testes oculati & idonei.*

volunt, detegit, eam, inquam, me invenisse ita convincenti modo in divinis beatæ Virginis Burignoniæ Scriptis, ut nihil antea simile in quibuscunque aliorum auctorum libris senserim ac repererim. Magnus sane vivusque thesaurus hominibus bonæ voluntatis cordisque sincere Dominum amare quærentis; ceteris non item.

XXXII. *De Jægeri voto moriendi amore, quo ista concludit.*

XXXII. Qua vero de causa non parum admiror D. Jægerum, postquam suum testatus est contemtum, odium, horrorem per falsa atque maledicta contra divinum illud gloriæ Dei instrumentum ejusque opera, pro conclusione sua illico dicere: VOLO AMORE MORI: *Volo inter* BRACHIA *Salvatoris, inter* VULNERA *Redemtoris* VIVERE. Amore mori nemo velle potest qui turget odio proximi: nam (*a*) *si quis dixerit, Amo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est.* Brachia Salvatoris non amplectuntur eos de quibus David loquitur Ps. 5. ℣. 6, 7. Non possunt *inter vulnera Redemtoris vivere* quorum lingua est gladius perpetuo alios vulnerans. *Amore mori* species est miraculi vel inter sanctissimos rari, quorum vix ullus id cupere audet, & tantum non omnes contenti sunt crucifigi cum Christo & mori cum eo in doloribus atque angustiis sine sensu amoris perceptibilis, quo quidem modo amoris proprii vel respectûs ad seipsum, si qua adhuc superest, scintilla perfecte exspirat. Si D. Jægerus *mori* vellet *dolore pœnitentiæ* propter delicta non parva quæ in divinam ac salutarem veritatem ejusque commendatores huc usque commisit, hujus desiderii haberet sane caussam neque fictam neque levem, & effectum videret aliquando sibi salutarem; id quod ipsi ex animo comprecor.

(*a*) 1. Joan. 4. ℣. 20.

CAPUT VI.

De Cooperatione hominis cum Deo.

I. *Post operationem Dei in homine & hujus*

I. PRæter operationem Dei, de qua supra egimus, nihil ad hominis reparationem & salutem æque requiritur, quàm ut hic sua ex parte cooperetur cum Deo. Neque enim brutus est homo ac mere materialis, qui tantum patiatur & operationes alie-

alienas in se recipiat: sed & agens est, & libere actiones regens suas, alienas autem operationes aut in se admittens consensu libero, aut à se repellens dissensu simili; id quod de intimis, quæque immediatè, vel è fundo & corde ac facultatibus ejus prodeunt, vel quæ ab alio agente in eo fiunt, intelligendum est præcipue. Pelagianam hæresin, quæ Dei operationes intimas ac immediatas negat ad reparationem hominis necessarias esse, integro Capite quod est in Oeconomia divina primum Libri V. è Theologia Christiana exterminavimus: quod vero secutum est Caput II. humanæ in cooperando desidiæ, absurdis quorundam principiis creaturæ activitatem omnem denegantibus, maxime autem Antinomis, (tametsi ibidem hoc nomine non designatis) oppositum. Atque ita, ut partem primam eorum quæ ex parte Dei ad salutem necessaria sunt, in genere vindicavimus; sic & partem alteram eorum quæ ad ejusdem salutis acquisitionem non minus sunt necessaria ex parte hominis, bono animo ac in conspectu & timore Dei, quantum in nobis fuit, eo adjuvante repræsentavimus ibidem generaliori modo.

cooperationem vindicatam esse in Oeconomia, & quo fructu.

Placuit id & profecit benedicente Deo animis non unis optimæ voluntatis, qui ea de causa aliis etiam opus laudaverunt, commendaverunt, imo & in alias linguas hac potissimum de caussa converterunt alii, alii publicari curaverunt. Sed crabrones, hominum genus ad omne solidum bonum sterile & inutile, ac bona potius quævis aliorum perdere ac destruere natum; id invidioso adspexerunt oculo: & quia destruere non poterant, calumniis suis idem palam deturpare & diffamare, atque ita aliis inutile reddere, uti fecit hodiernus aliquis Pelagianismi ac Socinianismi defensor celebris, conati sunt. Hos ex animo imitari gestiit D. Jægerus; eaque de causa CONTROVERSIAM totam sui *Examinis* XXIX. composuit: atque ut ille suus obex extensior esset, per ordinarium sibi coccysmum repetivit plane totum ac inseruit iisdem verbis in Systém. suo Polemico, Tom. II. Libro III. pag. 30. & sequentibus.

II. Quicquid modo dixi, illud ipsum D. Jægerus clare satis innuit vel ab initio Controversiæ suæ hisce primis ejusdem lineis; pag. 360. *Punctum hoc* (de Cooperatione hominis cum Deo) ANTE OMNIA DISCUSSIONEM *meretur; non tantum quia in eo tan-*

II. Hoc esse centrum Doctrinalium Poireti, re-

tanquam IN CENTRO *quodam conveniunt* DOCTRINALIA *pleraque Dn. Poireti; sed etiam quia per speciosas rationes & colores author noster haud paucas innocentes animas seduxit.* Gaudeo & accipio ex animo hocce quod in prima verborum illorum parte profert de meis doctrinalibus testimonium primum verum, scilicet IN EO PUNCTO quod isto Capite tractavi, TANQUAM IN CENTRO QUODAM CONVENIRE DOCTRINALIA PLERAQUE *mea:* potuisset dicere *omnia*, me non abnuente. Velim itaque, imo rogo Lectores, ut si QUÒ TENDANT ET REDEANT OMNIA MEA videre cupiant, dignentur id Caput integrum cum attentione perlegere in conspectu Dei: Atque ubi id mature digesserint, inde animadvertere, tum in genere, utrum adversarii mei propositum ac scopus generalis in ejusmodi Scripta insurgendi quorum centrum coram oculis vident, possit aliunde quam à spiritu veri ac boni osore in mentem ei venire: tum speciatim, an non quando de hoc Capite pronunciat, *haud paucas innocentes mentes per ejus speciosas rationes & colores esse seductas*; id, in ejus ore, significare debeat; se cum invidia videre optimos animos non paucos è Scriptis, rationibus, ac motivis ibi exstantibus convictos & motos, ad meliora rediisse neglectis proculdubio ac fastiditis D. Jægeri libris, ad promovendas animas inutilibus quidem, imo & noxiis; sed per quos tamen excellentiæ famam ardenter quæsiverat quam nunc ea de causa sibi non undique accidere videt invitus: Atque adeo sibi propterea in animo esse Scriptis meis *obicem ponere*, à substantia & scopo eorum plane alienum, iisque oppositum.

Ut testatur Jægerus. Quo spiritu hæc traducat.

III. *Conspectus & epitome horum Doctrinalium de Cooperatione hominis ex ipsis Oeconomiæ Libris.*

III. Qua vero de re tota ut eo melius judicare possit æquus Lector, libet hic apponere ex ipso contextu meo Doctrinalium meorum præcipuorum in hisce epitomen, quibus perpensis, vel ex hoc solo præcipiat quid exspectandum sit à mente & sententia iis opposita, quæ Jægeri est; tametsi hanc ejus mentem speciatim etiam quantum satis erit exhibebimus. Exstat Epitome illa mea in hoc ipso Oeconomiæ Div. Libro V. Capite II. num. XLII. hisce verbis ac numeris.

„ Si quis totum progressum inde à prima origine ad finem
„ usque sub uno aspectu positum intueri volet, generalem ejus
„ conspectum hîc subjiciemus.

1. Deus

„ 1. Deus eum in finem creavit hominem, ut eum ipſe in-
„ habitaret; ideoque illum eâ fecit naturâ, ut ad lumen bonum-
„ que infinitum non poſſit non adſpirare.

„ 2. Idem creatus eſt liber. Deus nonniſi eo conſentiente
„ in eo habitare vult & vivere; hominis autem eſt, deſiderium
„ ſuum, prout viſum fuerit, ad objectum luminis & boni ap-
„ plicare.

„ 3. Objectum hoc præſtò adeſt.

„ 4. Homo verò ſua libertate ſe ab illo averſum ad alia quæ
„ eligere voluit, divertit.

„ 5. Adeóque occæcatur, ac tenebris involutus, bonoque
„ vacuus, ſenſum amittit omnem objecti luminoſi & unice bo-
„ ni, quod ipſum, ut ita loquar, reſpectu hominis evaneſcit,
„ neque in eum ampliùs agit, ſiquidem connexio atque condi-
„ tio inter illud & hominem intercedens, (interventus puta li-
„ bertatis,) rupta ſit.

„ 6. Eo in ſtatu, omnes hominis actus, deſideria atque pro-
„ penſiones irregulares ſunt, totidemque peccata, in quibus
„ neceſſario pereat oportet, & quidem irreparabiliter, niſi a-
„ liunde ſibi ſuppetiæ ferantur: quibus tamen ipſe eſt indi-
„ gnus.

„ 7. Deus mera charitate in Filio ſuo, cujus Mediationi ac
„ Meritis nihil denegare poteſt, motus, demeritum hominis
„ oblitus, lumen illi ſuum & bonum offert ac reddit; & in in-
„ tima ejus cordis penetrans, radiis & motibus divinæ operatio-
„ nis ſuæ illum ferit ac pulſat.

„ 8. Cujus operationis divinæ hæc in homine eſt efficacia:
„ primo ex una parte lumen aliquod homini ac pulchritudinem
„ aliam atque ſuam; ex altera vero parte, tenebras atque abo-
„ minationes proprias; non diſtincte quidem, ita tamen ut pro
„ prima cooperatione obtinenda ſufficiat, ſentienda ac conſpi-
„ cienda exhibet. Secundo facit ut deſideria propria, occupa-
„ tiones, actuſque hominis id temporis interrumpantur & ceſ-
„ ſent; tertio denique, ut homo deſiderium ſuum ac facultates
„ ad lumen bonúmque propendere ſentiat & concitari. Atque
„ adeo præveniens hæc operatio Gratiæ Dei in homine tam
„ efficax eſt, ut eum in ſtatum illum vere reſtituat, ut liberta-

 tis

„ tis suæ & consequenter desiderii activi eidem Gratiæ Dei u-
„ niendi actum efformare possit, eundemque intermittere. Id
„ quod libero ejus arbitrio relinquitur.

„ 9. Quod si homo, (ut eos qui non respondent prætereamus,) libertatis suæ consensum Deo in se operanti tradit & jungit, Deus per hunc actum unionis vires ei infundit, quibus desiderium suum activum ad se dirigat.

„ 10. Præterea is vi duplicis hujus unionis, libertatis puta, & desiderii activi, à Deo consequitur, primo divini luminis incrementum, quo detegit hinc quidem magnalia Dei, illinc vero creaturarum vilitatem & corruptionem, & qua ratione sibi sint obstaculo; deinde, vires ab eodem nanciscitur illecebris quibus eum objecta externa sollicitant, nec non actibus ad quos habituali facultatum suarum corruptione invitatur, renunciandi.

„ 11. Virtute hac divina si legitime utitur, id quod ipsius est arbitrii, efficax operatio bonæ hujus & luminosæ Gratiæ Dei tanta in eo capit incrementa, ut obstacula exteriora à creaturis sibi opposita illius ope non perrumpat tantum; sed iis ipsis, nec non omnibus corporis viribus ita utatur, ut Gratiæ lumini in se augendo aut conservando sibi inserviant, aut certe, obstaculis sibi occurrentibus seu minuendis seu debilitandis.

„ 12. At verò si eo in opere ad seipsum propriosque suos actus animum reflectat, iisque adeo adhæreat, ut credat se solidum bonum verumque lumen illorum virtute obtinere posse, jam ad Judaïsmum, ad arrogantiam, operumque humanorum justitiam quærendam devolutus erit, unde, nisi viam hanc relinquat, in duritiem cordis, ipsamque mortem præceps corruet.

„ 13. Quòd si eam relinquat; aut vero nunquam eo delatus in cœptâ cooperatione constanter pergat, libertate sua atque activitate ad Deum conversis, quò nonnisi quod Deo acceptum est & velit & faciat, memor, seipsum quidem non esse luminis ac boni fontem; quicquid autem Gratiâ Dei accedente facere ipse queat, hoc uno contineri, ut Deo aditum in se permittat, ibique eum operari patiatur ipseque interim acti-

vitate

" vitate sua cooperetur tollendo obstacula nonnulla, quæ Dei
" operationem morantur; tunc Deus ei tantas suppeditat vires,
" ut obstacula omnia quæ divinæ voluntati objici detegit, per-
" rumpat atque disjiciat, actusque omnes omniaque media quæ
" Deo accepta esse novit, exsequatur.

" 14. At vero ubi longissime se provectum autumat, suam-
" que activitatem in divina hac occupatione, quæ verus quidam
" est Dei cultus, consummavit quasi ac exhausit; Deus eum
" tam penetranti & tam vivo lumine, motibusque tam efficaci-
" bus & intima viscera excutientibus percellit, ut omnis cor-
" ruptio fundi sui, activitatis & facultatum suarum ab ipsis ra-
" dicibus emoveatur. Hac ratione homo ab una parte tantam
" in Deo & tam exactam puritatem detegit, ut opera bona
" omnia, & quicquid hucusque justi fecerat, illi collata, non-
" nisi sordes ei videantur: ex altera vero parte fundi sui corrup-
" tionem sibi usque adhuc tectam, adeo videt esse abominabi-
" lem, ut nihil amplius tentare, neque activitate adeo depra-
" vatâ uti porrò sustineat, sed se tanquam mortuum in manus
" Dei resignet ac tradat, omnem spem de iis quæ à se proficisci
" poterant dimittens, & *Domine*, inquiens, *ego activa mea coo-*
" *peratione tam imperfecta, tam tarda, tam limitata & tot erro-*
" *ribus obnoxia, Divinam tuam operationem in me nonnisi retarda-*
" *vi, adulteravi atque commaculavi. Equidem manifeste jam vi-*
" *deo, operam me ludere, dum ad legitimam mei purificationem*
" *mea actione quicquam afferre volo. Itaque nolo deinceps amplius*
" *committere, ut mea sive libertas sive desideriorum activitas tecum*
" *porro concurrat quasi inita societate, cujus ego partem tua me ma-*
" *nu suffulciens administrem. Omnia enim tibi irrevocabili deditio-*
" *ne in mera passivitate transscribo. Tu omnia fac quæ de me sta-*
" *tuere voles: tu enim, Domine, solus es qui in integrum me resti-*
" *tuere, & ad salutem revocare possis.*

" 15. Ex quo homo hac ratione penitus Deo se permisit, ille
" hominem totum occupat: pro suo illic arbitrio nullis obsta-
" culis retardatus operatur; Gratiaque absolutum in eum impe-
" rium capessit. Deus abhinc libertatem administrat ac faculta-
" tes hominis, desiderium, intellectum, omnia. Is amoris &
" divini luminis sui impressionibus omnia concitat atque pene-

„ trat: quod ipſum tamen ſub primis initiis horribiles quasdam „ anguſtias & inconſolabilia quaſi vulnera ſenſibus facit; quo- „ niam Dei motus animam in ipſo fundo inveſtientes, omnem „ inde corruptionem, tam intime ei unitam, & tam altis de- „ fixam radicibus, ejiciant oportet: id quod ſine magnis qui- „ busdam conflictibus fieri non poteſt, qui animam exquiſitiſ- „ ſimo ſenſu naturâ præditam, graviſſime afficiunt atque ex- „ cruciant.

„ 16. Perfectâ autem hac Gratiæ purificantis operatione ac „ numeris omnibus abſolutâ, anima ex hac fornace tota defæ- „ cata dimittitur, & deinceps in mero elemento dominantis Gra- „ tiæ commoratur. Tum demum nova eſt creatura; omneſque „ ejus facultates divinæ à fundamentis ſuis reparatæ, per Spiri- „ tum S. directæ gubernantur, qui eis utitur prout ad Dei „ gloriam aliarumque animarum emolumentum eas facere poſ- „ ſe novit.

„ 17. Quæ omnia conſequitur beatitas, plenaque & intuitiva „ Gratiæ fruitio ubi mortale hoc corpus diſſolvetur, ea tamen „ lege ut anima, dum hic vivitur, gubernationi Spiritus Divi- „ ni fideliter adhærens ei ſeſe continua deditione reſignet.

„ Atque ita compendio œconomiam concurſûs ſeu coopera- „ tionis hominis cum Deo, inde à prima origine operis ſalu- „ tiferi ad ejus uſque conſummationem generalius deſcripſi- „ mus.“

IV. *Jægeri fraudes in citatis de hiſce.*

IV. Hactenus ſumma Doctrinalium operis præcipuorum, hujuſque etiam inter ea Capitis II. Videamus porro quænam hiſce oppoſiturus ſit D. Jægerus, quæ vero poſſint etiam haberi pro Epitome ac veluti centro aut nucleo omnium ſuarum quaquaverſum adverſus me diſperſarum oppoſitionum, quarum vis & anima eſt hallucinatio, falſum, calumnia malevolo ac irato affectu condita, Satana quoque hîc minime prætermiſſo nec oblivioni ab eo tradito.

(a) Jæg. Exam. p. 360.

Moderato modo ita incipit: (a) *Proponemus rem ipſius Dn. Poireti verbis, ne dici poſſit quod aliquid ſiniſtri ipſi imputemus.* Scilicet,

Fiſtula dulce canit volucrem dum decipit auceps.

Locum citat ex Oecon. Libr. V. Cap. 2. §. 24. &c. in qua citatio-

tatione hæ inſunt fraudes occultatæ. (1) Diſſimulat illic fieri recapitulationem quandam eorum quæ in præcedenti Capite contra Pelagianos tractata ſunt. Illi contendebant Reparationem hominis non fieri per Deum in nobis Spiritus ſui virtute operantem, ſed per ſolam hominis rationem, quæ cum creata eſſet a Deo, ejus ratiocinatas operationes vocabant *operationes Dei mediatas*, ut ſupra (*a*) tetigi; cui hæreſi oppoſuerunt vere Orthodoxi Theologi, Deum ſepoſita omni ratiocinatione noſtra ejusque activitate, revera mentem, corda ac intima noſtra tangere, vivificare, formare per virtutem & actionem inhabitantis Spiritus ſui, quod ut eo melius opponerent Pelagianorum mediatæ operationis ſubterfugio, appellarunt IMMEDIATAM DEI OPERATIONEM, ab ipſo etiam Luthero aſſertam, & a nullis niſi a Pelagianis & Socinianis negatam. Quam vero ut contra illos firmiter vindicarem, uſus ſum ibidem (*b*) pro hoc totius *doctrinæ converſionis ac reparationis noſtræ* fundamento probando teſtimoniis ſeptem & triginta ad minimum è Scriptura ſacra deſumtis. (2.) In eadem citatione reſecuit D. Jæger non longe ab initio verba mea quæ mentionem faciunt Dei *operantis in homine propter dilectiſſimi ſui Filii merita:* quod utique Scripturam S. ſupponit atque involvit ex qua illud habeo & quod illius præcipuum objectum eſt. (3.) Omiſit & ex eodem prolato loco, vel ſi mavult, tranſilivit aliquot paginas, ſcilicet a pag. 357. ad 363. pergitque quaſi in ejusdem loci continuatione ad materiam plane ab antecedente diverſam, in qua tres Dei operationes primæ repræſentabantur, & pro ſequela ſubſtituit D. Jæger ea verba in quibus agitur de hominis cooperationis ſpecie quam tertiam dixeram. Confuſa hæc eſſe perperam omnia nemo non videt: ſed & (4) in tertia hacce lacinia recidit etiam e voti ibi exſtantis formula lineas vel octo rimas, in quibus omnis gloriandi ac ſuperbiendi anſa homini tollitur. Hæc autem omnia ille, ut deinde, quod objecturus erat, mihi cum aliqua ſpecie poſſet objicere, nempe Scripturæ S. vel Verbi Dei in hoc negotio omiſſionem; Operationes fanaticas ſub nomine *operationis Dei immediatæ* à me, quod & in Lutherum ſuum recidit, aſſertas, uti & actus & pulſus immediatos fanaticos; ac denique *ſuperbiam ſpiritualem*, à *Satana ſpiritu ſuperbo* ad me derivatam.

(*a*) Libr. I. Cap. IV. n. 13.

(*b*) a pag. 334. ad 341.

V. *De ejusdem Censura I. ubi (1) Poireto falsissimè imputat illam in toto Reparationis negotio nullam facere mentionem de Verbo Dei.*

V. Ita vero inchoat Jægeriana adversus me censura: *Verum enim vero, licet ista speciosa & pia videantur, re vera tamen periculosa imo falsa potius dicenda sunt quam vera vel pia.*

Nam, PRIMO, *in hoc* TOTO *conversionis & reparationis nostræ negotio* NULLAM PLANE MENTIONEM *facit* DE VERBO DEI, *quod tamen, ratione adultorum, unicum medium est ad reparationem hominis.* - - - Quis ad hæc non stupefiat! In hoc ipso Capite quod præ oculis habet, ipse videt Scripturam Sacram in testimonium dictorum de conversione & reparatione, de quibus agitur, vel omnino decies sexies adductam esse, in Capite præcedenti fere quadragesies; in Cap. IV. §. 29. pag. 405. ubi ea deductius resumuntur & explicantur quæ ad *conversionis* & *reparationis negotium* circa fidem pertinent, inculco ea *lumina quæ* SCRIPTURÆ SACRÆ *docent, qua scilicet ratione ad Deum reverti* (converti) *possimus*, esse PERPETIM TENENDA, *neque ullo unquam tempore evacuanda:* in Præfatione hujus Libri V. monui *Scripturam Sacram* hæc quæ tractaturus sum de hac materia, habere pro *scopo præcipuo* ad quem collincet: in generali Operis totius Præfatione, (*a*) quantum ad dicenda, propono *Scripturam Sacram* veluti *veritatis regulam:* In Libris III. & IV. ubi negotium conversionis ac reparationis data opera tractatur, (cujus aliquæ tantum partes in Libro V. peculiarius resumuntur,) id operis in periodos septem distribuitur, in quarum unaquaque *Revelationem divinam* sive VERBUM DEI intervenire inter alia asseritur, & suis in locis * ostenditur. Et tamen D. Jæger non erubescit publice proclamare, *In hoc* TOTO *conversionis & reparationis nostræ* NEGOTIO NULLAM PLANE *mentionem à me fieri de Verbo Dei!* Non satis erat citata ab illo falsata esse; debuit & conclusio sive censura citatis innixa eodem falsi charactere vel in ipsa fronte insigniri.

(*a*) *Num.* 32.

VI. *Falsum esse quod addit: Verbum externum esse*

VI. Etsi huc non pertineat tractatio de *Dei Verbo* (de quo superius (†) actum est) non possum tamen prætermittere falsa aliquot quæ de eo D. Jægerus interseruit, occasione hujus suæ primæ censuræ.

Fal-

* In prima periodo, vid. Libr. III. Cap. 11. §. 4. 6. & Cap. 15. §. 1. &c. In altera, Cap. 12. §. 7. & Cap. 15. §. 2. In tertia, Cap. 16. §. 2. In quarta, Cap. 18. §. 4. In quinta, Libr. IV. Cap. 4. totum. In sexta, Cap. 10. §. 21. Septima erit plenitudo ipsa omnium. † Libr. I. Cap. 4. §. 18. & seqq.

Falſum igitur eſt hoc ejus ibidem aſſertum, ſcilicet quod *Verbum Dei* (de externe prolato vel ſcripto agitur) *ſit*, *ratione adultorum*, UNICUM *medium ad reparationem hominis.* Verbum Dei vocale eſſe medium ad ſalutem, & quidem pretioſiſſime æſtimandum, verum eſt, ſed medium reſpectu eorum quibus illud verbum eſt manifeſtatum: neque iis, quà externum, unicum eſt. Omnis bona cogitatio & motio, quam cauſa & origo omnis boni ſuggerit Chriſtianis, etiam tum cum de Scriptura ejuſve rebus non cogitant & interdum malo occupantur, omnis mali horror, boni & juſti cupido, à Deo ſunt & inter media ſalutis eſſe poſſunt, & ſunt revera in pluribus. Quantum ad eos quibus Verbum externum non obtigit, patet id iis non eſſe medium ſalutis: & tamen, ſecundum ipſum etiam D. Jægerum & omnes Lutheranos, Deus voluit & vult ſalvare omnes & ſingulos totius mundi homines quaqua verſum diſperſos, omnes Americanos quibus ante ducentos annos nullum Verbum annunciatum eſt, atque infinitos alios quibus impoſſible eſt ut vel de Scriptura ſacra aliquid ſuſpicentur. Pro eorum omnium ſalute mortuus eſt Chriſtus; attamen, ſecundum D. Jægerum, ſub conditione iis pro ſtatu in quo natura eos poſuit, plane impoſſibili, ſcilicet, ſi audiant verbum externum Scripturæ. Pugnat D. Jægerus, & ſui ſimiles, in hypotheſes proprias. Vult Deus omnes homines ſalvare, & pro iis Chriſtus mortuus eſt; ſed ea ſub conditione, ut omnes audiant Verbum externum; quod tamen non poſſunt: perinde dicas, ea conditione, ut memoria teneant articulos Schmalcaldicos, vel fiant Jægeri auditores. Quî enim potuerunt Americani, v. g. à bis mille annis ad ſeculum paulo proximum mortui, audire Verbum Novi aut Veteris Teſtamenti. Et tamen propter eam deſtitutionem ac impotentiam Deus, etſi eos amavit ita ut & pro iis traderet Chriſtum, qui pro iis quoque qui per ignorantiam peccant precatus eſt, & proculdubio exauditus, Deus, inquam, illos relinqueret idcirco in ſtatu impoſſibilitatis ſalutis obtinendæ, quamvis ſecundum inſtinctus & principia boni & mali, juſti & injuſti, aliaque innata, quæ, teſte Apoſtolo Deus ipſis *fecit nota*, impreſſit & cordibus inſcripſit, ſeſe regerent quantum ea noſcerent! Abſurdum, & crudelem faciunt Deum, propriiſque principiis ſuis contradicunt qui cum

unicum ſalutis medium.

cum D. Jægero eousque crudelitatis erga eos venient. Sed de hisce plura ubi de (a) Gentilium salute possibili agemus. Sufficit hic adnotasse falsitatem Jægerianæ propositionis, Verbum Dei externum esse UNICUM ad salutem MEDIUM: id quod ipsemet vidit falsum esse respectu infantium in tenera ætate decedentium, addo & adultorum qui surdi sunt, & infantium inter Turcas ac Ethnicos, & omnium quibus per impedimentum iis invincibile Verbum externum non obtigit.

(a) Lib.IV. C.7.

VII. (2.) *Asserit Deum non præcepisse ut exspectemus tactus ejus immediatos, neque eos promisisse: quod Pelagianum est & Socinianum totique Scriptura contrarium.*

VII. Secundo, falsum, Pelagianum & Socinianum est quod addit & statuit D. Jæger inquiens, (pag. 362) *Sane Deus nullibi populo suo* PRÆCEPIT *ut tactus & pulsus immediatos* EXPECTENT; *neque ille* PROMISIT *ullibi quod immediate velit tangere animas.* Tactus & pulsus Dei idem sunt cum *operatione* Dei in anima quam movet, cui suggerit bona cogitata, bona desideria, quam illuminat, trahit, flectitque ejus cor, mutat illud ac regit &c. Sunt actus Spiritus S. quem Christus præcipit ut à Patre petamus ac *exspectemus*, cum *promisso* fore ut simus illum accepturi; qui vero est *Spiritus* quo *aguntur* & reguntur *quotquot sunt filii Dei.* Rom. 8: 14. Talia non debere à Deo *exspectari*, nec Deum ea *promisisse*, hæresis est plane pestifera, & contentis Scripturæ totius opposita; proditque stupendam rerum spiritualium in homine Theologo ignorantiam ac cœcitatem. Eam hæresin impugnavi toto Capite I. hujus Libri V. Oecon. Scriptura testatur vel ab initio mundi Spiritum Dei disceptasse cum hominibus; quod quid aliud est quam quod eos tetigerit, moverit, pulsaverit ad bonum, retraxerit à malo per bonas suas inspirationes, quibus vero noluerunt illi attendere, qua de causa per diluvium exterminati sunt. Tota Scriptura docet, præcipit, ostendit exemplis quod debeamus petere & *exspectare Dominum* qui mentes nostras illuminet, corda flectat, à vanitate & à malo retrahat, mutet, consoletur, custodiat, regat, ducat per Spiritum suum in viam bonam: Quod debeamus clamare cum Sponsa, *trahe me:* cum Propheta, *converte me:* quod Pater nos *trahat* ad Filium; quod promiserit Deus Spiritum precum, Spiritum bonum; quod mutabit corda lapidea, & scribet legem suam in cordibus ita ut alio Doctore non opus habeant; & innumera hujusmodi alia. Annon hæc sunt Dei pulsus, tactus, operationes sæpius *promissa*

missa, in Scriptura Sacra, quibus *pracipit* Deus ut respondeamus? Dices, sunt quidem Dei pulsus, sunt ejus tactus, sunt ejusdem operationes, sed non IMMEDIATÆ. Hoc est cavillari: sunt IMMEDIATÆ eo sensu (*a*) quo Lutherus, Theologi Christiani bene sentientes & ego cum illis eas adtribuimus: quem sensum negare, Pelagianum est: asserere me alio sensu sumsisse, calumniosum est.

(*a*) Vid. supra Libr. I. Cap. IV. n. 13. 14. & seq.

VIII. Tertio impietati proximum est quod D. Jæger per speciem instantiæ contra hasce Dei operationes, audeat in os Christi ponere verba ridicularia speciem habentia, quando tamen ipsa rei substantia divina est atque verissima. Audite audaciam: (*b*) *Si per pulsum & tactum internum*, inquit ille, *nostra conversio perageretur*, *annon* SATIUS FUISSET *si Christus ad auditores suos dixisset: Ego vobis in compendio totam vestram salutem atque animæ vestræ reparationem indicabo: Advertite saltem* (tantum) *ad tactum & ad pulsum divinum*, *isti respondete*, *renuntiate omnibus desideriis vestris*, *libertatem vestram omnem in Dei libertatem resignate*; *& eritis nova creatura.* Quasi vero imbecillitati, ne dicam stultitiæ humanæ liceret Sapientiæ Increatæ ac immensæ præscribere, quibus verbis SATIUS SIT ut se ad humanum palatum ejus ægrum exprimat! Et tamen Christus, quantum ad substantiam, ipsa eadem dixit quæ D. Jæger veluti deridenda & inconcinna proponit. Nonne dixit, eos qui ad illum veniunt, esse (*c*) *attractos* atque adeo tactos à Patre, & *audivisse* eum, *ac didicisse ab eo* præ aliis illis qui ejus externa Verba perceperant? Nonne eos monet ut isti attractui respondeant, quoties dicit per se ac per Apostolos suos ut faciamus voluntatem Patris, auscultemus ac obediamus ejus voci, placeamus ei &c? Nonne hæc tam ex parte Dei quam ex parte hominis, maxime *interna* esse docet quando dicit, Deum esse Spiritum, & velle coli in Spiritu? Annon *renuntiationem* omnibus, propriæque *voluntati* verbis & exemplo exegit, quando discipulis jussit ut unusquisque se abneget & ipsum sequatur, qui non suam sed Patris voluntatem fecit? Quid est aliud *resignatio libertatis* quam hoc ipsum ultimum, & ipsissima hæc petitio, *Fiat voluntas tua*, *non mea*, quam & in Oratione Dominica nobis inculcavit? Pudet sane talia repræsentare veterano Theologo haud secus ac homini hæc

VIII. (3) *Audet Christo tribuere verba ridiculam speciem habentia de rebus in se divinis & verissimis.*

(*b*) Jæg. Ex. p. 363.

(*c*) Joan. 6. ℣. 44, 45.

Christianismi principia prima & essentialia plane ignoranti, vel impie iis repugnanti.

IX. *Objicit absurde, non dari posse alium modum intelligendi Dei tactus quàm per Verbum externum.*

(a) Jæg. Ex. p. 365.

IX. Quarto, absurde vult D. Jægerus ad absurdum Dei operationes internas reducere hoc modo : (a) *Vel pulsus & tactus Poireti* (ita Dei nostri attractum & operationem in corda nostra illusorie nominat ille, hoc ipso ostendens se ad Dei tactus bonosque motus plane obduruisse ac insensibilem esse ;) *tactus ergo ille* (& motio Spiritus Dei) *vel simul exprimit modo quodam intelligibili quid taliter puncto vel tacto faciendum sit, vel non exprimit : Si exprimit, ergo fiet iterum per* VERBUM *aliquod :* NULLUS *enim alius intelligendi modus fingi potest.* Atqui credideram D. Jægerum pro docto ac perito in Theologia Mystica sive interna Doctore haberi velle, utpote qui *Examina Theologiæ Mysticæ Veteris ac Novæ* publicæ luci daret ; & ecce, video eum ignorare ea quæ vel primi tirones in hac schola minime ignorant, scilicet, Deum se suasque operationes cum mentibus communicare modis quam plurimis qui cum verbis, imo cum ideis nihil quicquam commune habeant, idque eo magis, quo operatio divina est intimior & profundior. Adeat ergo, si placet, Auctorem aliquem mysticum à quo illud discat. Sed quid invito eum ad Mysticos, quos revera capere planissime adhuc incapax est? Adeat igitur surdos illos qui inter Christianos per vitæ suæ puritatem, per mentis suæ internam cum Deo occupationem & preces gestibus piis sæpe demonstratas, evincunt Deum re vera in animis eorum salutares suas operationes exercere : & ipsemet *sine verborum interventu* discat ab illis Deum illorum corda & intellectum pulsavisse, tetigisse, illuminavisse, operationes suas salutares in illis exercere SINE ULLIS VERBIS. Quod si nec ab his discere velit adultis, adeat ergo infantulos, fidelium ac proborum imprimis, in quibus elinguibus indubium est, & interdum apparet, Deum in illorum animis bonas inclinationes, dispositiones, motiones manifestissime operari. Certe Jeremiam ab utero matris sanctificatum fuisse dicit ipsemet Deus ; & legimus Joannem Baptistam, cum maternis adhuc visceribus inclusus esset, motus exultationis & gaudii, operante Dei Spiritu habuisse, eaque testatum esse ad præsentiam Salvatoris sui in Virginis sanctæ utero, quæ præcursoris matrem visitabat, tunc coram existentis. Imo inspiciat in re-

regno naturali omnes infantulos, qui naturæ impulſus, inſtinctus ac motus ad lactendum aliaque officia naturalia ſine ulla ideali *intelligentia*, multoque magis ſine *verbis* recipiunt, ſentiuntque ac ſequuntur; & poſtulet à ſe in conſcientia ſua, num Spiritus Dei in regno gratiæ impotentior haberi debeat, quam natura ad inſtinctus & motus ſuos divinos mentibus, quas ſalvare, corroborare ac regere cupit, communicandos? Quæ omnia, & multa quæ prætereo alia, falſi convincunt dictum illud D. Jægeri: *nullum alium* divinas operationes, motiones, internosque tactus *intelligendi*, vel percipiendi *medium fingi* vel eſſe *poſſe quam Verbum externum.*

X. Quinto, uti error eſt in D. Jægero aſſertum illud, (quod huc loci proprie pertinet): *Spiritum S. ſeorſum non agere ſine Verbo*, nempe externo, quod totidem verbis repetit pag. 367. ita quoque non minus falſum eſt quod poſtea addit: *Spiritum Sanctum inſeparabiliter à Verbo, agere in & cum Verbo: ſic ut* EADEM VIS CONVERSIVA *ſit Verbi & Spiritus.* Intelligit autem Verbum externum aut ſcriptum, quod, qua externum, merum eſt ſignum, nullam in natura ſua ſuiſque effectibus aliam vim habens quam movere oculos vel aures, atque inde, ex inſtituto hominum, facere ut homo naturalis excitet in imaginatione vel phantaſia ſua ideas aliquas & ſenſum quendam hiſtoricum, in limitibus naturæ manentem, niſi ſi accedat ex ipſo Deo per cordis intima *vis* Spiritus S. ſupranaturalis & *converſiva*, quam cum vi naturalium ſignorum confundere, & unam atque *eandem vim* dicere, non minus abſurdum eſt, quam vitam corporis & vitam animæ, auditum corporis & auditum cordis, viſum externum & viſum internum, unum & *idem* quid eſſe aſſeverare. Dixi ſupra (*a*) de hiſce nonnulla; & dicam adhuc verbum pro melioribus, tametſi duri iſti homines id capere nolint, quorum ſimul technas detegam obiter.

X. (5) *Error ejuſdem: Spiritum S. non agere ſine verbo; item eum inſeparabiliter à Verbo in & cum Verbo agere.*

(*a*) Libr. I. Cap. IV. n. 21.

XI. Quando Verbum externum auditur vel legitur, adeſt primo, ex vi naturali, ſenſus ſonorus in auditu, vel viſus characterum in charta, qui mere naturales ſunt: adeſt deinde ſenſus vocabulorum ſignatus & cognitus ſecundum linguæ ſive idiomatis inſtitutionem, qua factum eſt ut talia vocabula eſſent ſigna talium vel talium rerum, de quibus tunc cogitatur. Hæc verba iſtis cogitatis ita annexa ſi eligantur & adhibeantur ab ali-

XI. *Quomodo & in quibus Spiritus S. operetur per Verbum, ſed & ſine Verbo.*

 quo

quo ſalutis hominum cupido, puta à Deo vel à Dei organo aliquo, veluti fuerunt Prophetæ, Evangeliſtæ & Apoſtoli, juncta ſunt, non virtute naturali, ſed voluntate Dei, homines ſalvare volentis, ſunt inquam unita cum actione Dei quadam interna & vi luminoſa & movente, qua animi ſentire poſſint ſe illuſtrari, tangi & moveri modo aliquo ſupranaturali. Et hæc quidem omnia initio, & indiſcriminatim ex parte Dei. Quod ſi nunc animi auditorum ſint ſicut terra illa bona de qua in Evangelio, hoc eſt, ſi ſint illi vel ex bonis ac piis parentibus nati, vel alias conſcientiæ ſuæ inſtinctui ad bonum ſequendum & ad malum deſerendum non reluctentur aut ei obſequi aſſueverint, tunc vis illa divina ac interior, Verbum divinum auditum conſequens, evadit in illis vividior & animum commovens; cui vero ſi ſeſe intus reddant, non ſeſe extra cor ad ideas ratiocinatas diſtrahentes, ſed Deum ipſum in fundo cordis quærentes & humiliter intus deprecantes, Spiritus ejus bonum ut quod in iis ſeminat id dilatet, explicet, vivificet ac realitates eorum producat quæ ipſe Spiritus Dei ſentit, cogitat, & in nobis exprimere vult, quo ex tenebris & malis noſtris erepti ei reddamur toti; tales ecce ſunt veri auditores Verbi Dei ac diſcipuli ejus: ſciunt & intelligunt quantum eis ad ſalutem ſatis eſt; verum ejus ſenſum, ejuſdemque efficaciam experiuntur. Verbum Dei illis eſt efficax; non vi exterioritatis ſuæ, ſed vi Spiritus Dei qui ſe ei adjunxit ad hominum converſionem: quæ vero ubi facta eſt, & animus auxilio Verbi divinæ virtuti juncti eouſque pervenit, ut vis illa divina interna (quæ vox Dei etiam dicitur) ipſi familiarior ſit; tunc non ita indigent uti antea, Verbi externi lectione vel auditione, tametſi eam ubi opus eſt non negligant, multoque minus rejiciant aut contemnant, ſicut iis imputare poſſent calumniatores malevoli. Amicus qui amicum præſens alloqui poteſt, literis tunc non utitur licet propterea eas non contemnat. Certe Chriſtianorum primi ita vivebant ut orationi continuæ ac colloquiis internis cum Deo in corde ſuo magis vacarent, quam Scripturarum lectioni, (loquor comparative;) ipſeque Chriſtus cum Apoſtolo non dixit illis, *Legite ſemper*, ſed (a) *Orate ſemper*. Patet innumeris exemplis è Vitis Patrum hoc ſe ita habuiſſe apud eorum ſanctiores ac promotiores, quò etiam reſpexit Auguſti-

(a) Luc. 18. ℣. 1. 1 Theſſ. 5: ℣. 17.

gustinus suis hisce verbis: (*a*) *Homo itaque fide, spe & charitate subnixus, eaque inconcusse retinens*, NON INDIGET SCRIPTURIS, *nisi ad alios instruendos. Itaque* MULTI *per hæc tria etiam in solitudine sine* CODICIBUS VIVUNT. Narrat factum; idque probat Sanctus Vir: cui vero divinum Macarium libet ea in re adjungere ita loquentem: (*b*) *Inter Christianos contingit ut aliquis gratiam Dei* GUSTET: *Gustate enim*, inquit, *& videte quoniam suavis est Dominus. Est autem* GUSTATIO *illa* VIS SPIRITUS OPERANS *cum plena fiducia, & ministerio suo* IN CORDE *fungens.* (h. e. docens internè ac efficaciter.) *quotquot enim filii sunt lucis & ministerii Novi Testamenti in Spiritu Sancto, si ab hominibus nihil discunt*; (eorum instructione & auditione non amplius indigent,) *edocti enim à Deo sunt. Gratia enim ipsa inscribit in cordibus illorum leges Spiritus. Non igitur debent in Scripturis, solo atramento scriptis, plenam fiduciæ spem ponere*; πληροφορεῖσθαι:) *Siquidem & in* TABULIS CORDIS *divina gratia* SCRIPSIT LEGES SPIRITUS, *& mysteria supercœlestia: cor autem dirigit ac gubernat totum corporis organum. Quod si gratia occupaverit cordis pascua*, (interiora è quibus pascitur cor) *tunc dominatur illa omnibus membris ac cogitationibus: mens enim illic est* (in pascuis illis cordis à gratia possessis) *omnes item animæ cogitationes, & ejus expectatio* (salutis & omnium:) *eaque de causa per omnia etiam corporis membra graditur hæc ipsa gratia.* O quam barbara sunt ista & peregrina non paucis qui sibi aliisque habentur Magistri in Israël!

(*a*) De Doctr. Chr. Lib. I. Cap. 39.

(*b*) Homil. 15.

XII. Atque hæc de auditoribus qui Verbum tangens ac movens cum lumine aliquo recipiunt in terra cordis bona. Sin auditores sint ex illorum classe qui zizaniorum vel tenebrarum filii sunt, sive nativitatis aut educationis sorte, seu quod assueti sint longo usu conscientiæ suæ legi ac bonis motibus non attendere, iis contra ire, in externa vana se effundere, dirâ superbiâ famam, honores anhelare; ecce tales ubi primùm & aliquoties audito Verbo lumine & vi eis junctis tanguntur & moventur aliquantum interius, id tamen cum postea deserant ut se ad externa vana ac concupiscentiæ vel superbiæ impulsibus sequendis tradant; remanent cœci ac corrupti uti prius, nisi quod aliquam idealem retineant imaginem mere sterilem ac pictam eorum

XII. *De filiis tenebrarum qui post Verbum auditum cæci manent ac corrupti, & non rarò pejores fiunt.*

rum quæ tantiſper erant experti, ac præterea ſenſus literales ac naturales quos ſine lumine & tactu Dei eliciunt vel hominum nequiſſimi & ipſi etiam Dæmones; ad quorum numerum prope accedunt, ſi eos inceſſat ambitioſum deſiderium ut ſe per ſcientiam divinorum librorum reddant coram hominibus celebres, habeanturque nec ſine emolumentis ac honoribus, pro Magiſtris atque Doctoribus divinæ ſcientiæ ac Scripturæ ſacræ: cujus vero cum non habeant Divinum Spiritum ſenſumque internum ac verum prout eſt in Spiritu Dei; ſed ſola VERBA EXTERNA, quibus corrupta mens *ideas rationis* ſibi placitas & *amori* ſuo *proprio congruas ac adulantes* jungit, hinc clamores tanti illi de VERBO EXTERNO, hinc ejus explicationes abſurdæ, falſæ, contradictoriæ, corruptioni adulatoriæ, quas tamen, quia ambiunt Doctores ſpirituales ac divini haberi, veras ac divinas eſſe Verbi Dei expoſitiones jactitant, Spirituſque divini lucem, vim ac efficaciam à Verbo externo quod habent, inſeparabilem eſſe contendunt: tametſi nihil ipſiſſimo Dei Verbo ſcripto magis contrarium ſit quam eorum animus, vita, actiones & explicationes. Sed hæc (*a*) jam alibi tetigimus.

(*a*) ſup. Libr. I. Cap. 4. §. 21, 22.

XIII. (6) *Hinc non omni ſenſu verum eſſe; Pulſum cordis ſi eſt ex Verbo divino, non poſſe non eſſe divinum; ut exemplis oſtenditur.*

XIII. Ex modo dictis ſequitur (ſexto) non omni ex parte nec omni ſenſu verum eſſe hoc D. Jægeri de diſcernendis motibus, an à Deo ſint, nec ne, criterium, quod habet pag. 367. his verbis: *Pulſus cordis ſi eſt ex verbo divino, non poteſt non eſſe divinus; qualis enim eſt naturæ cauſa, talis naturæ etiam eſt effectus.* Ita quidem ſi Verbum Divinum ſit in bona terra bonoque corde receptum cum Spiritu Dei: ſed ſi mala terra, ſi filii tenebrarum & maligni, ſi corda amatis ſuperbiæ & concupiſcentiæ vitiis corrupta, iiſque addicta, illud recipiunt; ſi nihilominus locum Spiritui maligno dare, aut antea datum conſervare velint, quid de illis *cordis pulſibus* judicandum ſit, cuivis ſatis clarum eſt, & experientia reddidit olim atque etiam hiſce temporibus ſatis manifeſtum. Judæi olim habebant *Verbum Dei externum* & gloriabantur in eo: ſed quia ſuperbi erant, & ab hominibus gloriam quærebant, Verbumque adeo Divinum non cum vera fide, ſed cum ambitioſo corde habebant, quales, quæſo, motus inde concipiebant? Zelo tangebantur pro lege Dei, (ſuo pravo modo recepta,) qui *divini Zeli*, teſte Apoſtolo, nomen

ha-

habebat quidem; sed qui tamen erat à Satana gubernatus & re vera Diabolicus, nam eo tendebat ille Zelus ut occiderent Christum & ejus Discipulos. Hinc ad Christum occidendum allegabant Zelum suum *esse ex verbo Dei*; (a) *habemus*, inquiunt, *legem*, Verbum Dei; *& secundum hanc legem*, secundum hoc verbum Dei quod Zelo nos tangit, *debet mori*. En Zelum ex Verbo Dei jactato! Non ignorat D. Jægerus plerosque Pseudoprophetas hujusce temporis ad *Verbum Dei*, quod Spiritus S. effusionem promisit, solere provocare ut suos pulsus ex eo defendant. Forte etiam ipsemet D. Jæger, qui jam ab annis aliquot sentit in se motum atque *pulsum cordis* ad persequendum non paucos, vivos ac mortuos, cum cordis *pulsum* credit *non posse non esse divinum*, quia eum *ex Verbo Divino* deducere potuit hunc similemve in modum: Verbum Divinum dicit: (b) *Nonne osores tuos, Domine, odi, & inimicos tuos aversatus sum? Perfecto odio odi illos, & pro inimicis fuerunt mihi.* Atqui hi & illi, Weierus, Boëmius, Arnoldus, Burignonia, Leada, Guionia, ipseque etiam Poiretus, sunt *impostores*, sunt *hypocritæ* exsecrandi, sua desumserunt *ex orco, ex intimis inferni, è stygia palude*, habuerunt *Diabolum pro informatore*, uno verbo sunt *seductores* & inimici Dei; Ergo debent & mihi Jægero inimici esse, egoque illos odisse ac quantum in me est persequi debeo secundum *impulsionem quam sentio cordis* mei *divinam*, quippe *Verbo Divino* conformem, innixam & ex eo manantem. Pono hoc D. Jægero ob oculos, siquidem dubio procul totum hunc librum suum ex hoc etiam principio composuit, & plura alia eodem *impulsu* scripsitque & fecit, de quibus omnibus non paucæ sunt rationes dubitandi utrum ea è cordis *impulsu divino*, Divini Verbi prætextu licet obtecto, procedant; an potius è Zelo Judaico, terrestri, carnali, imo & forte Cainino. Det Deus ut ille se ipsum vere cognoscat seque simul & criterii vel effati sui, cui nimium innixus est, sensum ancipitem, atque adeo fallacia plenum, corrigere discat!

(a) Joan. 19. ℣. 7.

(b) Ps. 139. ℣. 21.

XIV. Proximis D. Jægeri verbis addit sequentia: (c) *Secus se res habet in pulsu ac tactu quem Poiret statuit: num unde certum habebit fundamentum an pulsus sit ex vana persuasione?* Hæc quæstio

XIV. (7) *Quæstio 3. Unde certum habeat P. an Pul-*

(c) Jæg. ibid. p. 367.

ſus ille non ſit ex vana perſuaſione, aliò pertinet. ſtio non pertinet ad rem de qua hic agitur. Nam hic non quæritur, quomodo certum facias aliquem quod motus quos ſentit, ex Deo ſint nec ne? Sed quomodo, poſito quod Deus re ipſa hominem convertat, ſeſe habeat operatio divina in ejus initio & progreſſu. Supponimus hic operationem vere divinam dari; & quærimus ejus effecta prima: quæ ego hiſce verbis, citante D. Jægero (pag. 360.) expreſſi: (*a*) *Deus primum animam percutit, & lumi-noſo quodam radio curſim penetrat: quo fit ut ea & bonum quo careat, & malum in quo hæret, ſubobſcure videat. Hoc tactu divino, hac prima Dei operatione, tria efficiuntur:* Primo *quidem vividus quidam ſenſus:* deinde, *malorum actuum interruptio:* tertio denique, *bona quadam commotio, inclinatio, puta, ad bonum, & averſio à malo.* Iſta hactenus ſunt extra omne dubium omnemque diſputationem: Sunt enim ex parte Dei prævenientes ac abſolute actiones potentis ejus voluntatis; ex parte hominis paſſiones, ſenſationes atque effecta ab omnipotente cauſa, quibus homo efficiendis nihil conferre poteſt. Attendat D. Jæger ad ea quæ propono, ut deinde debito modo ſe iis, ſi velit, opponat. At meis non attendere; in alia verò, quæ in mentem ipſi veniunt, ictus ſuos vibrare, andabatarum eſt. Quid autem dicemus ſi, quò ictus ſui extra oleas vibrati, non feriant tamen aërem, arripiat (etiam nullo nexu cum nova ſua quæſtione) hominem probum ipſi forte primò occurrentem, quem vero ſtipatus *exſecrationibus* ac ipſo *Satana* (ſine quibus vix unquam procedit) denigret, & horrori eum ac eos qui illi favent, cum *Diabolo*, etiam huc introducto, exponat? Iſtud nonne Chriſtianum hominem deceat? Atqui hoc feciſſe D. Jægerum, idque publicè, & vel tribus vicibus iteraſſe, non pudet hominem. Oſtendam id, poſtquam gratis ac ſponte mea diſſolvero ejus quæſtionem.

(*a*) Oec. Libr. V. C. 2. §. 24. pag. 357.

XV. *Reſpondetur ad eandem.*

XV. Homo convertendus atque idcirco à Deo primum tactus, quamdiu durat iſta Dei operatio, ejuſque ſenſatio, interruptio malorum actuum atque impulſus ad bonum & averſio à malo, tamdiu nec eſt, nec eſſe poteſt in dubio quin hoc ſit plane ſupernaturale prorſusque divinum, verum atque bonum: haud aliter ac ſi homini in tenebris ſemper degenti Deus per aliquot tantum momenta lumen accenderet, quo ei objecta tunc præſentia detegeret; ac poſtea lumen reconderet. Tum

cum

cum lumen ejusque effecta sensu percepta sunt, nullum de eo est dubium; hujusque certitudinis fundamentum & ratio est, tum voluntas omnipotens Dei, qui hanc operationem facit eo fine, ea intentione, ut homo sciat se à Deo tangi: tum ipsa sensationis ac motionis natura, quæ plane est supernaturalis & divinam originem sapiens. At postquam Deus operationem illam suam cessavit, homoque sibi redditus est, hic demum dubitatio aliqua potest habere locum: at non illico, neque tam ab homine ipso quam vel à tentatore, vel ab aliis hominibus qui sunt in tenebris orta. Hæc autem dubitatio, si qua est (nam rarior est) tolli potest interna mentis conversione Deum versus, qui, si mens sincera est, ipsi dabit tantum certitudinis quantum illi salutare erit: non enim deest unquam Deus sincere eam quærentibus. Potest & tolli dubitatio si mens meminerit atque consideraverit fuisse & esse supra suas vires, neque se nec ullam creaturam posse eam sibi iterum reddere: si attendat item omnia illa ad quæ ista operatio animum impellebat esse optima, esse justa, esse æterna, esse beantia, qualia sunt quærere Deum, ei adhærere, placere, eo frui, relinquere pusilla, vana, mala, transeuntia, conscientiam torquentia &c. item attendendo an illa ad quæ hacce operatione incitati fuimus, vel a quibus nos dehortata est, congrua sint cum illis quæ Scripturæ sacræ, verba ac exempla vitæ Christi & Sanctorum nobis clare ex altera parte commendant, prohibent ex altera. Denique consulendo eos qui in viis ac lumine Dei promotiores sunt, si qui sint noti; vel etiam libros eorum qui illuminati à Deo fuerunt: per hos enim sæpe Deus vacillantes ac dubios confirmare solet. Hæc breviter ad quæstionem D. Jægeri; *Unde certum habebit P. fundamentum an pulsus* ille *sit ex vana persuasione?*

XVI. Proponit exemplum ad invidiam, ita pergendo. (*a*) *Ex. gr. sæpissime Jacob Boëmius in famoso Auroræ libello asserit se* IMMEDIATA *illuminatione ejusque impulsu talia & talia scribere, quæ tamen manifesto ex* SATANA *vel ex carne originem suam trahunt.* Haud parum esset laborandum D. Jægero si ab eo exigeretur uti ostenderet illa loca *sæpissime* occurrentia ubi auctor ille ita arroganter de se loquitur, qui potius vel in præfationis suæ con-

XVI. (8.) *Exemplum ad invidiam allatum de* Boëmio, *plane extra oleas esse. De ejus Libello,* de vera

(*a*) Jæg. ibid. p. 367.

Pœnitentia, *hujusque effectis apud Lectores.*

conclusione agnoscit conceptus sui angustiam & imperfectionem: nec libet discutere cur eidem tam confidenter *carnem* & *Satanam* adscribat is qui nil nisi carnem sapit præ viro illo vere divino. Sed hoc assero: istud ad boni viri invidiam allatum à D. Jægero exemplum esse plane à proposito nostro alienum. Id quod mihi hoc in loco proposui, est agere de operatione Dei interna in conversione peccatoris ad Deum & ad salutem. D. Jægerus ut certitudinem eorum quæ dixi de hac Dei operatione impugnet, exemplum adfert hominis de cujus conversione ad Deum deque Dei operatione in illo, minime agitur; sed de quibusdam cognitionis ejus extraordinariis donis ad salutem non necessariis, in quibus vero contendit noster inesse multa falsa, ut inde saltans ab his, ad argumentum nostrum plane diversum, suam de illis conclusionem huic nostro subjecto ab iis diverso impingat. Quid hoc disputandi modo absurdius? Si D. Jæger quæ dixi impugnare velit per instantiam exemplo Boëmii, introducat illum loquentem è libris illis ubi de sua ad Deum *conversione* egit; non ex iis ubi de cognitionibus ejus singularibus ad conversionem minime requisitis tractatur. Adferat in medium ejus libellum *de vera pœnitentia*, ubi suam ipsemet vivo penicillo repræsentat conversionem ad Deum; perlegat illum uti æquum est; atque tunc dicat, si audet, *talia vel ex Satana*, *vel ex carne originem suam trahere:* quando contra ejus inimici, ipsi æque forte ac D. Jægerus infensi, iidemque Theologi, qui voce & scriptis illum diffamaverant, perlecto divinissimo illo libello ita sunt perculsi manu Dei, ut præ tabe deficerent, ac in extremis præ anxietate animi conclamarent, *se peccasse* IN SPIRITUM S. cum talia *Satanæ* auctori tribuerent, quæ autem dicta sua revocabant, amicosque moribundi rogabant uti hæc coram aliis contestarentur ac nota facerent, veluti de Dn. *Holtzhausio* Pastore Lutherano Francofurtensi, qui contra *J. Boëmium* scripserat semel atque iterum, D. D. *Spenerus*, oculatus testis; ipsus etiam ad quem hæc à moribundo illo dicta sunt, retulit (*a*) Scriptis in publicum editis. Exhibuit & idem alio (*b*) in libro simile exemplum vindictæ divinæ in alium Theologum qui postquam in divinum Virum

(*a*) In libro Germanico *Rettung der Gerechten sache* &c. contra Aug. Pfeiffer. pag. 160. &c. (*b*) Libertas filiorum Dei; contra D. Mayerum pag. 94. Germ.

rum atrociter invectus esset concione publica, angoribus infernalibus ad mortem usque cruciatus est.

XVII. D. Jæger ut suo de libro J. Boëmii judicio *ex Satana* (ut inquit) *originem suam trahente* faciat fidem, qua deinde contra me abutatur, duo ex illo profert loca, sed alterum falso interpretatum, alterum truncatum lineis sequentibus quæ objectatum errorem solvissent. Verba & allegata Jægeriana sunt: *Sumamus tantum pro exemplo execrabilem doctrinam quam habet de Deo, cum in Cap. 2. ℣. 61. Deum facit corporeum: Cœlum, inquit, & terra, & quicquid supra cœlos est, simul sumta totus* DEUS *est: Et Cap. 4. ait: Lux, calor, frigus, dulce, amarum, sonus, hæc omnia sunt in Deo Patre* &c. nihilque præterea apponit D. Jæger ad illud *&c.* Ita autem habent in auctore ipso ista loca: Primus, in Auroræ Cap. 2. ℣. 16. (non 61.) ad verbum sic habet: *Sensum tuum elevare debes ad Spiritum usque, & considerare quî tota natura cum omnibus virtutibus quæ sunt in ea, latum, profundum, summum, cœlum, terra, & quicquid in eis est & supra cælos est*, SIT CORPUS DEI: pro illo, quod totum hoc simul sumtum SIT CORPUS DEI, (sive corpus quod Deus creavit, & in quo Deus operationes suas vult exercere ac ostendere, uti toto libro explicat,) D. Jæger posuit, TOTUS DEUS EST. Dicet se locum illum ita invenisse in H. Moro (*a*) citatum, ex quo illum cum errore in cifra descripsit. Ita quidem. Verùm, duo cum faciunt idem, sæpe idem non est. Morus bono animo linguæ Germanicæ nescius, Anglica Boëmii versione uti debuit, quæ certe in tam arduis rebus non potuit interdum non falli, etiam in optimo interprete: & hunc errorem, quem Boëmii esse putavit Morus, non aggravavit; sed imaginationi in mere speculativis adscripsit, notavitque vel optimos interdum de Deo habere conceptus corporeos; quod & historiæ de Sanctissimis quibusdam testantur. D. Jæger eo non est erga illum animo. Vult bonum virum reddere omnibus *execrabilem*, ac veluti ex *Satanæ* impulsu *execrabilem doctrinam* proferentem coram publico accusare. Intelligit linguam qua scripsit. Habet vel habere potest librorum copiam illius auctoris quibus atrox accusatio sua probanda erat. In re tanti momenti, id Officii negligit, ac sufficit ei vel prima ex relatione aliena impressio, quia

XVII. *Loca ex Boëmio allata partim falso interpretata esse, partim truncata; deque testimonio H. Mori pro Boëmio.*

(*a*) Tom. II. p. 538. in Phil. Teut. Cens. §. 11.

hoc ipſum vult. Isne agendi modus tali in re excuſari poteſt? Alter locus è Boëmii Aurora Cap. 4. ℣. 6. ita eſt. *Omnis vis in Deo Patre eſt, & procedit ab ipſo, veluti lux, calor, frigus, molle, dulce, amarum, acidum, acerbum, ſonus, & quicquid dictu & conceptu nobis eſt impoſſibile, id omne in Deo Patre eſt ſimul veluti una vis*, (aut virtus,) *licet cùm ex eo prodeunt*, (ſeorſum) *moveantur.* ATTAMEN VIRTUTES ILLÆ IN DEO NON SUNT EODEM MODO ET FORMA QUALITATIBUS HIS PRÆDITÆ ET OPERANTES SICUT IN NATURA, *ſtellis, elementis &* IN CREATURIS. Hæc ultima omnia à D. Jægero omiſſa ſunt, quæ tamen difficultatem objectam tollebant. Sed & patet è millenis aliis locis ceterorum Auctoris Scriptorum, quam magnificentiſſime ille de Deo ſentiat, & quam immenſum abſit ab *execrabili doctrina* ei per D. Jægerum imputatâ.

Equidem contra Boëmium teſtimonium Henrici Mori adducit D. Jæger, ſed more ſuo, hoc eſt, mutilatum & falſo relatum. Qui H. Mori Operum Tomum II. ac in eo tractatum de *Philoſophiæ Teutonicæ Cenſura*, ejusque *Præfationem*, inſpicere dignabuntur, non ſine admiratione videbunt doctum hunc Anglum directe contra Jægerum aſſerere, „ eos qui ſpiritum unde libri „ ejus prodierunt pro diabolico habent, & traducunt, id facere „ *vel ex ignorantia vel ex malitia:* patere potius eſſe *Spiritum ap-* „ *prime Chriſtianum*, &c.“ Sed de hoc erit infra agendi (*a*) locus ſpatioſior.

(*a*) Libr. IV. Cap. XI. Vide ibi §. 10. & ſeqq.

XVIII. *De invectionibus enormibus contra P. quas Jægerus his aſſuit.*

XVIII. Perrecturus ex Boëmio ad Poiretum (*b*) D. Jægerus H. Moro iterum quaſi innixus, Boëmio objectat *falſa, abſona, delira, blaſphema, &* FIDEM *totam evertentia ab eo tradi:* tum concludit, quod ſi Poiretus ejus ſequatur veſtigia, ſi laudet ejus doctrinalia tanquam divina, inde *conſequi, quod Poiret pari ratione uti Boëmius fuerit deceptus; & quod pro tactu, pulſu ac lumine divino, habuerit id quod eſt* EX DIABOLO, MAGNO ILLO IMPOSTORE, *qui etiam* INFERNALES *illuminationes Zedekiæ* Pſeudoprophetæ (2 Par. 18: vſ. 10.) inſpiravit: deinde exclamat: „ *falſis illuminationibus* SATANÆ, *ejusque impoſturis* per *juſtum judicium Dei* relinqui Poiretum, *qui* VERBUM *ipſius* (Dei) *pro* CRASSO *elemento &* LITERA INANI *tantum habet.*

(*b*) Jæg. ib. p. 368. &c.

bet. Diceres D. Jægerum in ſuo elemento delectabiliter natare quando cum calumniis in alios expectorare poteſt *Diabolos*, *Satanas* & *infernalia* quacunque ex occaſione. Quæ in Boëmio *laudavi* & commendavi, practica ſunt. Ab extraordinariis autem luminibus ac donis ejus deſiderandis & quærendis, Lectorum curioſitatem & propriam inclinationem non ſegniter dehortatus ſum, ut videre eſt ex (*a*) Epiſtola *de Auctoribus Myſticis*, num. 43. 44. & 45. Quod autem hic dicit noſter, me *Verbum Dei habere pro* CRASSO *elemento & litera inani*, id (liceat ipſius vocabulo uti) *impoſtura* eſt, ex eo orta quod dicam infra ſpecialius (*b*) ſuo in loco, ubi de Theologia Comparativa.

(*a*) Ea eſt in Tom. II. *de Erud.* pag. 527. &c. uti & in *Bibl. Myſt. ſelect.* p. 164.

(*b*) Infr. Lib. IV. Cap. 10. ubi vide §. 26, 27, 28.

Quæ hactenus dixi, ad ea ſpectant quæ D. Jæger aſſertis à me *Operationis divinæ in hominis converſione* motibus primis ſuisque effectis oppoſuit pro objectione *prima*, quæque ſine ordine hinc inde diſperſerat.

XIX. Nunc II. contra hominis cooperationem objicit pro altero telo ſequentia. (*c*) SECUNDO, *etiam falſum eſt quod homo pulſanti Deo reſpondere poſſit ſi velit*; *atque adeo* GRATIÆ COOPERARI. *Sicut enim homo natura mortuus non poteſt vocem audire*, *nec ad pulſum oſtii aperire*, *ac pulſantem intromittere*; *ita nec homo ſpiritualiter mortuus ex ſeſe vocem Dei audire*, *cor ſuum aperire*, *ac pulſantem intromittere poteſt: Sed Deus eſt qui cor noſtrum aperit*, & ATTENDERE NOS FACIT AD VOCEM SUAM. *Vid.* Act. 16. vſ. 14. *ubi Spiritus S. cor Lydiæ aperuiſſe dicitur. Pulſando igitur Chriſtus* VIM *largitur aperiendi*, *quæ* EFFICACIA *verbo Evangelii* PROPRIA *eſt*, *ſine ulla noſtra cooperatione*, Rom. 1. ℣. 17. Hic habemus D. Jægerum obices opponendi ſtudio declaratum plane Calviniſtam, Janſeniſtam, & gratiæ particularis irreſiſtibilis defenſorem, ac præterea ſibi ipſi ſuisque aliis principiis contradicentem. Nam, ſecundum illum, „ 1. homines etſi velint, ſunt tamen impotentes ad audiendum, „ reſpondendum & cooperandum; 2. & id quidem pulſanti „ Deo. 3. Deus non pulſat niſi per Verbum Evangelii. 4. quod „ eſt ex proprietate ſua efficax, & vim aperiendi largitur. 5. Id „ autem verbum non communicat Deus cum omnibus, ſed quibusdam tantum, pleriſque in orbe hominum qui id non au„ diunt nec audire poſſunt excluſis. 6. Ex illis vero mortuis qui

XIX. *De II. ejus Cenſura: Falſum eſſe quod homo pulſanti Deo reſpondere poſſit ſi velit. In quo & ſibi contradicit.*

(*c*) Jæg. ib. pag. 365.

„ audiunt Verbum efficax & vim aperiendi largiens, multi ta-
„ men ejusdem efficaciæ & virtutis indivulsæ non sunt participes,
„ sed ex illis unus aut alter tantum, ut LYDIA. 7. cujus mor-
„ tuæ cor aperuit Deus & eam fecit attendere. 8. ceteros mor-
„ tuos voluit relinquere in statu mortuo in quo non poterant au-
„ dire, respondere, cooperari. 9. Quod fecissent si Deus eos,
„ ut Lydiam, voluisset facere attendere; quamvis tamen illi
„ tunc cum Lydia à Paulo audiverint Verbum Evangelii cui ef-
„ ficacia & vis & potentia aperiendi propria est eique unita ". Hæc qui non videt ac fatetur contradictionibus turgere, ac insuper in rigidam & particularem Prædestinationem, à qua tamen D. Jægerus abhorret, abire & resolvenda esse, eum oportet cœcitate mentis laborare vel animi sinceritate destitui.

XX. *Et toti Scripturæ.*

XX. Ceterum longior essem si quæ voluit turbare D. Jæger & quæ huc pertinent, mihi hic essent repetenda. Rogo Lectores ut velint solum attendere ad brevem illam Epitomen quam ex Oeconomiæ Libro V. descripsi ab initio hujusce Capitis. Addo hanc D. Jægeri oppositionem præter incommoda modo recensita esse contra totam Scripturam S. quæ à principio ad finem exigit ab hominibus ut attendant, ut morem gerant, ut cooperentur imo operentur salutem suam; Deum vocavisse, posuisse vitam atque mortem ante oculos, voluisse ut vitam eligerent, fecisse vineæ suæ quicquid ex sua parte requisitum erat ut ipsa cooperaretur; homines audivisse, & convictos esse, sed noluisse; ideoque eos non habere unde se excusent; & innumera ejusmodi, quæ ostendunt eos vel judice Deo potuisse cooperari si voluissent. Utri credemus jam? An Verbo Dei, quod D. Jæger alioqui tantopere in os suum assumit; an verò Jægero ei Verbo contradicenti, conceptis hisce verbis suis: *Falsum est quod homo pulsanti Deo respondere possit si velit; atque adeo gratiæ cooperari?* Quis non videt audaci ac falsa hac oblocutione ansam præterea dari hominum negligentiæ, distractioni, desidiæ spirituali ac voluntariæ impietati uti in iis pergant, eas excusent, dicentes, se non posse *cooperari* ad conversionem suam, non posse *attendere ad vocem & Verbum Dei*; Dei esse facere ut *attendant*, quod verò usque adhuc non fecerit ille, nec illi facere possint &c. Scio è quibus libris D. Jægero juratis vel subscriptis

illi

ille hæc principia hauſerit: Verum an non decuiſſet hominem tantopere VERBUM DEI *externum* clamantem ac reclamantem, & pro norma infallibili omnium profitentem, ei potius adhærere, quam humanis chartis, quantumvis pro *norma normata* habitis, primas deferre partes, ac ad hæcce extrinſeca Scripturas flectere & interpretari velle?

XXI. Quod ſi auctoritatibus meliorum ſit agendum, certe omnes antiquæ Eccleſiæ Patres in hoc conſentiunt, quod quando ex una parte Deus hominem vocat, pulſat, offert ſe ei ut in illo operetur; Diabolus verò, aut mundus, aut caro ex altera parte idem faciunt, homini liberum ſit utri velit parti attendere; Deo dare locum vel Diabolo, vertere ſe hunc vel illum verſus, uno verbo in libero hominis arbitrio liberave voluntate relictum eſſe ut eligat utrum velit, & cooperetur cum Deo vel cum Diabolo. Videat qui voluerit Catalogum Patrum & antiquorum plus quadraginta, apud Voſſium in Hiſtoria Pelagiana Libro VII. Part. II. ad Theſ. I. (pag. 741. &c. Edit. 2.) indicatis Scriptorum locis ubi eorum teſtimonia reperienda ſint, è quibus ſola hæc Auguſtini verba apponere libet: *In tuo arbitrio Deus poſuit cui pares locum, Deo, an Diabolo; cum paraveris, qui poſſidebit, ipſe imperabit.* Homil. 16. T. 10. Et ſequentia è Macario: *Ut exerceatur mens, aut laborem toleret, aut opus perficiat, gratia Domini largitur volenti & credenti. Voluntas ergo hominis eſt velut adjutorium à natura inſitum,* (παράςασις ὑποςατική:) *abſente verò voluntate, neque ipſe Deus quippiam operatur, quamvis poſſit; propter liberam nimirum arbitrii voluntatem:* (διὰ τὸ αὐτεξȣ́σιον:) *Perfectio igitur operis ſpiritus* (quod operatio in anima actu fiat ad finem uſque,) *in voluntate hominis ſita eſt; rurſum ſi totam voluntatem concedamus, integrum opus nobis adſcribit mirabilis ille Deus in omnibus.*

XXI. *Nec non toti Eccleſiæ antiquæ adverſatur.*

XXII. Nil opus eſt ut dicam aliquid ad ea quæ D. Jæger una atque altera pagina accumulat ut ſententiam ſuam de converſione explicet, ſiquidem non ſua impugnare, ſed mea contra illum defendere ſcopus meus hic ſit. Vidi tamen ſatis vel ex hoc ſpecimine ſuo eum hac in materia nihil recte intelligere, quam ſententiam meam plane confirmat vel ſola Syſtematis ſui Dogmatico-Polemici inſpectio, in quo Caput de *Regeneratione* præponit Capiti de *Converſione*; quam verò aſſerit præire *Pœnitentiæ*, eadem ſcili-

XXII. *De Converſione à Jægero explicata.*

ſcilicet ratione qua currus ante equos vel aratrum ante boves præponuntur. Quis tantiſper rebus vel notitiis ſacris tinctus audire hoc poſſit; hominem primò regenerari; & cum *regenitus* eſt, atque *converſus* (hæc enim noſtro tantùm non ſynonyma ſunt) tum demum debere *pœnitentiam* agere?

XXIII. *Verba Oeconomiæ præpoſterè nec ſine conviciis vellicata, repoſitis quæ reſecuerat, vindicantur.*

XXIII. Ex epitome initio hujuſce Capitis appoſita, ideam exhibente eorum quæ in Oeconomiæ Libro V. tractanda ſunt, libuit D. Jægero lineas aliquot è num. 15. vexare, tametſi illæ indicent ſolum materiam poſt aliqua demum Capita tractandam, adeoque huc non pertinentem. Nihilominus tamen, etſi infra quoque eam impugnaturus ſit ſuo loco D. Jæger, continere ſe non poteſt quin & hic eam obiter aggrediatur, neſcio qua de cauſa, niſi forte quod hic eum denuo urſit vehemens ſua contra me Satanam & diabolica expectorandi conſuetudo: objicit enim mihi hac occaſione (*a*) *illuſionem* DIABOLICAM, *meram illuſionem* SATANÆ, *& Spiritus illius ſuperbi* (SATANÆ,) *ſuperbiam ſpiritualem.* Atque id ea de cauſa, quod operationes Dei in homine fideliter ei reſpondente, eouſque evexerim, quouſque eas divina exaltat Scriptura, quando aſſerit, eos qui filii Dei ſunt, agi ac regi Spiritu Dei, ſibi eſſe mortuos, Chriſto vivere, imo ſolum Chriſtum in iis vivere, & innumera alia quæ paſſim in Scripturis divinis occurrunt; quæque negare ac ſibi contrà aſſerenti magis credi velle quam Deo loquenti, ſuperbiæ potius eſſet revera Diabolicæ. Sed hæc cum aliò pertineant, ſuo loco tractabuntur ubi D. Jæger eadem (*b*) denuo & amplius impugnaturus eſt.

(*a*) Ibid. p. 369.

(*b*) Exam. Th. n. Controv. 33. de qua vid. infrà Cap. 8.

Adeſt tamen & hic ordinaria quædam D. Jægeri fallacia, ſine qua ejuſdem Satanicæ ſuperbiæ criminationi non fuiſſet locus. Reſecuit ille è verbis meis initio ſuæ hujus Controverſiæ citatis aliquot lineas quæ eam prævertere ac nullam facere potuiſſent eas ſi fideliter connexas cum ſequentibus reliquiſſet. In iis repræſentavi animam ſe Deo offerentem eo in ſtatu quem illa ei hiſce verbis exprimit (*c*): *Quandoquidem tu*, (*ô Deus*) *omnis boni origo es, à qua nihil unquam mali derivatur; ego verò omnis mali ſcaturigo facta ſum, quæ ex me ipſa boni nihil procreare poſſum; cumque ex me ipſa nullæ mihi ſint vires niſi quibus te offendam, me verò ipſam perdam; denique cum ubi activitatem meam gratiæ tuæ ſuper-*

(*c*) Oecon. Div. L. V. Cap. 2. n. 31.

superaddo, tuas operationes reprimam tantum, nihilque præter obstacula opponam tibi, qui misericordiâ limites omnes transcendente in me intrare, malaque mea tum actualia tum habitualia illic demoliri, bona verò omnia quæ à te uno emanant, instruere velis; age, ô CREATOR *adorande, ac dulcissime Liberator, qui tam benigne me prævenisti, tibi libertatem meam, mea desideria omnesque facultates reliquas, ac cuncta quæ mihi concessisti & ex me pendere voluisti, quæque perdidi miser ac corrupi, tibi inquam ea jam resigno & in manus tuas trado, etiam etiamque te rogans ut ea omnia accepta habere atque ex arbitrio voluntatis tuæ administrare velis, sive demoliri lubeat, sive exstruere* &c. Horum verborum omnis humilitatis fundamentum exprimentium, omnis superbiæ radicem excludentium, omnemque boni omnis rationem, causam ac laudem uni Deo tribuentium, partem primam ubi hæc ipsa continentur, D. Jæger, dum præ se fert locum referre integrum, suppressit totam, usque ad verba, O CREATOR *adorande.* Callide sane, ut accusationi illi suæ de *Satanica superbia* & *diabolica illusione* locum inveniret. O infidele fallendi artificium, vel quovis homine indignum!

XXIV. Lepidum est postulatum illud quod hic etiam facit: *Monstret Dn. Poiret* UNUM *qui ad hanc perfectionem pervenerit!* Perinde omnino ac si cœcus dicat: Monstra mihi vel UNUM lucis radium, & credam dari lucem. Apertos ad hæc non habet D. Jægerus oculos, sicuti nec animum eos agnoscendi, nec inde proficiendi, paratus quippe quamprimum ei monstrarentur nonnulli, irruere protinus in illos, pedibusque eosdem conculcare, atque pro viribus fœdare, haud secus ac animalia illa coram quibus Christus prohibuit ne sancta, ne margaritæ projicerentur. Soli boni eos cognoscere possunt, & ex iis simul proficere, uti olim suo exemplo ostendit S. Bernardus de se ita testans: (*a*) *Magis ac magis languebat, & tædebat, & dormitabat anima mea, tristis & pœne desperans, & mussitans secum illud;* à facie frigoris hujus quis sustinebit? (Ps. 147. ℣. 17.) *cum subito forte ad affatum vel etiam aspectum cujuspiam spiritualis* PERFECTIQUE VIRI, *interdum & ad solam defuncti seu absentis memoriam, flabat Spiritus & fluebant aquæ.* Si quos hujusmodi sibi *monstrari* velit D. Jægerus, habet Scripturas, quas tantopere clamat & jactat: quærat in eis

XXIV. *Ad postulatum de monstrando sibi homine perfecto.*

(*a*) Serm. 14. in Cantica.

horum exempla & teſtimonia quæ ibi reperienda ſunt plurima: quærat ea & in Vitis SS. Patrum aliorumque Sanctorum non parvo numero. Sed quid ego hominem illuc invitem quo cupit minime, ea ut videat quæ videre non vult, ibi licet copioſe & evidenter exſtantia!

CAPUT VII.

De Juſtificatione hominis coram Deo.

I. *Apoſtoli num de Juſtificatione diſputaverint, & adverſus quos.*

I. INter media interna ad ſalutem hominis neceſſaria jure merito recenſetur Juſtificatio, non tam quatenus homo ejus cognitionem ſpeculativam, & perſuaſionem quod ea fruatur, poſſit habere, (quod potius Deo fide implicita committendum eſſet,) quam quatenus Deus eam in homine operatur. Olim veri Chriſtiani tradebant ſe Deo ejusque Spiritui intus in illis operanti, eidemque obſequebantur, atque ita ſalvi fiebant ſine ſpeculationibus præterea aliis, diſputationibusque de Juſtificatione, quas habebant nullas Apoſtoli niſi contra duo hominum genera, quorum errores Dei operationibus internis, hominisque obſequio Spiritui Dei debito adverſabantur. Horum primi erant Judæi, qui operationibus Dei ſubſtituebant operationes ſive opera Legis ſuæ ceremonialis, quibus Juſtificationem adſcribebant, contra quos ſæpe Paulus, ſpeciatim in Epiſtolis ad Romanos, ad Galatas & ad Hebræos. Alteri fuere Simon Magus, Nicolaitæ, Gnoſtici aliique ſimiles, quibus Antinomi accenſeri poſſint, qui negabant bona opera ad ſalutem & juſtificationem eſſe neceſſaria, legemque moralem ac *prophetas* eſſe cur (verba ſunt Irenæi (a) de Simone Mago) *non ulterius curarent; & ut liberos, agere quæ velint: ſecundum enim ipſius gratiam ſalvari homines,* NON SECUNDUM OPERAS JUSTAS. *Nec enim eſſe naturaliter* OPERATIONES JUSTAS, *ſed ex accidentia, quemadmodum poſuerunt qui mundum fecerant Angeli, per hujusmodi* PRÆCEPTA (moralia) *in ſervitutem deducentes homines*; (iis ſcilicet imponentes jugum inſupportabile, uti legem moralem appellat etiam D. Jæger.) *Quapropter &* SOLVI *mundum, &* LIBERARI *eos qui ſunt ejus, ab imperio* (ab operibus juſtis) *eorum qui mundum fecerunt, re-*

(a) Libr. I. Cap. 20.

promisit. Quibus addit Irenæus; *horum sacerdotes igitur libidinose vivere* &c. Ista hæresis operationibus Dei in homine adversatur omnium maxime: nam bona opera sunt effectus & operationes Spiritus Dei in homine, qui homo eo ipso quod bonis operibus adversatur, operanti Deo adversatur; proindeque ab illo operante ac rejecto, neque justificari neque salvari potest. Hinc est quod exitiali isti hæresi sese opposuerint strenue Jacobus, Petrus, Joannes & Judas Apostoli in Epistolis suis Catholicis, quibus utinam Christiani semper voluissent singulariter attendere. Verum, eheu, accidit dudum illud tempus ab Apostolo prædictum, (*a*) *cum sanam doctrinam non sustinebunt homines; sed ad desideria sua coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus.* Hi fecerunt hominibus sui amantibus salutis ac justificationis viam latissimam, jucundissimam atque facillimam, cum tamen, teste Jesu Christo, debeat esse angusta, laboriosa, & a paucis trita.

(*a*) 2 Tim. 4. ℣. 3.

II. Constitui in Libro V. Oeconomiæ hanc salutis viam, quantum ad interna, repræsentare, ac in illius Capite VIII. viam *justificationis*, relinquens cuique liberum ea quæ secundum Scripturas proposui, admittere vel præterire. Ne tamen inde per præjudicia quædam inveterata removeantur illi qui iis sunt imbuti, eadem removere & falsi convincere conatus sum, imo & debui, quippe qui olim in his implicitus fui, & aliis eadem, cum meliora nescirem, commendavi.

II. *Institutum Libri V. Oeconomiæ & Capitis 8. ejusdem de Justificatione, cujus fundamenta recensentur.*

Rogatos velim Lectores, uti illud Caput, quod de materia maxime momentosa non vulgari modo scriptum est, totum legere dignentur. Fundamenta ejus verbo hic indicabo. Deus hominem in sanctitate & justitia creaverat; hæc imago Dei, hic salutis & unionis cum Deo status est. Homo instinctu tentatoris, impurus, iniquus factus, Dei imaginem, cum eo unionem, salutemque adeo amisit, Diaboli imagine & damnationis statu assumtis. Restitutio ejus in eo non potest non consistere, nempe, ut Diaboli imaginem, impuritatem & iniquitatem exuat, induatque denuo Dei imaginem in justitia & sanctitate, sive, ut fiat denuo justus ac Dei imagine præditus. Id in Scriptis divinis, sanctorumque Doctorum Christianorum vocatur *Justificatio:* hanc habere multos gradus declarant res ipsa, Scriptores sacri, & conceptis hisce verbis Joannes, (*a*) *qui justus est, justificetur adhuc.*

(*a*) Apoc. 22. ℣. 11.

Tres gradus, vel si mavis, species, in ea notavi: 1. cum peccator se à malo ad bonum propositum re vera recipit. 2. cum aggreditur id exequi, in eoque pergit. 3. cum ubi ultra non valet, opus suum Deus in eo perficit. In unaquaque harum specierum inest & accusatio, & justificatio respondens, eaque tum effectiva, tum declarativa: In unaquaque interveniunt peccatum hominis, meritum Christi, Peccati sublatio per illud & per operationem Dei, & absolutio declarativa. Sed in tertia justificationis specie, quæ excellentissima est, quippe in qua deletur tota Diaboli imago & restituitur in integrum, imago Dei in justitia & sanctitate, concurrunt hæc quatuor: 1. Animæ integra puritas. 2. Imputatio meriti Christi. 3. imputatio fidei ad justitiam. 4. declaratio Dei justificantis: quæ omnia, addita & quadam divinissima specie alia, pluribus in toto Capite explicare ita conatus sum, ut nemo deinceps sibi eo in negotio adularetur, vel aliorum adulationes audiret.

III. *Jægeri de his sententia atrox. Locus ex Oeconom. allatus omissis quæ veritatem ejus demonstrant.*

III. Id minime tolerare potuit D. Jægerus, eaque de causâ contra Caput illud de *Justificatione*, scripsit suam Controversiam XXXII. quam dignam credidit quæ ad verbum recocta apponeretur denuo Lectoribus (a) Systematis sui Dogm.-Polemici, tametsi non minus sit inanis quàm reliqua quæ idem protulit hactenus. Quippe deficiens, & falsis constans atque calumniis, oblito minime INFERNO.

Incipit per assertionem ejus quod cupit concludere: (b) *In gravissimo*, inquit, *hoc puncto iterum noster Poiret talia tradit, quæ à divina veritate prorsus aliena sunt:* Conclusio autem ejus est hæc: (c) *Ex quibus manifesto liquet Doctrinam Poireti de* JUSTIFICATIONE *plane non ex Schola Spiritus Sancti haustam esse: sed ex fœtidis lacunis Pelagianorum, Socinianorum, Weigelianorum, Anabaptistarum & Quackerorum,* --- *&* EX INFERNO.

Quam conclusionem ut probet, præmittit primo laciniam quam ex Cap. VIII. num. XIX. Libri V. ita laceravit, ut cum in ea de Justificatione gradus tertii agatur, ejus vis intelligi non possit sine recensione culpæ & accusationis hanc justificationem præcedentis, quam autem ille callide resecuit. Alioqui evidentissimum esset cuivis bonæ mentis Lectori, isti accusationi hominis peccatoris locum esse re vera coram Deo, atque adeo ho-

(a) Tom. II. Lib. 3. pag. 58.
(b) Jæg. Exam. p. 385.
(c) Ibid. pag. 393.

hominem vere ita accusatum, hoc ipso ostendi nondum esse justificatum: porro, non posse hanc accusationem aliter tolli quam per justificationem à me delineatam: quæ est veritas demonstrata.

Post infidele hoc præmissum, sequuntur media quibus conclusionis suæ veritatem evincat. Primum est generale, reliqua tria vel quatuor sunt specialia; omnia nihil ad rem facientia.

IV. Primum est, quod licet ea quæ dico (*a*) *sub specioso magnæ pietatis colore dicantur*, *falsa tamen sunt*. Ratio rationum: scilicet, inquit, *totam nostram Euangelicam doctrinam de Justificatione hominis peccatoris coram Deo destruunt*. Per Doctrinam *Evangelicam* intelligit noster Jægerus *Lutheranam*, & quidem, (quatenus in Systematibus plerisque suarum partium continetur) *adulatoriam*, qua non mors veteri Adamo infertur, sed ejus vita adulatorie conservatur, imo & promovetur. Pro exemplo ejus quod dico, consideretur hæcce in systemate D. Jægeri Justificationis definitio Scholastica, quam deinde per causas efficientes, mediantes, impulsivas, materiales, formales, finales, post multos alios deducit: Scilicet, (*b*) *Justificatio est actus Dei gratiosus judicialis, quo impium & peccatorem* IN SESE, & OBNOXIUM IRÆ *suæ, ex mera misericordia propter perfectam Christi obedientiam & satisfactionem pro nobis* [h. e. loco nostro] *præstitam, & vera fide acceptam*, JUSTUM *pronunciat, id est, absolvit à peccatis & maledictione:* addit in Capite sequenti (p. 77.) „ talem à Deo *in eum dignitatis gradum collocari; ut tanquam filius in familiam* Dei, *& hæres fiat omnium cœlestium bonorum*. Quibus vero quivis *impius*, quo magis erit cordis perditi ac fallacis, eo facilius uti poterit non ad horrorem & derelictionem sui peccati, sed ad ipsius conservationem, qua non obstante licet sit iniquus & nequam inhærenter, nihilque intrinsecus IN EO sit nisi objecta quæ Deus horreat; tamen quia ipsi dictum est ab *Euangelicis* (scilicet!) doctoribus & D. Jægero, quod Christus LOCO ILLIUS OBEDIVIT DEO ET PASSUS EST, illeque hoc credit; jam, utut intrinsecus plenus peccatis, nihilominus est justus secundum Dei judicium, neque Deo displicet unitus iniquitati: imo nedum Deo displiceat agnoscitur ejus *Filius & hæres* dilectus. Atque ita Deus, qui maledixit eis

IV. *Objectio ejus generalis; Destrui per ea totam doctrinam suam Evangelicam de Justificatione. Quæ sit illa & quàm absurda.*

(*a*) Jæg. Ex. p. 387.

(*b*) Jæg. Syst. Th. Dogm. T. II. part. 3. p. 52.

(a) Isa. 5. ℣. 20.

(*a*) *qui bonum vocant malum, malum vero bonum; tenebras lucem, lucem autem tenebras; dulce amarum, & amarum dulce;* is ipsemet dicet judicium ejusmodi; hominem intus, IN SE & vere *impium*, quique voluntarie talis manere vult, (quippe qui *legem Dei moralem* pro *jugo insupportabili* habet,) esse hominem justum & innocentem coram illo, propter cordis sui de Christo loco sui substituto persuasionem adulatoriam, quam vero *fidem Euangelicam* appellat. Fateor me ejusmodi *doctrinam Euangelicam*, quæ per Dei misericordiam, cor meum nunquam tranquillare potuit, omnino horrere: nec me pœnitere illam per ea quæ scripsi, *destrui* potius quam confirmari. Neque est cur D. Jæger propterea sibi persuadeat me suis Euangelicis voluisse adversari, ad quos me non respexisse sancte profiteor, imo nec meminisse utrum unquam eorum aliquem hocce de subjecto legerim. Scribant ipsi quicquid velint, per me quidem licet; sed patiantur me eadem libertate uti nullo ad ipsos habito respectu.

V. *Objectio specialis* I. *Neminem hac in vita ad puritatem integram pervenire posse. De sensu loci Rom.* 7. ℣. 18. *& seq.*

(b) Jæg. Ex. p. 387.

V. Inter D. Jægeri speciales contra me rationes prima est, quod neget ad puritatem integram posse hac in mortalitate perveniri, adeoque illam in justificatione non includi: alioqui (*b*) *nullus unquam hominum fuisset hic justificatus.* Probat autem hanc impossibilitatem exemplo & verbis Pauli ad Rom. Cap. 7. ℣. 18. & seq. Negatio illa Jægeriana, quæ est Verbo Dei sive Scripturæ sacræ & exemplis multis ibi extantibus plane opposita, ac impiorum exceptionibus & Satanæ desiderio plane consona, pertinet proprie ad quæstionem de legis sive mandatorum Dei observantia, quam noster in Controversia sequenti resumet, quo usque & nos exspectabimus. Locus & exemplum Pauli duas admittunt explicationes: alteram eorum qui Paulum dicunt vel assumere personam irregenitorum, qui erant *carnales* & *venditi sub peccato*, sive mancipia peccati, quod de S. Apostolo dici non potest; vel si de se loquatur, non id intelligendum esse de se uti tunc erat, sed uti erat ante conversionem aut regenerationem suam. Et hoc quidem sensu nihil inde conficitur ad probandum regenitos non posse esse integra puritate præditos. Huic ego accedo sententiæ, ejusque veritatem, ac totius Capitis sensum ostendi in hocce Libro Oec. V. Cap. IX. num. XLIII. quem locum hic describere non libet. Addam tantum, statum illum

illum vel ſtatus illos de quibus hîc Paulus (ſunt enim plures,) referri poſſe ad ſpeciem primam & alteram Juſtificationis de quibus egi in hoc Libr. V. Oeconomiæ Cap. VIII. §. VI. ad XVI. quas D. Jæger ſilentio involvit. Altera Apoſtolici Capitis explicatio illorum eſt qui dicunt agi ibi de Paulo quatenus jam regenitus erat; quam autem amplectitur D. Jægerus ut concludat, non poſſe regenitos ad integram Sanctitatem hic pervenire: & qui aliter ſentiunt, eos *Socinianis* aſſociat.

VI. Ut pateat D. Jægerum ea neſcire quæ ſcire deberet antequam Socinianis aliquos aſſociet, proferam ipſi SS. Patrum aliquot alioſque ſcriptores non ſuſpectos qui id Caput *de Paulo nondum regenito* intellexerunt: atque ut videat me non diſſimulare à quibus aliquid deſumſerim, nominabo auctores, & ſimul in iis loca indicabo quibus reſpondetur omnibus quatuor rationibus ſive objectionibus quas D. Jæger, ut ſententiam ſuam probaret, ex Pareo deſumſit. Auctores mihi ſunt doctiſſimus ille Scriptor G. J. Voſſius, uti & illuſtris Doctrina & pietate Anglicus Præſul, Georgius Bullus (*a*) qui ſuis citatis addit & quoſdam alios. Ille in Hiſtoriæ Pelagianæ Libr. II. Part. I. Theſ. 2. pag. 148, & hic ex illo, nominant in hac ſententia Irenæum, Tertullianum, Macarium, Baſilium, Cyrillum, Origenem, Chryſoſtomum, Theodoretum, Scriptorem Commentariorum Ambroſio tributorum, Theophilactum. Affert Rev. Bullus ex aliis, Scriptorem de Cardinalibus Chriſti operibus, Cypriano annexum, (& in nova editione nominatum Arnoldum Carnotenſem, Abbatem Bonæ-vallis,) Paulinum, Damaſcenum, Oecumenium, Sedulium, Maximum: quibus & addit ipſe, (quorum loca deſcribit) Juſtinum Martyrem, Clementem Alexandrinum, Marcum Eremitam, Dorotheum, S. Pacianum, & Ennodium. Deſignat (*b*) Grotius & Hieronymum, & ex Proteſtantibus Bucerum & Wolfg. Muſculum, alioſque generatim in Gallia nec paucos nec minimos. En quos hiſce poſſis D. Jægeri temerariis ac injurioſis verbis opponere: (*c*) *quod autem quidam* CUM SOCINIANIS *contendunt, Paulum non loqui de ſe ut renato, per ſe falſum eſt, & totus textus reclamat.*

VI. Paulum ibi non loqui de ſe ut renato ſentiunt SS. Patres plerique, aliique Scriptores probati, male Socinianis à Jægero aſſociati.

(*a*) Apolog. pro Harmonia Apoſtolica pag. 651.

(*b*) In Diſcuſſ. Apol. Rivet. pag. 192.

(*c*) Jæg. ibid. p. 387.

VII. Adducit tamen quatuor è textu *reclamationes*, quas uti ex alio deſumſit ita earumdem refutationem in alio, qui modo dictus

VII. Ejuſdem contra hæc

oblocutiones quatuor alibi deletæ. ctus Rev. Bullus est, ostendam, sed indicatis solum, non allatis locis. Monebo tantum in genere, eos, quos hic pro *renatis* assumit D. Jæger, omnium minime renatos esse, nisi ad modulum Jægerianum; sed pugnantes esse & tendentes ad regenerationem, ac adhuc constitutos in ea specie justitiæ sive justificationis, quam secundam diximus. Addo, ex iis quæ de prima & altera diximus justificatione, ex iis item quæ in Epitome Cooperationis, Capite præcedente §. III. numero 9. ad 13. brevibus inclusa sunt, plene D. Jægeri instantiis respondere posse: tametsi quia eas ille ex alio desumsit, ex alio quoque, ut dixi, responsiones ipsi indicabo.

Primæ D. Jægeri è textu Pauli reclamationi, è Pareo sumtæ, quod Paulus dicat ibi, *se velle bonum, & nolle malum*, quod vero non esse nisi renatorum contendit Jægerus; respondetur à Rev. Bullo, in *Harmonia Apostolica*, *Dissert.* 2. *Cap.* 9. §. 15. pag. 63. Edit. Lond. 1703. (cujus paginas & deinceps citabo.) Item in *Apologia* ejusdem, *pag.* 76. 77.

Secundæ reclamationi: quod *consentire legi quòd bona sit, & ejus obedientia delectari* (uti is de quo in Cap. 7. ad Rom.) *sit renatorum*; satisfacit idem in *Harmoniæ pag.* 64. & in hujus *Apologia. pag.* 79.

Tertia Objectio, quod *soli renati habeant hominem interiorem*, deletur ab eodem in *Harmonia*, *pag.* 65. & in *Apologia*, *pag.* 80.

Denique quartæ D. Jægeri è Pareo oblocutioni, *quod ingemiscere de sua miseria ob peccatum, desiderare liberationem ab ejus jugo*, &c. non sit nisi renatorum, silentium imponitur iisdem in locis, *Harmoniæ pag.* 66. & *Apol. pag.* 81.

VIII. *Quales ille fingat regenitos. Paulus & Joannes, quos injuriose denigrat, vindicantur.*

VIII. Miros sibi fingit regenitos D. Jæger, qui sint adhuc *sub jugo peccati*; & denigrat inique (*a*) Apostolos, Paulum & Joannem: illum, quando ei tribuit *impuritates* carnales *inficientes ejus actiones*. Non contaminant tentationes carnales nec ullæ aliæ quando ingratæ sunt, nec iis consentit, sed resistit animus. Regeniti corpus carneum habent, ad quod ut accedat tentator, & per illud pravas animæ cogitationes ingerat, permittit Deus ut animam exerceat, & in humilitate conservet: (*b*) *gratia enim divina & virtus*, ut Deus Apostolo dixit, in *infirmitate perficitur* &

(*a*) Jæg. ibid. p. 389.
(*b*) 2. Cor. 12. ℣. 9.

& fit fortior, quod longe abest ut inde *inficiatur* anima, ejusve *actiones*. Quæ causa etiam est cur (*a*) illos qui tentationibus vexantur easque sustinent, *beatos* dicat Apostolus Jacobus, ac eos *gaudere* jubeat. De Joanne Apostolo cum dicit D. Jæger quod agnoscat se *non plane esse purificatum*, quod *peccatum inhabitans adhuc in se* sit, & quod peccet adhuc, calumniæ sunt in gratiam Dei cum Spiritu S. Apostolo donatam, ut & in divinum Discipulum quem Christus præ omnibus aliis dilexit, qui testatus est se esse & ambulare in lumine, se purificatum esse sanguine Filii Dei Jesu Christi, esse in illo, se ex Deo natum esse, adeoque ex illorum numero qui, (*b*) *non peccant amplius*, *nec peccare possunt*, quibus (*c*) *mandata Dei non sunt gravia*, qui *illa faciunt*, *vicerunt mundum*, & *in mundo* sunt *sicut Christus fuit* &c. Nihil juvat injuriosam D. Jægeri de Sanctissimo Apostolo sententiam (*d*) dictum illud quod ex eo profert: *Si dixerimus quod non peccaverimus*, *mendacem facimus Deum:* quis enim non fateatur regenitus, se ante regenerationem peccavisse? At urget noster, Apostolum *de præsenti loqui*, *& se ipsum includere.* Hoc ultimum cavillatio est: eos qui de aliis vel ad alios loquuntur, solere sæpe prima persona uti, sciunt Rhetorum & Grammaticorum tirones, usus Scripturæ & omnium linguarum ostendit. Prius autem illud falsum esse patebit omnibus textum Apostoli inspicientibus, nisi D. Jæger per novam aliquam Grammaticam iis persuadeat verbum ἡμαρτήκαμεν, quo Apostolus utitur Cap. I. ℣. 10, esse præsentis, non præteriti temporis. Verum, pergit noster, *non erat necessum dicere*, *homines ante regenerationem habere peccatum*; *quis hoc ignoravit?* Miram quæstionem doctoralem! An ergo nihil dicit Scriptura nisi id quod omnes ignoraverunt? Solem oriri & occidere, fluvios ad mare currere, hominem nasci ex fœmina, esse mortalem &c. dicit Scriptura: oggerat D. Jæger, ut Joanni, *quis hoc ignoravit?* atque adeo ut inutilia, si non delenda, ea adspiciat, cum plerisque etiam locis parallelis: nam quorsum ea iterare toties quæ semel dicta sunt? *quis hoc ignoravit?* Nescit ergo Doctor repetitionum in Scripturis insignem usum. Sed & de hac ipsa nostri quæstione legat ille loca Luc. 18. ℣. 11. Matth. 19. ℣. 20. Apoc. 3. ℣. 17. pluraque ejusmodi, & videbit *quis hoc ignoraverit* non raro.

(*a*) Jac. I. ℣. 2. & 12.

(*b*) 1. Joan. 3. ℣. 6, 9.

(*c*) Ibid. 5. ℣. 2. &c. & Cap. 4. ℣. 17.

(*d*) Jæg. ibid. p. 390.

Proprium peccato est mentem obtenebrare, ita ut illorum plurimi qui in eo sunt, sibi persuadeant se in eo esse minime.

IX. *Quam barbare assertum suum evincere tentet ex Oratione Dominica;*

IX. Sed nec veretur ad suum scopum petitione ex Oratione Dominica desumta abuti, quæ si pro ejusdem principiis urgenda sit, inferendum erit, omnem regenitum, ipsumque etiam Jægerum, debere quotide peccare, ne scilicet frustra & ficte peccatorum remissionem quotidie postulent. Quasi vero petenda non esset remissio peccatorum antea commissorum; aut quasi ipsi Sanctissimi qui diu à peccatis abstinuerunt, non possent pro membris Ecclesiæ adhuc infirmis, ne dicam pro omnibus hominibus, postulare in prima persona peccatorum condonationem! Quid, quod ex eadem Oratione pateat, omnia quæ in ea habentur de singulis iisque in omni statu, non debere stricte intelligi; neque enim omnes & singuli habent *inimicos* vel *debitores* qui erga eos culpa aliqua teneantur aut iis adversentur, & quibus debita sive peccata possint remittere, infantes præsertim, & qui privatim vivunt plurimi. Sed & in ipsa illa Oratione argumentum exstat evidens contra D. Jægerum, idque omnium invictissimum: etenim jussi sumus à Deo petere, ut *fiat ejus voluntas in terra veluti in cœlo.* Dicat D. Jæger utrum Deus hoc exaudire & efficere aut non velit, aut non possit unquam in ullis hominibus cujuscunque status, ac ne in regenitis quidem? si nolit, illudit nobis, qui jubeat postulare id quod dare nolit; imo mendax erit qui promittens postulata, & quidem ab ipso præscripta implere, nolit tamen id præstare quod promisit. Si non possit, impotens est, & Diabolus ipso erit potentior qui eum impedire queat. Sin autem velit & possit, nemone unquam hanc petitionem in fide vera fecit, qui ejus impletionem saltem in se viderit? Quis hoc audeat dicere, ac non potius fateatur, fuisse per Dei gratiam, esse, ac futuros esse, qui hoc postulent in fide, & receperint ac recepturi sint à Domino gratiam & vim faciendi ejus voluntatem sicut Angeli in cælo, hoc est, sine impuritate, ac corde sanctificato? Certe vel ex hac sola petitione nobis à Domino injuncta spes est certissima id aliquando eventurum in universa terra quod Dominus petere jussit, & promisit se exauditurum. Si D. Jæger Orationem Dominicam cum fide vel intelligentia precaretur, puderet eum tam pertinaciter im-

impugnare quæ tamen singulis diebus testatur verbis se ab omnipotente & verace Deo postulare & desiderare.

X. Ut vim promissæ gratiæ evacuet Jæger, proponit exempla Sanctorum, *Davidis*, *Petri* &c. qui peccaverunt. Extra oleas currit. Non quæritur an Sancti non possint peccare; sed an possint non peccare scienter cum gratia Dei quam habent. Omnes sane eorum qui peccaverunt, fatebuntur quod cum gratia divina quæ ipsis inerat, potuerint non peccare; & hoc ipsum est quod eos facit coram Deo inexcusabiles, quod noluerint eâ gratia uti. David cum gratia ipsi concessa potuit non adulterare, non committere homicidium; & sic de aliis. Et quoties peccarunt gravi & mortali peccato, facti sunt impuri, injusti, damnabiles, qui nova habuerunt opus purificatione, justificatione & regeneratione; tantum abest ut regeniti & justi remanserint uti propudiose insinuare tentat D. Jægerus, exemplum Davidis inter alia proponens, ubi *contendit regenitos* dum tales remanent, adhuc tamen peccare: (*a*) *Quæ autem participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial?* Moneo adhuc, non quæri hic utrum Sancti peccare possint, uti fecit David, atque ita à justitia & salute decidere nisi denuo purificentur, justificentur & renoventur. Concedo id D. Jægero, imo, id ipsum præmonui initio hujus Capitis, §. 3. pag. 514. & probavi Cap. 9. & 10. dicti Libr. V. Oecon. Sed illud horribile est, quod adducat ille Davidem peccantem pro exemplo regenitorum peccantium dum justi & regeniti remanent; & quod *fanaticos* ibidem appellet eos qui cum profana & vere impia hac sententia non consentiunt.

X. Item ex exemplis Davidis & Petri.

(*a*) 2. Cor. 6. ℣. 14, 15.

XI. Profecto puritatem ac sanctificationem ire ante justificationem hujus de quo ago generis, ostendi adductis aliquot Scripturæ locis in hoc ipso Oecon. Capite. §. 32. quibus addo insigne hoc Apostolici viri Clementis testimonium ex Epistola I. ad Corinth. Cap. 50. *Beati sumus, dilecti, si præcepta Domini in caritatis concordia impleverimus*, (fecerimus,) *ut per caritatem peccata nostra nobis remittantur:* quibus verbis declarat sanctus vir ante *remissionem peccatorum*, sive JUSTIFICATIONEM eam quâ *beati* simus, debere præcedere observationem mandatorum Dei in caritate; contra quam reclamat D. Jægerus: ac præterea, per

XI. Puritatem ire ante Justificationem docet scriptura & S. Clemens. De quæstione malè à Jægero *opposita.*

 chari-

charitatem ſive AMOREM DEI juſtificari hominem, ſive eum juſtificationem recipere a Deo; quando contra D. Jægerus (a) alicubi terribiliter occlamat; *Væ nobis*, *ſi noſtra juſtificatio eſſet ex* CHARITATE ERGA DEUM! Accenſeat itaque & Clementem *fanaticis* D. Jægerus.

(a) Jæg. Ex. Contr. 2. pag. 40.

Quæſtio ejusdem; (b) *Quis enim juſtificabitur ſi hæc opinio ſtaret?* evincit eum vel non attendiſſe ad contenta Capitis quod impugnat, vel ſibi ea diſſimulare: feci enim ibi mentionem duarum Juſtificationis ſpecierum quæ hanc tertiam præcedunt, poſſunt plurimi duabus illis juſtificari, atque ita in via ſalutis conſtitui, in qua tamen debeant ulterius pergere, ſi velint eum in ſtatum *juſtificationis* venire ubi acquieſcat mens in perſuaſione ſolida, quod nihil amplius noxii in ſe obſtet fruitioni Dei, cum quo nullum niſi plane purum uniri poſſe, ſciunt tirones in Chriſtianiſmo noviſſimi.

(b) Jæg. Ex. p. 390.

XII. *Fallacia eſſe & extra oleas, quæ de Novato addit.*

XII. Quæ de Novato aliiſque addit præterea, fallacia ſunt & extra oleas omnia, ſiquidem alius plane erat inter illos controverſiæ ſive quæſtionis ſtatus. Contendebat Novatus, ſceleratus alioqui homo, eos qui lapſi erant, vel qui graviter peccaverant, ad pœnitentiam non eſſe admittendos, & miſericordiam Dei ad eos non pertinere; uti (c) ex Scriptoribus & Hiſtoricis Eccleſiaſticis patet. Quid hoc quæſo ad noſtrum de quo agitur ſubjectum, quod ipſas Scripturas, Patres, Scriptores probatos antiquos ac recentiores habet conſentientes, uti adhuc in ſequentibus Capitibus videbimus? Verum ad rem D. Jægeri facit ut & ſceleratos & impios, quales fuiſſe dicuntur Novatus & ſui, bonis perperam adjungat, quo hos una cum illis apud omnes diffamare poſſit qui eum fraudationi aſſuetum eſſe adhuc neſciunt.

XIII. *Item de Donato & Pelagio.*

XIII. Pergit in eadem fraude ſequentibus verbis: (d) *Mox Donatus cum aſſeclis, item Pelagius, perfectionem & purificationem* SIMILEM *propugnarunt, quibus Auguſtinus tractatum de Perfectione juſtitiæ, & Hieronymus, qui Pelagium prædicatorem impeccantiæ appellavit; tres libros Dialogiſtice ſcriptos oppoſuere. Maxime autem repreſſus* ERROR SUPERBUS *in Concilio Carthaginenſi* II. &

(d) Jæg. Ex. p. 391.

(c) Vid. Tillemontium in Memor. Eccleſ. Tom. III. Part. 3. & Dupinium in Biblioth. Ecc. Tom. I. Vid. & Danæum in Auguſt. Tract. de Heræſib. C. 38. & alios.

& III. DONATUS, quantum ad istam rem, cum Novato paria faciebat. PELAGIUS, contra cujus discipulum COELESTIUM Augustinus librum *de Perfectione justitiæ hominis scripsit*, in hac erat perniciosa hæresi duplici: hominem non esse ex nativitate Adamica peccatorem: Posse eundem vivere sine peccato, & servare mandata Dei ex viribus naturalibus, sine auxilio gratiæ Dei: & culpas quas forte actibus contraxerat, posse sine gratia Dei emendare, & ad finem vitæ in perfectione viribus propriis acquisita perseverare sine peccato: vel, si vis propria Augustini verba: (a) *Ad eadem mandata* (Dei) *servanda & implenda nullo divino adjutorio nos egere; cavendis autem futuris vincendisque peccatis, omnibusque tentationibus virtute superandis, sine ullo deinceps adjutorio Gratiæ Dei, naturali possibilitate humanam sufficere voluntatem: nec parvulos indigere gratia Salvatoris, qua per ejus baptismum a perditione liberentur; eo quod nullum ex Adam contagium damnationis traxerint.* Quas vero hæreses in Libro II. Oeconomiæ, de peccato, & in hoc Libri. V. Cap. I. plane impugnavi & sustuli, nedum hic in *similibus* sim, ut patet e solo hujusce Capitis quæstionis statu. Quin & Augustinus in hoc ipso contra Cœlestium Libro, *De perfect. Justitia* D. Jægero non obscure oppositus est. Nam initio, contra hanc primam Cœlestii ratiocinationem: *Si peccatum* est id *quod vitari potest, potest homo sine peccato esse, quod vitari potest:* sic dicit: *Respondemus*, VITARI POSSE PECCATUM *si natura vitiata sanetur* GRATIA DEI *per Jesum Christum.* Et ad septimam ejusdem; *An velit Deus hominem sine peccato esse?* Sic inquit: *Respondetur: Si nollet Deus hominem sine peccato esse, non mitteret Filium suum sine peccato qui sanaret homines a peccatis. Hoc fit in credentibus & proficientibus renovatione interioris hominis de die in diem donec fiat perfecta justitia tanquam sanitas plena.* Ac ne plura hic allegem, hæc est libri illius conclusio: *Postremo, si excepto illo Capite nostro, sui Corporis Salvatore, asseruntur vel fuisse vel esse in hac vita aliqui homines justi sine aliquo peccato, sive nunquam consentiendo desideriis ejus, sive quia pro nullo peccato habendum est quod tantùm est ut hoc pietati non imputet Deus, (quamvis aliter sit beatus sine peccato, aliter autem beatus cui non imputat Dominus peccatum,)* NON NIMIS EXISTIMO RELUCTANDUM.

(a) Epist. 94. ad Hilar.

Scio enim QUIBUSDAM ESSE VISUM *quorum de hac re* SENTENTIAM NON AUDEO REPREHENDERE, (D. Jæger horrendum in modum reluctans, illam INFERNO adscribere audet,) *quanquam nec defendere valeam.* Neque tamen hic de iis hominibus est quæstio, sed de iis qui cum peccatores fuerint, a peccato per gratiam Dei liberantur, & deinceps per eandem ab illo conservantur intacti. Quod de Augustino contra Pelagium & Cœlestium nunc annotavimus, id ipsum & de Hieronymo & de Conciliis Carthaginensibus contra easdem illorum hæreses plane ita se habet. Et tamen D. Jæger incautis persuadere vult eos Patres cum Ecclesia coram oculis habuisse & impugnavisse Sententiam ei *similem* quam ex Scripturis meam feci, & de qua hic agitur. Homini credant quotquot falli cupiunt. Provoco ad inspectionem Auctorum.

XIV. *Objectio 2. Jægeri, Poiretum cum se suisque quidem loqui, sed sensu diversissimo.* (*a*) Jæg. Ibid. p. 391.

XIV. Quæ hactenus in hoc Capite dicta sunt, ea respiciunt quæ D. Jæger primo opposuit ad ea quæ justificationem præcedunt. Secunda ejus objectio, quæ prima est quæ ad rem ipsam, uti à me tractata est, pertinet, huc redit: me quidem bene (*a*) *cum ipsis* (cum Jægero & suis) *loqui cum ajo, ad justificationem nostram requiri satisfactionem & applicationem meriti Christi, item, fidem imputari ad justitiam: sed sensum* meum *esse a sensu* Jugæriano *diversissimum.* Nec mirum: exclusi enim omnia quæ ille, ut veteris Adami vitæ adularetur, in sensu suo inclusit.

XV. *Quo sensu Fidem constituant actus notitiæ, assensus & fiduciæ; quo vero non.* (*b*) De Ver. Chr. Libr. I. Cap. 5. §. 1-4.

XV. Ait, per *fidem* me non intelligere *actus illos* NOTITIÆ, ASSENSUS & FIDUCIÆ, in quibus ipsi fidem constituunt. Si actus illos sensu Arndiano intelligeret noster, nempe quando sunt actus (*b*) A SPIRITU S. excitati & *accensi in corde hominis Deo dedicati* & *adglutinati:* item, quod FIDES sit *victoria mundi, viva, victrix, efficax, operosa divinaque vis & influentia, imo* CHRISTUS IPSE IN NOBIS APPREHENSUS, *& animo intimisque sensibus nostris* INFIXUS: nihil plane contradico, quanquam & in vera fide *notitia* divina interdum sit non parum velata & implicita, assensus divinus & fiducia quandoque imperceptibiles præ tentatoris ingestis dubiis ac fluctuationibus, propter purificationem vel probationem fidelium a Deo permissis. Sed ut *notitiam idealem*, quæ inter rationis actus est, ut *assensum historicum*, & *fiduciam* adulatoriam in homini-

bus

bus qui sunt ex hoc mundo, pro *fide vera* ejusve actibus habeam, nunquam, adjuvante Deo, persuadebor, quicquid D. Jæger contra obloquatur, & in ipsissimam Arndii phraseologiam, (qua excidit mihi ut uterer, & quam superius (*a*) explicui, scilicet *fidem esse ipsum Christum*, vel *Deum*,) denuo tumultuetur; ut & in hoc, quod *Christus in nobis habitans sit justitia nostra*, quæ est Apostoli Pauli, qua nescio an usus sim, quam autem D. Jægerus tribuit Schwenkfeldio, cui adjungit Weigelium & Barclajum, eo scopo, ut omnibus persuadeat me illorum ferme exscriptorem esse, & ex illis ea quæ habeam, *hausisse eorum vestigiis insistendo, quanquam tegere illud miro artificio studeam.*

(*a*) Supr. Libr. III. Cap. 2. §. 7. & seqq.

XVI. Gaudet & ardet D. Jæger diffamatis accensere eos quibus ipse male vult. Qui Scripta mea cum attentione aliqua legere dignabuntur, si sapor aliquis rerum mentis ipsis inest, vel me tacente animadvertent, ea alicunde non esse surrepta. Quod si ego nonnullis aliquo in puncto debeam aliquid, etsi id exposui dilucide & auxi, eos tamen ibidem notare atque laudare soleo. Sed sancte testor me neque Schwenckfeldium, neque Weigelium, neque Barclajum legisse, imo nec duorum priorum quicquam, quod sciam, vidisse, cum Oeconomiæ meæ librum scriberem: Barclajum etsi obiter alicubi inspexi demum post annos aliquot, nunquam tamen ille mihi neque fons neque exemplar exstitit. Fallitur D. Jæger quando arbitratur omnes eos, quibus invidet imitatores esse sui vel sui similium, qui ea quæ scribunt, tantum non omnia, ab aliis jam sexcenties dicta solent tantum repetere, ac interpolata gestiunt per locos dialecticos & pedanticos quatuor logicarum causarum, subjectorum, adjunctorum & ceterorum aliorum locorum digerere in Systemata nauseosa centena, quorum qui unum legit, omnia legit. Animi ad omne bonum steriles sine invidia videre nequeunt aliquid boni benedicente Deo in lucem per alios prodire quod ipsi imitari non possunt. Ardent illud destruendi desiderio; & quando nequeunt, ei malam vel invidiæ plenam assignant originem. Id jam in usu dudum est inter pietatis & solidioris veritatis antagonistas, maxime in Germania, ut si qui de internis aliquid melius quam ipsi scribant, id vel ex Ethnicis, ex Platone & Platonicis, vel aliis quibusvis desumtum fuisse clamitent, tametsi, neque

XVI. *Falsum esse P. sua ex aliis hausisse. Veritatis Antagonistarum technæ ad denigrandos quibus male volunt.*

neque de Platone, neque de ceteris, ne per ſomnium quidem ab illis ſit cogitatum. Imitantur ita Socinianorum recentiorum malignitatem, qui ut ad errorum ſuorum de negata J. Chriſti Deitate & SS. Trinitatis myſterio defenſionem, SS. Patres & Orthodoxos reddant omnibus inviſos & veritatem odioſam, illos ſolent Platonismi totis libris nunc accuſare, atque clamare eos ſua illa dogmata ex Platone deſumſiſſe, eadem omnino æquitate ac noſtri ad Platonem, Schwenckfeldium & neſcio quot alios ſcripta ſuorum adverſariorum referre geſtiunt. Sed parum id eſſet quod adverſariorum ſuorum ſcripta vel cogitata aliis adſcribant, niſi hi ad quos eadem referunt, eſſent homines ut plurimum vel odioſi, vel diffamati, vel hæretici, vel etiam perditi ac ſcelerati, ex quibus cum peſſimum quidque & abſurdiſſimum expreſſerunt, aut finxerunt, & in unum accumulaverunt; id omne poſtea in adverſarios ſuos conjiciunt; tum verò univerſa ſimul cum hæreticis ſuis *Pelagianis*, *Novatianis*, *Socinianis*, *Anabaptiſtis*, *Weigelianis*, *Quackeris* &c. INFERNO addicunt. Hæc ſunt dudum deliciæ noſtri D. Jægeri, qui eo pacto controverſias concludit, atque ita triumphans evadit è pugna.

XVII. *Loca adducta tanquam ex Schwenkfeldio, Weigelio, Barclajo:*

XVII. Non poſſum quin moneam, in iis verbis quæ D. Jæger è Schwenckfeldio, Weigelio & Barclajo adducit, nihil ineſſe niſi quod optimè cum Scriptura, Patribus, Doctoribus, ipſoque etiam Luthero conſentit, ac omnibus quæ ex D. Jægero proficiſci poſſint, (niſi immutetur,) plane præferendum eſt. Locus quem ex illorum primo profert, (fide ſua eum reddo, nam auctoris illius libros nec habeo, nec legi, nec vidi, nec quæſivi unquam) ita eſt in D. Jægero: (a) *Chriſtum in nobis habitantem eſſe juſtitiam noſtram:* item, (ſi hæc non Andr. Oſiandro tribuere videatur, quem neque unquam legi): *In hoc conſiſtere noſtram juſtificationem, ut Deus in nobis habitet, & per Spiritum S. nos gubernet: ac proin nos ideo reputari juſtos juſtitia quæ in nobis eſt, non noſtra, ſed Chriſti in nobis habitantis.*

(a) Jæg. Ex. p. 392.

Ex Weigelii Part. 2. Poſtillæ, (mihi nunquam viſæ) hæc allegat D. Jæger: *Oportet per eſſentialem* (h. e. realem) *inhabitationem Jeſu Chriſti veterem hominem extinguere, & in novo vivere in perfecta juſtitia & ſanctitate:* quæ ſane verba ſunt Pauli Apoſtoli & Zachariæ Patris J. Baptiſtæ. Optimum pro *Weigelio* præjudicium

cium est, quod nonnulli ejusdem cum D. Jægero constitutionis rixosæ (*) Lutherani insignem libellum *Thomæ Kempisii de Imitatione Christi* hac de causa invisum reddere conati sint, quod dicerent, eum *Weigelii doctrinam sapere*, & non pauca habere cum eo consona.

Ex Barclajo denique ista: (*a*) *Quando pii non obstant hujus lucis illuminationi, sed religiose eam recipiunt, tum fit in illis sanctus, purus ac spiritualis partus, pietatem, justitiam, ceterosque præclaros fructus Deo gratos producens, per quem* [sanctum partum] *scilicet Jesum Christum intus formatum*, [opera sua in nobis producentem,] *ut sanctificamur, ita & justificamur in conspectu Dei.* Quæ uncinulis inclusi, omissa sunt in citatione D. Jægeri qui etiam verba immediate sequentia suppressit, etsi dicta confirment: *Secundum Apostoli verba: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, & per Spiritum Dei nostri.*

(a) Thes. VII.

XVIII. Quid hic non consonum cum Scripturis, quæ totidem verbis asserunt, (*b*) *Christum per fidem in nobis habitare, eumque nobis esse justitiam?* Nonne dixit Barnabas Apostolus? Cap. 6. (*c*) *Ubi nos renovavit per remissionem peccatorum* (Justificationem,) *effecit ut aliam formam haberemus, animam nempe veluti infantis; ipse enim reformavit nos & in spiritu.* Dixerat paulo ante; Cap. 5. *Propter hoc Dominus sustinuit tradere corpus suum in exterminium, ut remissione peccatorum sanctificemur, quod est, sparsione sanguinis illius.* Hermas, vir Apostolicus: (*d*) *Misericordia Dei super vos stillavit in justitia, ut sanctificemini & justificemini ab omni nequitia & omni pravitate.* Quid porro evidentius hisce divini Macarii verbis: (*e*) *Hoc est* FUNDAMENTUM VIÆ AD DEUM *deducentis, in tolerantia multa, in spe, in humilitate, in paupertate spiritûs, in mansuetudine viam vitæ peragere;* ET PER HÆC (quæ sunt fides ipsa per charitatem efficax) *quis obtinere potest* JUSTITIAM IN SEMETIPSO: *dicimus autem,* JUSTITIAM IPSUM DOMINUM. Plura huc referri possent, & nonnulla supra (*f*) jam recensuimus, inter quæ notabilia sunt Lutheri verba de hisce ibi exstantia: quibus addemus & sequentia ejusdem

XVIII. *Ea cum Scripturis, Patribus, ipsoque Luthero apprime consentire.*

(*b*) Eph. 3. ℣. 17. Col. 1. ℣. 27. 1. Cor. 1. ℣. 30.

(*c*) Secundum textum Græc.

(*d*) Lib. I. c. 3. §. 9.

(*e*) Hom. 27.

(*f*) Sup. Lib. III. Cap. 2. §. 9. 10.

(*) *Nic. Hunnius. Joh. Andr. Quenstedius. Paul. Stockman. Euseb. Bohemus* &c. vide Præfat. in Edit. Kempisii Francofurt. 1707. ex interp. Castalionis.

è Germanico Latine expressa, ubi ad phrasin Osiandrinam, eive similem, quod *Dei justitia qua justi dicimur eadem sit cum justitia qua Deus justus est*, evidenter respicit, hisce verbis: (*a*) *Non est ita simpliciter rejiciendum hoc verbum, quod* JUSTITIA DEI, (scilicet quæ nobis dari dicitur,) *sit, etiam pro more loquendi, ea justitia per quam* DEUS IPSE JUSTUS EST; *ita ut per* EANDEM *justitiam & Deus & nos simus justi: sicuti per unum verbum Deus fecit ut simus quod ipse est; ut simus in eo, utque ejus esse & nobis esse sit.*

(*a*) Oper. Witt. Tom. 3. pag. 127. b. in Psal. 5.

XIX. *Conclusio Jægeri cum solitis sibi coccysmis & calumniis falsis, imo & absurdis.*

XIX. Pro fine controversiæ suæ XXXII. calumnias calumniis & coccysmis cumulat D. Jægerus ne sibi sit alicubi dissimilis. Dicit me *ex fœtidis lacunis Pelagianorum, Socinianorum, Weigelianorum & reliquorum hausisse Doctrinam de Justificatione:* atque adeo *imposturam esse, cùm* & ILLUMINATIONES IMMEDIATAS *jacto, & intellectum* PASSIVUM. &c. Prius modo ostendi falsum esse. Posterius falsitatis quoque convici dudum ubi de ordinario hocce Jægeri coccysmo tractavi (*b*); nec unquam producet ille testimonium quo constet me *immediatas illuminationes* extraordinarias sive speciales, aut etiam quales intelligit ille, fanaticas jactavisse; tametsi illuminationem divinam immediatasque Dei operationes secundum Scripturæ Sacræ, ipsius Lutheri, omniumque antiquorum ac hodiernorum recte sentientium sensum contra Pelagianos & Socinianos, quibus hic D. Jægerus auxilio est, agnovi, tribuendo cum illis omnem salutaris veritatis vivam cognitionem istis Dei veris ac intimis operationibus. Coccysmus de *intellectu passivo*, absurditate duplici in D. Jægero laborat: altera quod ipsemet non *intellectum* tantum, sed & *totum hominem* MERE PASSIVUM priùs suprà fecit, & quidem tunc cum activus etiam & cooperans debuisset statui, in sua scilicet conversione, uti vidimus (*c*) modo: altera absurditas, est ridicula in homine insultante ignorantia, tanto Doctori indecora qui olim inter viginti & plures magistrandos erat, *velut inter ignes Luna minores*; & tamen nescit adhuc apud omnes Philosophos constare & agnosci *intellectum* PASSIVAM *esse facultatem*, & quidem in naturalibus; quanto magis autem in divinis?

(*b*) Supr. Libr. I. Cap. 4. §. 5. 13. 14. 26. Cap. 5. §. 6. Cap. 6. §. 7, 8. &c.

(*c*) Supr. Libr. III. Cap. VI. §. 19. & seqq.

XX. *Auctores de Justificatio-*

XX. Qui in magno hoc de JUSTIFICATIONE *hominis* argumento non cupiet sibi adulari, neque ad propriam perniciem sibi-

sibimet imponere; sed ex testimoniis Dei, Sanctorum, ipsiusque conscientiæ & rationis, atque etiam Doctorum Protestantium, certus esse quod illa puritatem & sanctitatem animæ includat, præter ea quæ in Præfatione Libri *Fides & Ratio* (a) indicavi, quæ in *Accessione* ejusdem Libri (b) *tertia* sunt, & quæ in Rev. G. *Forbesii* Episc. Edinb. *Considerationibus* (c) habentur, consulat maxime Viri doctrina insigni, sana ac pia præditi, Rev. *Georgii Bulli Harmoniam Apostolicam Jacobi & Pauli*, *Examen ejus censuræ*, & *Apologiam pro eadem Harmonia* cum *notis Grabii*, quæ anno 1703. prodiere. Nec dissimulat Vir integer Protestantium plerorumque hac in materia periculosos errores, uti neque etiam G. Forbesius modo indicatus. (d) Huc pertinent quoque non paucæ quæ in tribus Capitibus sequentibus exhibentur, nec non & Libr. 4. Cap. 10. infra: ubi videsis §. 19. 20. 21.

ne consulendi: ejusdemque vividum exemplum.

(a) §. III. num. 26. &c.

(b) Sect. VI. pag. 369.

(c) Contr. I. Lib. I. C. 4. Lib. II. C. 4 L. 4. C. 1. & 6.

(d) Addesis testimonium M. *Scriveneri* in *Apologia pro Eccl. Anglic.* pag. 10. ejusdem *Apologiæ pro Patribus* contra Libr. 7. Dallæi de usu Patrum, subjuncta.

Quod si quis exemplum aliquod practicum ac vivum divini ac interni processus ad perfectam hac in vita JUSTIFICATIONEM quam unio cum Deo immediate sequatur, videre cupiat; nullum novi vividius ac commovendis animis bonis magis idoneum, quam illud quod in *Epistolis ac Effatis* suis exhibuit de se ac in se ipso vir totus Deo deditus ac sanctus, *Matthæus Weyerus*, licet vel ad ejus nomen D. Jægerus cohorrescat.

SI JUSTUS VIX SALVATUR, impius & peccator ubi comparebit? 1. Petr. 4. ℣. 18.

CAPUT VIII.

De Regeneratione, & observatione mandatorum Dei.

I. POst Controversiam XXXII. a D. Jægero nobis motam & Capite præcedenti discussam, excitat ille aliam, numero XXXIII. cui titulum dedit: *An regenitus possit perfecte adimplere legem?* minime animadvertens vel monens, *regenitum*, sensu Jægeriano, sive hominem cujus *regeneratio* sit ante *conversionem* (uti ille (e) statuit) esse spectrum regenerationis, longeque a vere regenito distare: de quo vero ille tumultuetur, si vult, cum quovis alio, qui tale portentum forte nondum conver-

I. *De Regenitis sensu Jægeri. Ubi de renatis egerit P. Inter vere tales de mandatis Dei servandis non quæri.*

(e) Jæg. Syst. Theol. Dogm. Pol. Tom. II. P. III. Cap. de Conversf. p. 26.

verſum pro regenerato homine admittit. Si meis ſenſibus lubeat obloqui, ſenſus ergo ponat ille meos, non ſuos oportet. Quod ſi faciat, aut ſi pro eo (ex quo nil æqui exſpecto) id facere velit quivis æquus lector, rogo ut legere dignetur illud Oeconomiæ Caput cui ſe D. Jæger nunc vult opponere. Caput eſt IX. Libr. V. cujus triginta primis paragraphis (a pag. 539. ad 562) attendi velim potiſſimum, ac ſimilitudini illi interſerta quæ omnia dilucidat: quamquam nullum ad hæc reſpectum habuit D. Jæger; e quibus tamen patet non magis jam inter vere regenitos quæri utrum mandata Dei integre obſervari poſſint, quam inter homines bona ac firma ſanitate præditos diſceptatur utrum leges naturæ, reſpirandi, ſeſe movendi, edendi, bibendi, loquendi, operandi ſua cujusque ſervare poſſint nec ne? Lex Dei juſtis non eſt lex vel jugum impoſitum: ſed eis eſt delectatio mera, vita, gaudium, cibus, potus, theſaurus, deliciæ &c. Vid. Pſalmos 19. 37. & ſpeciatim 119. quæ omnia ſane iis *gravia non ſunt*, ut ait Joannes: imo ſunt vel *ſuavia & levia*, teſte ipſo Chriſto. Matth. 11. ℣. 30. 1. Joan. 5. ℣. 3. Sed mercenarii, mancipia, vel filii Zizaniorum, quorum omnis vita & omnes affectus ſunt timor pœnarum, & amor ſui proprius, hæc capere non poſſunt: habeat aliquis oportet vel veram ſaltem ſcintillam amoris filialis erga dilectiſſimum Patrem Deum, ac filios illius Patris, & eos qui filii ejus fieri adhuc poſſunt, ut hæc ipſi non ſint peregrina.

II. *Quæſtio de obſervatione mandatorum Dei in Oecon. tractata & ad omnes hominis ſtatus applicata, ejusque Concluſiones octo.*

II. Ex occaſione eorum quæ de regeneratione tractavi in Capite Oeconomiæ modo indicato, quæſtionem *de obſervatione mandatorum Dei* a §. XXXI. pag. 563. & ſequentibus aſſumo plenius perpendendam, eamque non tantum regenitorum reſpectu, ſed & omnium hominis ſtatuum reſpectu: Hos in quatuor claſſes diſtinxi, eorum 1. qui non ſunt converſi, 2. qui inceperant converſionis opus, 3. qui pergunt in eo ſtrenue, 4. qui regeniti ſunt, hique vel infantes, vel adulti, vel viri fortes. Diſtinxi etiam *mandata Dei*, quæ unicuique horum pro ſtatu & viribus ſuis a Deo injunguntur, ab ejus *placito perfectiſſimo*, quod ſtatum beatorum angelicum alterius vitæ potius quam hujus reſpicit. Quibus præmiſſis, ad quæſtionem reſpondeo per Concluſiones octo.

Prima

Prima omnes ſtatus hominis reſpicit, & a D. Jægero fideliter citatur (pag. 394.) quæ eò redit, hominem in quocunque ſit ſtatu, etiam regenito, non poſſe propriis viribus pro ut eas ex Adamo lapſo accepit, ſed ſola divina gratia ei oblata, Dei mandata ſervare.

III. Secunda, tametſi Deus gratiam homini offerat, ſi hic nolit facultates ſuas a malis objectis ac affectibus retrahere & ad gratiam eas convertere, mandata divina ſervare non poterit, ſed culpa & defectu non gratiæ divinæ, ſed voluntatis hominis eam adhibere nolentis. Hanc concluſionem omiſit D. Jæger, quod non alio ſcopo fieri ab illo potuit quàm ut impoſſibilitatis, quam propugnat, cauſam rejiceret non in hominis actum voluntarium & liberum, quo homo mavult libere ſe vertere ad malum, quam gratia oblata uti vel eam poſtulare; ſed in defectum *virium*, ſive in *infirmitatem humanam*, quam gratia tollere aut non velit aut non poſſit. Quem prætextum (*a*) videbimus ab illo allegari, quem autem Deus in divinis Scripturis, in SS. Patribus ac Scriptoribus illuminatis a Deo, in conſcientia cujuſque (ſi ad eam quis attendat) plane rejicit; aſſerens cauſam quare mandato ſuo mos ab homine non geritur, eſſe quod ille libera voluntate ſua quam a Deo habet, & quæ a Deo ad bonum ſollicitatur, velit ſponte uti ad vertendum ſe a Deo ad alia, non obſtantibus Dei ſollicitatione, viribus datis & gratiæ oblatione. Querelæ illæ ſæpiſſime in Scripturis occurrunt, quod Deus fecit & obtulit omnia neceſſaria & requiſita ex parte ſua: (*b*) Quid ultra faciam vineæ meæ? (*c*) Poſui ante te vitam & mortem: elige. (*d*) Quoties volui? Sed noluiſtis. Non vult Deus hominem cogere. Vult hunc ab eo libertatis actum, ut mendicus manum porrigat ad recipiendam eleemoſynam; ut ſubmergendus arripiat tabulam vel manum quæ eum ex aquis parata eſt eripere; ut cui offertur medicina eam acceptet; ut qui invitatur in domum abundantiæ & omnium bonorum, relinquat porcos eorumque ſiliquas, & eo ſe conferat quo appellatur. Nonne cuique ſe ipſum intus ex æquo examinanti dicet ſua conſcientia, ſe, ubi volens deliquit, potuiſſe ab eo actu abſtinere ſi uti voluiſſet mediis a Deo ipſi intus & externè exhibitis? Aliter ſentire nihil aliud eſt quam reum excuſare, Deum parcitatis & de-

III. *Secundam ex his, Hominem ſi gratiæ locum dare nolit, ſua ſolius culpa Dei mandata ſervare non poſſe, quare omiſerit J.*

(*a*) Infrà §. 9. & ſeqq. hoc Cap.

(*b*) Iſa. 5. ℣. 4.

(*c*) Deuter. 30. ℣. 19.

(*d*) Matth. 23. ℣. 37.

defectionis accusare, atque statuere gratiam particularem ac irresistibilem quam ille non omnibus velit largiri.

IV. *De Tertia, deque Dei mandata sua dantis affectu planè paterno.*

IV. Tertia mea conclusio fuit (cui D. Jæger secundum dat locum,) eum qui ad Deum se convertere incipit, mandata omnia quæ Deus ipsi præscribit, si volet, servare posse, (nempe vi gratiæ Dei ad quem se convertit.) Addo id non esse intelligendum neque de omnibus quæ sunt perfectissima, neque de mandatis quæ Deus provectioribus injungit; sed de iis quæ cuique suo pro gradu præscribuntur, pro ut ipse D. Jægerus etsi ex parte, satis tamen hic loci recensuit. Ratio hujus conclusionis est evidentissima. Deus volens ex perditione ad salutem reducere hominem, optimi Patris personam hic gerit, qui à filiolis suis nihil exigit ultra uniuscujusque vires. Si omnibus injungit ut ament Deum toto corde, totis viribus, toto intellectu; hoc pro uniuscujusque capacitate exigit. Cujus facultates sunt sopitæ adhuc, ut infantium, ab iis nondum id exigit; qui incipiunt evigilare, parvulum corculum, intellectulumque habere, debilesque vires, ament Deum pro illa mensura, quantum ipsis datum est posse. Qui talentum unum, vel dimidium, vel denariolum accepit, impendat unus denariolum totum, alter dimidium talentum, alter integrum, alius duo, quinque, mille si tanta acceperit. Qui in primas Scholas eunt pueruli uti discant legere & pingere literas, iis non mandatur ut illico sciant & faciant quæ provectiores faciunt: æquitas magistri exigit parva a parvis, majora a majoribus, nec pro peccante habet recentem discipulum qui non æque perfecte præscriptis respondet quam aliquis illo anterior. Ita agit cum creaturis suis bonus ac æquissimus Deus, sua iis impertiendo mandata & officia injungendo. O si nulla adesset voluntaria obluctatio, sed vel maxime infirma corcula infantili more cum sollicitante Patre Deo vellent se conjungere assensu possibili! quam facile viderent ac experirentur mandata Dei non esse gravia, sed, ut ait David, melle dulciora! Verùm, redeamus ad conclusiones nostras postquam monuero, hic fuisse in contextu meo probationem additam e Psalm. 119. ℣. 4. quod Deus dederit eum in finem mandata sua, ut observarentur.

V. *Quartam,*

V. Quarta (D. Jægero 3.) conclusio illos respicit qui in statu

tu purificationis sunt, & quidem illorum provectissimos, hoc est, in quibus Spiritus gratiæ fortissime efficax est, ac destruit intima Satanæ opera & semina. De quibus assero, eos, præsertim ultimos, non tantum implere posse, sed & re ipsa implere mandata Dei. Hucusque se extendit D. Jægeri è meis verbis relatio: Verum cur non *plus ultra?* cur annexam omisit lineolam in qua mentionem facio efficientis causæ, cui ista tribuo effecta, dum dico notanter, *id non nisi per vires Spiritus gratiæ & fidei fieri?* Id si fecisset, sique ipse ac Lectores ad hoc attenderent, viderent non esse deinceps ullum locum objectioni de superbia, *fastu carnali* & *arrogantia plusquam Pharisaica*, quæ mox (*a*) D. Jægerus vehementissime ac tantum non sui impos, huic ipsi Conclusioni ac thesi objecturus erit. Nullus enim non videt ei thesi quæ statuit, *mandata Dei impleri quidem posse, sed non nisi per vires Spiritus gratiæ & fidei*, minime objici posse *ambitionem, fastum carnalem & arrogantiam plusquam Pharisaicam*, nisi siquis affirmare velit, fastum carnalem & arrogantiam plusquam Pharisaicam esse quando tribuitur Spiritui Sancto omne bonum, & in specie hoc bonum, τὸ obedire Deo. Unde patet, fastum & arrogantiam in mea thesi non esse; sed potius in D. Jægeri objectione *blasphemiam* & *contumeliam* in Spiritum Dei contineri. Quam castigationem æquissimam ut D. Jæger ab objectione sua avertat, tollit e mea conclusione eam partem quæ eum alioqui impediebat hunc mihi *obicem ponere*. Astutè! sed ubi bona fides?

quare mutilar t J. & Sextam omiserit.

(*a*) Jæg. Exam. p. 399.

Quartæ huic conclusioni addidi tres alias, quarum Quinta, quæ est de perseverantia in statu notato in Conclusione præcedente, & Septima, quæ est hujus quintæ ac sextæ veluti consectarium aliquod, poterant a D. Jægero omitti, uti factum, in sua repræsentatione status controversiæ. Sed Sextam, qua asseritur, *eos qui mandata Dei scienter violant, hoc ipso e regeneratione excidere, & ad statum damnabilem revolvi*, hanc inquam conclusionem minime æquum erat supprimere, siquidem voluisset difficultatibus, quæ per eam sunt nullæ, nullum dare in suo libro locum. Verum nec hoc pacto obicem ponere hic potuisset, uti videbimus modo.

VI. Ut finem imponat D. Jæger allegationi contextus mei, prætermissis sex ejus paginis, applicat se ad §. XXXIX., ubi respon-

VI. *Quo sensu Sanctissime-*

rum & ipsius Christi opera vere perfectissima sine fragilitate naturæ non fuerint.

respondeo ad instantiam quâ insistitur voci *perfecte*, quasi durum esset, imo temerarium, credere, mandata Dei a regenitis PERFECTE IMPLERI posse. Audias etiam homines interdum ad desidiæ suæ prætextum dicere, *perfectos esse tantum in cœlis*, se eò nondum pertingere posse; & siqua similia. Ad remotionem hujus instantiæ dixi vocabulum *perfecte* vel *perfectionem*, duos habere sensus, quorum primus significet, *non offendere Deum, non peccare, non contrahere culpam aut sordes peccati:* alter sensus idem sit, ac modus agendi qui naturæ nostræ infirmitates nullas habeat, modus agendi *perinde ut faciunt creaturæ angelicæ quæ corpus fragile non habent*, (nullo scilicet interruptus somno, nullo labore, nulla quiescendi necessitate fractus,) verbo, modus agendi ea perfectione quæ sit beatorum Spirituum. Dixi renatos *priori sensu* POSSE hac in vita PERFECTE agere & obsequi Deo: *Altero sensu*, qui non infert peccatum, sed *fragilitatem* naturæ nostræ, *non posse*: verum hanc *perfectionem angelicam* a renatis non exigi utpote impossibilem fragilitati naturæ nostræ, etiam in Sanctissimis, *quorum opera, veluti Abelis, Abraham, Eliæ, Joannis, ipsiusque* CHRISTI, HOC SENSU *sine fragilitate non fuere: verum hæc non labefactare perfectionem quam Deus a suis in hac vita postulat; ipsorumque opera utut hoc fragilitatis genere intermixta, coram Deo nihilominus perfectissima esse posse.* Hæc legit & pleraque ex iis retulit D. Jægerus, præterquam verbum *posse*, & quod post verba, *ipsiusque Christi*, in parenthesi interseruit hanc exclamationem, *horrendum dictu!* pro nota scilicet prognostica quod hinc tempestatem horribilem habebat in animo ut mihi excitaret vel ex inferno ipso. Nec mora.

VII. *Hæc scienter corrumpit J. ut inde horribilem tempestatem excitet, Paulo & Christianis omnibus contrarius.*

(a) Jæger. Exam. p. 397. &c.

VIII. Addit enim, pro præludio, (*a*) *verum enim vero, hæc sententia veteris hominis ambitionem, tenebras, confusionem, & pruritum calumniandi in Poireto prodit.* Sequitur tempestas. *Ut ab ultimo incipiamus, detestanda est sententia* & BLASPHEMIA *quod Salvator noster* (1) *non perfectissimè adimpleverit legem, & quod* (2) *infirmitates habuerit* MORALES *quales Abraham*, &c. *& quod* (3) *perfectionem non attigerit angelicam.* Tonitrua & fulgura. *Execranda est hæc sententia, & plane ex* INFERNO *deprompta. Cui magis credemus? An Prophetis, Paulo &c. an vero* FANATICO CUIDAM FURIOSO POIRETO, *qui* DEFECTUS

TUS & *infirmitates* MORALES *Sanctissimo nostro Salvatori adscribit?-- Aio summam esse proterviam in Fanatico isto, tanto conatu adstruere perfectam adimpletionem legis in regenito & in ipso molimine tantæ doctrinæ.* SUMMUM SCELUS & BLASPHEMIAM contra SALVATOREM *nostrum unicum justitiæ fontem committit. Quanta hæc est malitia!* Quis ad hæc non terreatur, nisi essent bruta fulmina? solis vaporibus malignis Jægeri imaginationis constantia? Quæ enim blasphemia dicere vel sentire, Christum legem quidem moralem perfectissime implevisse sine minimo defectu culpabili ac peccaminoso; sed fuisse, & quidem sua sponte, obnoxium infirmitatibus naturæ nostræ, quales sunt labor, lassitudo, necessitas reficiendi vires per cibum & potum, per quietem, cessationem, somnum, &c. quæ non impediunt perfectissimam Sanctitatem, sed nec sunt perfectiones angelicæ. Hæc est sincera mea mens quam sciens corrumpit D. Jægerus. 2. *Infirmitates* MORALES, hoc est contra legem moralem & amorem Dei & proximi, habuisse Christum, Jægeri stylus mihi falsò pro sententia mea adscribit. Novit Deus, norunt omnes in me horrorem hujus detestandæ criminationis; contra quam sufficienter satis in antecedentibus (*a*) contestatus sum. Christus *cum Abrahamo*, imo cum hominibus omnibus participavit *infirmitates*, non morales, sed naturales modo dictas, laborandi, dolendi, dormiendi &c. quæ perfectionem moralem non inficiunt peccato. 3. Angeli has infirmitates non habent, & Paulus dicit hoc sensu, Christum *Jesum paulo Angelis* MINOREM *factum esse.* Hebr. 2. ℣. 9. Clamet D. Jæger *blasphemias ex inferno* contra Apostolum, imo contra sententiam omnium Christianorum, & ausim dicere, suimet ipsius si quando is sapit. Affingat omnibus eos credere, *quod Christus non attigerit perfectionem Angelicam*, quia credunt illum ad tempus assumsisse quasdam infirmitates quas Angeli non habent. Si cui inesset cordi Dei timor & hominum respectus, taliane excogitare & publicare coràm auderet?

(*a*) Vid. sup. Libr. II. Cap. 1. §. 2. & seqq.

VIII. Præteriit una tempestas: sequitur altera. (*b*) *Quod illa*, inquit, *prætensa legis adimpletio perfecta* (in regenitis scilicet) *merus sit fastus carnalis, & arrogantia plusquam Pharisaica*, patet ex *ipso*

VIII. *Objectionem de superbia plus quàm Pha-*

(*b*) Jæg. ibid. p. 399. & 400.

risaica contra verba Oecon. locum non habere. Instantia ab exemplo P^ri. contra clarissima ejus verba efficta, & quare.

ipso exemplo Poireti. Cur D. Jæger probationes meas omittit, & non retinet mea vocabula? Dixi conceptis verbis, & simplicibus, *mandata Dei impleri posse & re ipsa impleri* in illis in quibus *Spiritus gratiæ & fidei fortissime efficax est*; *idque non nisi per vires Spiritus gratiæ & fidei fieri.* Tribuere opus solo Spiritu Sancto dignum eidem soli Spiritui, esse id *fastum carnalem* & *plusquam Pharisaicum*, audeatne sine blasphemia cogitare, ne dicam publicare Jægerus? Cur autem meum exemplum, contra mentem meam, in medium pro instantiæ vel oppositionis suæ probatione adducit? Cur non semet ipsum, in quem plus juris habet quam in me, & quem plus cognoscere debet quam me, produxit pro exemplo ac in hunc vel similem modum dixit; „ Quod mandatorum Dei impletio in homine regenito non posset verè asseri, patet ex ipso meo (Jægeri) exemplo: nam sum regenitus, siquidem conversus; (quod non fit, secundum me, nisi post regenerationem aut cum ipsa regeneratione;) imo (quod paucis regenitis datum est) *volo amore mori.* Atqui tamen Dei leges, v. g. de non invidendo aliis, de non dicendis contra proximum falsis, calumniis, maledictis, de amando illo, de non faciendis alteri quæ mihi fieri nollem, non possum adimplere, ac ne vix quidem in quavis libellorum meorum pagella; sunt mihi, uti & ceteræ aliæ Dei leges *jugum insupportabile.* Ergo Poireti thesis est falsa & fanatica.“ Hæc, hæc demum probatio vel apud ipsos cœcos esset solidissima & peremptoria. Miror Hallwachsium, qui in libelli novissima editione non pauca interspersit, eidem istiusmodi rationem non interposuisse præ fabulis quas interdum sine ratione apposuit.

(*a*) Jæger. p. 396. & 400.

Quantum ad meum exemplum quod adducit, asserens quod (*a*) VELIM *credi perfectam adimpletionem legis in me*, velut *in regenito*; item, paulo post; *Poiret*, UTI PUTAT, *purificatus est perfecte*, *nullum seminium ex antiquo serpente in illo est*, *legem Dei perfectissime implet*; hæc D. Jægeri mera inventa sunt, isque ipse propriis oculis plane aliud terque quaterque vidit ac legit in iis quæ hoc ipso opere contestatus sum, cum in Præfatione generali §. 45. tum in hujus Libri V. Præfatione speciali, deinde in conclusione illius Cap. IX. de quo nunc agitur,

ac

ac tandem in Conclusione totius operis. Sed fingere quæ vult non curat D. Jæger, modo inde occasionem captet in me maledicendi, uti facit, iis modis quos alicubi suprà repræsentavi, (*a*) & quos ut Lectores inspiciant rogatos velim: neque enim plusquam integram maledictorum & calumniarum paginam, quæ hinc desumpta est, & ibi excussa exstat, hic denuo ob oculos Lectoris apponere libet.

(*a*) Sup. Libr. II. Cap. 6. §. 6, 7.

IX. Supersunt adhuc D. Jægeri oppositiones duæ contra Spiritus Dei in regenitis efficacem potentiam, qua illos ad mandata dilecti Patris sui conformare possit ex omni parte. Alteram ille ex Scripturarum textibus depromere sibi sumit, alteram ex exemplis & confessionibus Sanctorum ibidem exhibitis. Libet ab ultima quæ annotanda habemus ordiri. Sic ille pag. 401. & seq.

IX. *Oppositio Jægeri ex exemplis & confessionibus Sanctorum.*

Omnes pii in V. T. ingenue infirmitates suas confessi sunt. Adducit dein pro exemplis *Mosen*, *Jobum*, *Davidem*, *& Paulum*, cum locis è *Petruccio* & *Gregorio* M. binis. Quæ omnia nihil ad rem faciunt. Thesis namque non est, quod pii vel regeniti non possint peccare, maxime ex fragilitate: Sed quod illi ex piis qui integram purificationem subiere, & ad regenerationem, ad novam vitam, quæ non ipsorum sed Christi in illis est, pervenere, possint per vim Christi inhabitantis, si ei adhærere velint, possint, inquam, abstinere à violandis scienter & voluntarie mandatis divinis eisdem cognitis. Diximus aliquoties pios, ipsosque etiam regenitos, posse ex infirmitate, hoc est ex ignorantia, incogitantia, oblivione, commotione aliqua præcipiti, ubi eorum mens obscuratur, & invita objectis peregrinis pulsatur, iis in momentis omnino peccare; & tamen à gratiæ statu in quo sunt non decidere propterea. Id quod in hocce Oecon. Cap. IX. (*b*) clara parabola & exemplis Josuæ ac Regis Josiæ illustravi & confirmavi: quò possis & referre exempla Mosis, & Jobi, qui non peccata voluntaria, uti insinuare vellet D. Jæger, sed miserias & peccati originalis sequelas *graphicè depingit*, ne dicam quod nondum purificationem quam dixi passivam, absolverat.

(*b*) §. XXVI. &c. item §. XXXV. & seq.

X. Davidis confessiones quæ peccatum illud suum horrendum, de quo Ps. 51., respiciunt, non sunt hujus loci: neque enim manebat tunc cum peccaret in statu regenerationis, sed

X. *De Davide. Testimonium Dei*

de ipso, & an ille legem Dei habeat pro jugo importabili.

ab eo decidebat: quod omnibus accidere posse statuimus: at vero potuerat, vel ipsomet teste, (℣. 8.) ab eo peccato abstinere si ad sapientiam quam ei Deus in intimis revelaverat, attendere voluisset. Cum autem postea idem a peccato resipiscere potuit, & etiam resipuit, potuit & illud quoties ejus meminerat, vel castigationes illud consequentes ac non semel recurrentes sentiebat, multis in locis & Psalmis confiteri ac deplorare, sic tamen ut inde non sequatur illum non adhuc in gratiæ ac regenerationis statum rediisse, multoque minus eum postea iterum uti prius peccavisse, legesque Dei violavisse, quas potius ita integrè servavit, ut, teste ipso Dei verbo, (*a*) CUNCTIS DIEBUS *vitæ suæ fecerit rectum in oculis Domini, & non declinaverit ab omnibus quæ præceperat ei, excepta illa re Uriæ Hethæi.* Pete vero a sanctissimo Rege utrum ante & post illud peccatum habuerit legem Dei pro *jugo insupportabili*, & vide vel ex uno illo admirabili Psalmo omnium maximo quænam is tibi eam ad rem responsurus fiet; responsa autem ejus divinissima confer, imo oppone, detestandis magistrorum ultimi temporis a Paulo prædictorum doctrinis, Dei leges & mandata dissolventibus, quas sane si divinus vir audivisset, tanto ardentius in sua illa verba stupore percussus exclamavisset: (*b*) *Horrore corripior ex impiis tuæ legis desertoribus. O Domine, tempus est ut agas, nam irritam faciunt legem tuam. Tabescere facit me Zelus meus, quia obliti sunt verborum tuorum adversarii mei; & crucior quod sermonem tuum non custodiant:* quid autem, si dixissent *non posse custodiri*, ut sustinet noster, qui insuper humili ac pia Cardinalis Petruccii confessione pessime ad pessimam suam sententiam abutitur.

(*a*) 1. Reg. 15. ℣. 5.

(*b*) Ps. 119. ℣. 53. 126. 139. 158.

XI. *De humili Petruccii de se confessione. Eam vel in sanctissimis esse verissimam.*

XI. Illa D. Jægero referente, hoc disticho continetur;

(*c*) *Nil sum, nil possum, scio nil, & crimina præter*
Nil habeo, & præter tartara nil mereor.

Inculcat hinc noster, virum pium (*d*) *nihil sibi suisque* VIRIBUS *tribuere:* item, hanc *esse humilem confessionem quod homo* EX SE NIHIL *habeat nisi mendacium & peccatum.* Verissime; etiam Sanctissimorum quorumcunque respectu: namque si Deus ab illis id quod suum est tollat, nihil quod ex ipsis sit iisdem remanet

(*c*) Jæg. Ex. Theol. Nov. p. 402.

(*d*) In Coronide Exam. Theol. Myst. p. 446. & seq. repositâ etiam in Hist. Eccl. T. II. P. II. p. 74. &c.

net præter peccatum, mendacium & vanitatem. Imo si Deus vel ex Cherubinis ac Seraphinis id retrahat quod suum est, nihil quicquam illis erit residuum præterquam tenebræ, torpor & ipsum etiam nihilum. Et hinc est quod omnis boni gloria & laus Deo soli æquissimo & absoluto jure debeantur, & quod (*a*) *si cui gloriandum sit, gloriari debeat* non in se, sed *in Domino:* alias vanus est, mendax & sacrilegus. (*a*) 1. Cor. 1. ℣. 31.

XII. Verum an hinc, quod agnoscat se nihil ex se nisi peccatum habere, sequitur quod non possit a Domino recipere aliquid, ipsamque Sanctitatem ac Sanctitatis Spiritum, qui eum reddat (*b*) *Christi imitatorem*, qui (*c*) *faciat eum aptum ad omne bonum opus, ad faciendum voluntatem Dei, efficiatque in illo id quod gratum est in conspectu Dei*; ita ut (*d*) *vita* ejus sit *vita Christi in* ipso, & omnia *ad gloriam Patris?* Cœcus sit oportet ac in Scripturis peregrinus qui non videat hæc duo, videlicet ex una parte agnitionem nihili nostri ac vacuitatem propriæ gloriæ, ex altera vero plenitudinem gratiæ divinæ cum gloria Dei, optime in uno subjecto concordare inter se & cum verbo Dei; in quo vero admodum miror, D. Jægerum, tantum *Verbi externi* clamatorem, hæc minime animadvertisse quando tamen ab initio Scripturæ ad ultimam usque ejus paginam id ipsum ob oculos cuivis sistitur. Cœlum & terra ex se nihil sunt; per Deum facta sunt theatrum mirabilium ejus. Adam nihil à se; à Deo caput omnium illius operum, imaginis Dei viva repræsentatio redditur. Abraham, ex se peccator & idololatra; ex Deo cui se per fidem tradidit, habet ut sit pater fidelium, qui, iis in exemplum, (*e*) *per opera* quæ virtute Dei cum fide fecit, *justificatus est*, inquit Apostolus Jacobus, non solum coram hominibus, ut glossatores nonnulli oggerunt, sed & coram Deo, a quo inde *amicus Dei declaratus est*, secundum eundem Apostolum. Quid enim in eo usque adeo incredibile est, ut qui se tradit divinæ virtuti operanti in se omne bonum opus, hoc ipso recipiat ab eadem virtute Dei operationem justificationis internæ ac realissimæ? Atque ita etiam homines quivis, qui a lapsu & ex se omnes sunt mendaces, sui & mundi idololatræ, injusti & impuri, mandatorum Dei contemptores & violatores teste Dei Verbo, si se Deo cum fide reddant, ab ejus

XII. *Sed hominem, qui à se nihil & peccator est, non posse à Dei Spiritu aptum reddi ad omne bonum, toti Scripturæ repugnat.*

(*b*) 1. Cor. 11. ℣. 1.

(*c*) Hebr. 13. ℣ 21.

(*d*) Gal. 2. vs. 20.

(*e*) Jac. 2. ℣. 23.

 divi-

divina virtute & operatione redduntur purificati ab istis vitiis, & justificati effectores mandatorum Dei, ac per hanc effectionem salutis participes; quæ vero sunt Dei ac Spiritus ejus ipsissima verba, ac Scripturæ totius clausula: (a) BEATI, *inquit*, *qui* FACIUNT MANDATA ILLIUS, (*Dei*) UT SIT ILLIS JUS IN ARBOREM VITÆ, *& per portas ingrediantur in civitatem.*

(a) Apoc. 22. ℣. 14.

XIII. *Huic Spiritui si se tradere recuset, in corruptione agnita ultro manens, a Veritate ipsa condemnabitur.*

XIII. Sed si quis velit in statu corrupto, per distichon notato, ut quisque ex se per naturam est, sic permanere, ut recuset se Deo Salvatori tradere, ejusque Spiritui, qui mala sua ex eo expellat, eumque repleat justitia, sanctitate, & mandatorum Dei effectrice virtute, quæ mandata iste incredulus vult *a regenitis* (in quibus viget Spiritus Dei) *servari* non posse, esseque illis *jugum insupportabile*; tunc illud ipsum egregium carmen, quod adeo buccinat noster & laudat, erit illius & similium respectu, hominis damnandi, (imo & dæmonis,) vera descriptio, eumque condemnantis sententiæ materia, quando olim ab ipsa Veritate in os ei dici poterit: Tu, homo vane & vacue, qui tam bene dicere scivisti,

Nil sum, nil possum, scio nil, & crimina præter
Nil habeo, & præter tartara nil mereor.

Cur ergo si *nil es & nil potes*, te non reddidisti Deo, tanta te benignitate ad se ut redires invitanti, quique (b) & *ea quæ non sunt* potest vocare *ut sint*, & *abundantissime supra quàm peti vel intelligi queat, facere omnia per virtutem ejus intus operantem?* Si tu *nihil scis*, quare ergo tam pertinaciter & arroganter sciolus putasti te *scire*, melius quam Christus ipse, quod Dei leges *jugum sint insupportabile*; quando contra, ille & *scivit* & declaravit quod ejus (c) *jugum suave sit & onus leve*, & quod *mandata sua non sint difficilia?* Si ex te *nil habes*, cur non petiisti a datore omnis boni Spiritum bonum, sapientiam, (d) *aurum igne probatum ut locuples fieres, & vestimenta alba ut iis induaris, ne appareret pudenda nuditas tua?* Quia ergo *crimina præter nil habes*, & operationibus Dei sanctis, quæ te omni bono plenum, ac Spiritus ejus fructibus & divinis virtutibus abundantem reddere potuissent, vacuus es & inanis; judico te ex verbis tuis & ex verbis Dei: *præter tartara nil mereris.* Ergo *projicite servum inutilem*, quin & noxium, *foras*, (e) *ubi canes, & venefici, & impudi-*

(b) Rom. 4. ℣. 17. Eph. 3. ℣. 20.

(c) Matth. 11. ℣. 30. 1. Joan. 5. ℣. 3.

(d) Apoc. 3. ℣. 8.

(e) Apoc. 22. ℣. 15.

pudici, & *homicidæ* (proximi osores) & *idololatræ*, & *omnis qui amat & committit mendacium.* Utrum autem tunc profutura sint adulatoria verba, (*a*) *Domine, Domine, nonne prædicavimus in nomine tuo* quod sis Dominus & Salvator noster, qui loco nostro obedientiam activam & passivam præstitisti tanquam Sponsor & Satisfactor qui nos a debitis exoneret? Credidimus hoc: *aperi ergo nobis*, & recipe nos: Ausculta ex verbo Dei responsum Veritatis: *Nunquam novi vos: discedite a me quotquot* OPERAMINI INIQUITATEM. Is *qui* FACIT VOLUNTATEM *Patris mei qui est in cœlis, ipse est qui intrabit in regnum cœlorum.* Hæc, & sequentia verba, de eo *qui* NON FACIT *quæ audivit* a Christo, & cujus *domus ruina magna corruet*, illius verba sunt qui dixit: *Cœlum & terra transibunt: mea autem verba non transibunt.* Matth. 24. ℣. 35.

(*a*) Matth. 7. ℣. 20. & seq. Cap. 25. ℣. 11. 12.

XIV. Ceterum tantum abest ut nostrum *nihil*, nostra *impotentia*, nostra *ignorantia*, maxima nostra indignitas agnita obsint perfectis donis a Deo obtinendis, ut potius sint ipsissimum vas & spatium illud vacuum ubi Deus operari vult ac ponere omnia. Et faceret id illico atque copiosissime, nisi quamprimum in nobis aliquid boni ab illo positum est, hoc nobis turpiter arrogaremus, crederemus nos idcirco esse jam aliquid, præ aliis meliores, multo magis quam antè existimatione dignos; nobismet placentes ac grati, cum gaudio & acquiescentia animi nos considerantes, ac læti quod forte ab aliis considerari possimus. Propter hoc pestiferum appropriationis sive arrogationis venenum, quod ex Angelo Diabolum fecit, non audet Deus, ut ita loquar, hominibus bonæ quantumvis voluntatis, ea conferre, & operari in iis saltem perceptibili modo, quæ alioqui libentissime vellet, ne scilicet hi sibi id plus minusve arrogent, ad hoc quippe non parum sollicitati vel a peccato adhuc inhabitante, vel a reliquiis ejus, vel etiam a Satana, quod ultimum & provectioribus accidit, Deo inde eos non liberante protinus quo profundiores in iis radices agat è conspectis miseriis suis vera humilitas, atque etiam ut Deo discant eo magis adhærere ejusque auxilium eo ardentius quærere, sive denique ad perfectionis ac virtutis exercitium; quo referri forte possint ea quæ D. Jæger (*b*) allegat Gregorii Magni verba *de vanæ laudis intentione*

XIV. *Nihil nostrum agnitum non obesse donis Dei perfectis recipiendis. Quare ea non conferat illico. De verbis è Gregorio M.*

(*b*) p. 402.

tione quæ furtim bonæ *intentioni se interserit atque opus ipsum maculat:* nisi potius dicas illum, si vere tunc sanctus fuit, hæc illustrationis & exempli gratia veluti in persona sua exprimere voluisse.

XV. *Eos qui sibi plene mortui cum Christo resurrexerunt, non amlpius à fundo suo sollicitari ad malum. Tales fuisse & futuros esse docent Scriptura & Vitæ Patrum.*

XV. Sed ubi homo per vim mortis Christi in eo operantis sibi plene mortuus est, & per Spiritum resurrectionis cum eo resurrexit in novitate vitæ quæ est in Christo, tunc liber est a lege peccati, a qua non amplius accusari potest. Et qui tales sunt, ii non amplius ab intimo suo fundo sollicitantur ad malum, ad superbiam, ad ea quæ carnem & mortem sapiunt; quia (*a*) *lex Dei est in corde illorum, & ideo non nutabunt eorum pedes*: imo (*b*) *Spiritu vitæ quæ est in Christo Jesu, aguntur* & reguntur, in quo *sunt plus* QUAM VICTORES IN OMNIBUS *per illum qui ipsos amavit*, (*c*) *qui eos confortat & in quo* OMNIA POSSUNT. Testantur Scripturæ, præsertim Pauli & Joannis Epistolæ, tales olim fuisse non paucos: idem & testantur vitæ Patrum de suo tempore: sed tota etiam Scriptura prædixit fore in ultimis temporibus, cum defectio universalis erit, ut qui se ab ea separarent & abstinerent, donandi sint a Deo copiosa effusione Spiritus sui, atque tum regnum Dei in terra secuturum, ubi etiam fiet voluntas Dei veluti in Cœlo, quemadmodum petere jussi sumus a Domino cum spe exauditionis precum in Nomine suo fusarum. Qua vero de materia actum est fusius in Libro IV. Oeconomiæ, à Cap. X. ad finem usque.

(*a*) Ps. 37. ℣. 31.
(*b*) Rom. 8. ℣. 2, 14, 37.
(*c*) Phil. 4. ℣. 13.

XVI. *Horum exemplum & insignis prædictio.*

XVI. Non possum quin exemplis quæ D. Jæger in contrarium voluit & ex Gregorio M. & Petruccio adducere, unum opponam è Veteribus Patribus, quod & plura alia, & prædictionem insignem de hisce continet. Id mihi suggerent Apophthegmata Patrum Græce à Cotelerio edita, in titulo, *de Abbate Ischyrione:* & sic habet Latine ab eodem redditum. (*d*) *Sancti Patres prædixerunt de ultima ætate. Quid operati sumus nos, inquiunt? Et unus ex illis, magnus Abbas Ischyrio responsum dedit:* NOS MANDATA DEI PEREGIMUS. *Exceperunt: Qui autem nos subsequentur, quid facturi sunt? Ait; Ad dimidium operis nostri pervenient. Interrogaverunt adhuc: Qui vero post illos, quidnam? Respondit* NULLO PLANE OPERE *decorabuntur homines ætatis illius: at insurget in eos tentatio; & qui probati invenien-*

(*d*) In Eccles. Græc. Monument. Tom. I. pag. 509.

nientur illo tempore, MAJORES ET NOBIS ET PATRIBUS NOSTRIS *esse comperientur.*

XVII. Hactenus ad D. Jægeri instantiam ab exemplis & confessionibus Sanctorum sumptam. Altera est a testimonio Dei, hoc modo: (*a*) *De adimpletione legis nemo melius atque infallibilius dijudicare potest quam is qui sensum intimum legis callet, qui eam dedit, & qui non actionum tantum, sed & virium nostrarum viscera inspicit, nempe* DEUS. *At is mentes nostras describit, quod cor nostrum malignum sit a prima nostra juventa.* Perabsurda, & puero qui sensu communi gaudeat indigna est hæcce instantia. Veniat Medicus qui possit suis medicaminibus omnes morbos sanare, atque ut illorum valorem & efficaciam melius ostendat, suamque simul peritiam, describat ille primùm quam deplorati sint illi morbi vel ægri eis affecti; an inde sequitur, illos ægros a suis morbis sanari non posse?

XVII. *Instat perabsurde J. cor hominis esse malignum à juventute.*

(*a*) Jæg. Ex. Th. N. pag 400.

XVIII. Pergit noster: *& de lege pronunciat Spiritus S.* Actor. 15. ℣. 10. *quod sit* JUGUM *quoddam, quod neque Patres, hoc est,* FIDELES *in Vet. Test.* NEQUE *Apostoli & fideles in Novo possint portare. Ubi bene animadvertendum, in hoc loco non sermonem esse tantum de lege circumcisionis aut de ceremoniis, sed* DE LEGE *Decalogica seu* MORALI, quam ille paulo post duplici barbarismo, & vocabuli, & rei ipsius respectu, appellat JUGUM INSUPPORTABILE omnibus mortalibus, renatis, illuminatis, APOSTOLIS. Concepta ejus verba hæc sunt: (*b*) *Quando ergo de lege dicitur quod sit* JUGUM INSUPPORTABILE, *tum hoc innuitur, quod illa* [moralis æque ac ceremonialis scilicet] *a nullo mortalium, etiamsi sit renatus, imo licet immediate illuminatus sit, ut Apostoli fuerunt, possit adimpleri.* Notandum autem est, *legem moralem* (malim sic dicere quam *Decalogicam*, quia in Decalogo aliquid inest ceremoniale) consistere & includi totam in amore Dei & proximi, in justitia atque sanctitate; *renatos* & *illuminatos* esse eos qui postquam fuerunt in peccatis & in tenebris, inde erepti sunt, & receperunt Spiritum Dei qui eos docet & regit. Huc ergo redit propositio D. Jægeri, *Qui a peccatis & tenebris conversi ad Deum ab eo receperunt ejus Spiritum qui illos docet & regit, illis Amor Dei & proximi est* JUGUM INSUPPORTABILE.

XVIII. *Barbare asserit, legem moralem esse jugum ipsis renatis insupportabile;*

(*b*) Jæg. p. 401.

XIX. *Ita & sibi ipsi & toti Scripturæ contradicens.*

XIX. O terribilem plane ſententiam, quæ totius Scripturæ nucleum ac ſcopum prorſus annihilat! Libenter peterem a D. Jægeri conſcientia utrum ei illa conſenſu intimo aſſentiri poſſit? vel an ille eam opinionem conciliare queat cum verbis hominis qui dixit nuper, VOLO AMORE MORI, qui ſane non cenſendus eſt dicere voluiſſe, *Volo mori jugo vel ipſis illuminatis ac Apoſtolis inſupportabili?* Vel, ſiquidem Verbi Dei ſcripti tantus ſit æſtimator, an ſuum illud dictum componere poſſit cum hiſce Dei & Sanctorum ſuorum verbis: (a) *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non eſt ſupra te, neque procul poſitum: nec in cælo ſitum, ut poſſis dicere; Quis noſtrûm valet ad cœlum aſcendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, atque* OPERE COMPLEAMUS? *Neque trans mare poſitum. Sed juxta te eſt ſermo valde, in ore tuo, &* IN CORDE TUO, UT FACIAS *illum. Teſtes invoco hodie cœlum & terram quod propoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam*, UT TU VIVAS, ET DILIGAS *Dominum Deum tuum, atque* OBEDIAS VOCI *ejus, & illi adhæreas, ipſe enim eſt* VITA *tua.* (b) DILIGAM TE, DOMINE, FORTITUDO *mea; Dominus firmamentum meum, & refugium meum & liberator meus. Deus meus, adjutor meus, & ſperabo in eum.--- Eduxit me in* LATITUDINEM: *ſalvum me fecit, quoniam voluit me ---.* CUSTODIVI VIAS DOMINI, *nec impie geſſi a Deo meo: quoniam omnia ejus judicia in conſpectu meo, & juſtitias ejus non repuli a me: & ero immaculatus cum eo, & obſervabo me ab iniquitate mea. --- In te eripiar a tentatione, & in Deo meo transgrediar murum ---. Deus qui præcinxit* ME VIRTUTE, *& poſuit immaculatam viam meam.--- Docet manus meas ad prælium.---* DILATASTI *greſſus meos ſubtus me, &* NON SUNT INFIRMATA VESTIGIA MEA.--- *Vivit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus ſalutis meæ, liberator meus de inimicis meis.--- Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine.* (c) LEX DOMINI *immaculata*, RESTITUENS *animam: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis.* MANDATA DOMINI *recta*, LÆTIFICANTIA COR.--- DESIDERABILIA *ſuper aurum & lapidem pretioſum, &* DULCIORA *ſuper mel & favum: etenim ſervus tuus* CUSTODIT EA, *& in cuſtodiendis illis retributio multa.* (d) (*Ecce, venio,*

(a) Deut. 30 ℣.11.-14, 19, 20.

(b) Pſ. 18. ℣.2. &c.

(c) Pſ. 19. ℣.8-12.

(d) Pſ. 40. ℣.8, 9.

venio, ut faciam, Deus mi, voluntatem tuam: hoc volo; & tua Lex est in MEDIO CORDIS MEI. Adde similia plurima ex aliis Psalmis, & ex eorum præcipuo 119. E libris item Salomonis, & hæc e Cantico suo (*a*) FORTIS *est ut mors* DILECTIO (Amor Dei,) *& dura sicut infernus æmulatio* (Zelus amoris.) *Aquæ multæ non possent extinguere hanc* CHARITATEM, *nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro* DILECTIONE, *quasi* NIHIL *despiciet eam:* Ista inquam Dei verba & plura alia vel e solo Veteri Testamento, possuntne componi cum novo hoc & insolenti dicto, quod *Lex Dei, Lex illa cujus contenta, summa, scopus, ipse* AMOR *est, sit* JUGUM INSUPPORTABILE *omnibus hominibus, etiam* REGENITIS *&* ILLUMINATIS? Quis ad hoc non horreat, & non deploret ab iis qui ejusmodi principia fovent, debere nunc homines instrui de salutis via? Quam multa hic addenda & dicenda non essent: sed forte occurret adhuc de hoc argumento loquendi occasio, si de Theologia Comparativa (*b*) aliquid seorsum dicendum. Ceterum, exceptionem mercenariorum vel mancipiorum, de *rigore legis*, non habere hic locum (maxime ubi de renatis filiis agitur) supra (*c*) ostendimus.

(*a*) Cant. 8. ỷ. 6, 7.

(*b*) Libr. IV. Cap. 10. §. 16. & seqq.

(*c*) Cap. IV. §. 54. & in hoc §. 8.

XX. *Verborum Concilii Apostolici, id ut probet, explicatio absurdissima.*

XX. Pro sententia sua quod Lex Dei moralis sit Christianis *jugum insupportabile*, adfert D. Jæger verba Concilii Apostolici quod describitur in Actis Apost. Cap. 15: ubi Petrus loquens de illis qui volebant fidelibus Gentilium Mosaïcam legem imponere, ait, (ỷ. 10.) *Quid tentatis Deum, imponere* JUGUM *super cervices discipulorum quod neque Patres nostri* NEQUE NOS PORTARE *potuimus?* Ac postea totum Concilium sic concludit: ỷ. 28. *Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis* ONERIS *quam hæc necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Ad quæ ita D. Jæger commentatur: (*d*) *Bene advertendum est in hoc loco non sermonem esse tantum de lege circumcisionis, aut de ceremoniis; sed de* LEGE DECALOGICA *seu* MORALI, *ut patet, quia de* FORNICATIONE *est sermo, quæ utique in lege* MORALI *prohibetur.* Atque ita secundum D. Jæger tota hæc res sic intelligenda erit: „ Scilicet, eo tempore surrexisse nonnullos in Ec- „ clesia ex Pharisæis qui crediderant, dicentes Gentilibus eos „ de-

(*a*) Jæg. pag. 400. & 401.

„ debere, si salvari vellent, circumcidi & servare legem Mosis. „ (℣. 1. &. 5.) hoc est, illi inculcabant & urgebant tanquam „ rem ad salutem necessariam, obedientiam tum *legi morali* de „ Amore Dei, de justitia & sanctitate, tum mandatis de cere- „ moniis Judaicis præstandam. Ecclesia autem Antiochena, „ ubi hæc fiebant, territa cum Paulo & Barnaba, de injuncto „ hoc officio necessario amandi Deum, justitiam, sanctitatem, „ charitatem, & ceremonias legales observandi, duos illos „ Apostolos misit ad reliquos Apostolos & presbyteros Jerosoly- „ mitanæ Ecclesiæ ut hoc illis referrent, & ab iis responsum „ haberent. Proponunt illi rem uti se habebat. Tunc Petrus, „ re audita, in hanc sententiam loquitur: Quid tentatis Deum, „ volentes imponere super cervices Christianorum e gentilibus, „ jugum illud non solum ceremoniarum, sed & amoris Dei, „ justitiæ, sanctitatis, charitatis, omniumque virtutum, quod „ vero patribus nostris & nobis quoque fuit importabile? imme- „ mor quod Christus in ultimis suis ad Apostolos sermonibus „ hoc jugum (*a*) amoris denuo iis terque quaterque imposuis- „ set, & Patri suo testatus fuisset quod ipsi (*b*) *sermonem suum* „ *servaverint:* imo immemor quod Christo eum (Petrum dico) „ ter interroganti, an ipsum amaret, responderit; (*c*) *Ita Domine*, „ *tu scis quod* TE AMEM. *Domine tu omnia nosti: tu scis quod te* „ AMEM: cum, si mens ei fuisset eadem quæ D. Jægeri, de- „ buisset dicere, Domine, tu scis quod hoc sit *jugum insupportabi-* „ *le:* & quod tu mortuus es & obedivisti active & passive ut me a „ debito oneris hujus insupportabilis exonerares. Apostoli & reli- „ qui, etiam horum omnium immemores, ceteris bene perpensis „ in hunc sensum responderunt. Visum est Spiritui S. & nobis de „ *jugo* illo *insupportabili* utriusque legis moralis & ceremonialis „ *nihil ultra* vobis imponere oneris quam hæc *necessaria*, scilicet „ è *lege ceremoniali* mandata de non edendis idolothytis, sanguine „ & suffocatis, reliqua omittendo ut minime observanda; de le- „ ge autem *morali* & *Decalogica*, mandatum septimum de scor- „ tatione vitanda, cetera mandata moralia non curando, eisque „ ut *jugo insupportabili* vos non subjiciendo. „

(*a*) Joan. 14. ℣. 15. 21. 22. & Cap. 16. ℣. 10. &c.
(*b*) Joan. 17. ℣. 6.
(*c*) Joan. 21. ℣. 15. 16, 17.

Quis vero ad hæc non obstupescat totus? Et tamen huc redeant oportet explicatio & sententia D. Jægeri, quod utraque lex

lex sit declarata *jugum insupportabile*, servatu impossibilis, nec *imponenda* aut servanda, nisi in quatuor illis casibus hoc loco notatis. Quis, quæso, inter bonos hic non dicat cum Davide: (a) *O Domine, tempus est ut agas: irritam fecerunt legem tuam!*

(a) Ps. 119. ℣. 126.

XXI. *Rationis pro ea allatæ, quod ibi mentio fiat de scortatione, nullitas. Cur ejus ibi mentio fiat.*

XXI. Ratio D. Jægeri, cur hîc includendam censeat & legem moralem, quod scilicet ibi de *scortatione sermo sit*, *quæ utique in lege morali prohibetur*, ea inquam ratio nulla est, absurda est, & facit contra ipsum. Nulla est: nam si lex moralis sit hic declarata *jugum insupportabile*, quia igitur una & sola exceptio quæ fit ab illo jugo morali insupportabili, est præceptum de scortatione vitanda; ergo cetera præcepta, de non occidendo, de non furando, de non mentiendo, de uno Deo colendo; quæ hic non excipiuntur ab impossibilitate portandi jugum legis moralis, manent insupportabilia & abrogata: quod est impium & blasphemum. Præterea ipsum hoc mandatum Apostolicum sese hoc modo destruit, & ipsummet fit *jugum insupportabile.* Nam cur hîc obediendum erit Apostolis & Spiritui sancto? Proculdubio quia amandus & colendus est Deus obedientiâ, & Superioribus ab eo institutis obediendum est, siquidem Deus hoc præcipit in lege morali. Atqui, secundum D. Jægerum lex moralis decreto Apostolico declarata est *jugum insupportabile*, discipulis non imponendum. Ergo obedientia huic ipsi mandato Apostolico vi legis moralis debita, est jugum insupportabile, minimeque ferendum. En quo ducit D. Jægeri absurda positio!

Ceterum cur in hoc Canone Concilii Jerosolymitani de scortatione vitanda mentio facta sit, ratio evidens possit esse hæc, quod siquidem Apostoli Gentiles ad Christianismum adducendos relinquebant in naturali sua libertate a legibus & ritibus Mosaicis soluta, æquum erat etiam eosdem monere ne eam *libertatem* cousque extenderent quousque Gentilium maxima pars eam extendebant, opinantes inter alia simplicem scortationem inter personas liberas naturæ lege licitam esse, vel saltem eandem prohibitam non esse: cujus vero erroris corrigendi ac impuritatis prohibendæ occasio se tunc offerebat. Certe Paulus ex occasione libertatis a lege Galatis inculcatæ, eos pari modo admonet ne inde putent se posse libere *secundum carnem vivere.* Gal. 5. ℣. 13.

 XXII. Quod

XXII. *Argutationes aliæ Jægeri in eandem rem, dissipantur.* (*a*) Jæg. ibid. p. 401.

XXII. Quod autem D. Jæger addat legem moralem ideo esse declaratam *jugum insupportabile*, (*a*) ut *innuatur*, siquidem *nulli*, ne *regeniti* quidem, eam servare possent, [1.] *Quod* „ *opus sit omnibus gratia Christi*, [2.] qui est *finis Legis*, Rom. „ 8. ℣. 4. [3.] qui *non destruit*, sed [4.] *implet legem* in se *pro* „ *nobis*, *præstando ut Sponsor* obedientiam *quam præstare non pos-* „ *sumus*, [5.] unde *gloriatio omnis exclusa est*, [6.] *Salus nostra* „ *ex toto gratuita*, & [7.] *sine ullo concursu nostræ perfectionis* „ *vel operum*; ea omnia sine horrore cogitare vix possum: ad singula tamen sequenti modo breviter respondeo:

(1) *In quo consistat gratia Christi omnibus necessaria.*

(1) *Gratia Christi* hominibus necessaria in eo consistit, primo, ut condonentur iis & deleantur peccata antè commissa cùm ex ignorantia, tum ex fragilitate, imo & scienter & malitiose, modo in iis non perseverent, sed cum Christo & in morte ejus moriantur peccato: quo facto *gratia Christi* eosdem participes facit Spiritus resurrectionis ejus in novitate vitæ, ut non amplius serviant peccato, sed soli Deo, cui vivant per *Spiritum vitæ quæ est in Christo Jesu*, qui Spiritus, sive ejus lex vitæ, aut vis & potentia vitæ; IMPLET IN EIS *justitiam legis*. Rom. 8. ℣. 2-4. &c.

(2) *Quomodo Christus sit finis legis;*

Atque ita (2) Christus est finis legis. Lex justa Dei dicit: *Ama Deum ex toto corde: ama proximum ut te ipsum:* Lex peccati in homine dicit: vires tuæ per peccatum corruptæ & tenebrosæ id nequaquam possunt: Lex Dei, verbo expressa dicit: Si ex te, ex viribus mentis tuæ corruptis non potes ita Deum amare ac ei obsequi uti vult, quære alias vires, alium Spiritum, quibus tu id possis: hic autem est Christus; quære ergo eum, redde te illi.

(3) *Et legem non destruat.* (*b*) Matth. 11. ℣. 28.

(3) Christus dicit: (*b*) *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego* REFICIAM *vos.* Mortis meæ calicem & Spiritum dabo vobis potandum, quo non demerita tantum tollantur, sed & ipsum quod vos debilitat inhærens vobis peccatum, in vobis delebitur & morietur.

(4) *Sed impleat in nobis.*

(4) Tum vos assumens in resurrectionem meam, donabo vos tanquam membra mea Spiritu vitæ meæ qui efficiet ac implebit deinceps IN VOBIS (Rom. 8. ℣. 4.) *id quod justissimè lex* Dei Patris *postulat*, videlicet, amorem filialem erga Deum, fra-

ter-

ternum erga proximum; quemadmodum is Spiritus hoc in me, vestro capite, cujus membra estis, id effecit. Atque ita Christus (*a*) *non destruit, sed stabilit legem*, ut Paulus dicit de Doctrina fidei Evangelicæ. Destrueret legem Christus, per consensum saltem & approbationem, si vel pateretur membra sua dici & esse cum eam adhuc violarent: vel si iis negaret mortis ac resurrectionis suæ vim, quæ in eo consistit, ut qui participant mortem ejus, *non amplius vivant peccato*, sed ei moriantur ac *mortui* sint; & qui resurrectionis ejus sunt participes, *in novitate vitæ ambulent*, & *vivant Deo cum Christo & in Christo*. Rom. 6. ℣. 4. ad. 11. Quæ omnia Petrus paucis complexus est dum dicit: (*b*) *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini; quod qui passus est in carne* (qui dum est in corpore fragili particeps factus est passionis Christi) *is* DESIIT A PECCATIS: *ut jam non desideriis hominum, sed* VOLUNTATI DEI VIVAT QUOD RELIQUUM EST *temporis in carne, sive corpore.*

(*a*) Rom. 3. ℣. 31.

(*b*) 1 Petr. 4. ℣. 1, 2.

(5) Hinc *gloriatio omnis* vere *exclusa est*: nam Spiritus Christi ejusque vires omnia fecere; quapropter ei soli idcirco omnis gloria debetur. Sed si ibi peccato adhuc serviretur, obscuraretur utique & annihilaretur gloriatio Christi præ gloriatione veteris Adami & Diaboli, qui possent gloriari se plus in hac hominis vita contra Deum posse, quam Christus pro Deo; siquidem posuerint obstaculum, peccatum, inobedientiam, concupiscentiam in corde hominis dum est in curriculo probationis, quæ vero obstacula Christus hac in vita tollere non possit.

(5.) *Qui omnis gloriatio hinc exclusa*.

(6) *Salus* etiam ita est ex toto gratuita: Vera *Salus* est Spiritus amoris & sanctitatis, unioque sancta & dilecta cum sanctissimo & amato Deo. Vera *gratia* est infusio interna divini Spiritus ejusque sanctificantium donorum, quam bene nominarunt Scholastici, *gratiam gratos facientem.* Impiorum *salus*, quæ est gaudere pro suo desiderio; eorumque *gratia*, quæ est, non dolere, non sunt vera salus nec vera gratia; sed cupiditatis propriæ complementum, amorisque proprii instinctus & norma: cujus salutis & gratiæ desiderium in impiis quibuscunque inest, imo & in ipsis Diabolis. Illi utique non amant vel desiderant *Deum* propter se ipsum suamque sanctitatem & puram perfectionem; sed tantum quatenus

(6) *Et salus sit gratuita. Vera salus & gratia quæ sit: quæ verò impiorum gratia & salus.*

tenus potens eſt eorum inſervire deſiderio gaudendi & non dolendi: nec amant ejus *gratiam* propter divinas ſuas proprietates, v. gr. quoniam *patiens* eſt, dat vim patiendi & tolerandi cruces quas ipſamet offert; quoniam *benigna eſt*, reprimit & facit mori tametſi cum pugna & dolore, motus iræ, & imprimit lenitatem: quoniam *non æmulatur*, non ægre fert bona & optima videre in aliis etiamſi ipſa in ſe nihil plane videret quam privationes: *non agit perperam*, in malam partem vertendo quæ vel bona vel non mala ſunt: non *inflatur*, judicans ſe præ aliis, etiam errantibus vel ignariſſimis, aliquid eſſe: & ſic de qualitatibus ceteris quæ (*a*) Paulus divinæ *gratiæ* ſive Charitati adſcribit: quas in *gratia* Dei minime probant, ſed potius pro jugo inſupportabili habent, qui *Chriſti gratiam* tantopere jactant atque clamant.

(*a*) I. Cor. 13. ꝟ. 4. &c.

(7.) *Quam volunt ſine concurſu ſuæ perfectionis vel operum.*

(7.) Hinc vix illa ſeſe ejusmodi hominibus offert cum vi patiendi operationes omnes ad ſalutem in homine requiſitas ut moriatur peccato, deſtruatur cupiditas, amor ſui, amor mundi, ſuperbia vitæ, fundus affectuum peccaminoſorum; cum illi protinus ab ea *gratia* abhorrent veluti a Dæmone aliquo, illam clamant *jugum eſſe inſupportabile*; ſe velle (*b*) *ſalutem ex toto gratuitam & ſine ullo concurſu ſuæ perfectionis vel operum*, multoque minus patientiæ & doloroſæ mortis peccatorum ſuorum: unde fit ut eam gratiam relinquant & adſcribant ſtultis, melancholicis, fanaticis & Enthuſiaſtis; ipſimet vero ab inimico faſcinati ſibi imponere ac Deo adulari velint, ut hic Amorem proprium, filium perditionis, vivum, lætum ac ſalvum in thronum ſuum aſſumat vi imaginationis qua ſibi perſuadent ſuæ operationis & cooperationis vices a Sponſore Chriſto impletas eſſe quas ipſi implere non potuerint; quippe quæ ſint iis *jugum* plane *inſupportabile*.

(*b*) Jæg. ibid. p. 401.

XXIII. *Gratia Dei cui ſit jugum intolerabile: cui verò & quomodo fiat tolerabilis & poſſibilis.*

XXIII. Et ſane ita eſt: quamdiu homo in ſe manere vult ac in corrupta natura ſua, gratia Dei peccatum interimens, ipſi non poteſt non eſſe *jugum inſupportabile*: ſi enim natura noſtra corrupta illud ferre vellet & poſſet, viveret adhuc, & in ſuis illud portandi viribus poſſet gloriari: debet tamen mori: ergo ſub jugo ei intolerabili perire. Sed ubi homo luce & gratia Euangelii quæ illum huc vocat ut vitam perdat quo aliam inveniat;

niat; ut sicut frumentum in terra projectum moriatur &c. ubi inquam hac Evangelii luce illustratus ac tactus est; æquum est ut se ei sponte sua reddat; jamque opportune ex animo dicat, *Volo amore mori.* Tunc vero gratia conficiet opus, sed non sine eo. Audi sis divinum Kempisium de his in ultimo Libri sui secundi Capite, quod hic totum, nisi longius esset, describi deberet, ex quo vero pauca solum adscribam ejus verba de *gratia pœnitentiæ*, ubi prius notavero primam gratiam morte Christi nobis acquisitam ita appellari a Clemente Viro Apostolico in divinis hisce verbis: (*a*) *Quid pulchrum, quid jucundum & acceptum coram Opifice nostro sit, videamus. Sanguinem Christi intentis oculis intueamur; & quam pretiosus Deo sit ejus sanguis consideremus, qui propter nostram salutem effusus, toti mundò* POENITENTIÆ GRATIAM *obtulit.* Quibus verbis paucis ostendit Vir Apostolicus: 1. Nos minime solutos esse a lege morali, sive ab eo quod coram Deo bonum est ac pulchrum, jucundumque & acceptum ei. 2. Sanguinem Christi effusum propter salutem nostram, hanc tamen nobis non conferre sine cooperatione & concursu poenitentiæ nostræ. 3. Pœnitentiam per illum ipsum sanguinem nobis obtentam esse & oblatam. 4. Eam esse adspiciendam veluti veram Christi GRATIAM, non autem tanquam jugum aliquod importabile. Sed de ejusdem importabilitate & portabilitate (ut sic dicam) audiamus verba divini Kempisii; quæ ita habent:

(a) I. Epist. ad Cor. Cap. 7.

Non est secundum hominem crucem portare, crucem amare, corpus castigare & servituti subjicere; honores fugere, contumelias libenter sustinere, se ipsum despicere & despici optare: adversa quæque cum damnis perpeti, & nihil prosperitatis in hoc mundo desiderare. Si ad te ipsum respicis, nihil hujusmodi ex te poteris. Sed si in Domino confidis, DABITUR TIBI FORTITUDO DE COELO, *& subjicientur ditioni tuæ mundus & caro. Sed nec inimicum Diabolum timebis si fueris* FIDE *armatus & cruce Christi signatus. Pone te ergo, sicut bonus & fidelis servus Jesu Christi ad portandum viriliter crucem Domini tui, pro te ex amore crucifixi.*

XXIV. Dudum in animo habui ut huic capiti atque argumento finem imponerem. Sed ejus materiæ excellentissima præstantia atque necessitas nunc temporis violata ac pedibus tan- XXIV. *Transitio ad Caput sequens.*

tum non conculcata, non sine periculo vitæ æternæ plurimis amittendæ, cogit me ut novum caput, quod sequitur, præsenti huic eadem de re addam: atque id eo magis quod D. Jæger hisce veritatibus magis quam aliis ceteris infensus videatur, uti patet tum e modo singulari quo in me hac occasione conviciis voluit vehementius solito invehi; tum inde, quod eadem de causa, sanctissimis multis jam defunctis, qui in hoc laborarunt ut Dei leges sanctæ denuo hominibus cordi essent, horrendum in modum infensus est passim. Sed ad rem veniamus.

CAPUT IX.

De morali lege à Christianis servanda ex doctrina Scripturarum Patrumque Apostolicorum.

I. *Argumentum hujus & sequentis Capitis.*

I. PRopositum est mihi in hocce Capite adjectitio uti & in sequenti quosvis bonæ voluntatis ac liberi judicii hac de veritate convincere, quod ad salutem, sive ad beatam unionem cum Deo, necesse sit ut quivis conversus ad Deum, provectior, regenitus denique servet legem Dei moralem pro viribus sibi a Deo concessis, & porro si petat & pergat petere, concedendis: ita tamen, ut si impingat & deficiat, pœnitentia acta, rursum pro viribus legi Dei obediat, & ad finem usque perseveret. Hoc autem confirmabo potissimum auctoritatibus tum Dei & Scripturarum; tum Sanctorum Patrum Doctorumque probatorum inter Christianos. Ingentis quidem voluminis esset hoc argumentum: at quantum ad Scripturas, restringam me ad auctoritates Novi Testamenti, nec quidem ad omnes, quæ maximum faciunt numerum; siquidem omnia loca ubi commendantur Amor Dei & proximi, justitia, sanctitas virtutesque Christianæ sine quibus Deo placere non possumus, & quæ re vera ad legem moralem pertinent, huc essent adducenda: sed me ad ea restringam in quibus agitur de abrogatione legis alterutrius vel utriusque, ut inde clarum fiat, legem quidem ceremonialem abrogari per Christum, moralem autem nedum abrogetur, extendi potius ultra quam putaverant homines ignari, & declarari necessariam observatu ad salutem obtinendam.

II. Me-

II. Meminerint, velim, Lectores quatuor conclusionum initio Capitis præcedentis (*a*) positarum. Meminerint quoque Deum esse hominis non magistrum rigidum ac mercenarium, veluti eum finxerunt ficti nescio cujus fœderis operum mercenarii conditores: sed esse ejus & suorum filiorum benignum Patrem qui eos ex amore mero & generoso creavit & ex eo principio vult cum ipsis & se & omnia sua communicare gratis, nihil ab illis exigens quam amorem filialem & mutuum, quo illi in Patrem optimum & amabilissimum ferantur, eo delectentur, cum illo & suis operibus gloriosis & maxime cum fratribus a Patre amatis æternum lætentur. Hoc postulatum Dei Patris, Amare illum, placere ei, gaudere & lætari in eo, cum eo & cum fratribus in usu omnium bonorum Dei, est id quod dicitur Lex moralis; a Jacobo, lex regia, lex libertatis; a Joanne, Mandatum ab initio, mandatum antiquum & novum; à Paulo, Lex Spiritus vitæ quæ est in Christo Jesu; à Christo mandatum amoris, mandatum Patris quod est ipsa vita æterna. Est vere lex (*a*) æterna, immutabilis, justa, sancta, beans & restituens animas, & quicquid boni vel de ipsa vita æterna dici possit.

II. *Deus Pater hominum, nihil ab iis exigit nisi amorem filialem & mutuum. Hæc est lex moralis, lex regia, lex æterna.*

(*a*) §. 2, 3, 4, 5.

(*a*) Ps. 119. ℣. 89. 142. 144.

III. Homo per peccatum a Deo deficiens, ei placere & obsequi cessans, redditus est, eheu, per corruptionem suarum facultatum e lapsu contractam, ineptus qui amabilissimæ huic legi amoris filialis erga Patrem optimum amplius responderet. Misertus est Pater filiorum lapsorum & nunc impotentium, considerans eos magis aliena seductione quam proposita malitia lapsos esse. Ac rogatus per filium suum Unigenitum, huic homines donavit miseros ut eos ad amorem filialem pristinum & ad communionem cum dilecto Patre priorem reduceret, quo illi Deo & omnibus bonis suis denuo gratis fruerentur. Hoc est fundamentum Novi Fœderis sive NOVI TESTAMENTI, quod nihil aliud est, quam IN INTEGRUM RESTITUTIO LEGIS MORALIS, sive Legis Æternæ, immutabilis, amabilis, *animarum restitutricis* Ps. 19: ℣. 8. & pacificatricis (Ps. 119. ℣. 165.) de amando Deo Patre nostro amore puro & filiali, quo ei propter infinitam suam excellentiam & generosam bonitatem placere semper & in omnibus ex corde velimus.

III. *Ab hac cum defecissent homines, Pater eos donavit Filio suo eodem reducendos.* Novum *Foedus*, Novum *Testamentum*, *Restitutio legis moralis.*

Quid jam Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus fecerint

(*a*) Cap. IV. Sect. II. §. 28. & seqq.

unusquisque aut susceperint ex sua parte faciendum, & quid ab hominis parte exigant ad destructionem impedimenti & restitutionem Legis Amoris æternæ in eodem, vidimus supra in Capite de Satisfactione (*a*).

IV. *Tentator hanc impedire volens inter alias artes suos errores circa hanc legem hominibus insinuat.*

IV. Tentator autem inimicus, cujus astutiâ Lex illa divina in homine violata fuerat, idem conatur omni molimine ejus restitutionem & restitutionis media impedire. Mille habet artes, tentationum infinita genera, inter quæ ex parte intellectus errores sunt quos circa hanc legem ejusque restituendæ media conatur intellectui hominum insinuare.

V. *Hi legi Amoris substituunt* fœdus *mercenarium* operum, *quo fracto, alio opus sit fœdere novo, cujus conditio Jagero est persuasio de imputata justitia aliena lege morali abrogatâ.*

V. Horum errorum unus est, (1) quod hanc legem liberam, generosam, puram, pure propter se suumve objectum amabilem, obscurare, & pro nescio quo mercenario operum fœdere habere voluerunt. (2) Quæ vero lex operum cum fracta semel sit, restitui amplius non potest. (3) Ac propterea opus esse novo aliquo fœdere, quod non sit lex illa prima amabilis: (4) imo cujus illa lex amabilis, pura & sancta non sit conditio; sed alia quædam imaginatio vel persuasio de imputata justitia externa, quam conditionem *fidem* dicunt, ignari veram fidem in Lege regia Amoris (*Charitas omnia credit* 1. Cor. 13. ℣. 7.) contineri, & ex ea cum omnibus virtutibus fluere. Noster Auctor, qui materiam de fœdere operum ex aliis desumtam fecit suam, hos ei errores in suo Systemate Polemico superaddidit: nam Discipuli D. Coccejі (*b*) non pauci, ipseque, ni fallor, Coccejus,

(*b*) [*Johannis Melchioris* in Fundam. Theologiæ Libr. II. P. I. cap. 4. §. 40. *credere* & *Deum diligere* synonyma sunt qui & §. 45. *amorem* Dei in ipso *fidei* actu contineri docet. Et ipse Coccejus expresse monet, Veram fidem nullo modo esse posse quæ non faciat cor purum: cor purum verò ex fructibus suis cognosci. De Foed. Cap. XV. §. 539. n. 6. idemque inscriptionem legis Dei, legis amoris, in corda, inter bona Novi Testamenti numerat. Cap. XII. §. 352. Inter recentiores *B. Theodorus Untereik* V. D. Min. Bremæ apud Reformatos in libro Germanico *Hallelujah* Cap. 18. quæst. 14. asserit: *Fidem* utique aliquo modo esse *Amorem* --- neque concipi posse fiduciam cordis sinceram, famem & sitim justitiæ, apprehensionem & acceptationem Christi &c. nisi & aliquo modo esset *Amor*. Et Clariss. D. Frid. Adolphus Lampius nuper ibidem V. D. M. nunc verò in Ultrajectina Academia Theologiæ Prof. P. in libro itidem Germanico quem vocat *Sacrum ornamentum convivarum Cœnæ nuptialis Agni*, Cap. V. Fidem salvificam ait in eo consistere, quod peccator miseriæ suæ & falutis in solo Christo inveniendæ conscius & de eo convictus, hac notitia impulsus, *eum solum pro Redemtore suo amplectatur* TRADATQUE SE

jus, fidem dicunt esse Amorem *Dei Redemptoris:* quod D. Jægerus dicet nequaquam, qui Amorem Dei, sive legem moralem, habet pro jugo insupportabili, quod cum lege ceremoniali sit a Concilio Apostolico abrogatum ceu ad salutem adipiscendam non necessarium.

VI. Consulamus ea de re Magistrum falli nescium. Prima occasio quam habuit Christus nos informandi de utraque lege, ipsi fuit oblata ab Samaritana illa muliere de qua Joannes Cap. 4. Hæc inter alia Christo quæstionem proposuit utramque legem respicientem, moralem de adoratione Dei, quæ adoratio amor venerationis est; ceremonialem, de loco ejusdem: An adoratio Dei fieri debeat in monte Samariæ, an in urbe Jerosolymitana? Christus huic quæstioni respondet, declarando quidem abrogationem ejus quod ceremoniale ibi inest; sed magis magisque confirmando id quod est morale, Amorem, dico, Deum venerantem; sive adorationem: id enim volunt hæc ejus verba: (*a*) *Venit hora quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem.--- Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate: nam & Pater tales quærit qui adorent eum.*

VI. *Christus contrà legem moralem non abrogatam esse docet* (1) *in verbis ad Samaritanam.*

(*a*) Joan. 4. ℣. 21, 23.

VII. Idem in admirabili illo quem ad Discipulos & ad turbam habuit Sermone, in quo falsa interpretamenta non pauca mandatorum legis moralis quæ Judæi finxerant removet, verumque ejus legis sensum ostendit, tantum abest ut eam relaxet vel pro jugo insupportabili exhibeat: ut potius dicat: (*b*) *Nolite putare quod venerim solvere legem aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere.* Ac ne quis objiciat, eum venisse legem adimplere pro nobis, sive loco nostro, ut illo jugo rigoroso nos relaxaret; addit, ostendendo nos ad eam adstrictos si salvari velimus: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis*, (cetera scilicet alia & magna alioqui servans,) *is minimus vocabitur in regno cœlorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Subjungit: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Illi quidem

VII. (2) *In Sermone in monte.*

(*b*) Matth. 5. ℣. 17. &c.

SE ILLI *secundum omnia officia sua, ut Propheta, sacerdoti ac Regi, vel ut Apostolus loquitur, prout factus est nobis Sapientia à Deo, Justificatio, Sanctificatio, & Redemtio.*]

dem ceremonialia obſervabant, & minutiora atque externa legis moralis, uti Phariſæus ille conteſtabatur coram Deo (*a*) ſe non eſſe raptorem, injuſtum, adulterum; ſed interiora illis deficiebant, ſicut & obſervatio eorum quæ in lege ſunt graviora ſive excellentiora, in quibus illi veram juſtitiam habuiſſent, a Chriſto ipſo approbatam: (*b*) *Reliquiſtis quæ* GRAVIORA *ſunt legis, judicium, miſericordiam & fidem*; (nota obiter *fidem* in lege morali includi) *hæc oportuit facere....* Atque ut quisquis qui ſalvari velit omnino convictus ſit de neceſſitate vivendi ſecundum legem Dei moralem, ſermones ſuos hac aſſeveratione concludit: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum.* MULTI *dicent mihi in die illa: Domine, Domine; nonne in nomine tuo prophetavimus, imo, in nomine tuo dæmonia ejecimus & miracula multa fecimus? & reſpondebo illis; nunquam novi vos: diſcedite a me qui operamini iniquitatem*; quod idem eſt ac, qui ſecundum legem Dei non vixiſtis: pergitque id ipſum confirmare ſimilitudine qua declarat eum ſolum *qui facit verba Dei quæ audivit*, fore ſalvum: ceteros qui imaginariam fidem de imputatione externa ſine fundamento practico internoque habebunt, deceptos fore, & ruinam imaginatæ ſalutis paſſuros.

(*a*) Luc. 18. ℣. 11.

(*b*) Matth. 23. ℣. 23.

VIII. (3) *In tota vita, & in ultimis ſermonibus.*

VIII. Per totam vitam hæc eadem inculcavit Magiſter cunctis adorandus & audiendus multis aliis ſermonibus atque parabolis, quæ omnia huc redeunt, ut quemadmodum ipſe non fecit voluntatem ſuam, ſed Patris ſui, cui ſemper obedivit, & fecit quæ ipſi grata ſunt; ita nos oporteat eum imitari, ſequi ipſum qui eſt Lux mundi, niſi malimus ambulare in tenebris; audire, uti oves, vocem ejus & ſectari eum ſi velimus ut det nobis vitam æternam. Denique cum prope eſſet ut ceremoniali legi imponeret finem per exhibitionem ſacrificii corporis ſui in cruce, & per Reſurrectionem ac effuſionem Spiritus Sancti quo omnia implere debebat; videatur an & tunc aliquid de obſervatione Legis moralis ut *jugi inſupportabilis* abrogaverit. Legantur ipſius ultimi ac, ut ita dicam, teſtamentarii ſermones in Capitibus XIII. XIV. XV. XVI & XVII. Joannis; quid aliud ſunt & continent quam efficaciſſimam commendationem & confirmationem Legis

Dei

Dei moralis, DE AMORE DEI ET PROXIMI, & de observatione mandatorum Dei & Christi, cum promissione Spiritus Sancti (petentibus cunctis donandi) qui omnia in Christianis efficiat eo usque ut per Christi sese pro iis sanctificantis sanctitatem, per sanctitatis Spiritum iis infusam & communicatam sint unum cum Patre & Filio, sicut Pater & Filius unum sunt?

IX. Paulus Apostolus, qui Concilio Jerosolymitano interfuit ubi de abrogando *jugo* quod portari non potuit actum est, & qui decretum ad Gentiles retulit, idem etiam ad Romanos scribens executus est, docens eos quid abrogatum sit, quid non. Tota ejus Epistola in eo est. Ibi loquitur de lege ceremoniali sæpe & evidenter: de lege autem morali modo duplici; primo quatenus in charta, in litera, in idea, in intellectu hominis corrupti, & qui tamen viribus confidit suis, spectatur: altero, quatenus eadem consideratur respectu illorum qui volunt filii Dei fieri, se reddere Christo & Spiritui mortis ac resurrectionis ejus, qui eorum sit potentia, viriumque & vitæ & actionum auctor ac rector. Legem ille ceremonialem, ut qua reddamur sancti & justi quales nos Deus vult, plane abrogat, nisi quod eam toleret ad tempus & in quibusdam propter nonnullos infirmos qui eam observabant ex solo principio obedientiæ Deo debitæ. De Lege morali, respectu eorum qui cum sint corrupti, viribus tamen suis confidunt, ostendit eam esse, culpâ illorum, plane inefficacem, imo, producere vel ostendere suum iis peccatum & mortem, non vitam adducere, esseque adeo illis ea de causa *legem peccati & mortis.* Sed quod si velint ut illud *Mandatum* (a) *bonum, justum & sanctum* iis sit ad vitam, debeant se tradere Christo per veram fidem, ut is in illis per Spiritum mortis & sanguinis sui corruptionem, peccatum inhabitans, veterem hominem destruat & enecet, deinde eisdem per Spiritum resurrectionis & novæ vitæ suæ infundat amorem Dei, in quo omnia possint & sint (b) *plus quam victores, per illum qui amavit* eos, qui Spiritus vitæ eos liberet à lege peccati & mortis, *impleatque* IN EIS *justificationem* sive *justitiam* (τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου,) quam postulat *lex* Dei moralis, quæ per Spiritum Christi facta est iis lex vitæ, lex restituens animam, lex dilecta, lex pacis, lex libertatis; ut taceam cetera alia divina ejus encomia quibus præ-

IX. *Similiter Paulus legem quidem ceremonialem vult abrogatam; moralem vero observandam commendat in Epist. ad Romanos:*

(a) Rom. 7. ℣. 12.

(b) Rom. 8. ℣. 3, 4, 37.

prædicandis vir ſecundum cor Dei, David, ſatiari non poteſt. Legatur ſecundum hæc vera principia tota illa ad Romanos Epiſtola, præſertim ejus Capita 3, 6, & 8; & hæc veritas ſole clarior apparebit. Iſta ejus verba Cap. 3. ℣. 25, 26. & 31. omnia continent paucis: *Quem* (Chriſtum) *propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius*, (dedit Chriſtum Pater ut is tegeret peccata quæ vi juſtæ legis violatæ nos reddiderant indignos qui deinceps eſſemus filii ejus, eo motus per oblationem ſui Unigeniti,) *ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ propter remiſſionem præcedentium delictorum in patientia Dei*, (quo pacto oſtendit quod etſi peccata præcedentia toleravit & remiſit, manet tamen lex ſua ſancta atque juſta, minimeque abrogata;) *& ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ in hoc tempore:* (ſimulque oſtendit eandem juſtitiam ſuam ex Chriſto in hominibus vi & efficacia oblationis ſuæ ſanctificatis & juſtitiæ veræ reſtitutis, ut hoc vitæ tempore in ea vivant,) *ut ipſe ſit juſtus & juſtificans eum qui eſt ex fide Jeſu*; (Ita ut appareat & Deum eſſe juſtum, juſta & ſancta lege immutabiliter gaudentem, & facientem ut ſint juſtitiæ reſtituti eaque imbuti quotquot ſe Chriſto ſecundum Doctrinam fidei quam prædicamus, ex animo reddunt.) *Ergone legem deſtruimus per fidem?* (An igitur, ut Judæi calumniantur, per hanc fidei doctrinam abrogamus & deſtruimus etiam legem Dei moralem?) *Abſit! ſed ſtatuimus legem.* (Imo, ſtabilimus & confirmamus eam,) docendo ſcilicet quod homines Chriſti participes, ab eo recipiant vim & Spiritum per quem Dei legem obſervent reliquo ſuæ vitæ tempore.

X. *Conſentientibus Petro & Joanne.*

X. Quæ plane conſpirant cum verbis Petri: (*a*) *Chriſtus peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus*; & iterum; *Chriſto in carne paſſo, & vos eadem cogitatione armamini; quod qui paſſus eſt in carne deſiit à peccatis, ut jam non deſideriis hominum, ſed voluntati Dei vivat quod reliquum eſt temporis in carne.* Item cum hiſce Joannis: (*b*) *Scitis quod ille apparuerit ut peccata noſtra tolleret; & peccatum in eo non eſt. Omnis qui manet in eo non peccat: omnis qui peccat non vidit eum, nec cognovit eum. Filioli, nemo vos ſeducat: qui facit juſtitiam, juſtus eſt, ſicut & ille juſtus eſt.* Petrus & Joannes Concilio Jeroſolymitano interfuerunt. Certe ſi per *jugum* quod *portari non potuit* in-

(*a*) 1 Petr. 2. ℣. 24. & Cap. 4. ℣. 1, 2.
(*b*) 1 Joan. 3. ℣. 5, 6.

intellexissent legem moralem, non ita scripsissent uti videmus: prout D. Jæger procul abest ut eum in modum scribat.

XI. Adhuc verbum è quibusdam Pauli Epistolis: XI. *Idem docet Paulus in aliis Epistolis, puta ad Corinthios,*

Corinthiis, quibus Judaizantes ceremonialis legis jugum imponere volebant, ita scribit, hocque jugum eis ita detrahit, ut simul legem moralem unice iis observandam commendet, inquiens: (a) *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est; sed* OBSERVATIO MANDATORUM DEI. Idem de *charitate*, quæ est anima & vita legis moralis, dicit, quod ceteris deficientibus, illa tamen *manet.* (a) 1 Cor. 7. ℣. 19. & Cap. 13. ℣. 8, 13.

XII. Galatas, quos vehementissime a jugo legis ceremonialis avocat, eo ardentius ad legis moralis observationem incendit. Se in exemplum proponit qui sit (b) *legi* priori *mortuus* ut *Christi* vita, quæ tota est amor Dei, legis moralis summa, sit in eo. Addit hac ipsa de quæstione: (c) *In libertatem vocati estis, fratres: tantum ne libertatem in occasionem detis carnis; sed per charitatem Spiritus servite invicem. Tota enim lex in uno Sermone* IMPLETUR; *Diliges proximum sicut teipsum.* Commendat paulo post omnes fructus ac virtutes Spiritus S. & ut vivant spiritu, & ADIMPLEANT LEGEM CHRISTI. XII. *Ad Galatas,* (b) Gal. 2. ℣. 19. 20. (c) Ibid. Cap. 5. ℣. 13. &c. & Cap. 6. ℣. 2.

XIII. Ephesiis legis quidem ceremonialis jugum abrogatum annuntiat in Christo, (d) *medium parietem maceriæ solvente, & legem mandatorum in decretis evacuante:* sed quid de morali? (e) *Det vobis, inquit, Pater Domini nostri Jesu Christi, secundum divitias gloriæ suæ* CORROBORARI *per Spiritum ejus in interiorem hominem,* CHRISTUM *habitare per fidem* IN CORDIBUS *vestris; in* CHARITATE *radicati & fundati - - - ut* IMPLEAMINI IN OMNEM PLENITUDINEM DEI; *qui potens est omnia facere superabundantius quam petimus, aut intelligere possumus secundum* VIRTUTEM QUÆ OPERATUR IN NOBIS. Quæso, Lector, sunt-ne hæc verba hominis qui crederet legem amoris Dei esse *jugum* vel renatis ipsis *insupportabile*, iisdemque impossibile esse, virtute Spiritus S. mandata Dei observare? XIII. *Ad Ephesios,* (d) Eph. 2. ℣. 14. &c. (e) Cap. 3. ℣. 16. &c.

XIV. Monet idem Apostolus Philippenses suos uti (f) caveant ab illis qui ceremonialis legis jugum iis imponere volebant haud secus ac à *canibus* & *malis operariis.* Dat se in exemplum hominis mortui legi illi, ejusque justitiæ, quam impleverit; sed & XIV. *Ad Philippenses* (f) Phil. 3. ℣. 2. &c.

abrogaverit ut *inveniatur in Christo cum justitia quæ ex Deo est in fide*. Quomodo? *Cognoscendo illum, inquit, & virtutem resurrectionis ejus, & participationem passionum ejus*, CONFORMATUS *cum morte ejus: si quo modo perveniam ad resurrectionem ex mortuis: non quod jam consecutus sim aut jam perfectus sim, sed persequor si quo modo comprehendam in quo & comprehensus sum à Christo*. Quibus verbis (ut hoc obiter dicam) non negat simpliciter Paulus se jam ad perfecti status gradus aliquos pervenisse, siquidem paulo post innuat se & nonnullos quos alloquitur, eo re vera attigisse ℣. 15: *quotquot ergo* PERFECTI SUMUS, *hoc sentiamus:* sed insinuat, multos adhuc in perfectione restare gradus quorum respectu se nondum ad eam mensuram perfectum considerat. Et re vera patet ex verbis Christi; (*a*) *Estote perfecti sicut Pater vester cœlestis perfectus est*; superesse quamdiu hæc vita durat innumeros gradus crescendi in perfectione. Paulus proculdubio a Christo *apprehensus erat* ut ad maximos perveniret: eo nondum venerat: & ut eo animosius tenderet, considerat perfectionem ad quam hactenus pervenerat, licet jam magna erat, quasi esset nulla, non videt eam ut oculos altius attollat, ut ipse dicit: *quæ retro sunt* OBLIVISCENS, *ad ea vero quæ anteriora sunt me extendens*.

(*a*) Matth. 5. ℣. 48.

XV. *Indicantur alia Scriptura loca huc spectantia.*

XV. Longior essem si loca (*b*) cetera mihi huc e reliquis hujus & aliorum Apostolorum Epistolis aliisque scriptis sacris adducenda essent ex quibus constat, secus quam vult D. Jægerus, solam legem ceremonialem esse *jugum* illud *non portandum*, ad quod Gentiles nolebant adstringi: legem autem moralem fuisse contrà maxime commendatam, & ad summum gradum evectam adeo, ut dixerit Joannes, (*c*) eum *mendacem* esse qui ait se *nosse Deum & mandata ejus non custodit*: --*quæ* vero *gravia non sunt*.

(*c*) 1 Joan. 2. ℣. 4. & Cap. 5. ℣. 3.

XVI. *Verba Pauli ad Hebræos.*

XVI. Unum alterumve adhuc ex Epistola Pauli ad Hebræos producam tantum ea de re locum. Nullum inter omnes dubium superest quin Apostolus ibidem data opera ostendat ceremonialem legem nunc solutam esse & evanuisse. Quid autem de lege morali? Assumit eam Spiritus Sanctus, & illam eo usque exaltat ut velit &

(*b*) Vid. etiam Matth. 11. ℣. 29, 30. ut & Rom. 3. ℣. 30. & C. 6. ℣. 11. & seqq. Cap. 8. ℣. 2. ad 15. & ℣. 37. Eph. 5. ℣. 27. 1 Thess. 5. ℣. 23, 24. 1 Joan. 2. ℣. 3. ad 6. & Cap. 3. ℣. 5. ad 9. & ℣. 22. Jud. ℣. 24. Apoc. 22. ℣. 14. Ex Vet. Test. solum Deut. 30. ℣. 11. ad. 14. & Psam. 19. ac 119.

& ipse esse scriptor ejus in cordibus filiorum Dei, & ejus observationem, sive obedientiam Deo debitam, characterem esse eorum qui salvabuntur: (*a*) *Dabo*, inquit, verbis ex Propheta Jeremia desumtis, dabo *leges meas in mentem eorum, & in corde eorum* INSCRIBAM *eas.* Item, (*b*) *Filius Dei consummatus, factus est omnibus ipsi* OBEDIENTIBUS *causa salutis æternæ.* Et hæc quidem duo sunt ipsa consummatio vera Novi Testamenti.

(*a*) Hebr. 8. ℣. 10.
(*b*) Hebr. 5. ℣. 9.

XVII. Videamus nunc utrum eodem de argumento Patrum & Doctorum probatiores senserint cum D. Jægero, legem moralem esse *jugum* vel ipsis *renatis insupportabile.*

XVII. *Quid de hisce senserint Patres Apostolici, puta* Barnabas;

Barnabas Apostolus in Epistolæ suæ Cap. 4. *Nihil proderit nobis omne tempus vitæ nostræ* ET FIDEI *si non odio iniquum* (malum) *& futuras tentationes habeamus.--- Simus spiritales, simus templum* PERFECTUM *Deo. In quantum est in nobis meditemur timorem Dei, &* CUSTODIAMUS MANDATA ILLIUS, *ut in illius* JUSTIFICATIONIBUS (δικαιώμασιν) *lætemur.* Idem Cap. 19. VIA LUCIS *est hujusmodi. Siquis velit incedere ad præfinitum locum, id* SUIS OPERIBUS *properabit* EXEQUI. *Cognitio igitur nobis data in hac via est ejusmodi.* DILIGES FACTOREM TUUM. *Glorificabis eum qui te a morte redemit. Simplex eris corde, & spiritu dives. Non adhærebis ambulantibus in via mortis.* ABHORREBIS FACERE ID QUOD DEO DISPLICET. *Odio habebis omnem simulationem.* NE RELINQUAS MANDATA DEI. Et Capite ultimo: *Æquum est igitur eum qui didicit justificationes Domini, quæ prius scriptæ sunt,* IN IIS AMBULARE; *qui enim* EAS FACIT, *in regno Dei glorificabitur.--- Estote docti a Deo, inquirentes quid postulet Dominus a vobis, &* FACITE, UT SALVI SITIS *in die judicii.--- Quamdiu pulchrum hoc vas* (corporis) *vobiscum est,* IN NULLO HORUM DEFICITE, *sed indesinenter hæc exquirite, &* ADIMPLETE OMNE MANDATUM.

XVIII. Clemens Vir Apostolicus, in sua I. Epistola ad Corinthios, eorum bonum ac præcedentem statum repræsentans illis ait: (*b*) *Mandata & præcepta Dei in tabulis* CORDIS *vestri inscripta erant.* Certe quod in corde inscriptum est, dici nequit *jugum insupportabile*, Clementi præcipue, qui obligationem imitandi Christum appellat deinde (*c*) *jugum gratiæ ejus*, qui asserit,

XVIII. Clemens;
(*b*) Cap. 2.
(*c*) ibid. Cap. 6.

(a) Cap. 50. rit (a) habere *locum piorum* eos *qui in caritate* (Amore) PERFECTI SUNT (ἐν ἀγάπῃ τελειωθέντες) *per Christi* GRATIAM: subjungens paulo post: *Beati sumus, dilecti*, si PRÆCEPTA DEI *in caritatis concordia* FECERIMUS, *ut per caritatem remittantur nobis peccata nostra*. Et in Epistola ad eosdem II. (b) *Quare, fratres, voluntatem Patris* FACIENTES, *& carnem servantes castam, &* MANDATA DOMINI CUSTODIENTES, *consequemur vitam æternam.--- Dominus dixit: Fratres mei sunt qui faciunt voluntatem Patris: Ergo, fratres mei, faciamus voluntatem Patris, qui vocavit nos ut vivamus, magisque persequamur virtutem.--- Nos ergo corde mundo* SERVIAMUS, *& erimus* JUSTI.--- *Fidelis enim est qui pollicitus est se unicuique retributurum operum remunerationes. Si ergo* FECERIMUS JUSTITIAM CORAM DEO, *in regnum illius ingrediemur, & accipiemus promissiones quas auris non audivit, nec oculus vidit, quæque in cor hominis non ascenderunt. Igitur in horas regnum Dei exspectemus in* CARITATE ET JUSTITIA. Quæso, ita ne loqui posset is qui cum D. Jægero crederet, mandata Dei esse vel ipsis renatis insupportabilia & impossibilia, etiam per Christi gratiam: nos esse justos justitia extra nos posita, & bona opera non esse ad salutem necessaria dicenda?

(b) Ep. II. Cap. 8, 9, 10. 11.

XIX. Hermas, *deque ejusdem auctoritate*;

XIX. Hermas, & ipse Vir Apostolicus, (quem D. Ittigius non alia de causa e sua Patrum Apostolicorum Bibliotheca cum Barnaba videtur rejecisse quam ob sua præjudicia præconcepta, quæ eum adegere ut testimoniis Irenæi, Clementis Alexandrini, Tertulliani adhuc Catholici, Origenis, Eusebii, Athanasii, Hieronymi, Rufini, præferret Tertulliani jam Schismatici & recentiorum quorumdam multo inferiorum infirmiores vel nullas auctoritates:) Vir ergo ille Apostolicus, cujus liber ab antiquis ut pars Scripturæ S. habebatur, ita se cum Angelo pœnitentiæ, qui divina mandata ei commendaverat, inducit colloquentem.

(c) Libr. II. Mand. 12. §. 3. & 4.

„ (c) Dixi illi: Domine, hæc mandata magna & præclara
„ sunt, & exhilarare cor hominis possunt qui potuerit custodire
„ mandata hæc. Sed nescio, Domine, an possint hæc custo-
„ diri ab homine. Ait mihi: Hæc mandata facile custodies, &
„ non erunt dura: Sed si tamen in cor tuum posueris non posse
„ hæc ab homine custodiri, non custodies ea. Nunc autem

„ dico

„ dico tibi: si non custodieris hæc mandata, & dissimulaveris
„ (*omiseris* habet Cotelerius) non eris salvus, neque filii tui, ne-
„ que domus tua, quia ipse judicasti quod non possint hæc
„ mandata ab homine custodiri. Hæc mihi vehementer iracun-
„ de locutus est, ita ut me conterreret valde. Vultum enim
„ suum mutaverat ita, ut non posset homo sustinere iram ejus.
„ Et cum vidisset me conturbatum totum & confusum, cœpit
„ loqui moderatius & hilarius, dicens: Stulte & insensate, in-
„ constans, & ignorans Majestatem Dei, quam magnus quam-
„ que mirabilis sit qui Orbem creavit propter hominem, &
„ omnem creaturam subjecit homini, & omnem potestatem de-
„ dit illi ut dominaretur horum mandatorum! Dominari, in-
„ quit, potest omnium horum mandatorum qui habet Domi-
„ num in corde suo. Qui autem habent Dominum in labiis
„ suis, & cor illorum obtusum est, & longe sunt a Domino;
„ illis Mandata hæc dura sunt & difficilia. Ponite ergo vobis,
„ qui vacui & leves estis in fide, Dominum Deum vestrum,
„ & in corde habete; & intelligetis quod nihil facilius est his
„ Mandatis, neque dulcius, neque mansuetius, neque sanctius.

Antea, in Libro I. hæc notabilia de interna justificatione per misericordiam & justitiam Dei, quam præcedit sanctificatio, dixerat: (a) *Misericordia Dei super vos stillavit in justitia, ut sanctificemini & justificemini ab omni nequitia & omni pravitate.*

(a) Vis. 3. §. 9.

Et in Libr. II. Mand. VII. *Time Dominum, & Mandata ejus custodi. Servans enim præcepta Dei, eris potens in omni actu, & omne consilium tuum erit incomparabile.--- Quicunque Deum metuerint* CUSTODIENTES MANDATA EJUS, *eorum* VITA EST APUD DOMINUM. NON CUSTODIENTIUM *autem*, NEC VITA *in illis est.*

Idem Libr. III. Simil. VI. §. 1. *Quid dubitas de Mandatis meis quæ tibi præcepi? Bona sunt, nihil omnino dubitaveris: sed indue* FIDEM *Domini, &* AMBULABIS IN EIS. *Ego enim* IN ILLIS DABO TIBI VIRES.--- *Induite ergo omnem virtutem* (Dei) *& æquitatem, &* POTERITIS CUSTODIRE *hæc Mandata.*

In Similitudine VIII. §. 3. ita repræsentantur nonnulli hominum justorum: *Hi qui virides* [virgas] *sicut acceperant tradiderunt, modesti sunt atque justi, & qui valde pura mente vixerunt, &*

custodierunt mandata Dei. In sequenti, §. 29. ostenduntur qui baptismalem innocentiam sine peccato admisso custodiverant veluti mons candidus (§. 1.) ejusve habitatores, de quibus ita: *De duodecimo monte candido; tales sunt qui crediderunt sicut infantes sinceri, quibus nulla malitia ascendit in sensum, nec sciverunt quid sit malitia; sed semper in sinceritate manserunt. Hujusmodi ergo homines sine ulla dubitatione intrabunt regnum Dei, quoniam* IN NULLO NEGOTIO MANDATA DEI MACULAVERUNT, *sed cum sinceritate permanserunt* OMNES DIES VITÆ SUÆ *eodem sensus tenore. Quicunque ergo* PERMANSERINT, *inquit, sicut infantes, non habentes malitiam, honoratiores erunt omnibus illis quos jam dixi: omnes enim infantes honorati sunt apud Dominum, & primi habentur. Felices ergo vos, quicunque removeritis malitiam a vobis, & indueritis* INNOCENTIAM; *quia primi videbitis Deum.* Hactenus Hermas.

XX. Ignatius *Martyr.* XX. Ignatius Martyr, Apostolorum auditor & discipulus, ad Smyrnæos, uno hoc verbo perfectionem inter illos & ejus originem agnoscit, inquiens, Cap. 11. *Cum* PERFECTI SITIS, *perfecta sentite; cupientibus enim vobis benefacere, Deus* LARGIRI *paratus est.* Idem in Epistola ad Polycarpum, Cap. 7. Christianum perfectum & cooperationem ejus in hoc cum Deo (quam (*a*) pernegat D. Jæger, haud secus ac ipsam perfectionem) ita describit: *Christianus sui ipsius potestatem non habet, sed Deo vacat. Hoc opus Dei est & vestri quando ipsum perfeceritis*; vel secundum antiquam versionem latinam, *quoniam ipsi* PERFECTI *estis.* In Epistola ad Ephesios, perfectos inter illos agnoscit, & ut perseverent hortatur hisce verbis Cap. 1. *Imitatores existentes Dei, & reaccendentes in sanguine Christi Dei, cognatum opus integre* PERFECISTIS; & paulo post, Cap. 2. *Decet vos omnibus modis glorificare Dominum Jesum Christum, qui glorificavit vos, ut in obedientia una sitis* PERFECTI--- & *per omnia sanctificati.* Et Cap. 9. *Estis via comites omnes, Deiferi & Templiferi, Christiferi, Sanctiferi, per omnia ornati* (non onerati importabiliter) *præceptis Jesu Christi.* Cap. 13. & 14. *Nihil præstantius pace est, qua aboletur omne bellum cœlestium & terrenorum: quorum nihil vos latet, si* PERFECTE *habueritis* FIDEM ET CARITATEM.--- *nullus fidem repromittens, peccat, neque*

(*a*) Ex. Th. N. p. 401.

cari-

caritatem possidens, odit. Cap. 15. *Qui verbum Jesu possidet, vere potest &* SILENTIUM *ipsius audire, ut* PERFECTUS *sit.* - - - *Omnia faciamus sicut ipso* IN NOBIS HABITANTE, *ut illius simus templa, & ipse sit* IN NOBIS DEUS *noster.* Audiat hæc D. Jægerus & sui similes perfectionis, silentii interni, & Dei ac Christi in nobis habitantis irrisores.

Idem in Epistola ad Magnesianos totus ferme in eo est, ut illos de jugo ceremonialis ac Judaicæ legis non portando admoneat: sed de lege morali, sive amoris & caritatis Dei, tantum abest illud ut cum D. Jægero *insupportabile* vel relaxandum inculcet, ut potius in altum & super omnia evehat hisce initio Epistolæ suæ verbis: Vobis *opto unionem secundum carnem & Spiritum Jesu Christi, sempiternæ nostræ vitæ, fidei, &* CUI NIHIL PRÆFERTUR, CARITATIS: quam paulo post (Cap. 5.) appellat *characterem Dei Patris per Jesum Christum*, quem characterem *fideles* ferunt, *sicut infideles characterem mundi.*

In Epistola ad Philadelphenos describit illico eorum Episcopum idem Sanctus Martyr veluti virum perfectum; *qui*, inquit, *tacens plura potest quam qui vana loquuntur: aptatus enim est mandatis* [Dei] *ut chordis cithara*; (atqui citharæ chordarum jugum importabile non est.) *Quapropter beatum censet anima mea illius propositum, qui cognosco ipsum virtutibus ornatum esse, &* PERFECTUM, *illius lenitatem, iræque vacuitatem in omni mansuetudine Dei viventis.* Illis autem dicit Cap. 7. hoc sibi commendatum esse per Spiritum: *Imitatores este Jesu Christi sicut & ipse Patris ipsius.* Trallianis autem scribit, Cap. 1. *Gloriatus sum inveniens vos, ut cognovi, imitatores Dei esse.*

Taceo titulos in inscriptione Epistolarum Ecclesiis ab eodem tributos, quibus eas appellat, *repletas fide & caritate, nullum non donum Dei assecutas, divinissimas, sanctiferas, benedictas in magnitudine Dei Patris & plenitudine, merito beatas, firmatas in Dei concordia, illuminatas, Deo dignas, conjunctas omni præcepto Dei,* & similia, qui sane non erant tituli adulatorii, sed testabantur Sanctissimum Martyrem vere agnoscere ac convictum esse dari in illis non paucas numero animas perfectas & in mandatis Dei custodiendis irreprehensibiles, quibus Dei præcepta erant vita & lætitia, nedum essent eis jugum insupportabile, aut hoc ex

Igna-

Ignatio, & ille ex Petro, cujus successor Antiochiæ fuit, didicerint.

XXI. Polycarpus.

XXI. Polycarpus, S. Joannis Discipulus, & Patrum Apostolicorum novissimus, scripsit ad Philippenses Epistolam in qua videre est quid de hoc argumento nostro sentiat: *Christi sanguinem*, inquit Cap. 2., *requiret Deus ab eis qui non obediverunt illi*, *ἀπὸ τῶν ἀπειθούντων αὐτῷ*: (D. Jæger contendit eum non nisi inobedientibus profuturum; omnes enim inobedientes esse quamdiu vivunt:) *qui* [Deus] *eum* [Christum] *resuscitavit à mortuis, qui & nos resuscitaturus est in vita si* FECERIMUS VOLUNTATEM EJUS, *&* AMBULAVERIMUS IN MANDATIS IPSIUS, *&* DILEXERIMUS QUÆ IPSE DILEXIT, *abstinentes nos ab omni* INJUSTITIA. Et paulo post Cap. 3. *Fides quæ data est vobis, est mater omnium nostrûm, subsequente spe*, PRÆCEDENTE CARITATE *in Deum, in Christum & in proximum. Siquis enim intra hæc fuerit*, MANDATUM JUSTITIÆ [legem Dei moralem] IMPLEVIT. *Nam qui habet caritatem*, LONGE EST AB OMNI PECCATO. - - - (a) *Armemur armis* JUSTITIÆ, *& doceamus nos ipsos primùm ambulare* IN MANDATO *Domini*. --- (b) *Scientes quod Deus non irridetur, debemus digne* MANDATO *ejus &* VOLUNTATE AMBULARE. - - - *Si Domino in hoc seculo* PLACUERIMUS, *recipiemus & futurum; quemadmodum pollicitus est nobis, quod resuscitabit nos à mortuis, & quod* SI DIGNE IPSO CONVERSEMUR, *etiam cum eo regnabimus, si crediderimus*. - - - (c) *Indesinenter ergo perseveremus in spe nostra, & pignore justitiæ nostræ, quod est Christus Jesus; qui pertulit nostra peccata in corpore suo super lignum, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus: sed propter nos omnia sustinuit* UT VIVAMUS IN IPSO. IMITATORES *igitur simus patientiæ ipsius; & si patiamur propter nomen ejus, gloria illum afficimus. Hoc quippe* EXEMPLUM POSUIT IN SE IPSO; *ac nos credidimus*.

(a) Cap. 4.
(b) Cap. 5.
(c) Cap. 8.

XXII. *Longissimè hæc abesse ab opinionibus Jægeri. Vera* Fides *quid sit secundùm*

XXII. Observent, quæso, Lectores, utrum in his omnibus dictis Patrum Apostolicorum, qui Apostolorum, quos audiverant, mentem & spiritum tenebant, appareat vel vola, vel vestigium, opinionum D. Jægeri, Legem Dei ac Christi moralem esse *jugum*, vel renatis ipsis *insupportabile*, cujus observatio tantum absit ut iis sit necessaria quibus Christus merito mortis

suæ

suæ obtinuit peccatorum præteritorum remissionem, & Spiritum vitæ resurrectionis suæ; ut potius ille vixerit & mortuus sit quo obedientia sua activa & passiva essemus ab ea liberi, modo id habeamus in notitia, assensu & fiducia nostra! Ubi vel umbra horum in istis Sanctis, qui nihil aliud urserunt & docuerunt, quam quod postquam Deus Pater motus per intercessionem & meritum Filii sui peccata præterita nobis condonavit, & Spiritus sui gratiam ac vim, petentibus augendam, obtulit; ea debeamus uti ad vitam & obedientiam novam reliquo vitæ nostræ tempore secundum ejus mandata præstandam si salute ejus potiri velimus: inobedientes esse infideles, imo & pejores, à quibus sanguis Christi reposcetur: Veram FIDEM nil esse aliud quam amplexationem practicam totius doctrinæ Euangelicæ, & mandatorum Christi observationem in virtute Spiritus & gratiæ ejus, quam nobis acquisivit? *Patres Apostolicos.*

CAPUT X.

De morali lege servanda ex doctrina Patrum aliorum Doctorumque Christianorum.

I. QUæ de lege morali observanda ex Scripturis Patribusque Apostolicis vidimus Capite præcedenti, eadem & ab eorum successoribus Patribus & qui hos porro secuti sunt longo post tempore Doctoribus Christianis evidenter confirmata inveniemus; ex quibus breviter delibabimus sequentia. I. *Testimonia* Justini *Martyris;*

Justinus Martyr, inter Patres primus, longum habuit cum Tryphone Judæo Dialogum, in quo Judæus de Christianis conqueritur quod legem Dei Ceremonialem, v. g. de Circumcisione, de Sabbato &c. non observent; sed abrogaverint: quantum ad legem autem moralem, non tantum nihil dicit de ejus abrogatione vel relaxatione inter Christianos; sed & contrà, agnoscit eorum præcepta esse tam integra & sancta, ut dubitet utrum observari possint; quod indicio est nullis adhuc glossis adulatoriis & laxis ea corrupta vel interpretata fuisse: Verba Judæi hominis sunt: (a) *Vestra sane, quæ in Evangelio, quod dicitur, sunt præ-*

(a) Dial. cum Tryph. pag. 227. Edit. Colon. 1686.

præcepta, tam magna & admiranda esse novimus, ut suspicio nostra sit a nemine illa servari posse. Incessit enim ea cura mihi ut legerem. Quid ad hæc Justinus? Certe si Jægeriana mente ac sententia præditus fuisset, facile ei in similem modum respondisset: „ O „ Trypho, ne mirere legem vestram ceremonialem esse apud „ nos, ut jugum importabile abrogatam; sed & legem moralem „ & Evangelicam, quæ in substantia eadem est, noli credere „ laxamento carere. Bene *suspicaris*, *eam a nemine servari posse*: „ id verum est: Christus autem eam pro nobis servavit: & hu- „ jusce rei persuasione, quamvis eam in posterum non serve- „ mus, censemur tamen eam servare, non obstante ejus ad mor- „ tem nostram usque transgressione, etiam in regenitis & pro- „ vectioribus inter nos. Fias ergo Christianus, & facilius sal- „ vaberis quam antea. „ Sed bonus ille Justinus non erat animo eousque subtili ut talia excogitare posset; nec poterat adhuc Magistros ultimorum temporum audivisse. Respondet ergo simpliciter Tryphoni, legem ceremonialem fuisse pro solo populo Judaico: sed in Prophetis promissam esse legem posteriorem ac testamentum, *quod nunc* SERVARE OPORTET MORTALES OMNES *quicunque ad hæreditatem Dei capessendam adspirant.*--- Illam legem *communem prorsus esse universorum*; --- per eam *ab idolis atque* OMNIS GENERIS INIQUITATE *homines ad Deum accedere, & ad mortem usque professionem & pietatem præstare*; --- *unde ex eorum* OPERIBUS & VIRTUTE *consequente facile sit intelligere hanc esse illam* NOVAM LEGEM de qua in Prophetis tam multa admirabilia dicuntur, quæ ille postea prolixe allegat, ostendens quoque ceremonialia legis designavisse puritatem ac sanctitatem quam Christus adduxit.

(*a*) Dial. cum Tryph. p. 500. 501.

Idem Justinus in Epistola ad Diognetem: (*a*) *Deus homines dilexit, propter quos mundum creavit---; quos ad imaginem suam formavit; ad quos Filium suum unigenitum misit; quibus cœleste regnum promisit, & dabit* AMANTIBUS IPSUM. *Postquam autem illum cognoveris, quanta te impletum iri lætitia existimas? aut quantum* DILIGES *eum qui prior te ita dilexit? Quum autem diliges, eris* IMITATOR *ejus benignitatis. Ac ne mireris, posse hominem esse* IMITATOREM DEI. POTEST EO VOLENTE.--- *Tunc seductionem & errorem mundi damnabis quum* VERAM

RAM VITAM COELI (τὸ ἀληθῶς ἐν ὀρανῷ ζῆν) *didiceris.--- Non narro peregrina, nec postulo absurda. Sed cum Apostolorum fuerim Discipulus, fio gentium Doctor; ea quæ* TRADITA SUNT MIHI *subministro iis qui discipuli fiunt digni veritatis.*

Idem in Epistola ad Zenam & Serenum. (*a*) *Salvator se ipsum ex mundo non esse dicens, nos quoque ab ejus communione & societate avertit, consilio dato nobis suadens ut amici veritatis simus, &* PERFECTIONEM VIRTUTIS COELESTIS *excipientes*, OMNIA *secundum Patris seculorum* VOLUNTATEM PERFECTE EXPLEAMUS.

(*a*) Ibid. p. 503.

II. Irenæi *Martyris & Episcopi.*

II. Irenæus, Polycarpi Discipulus, Episcopus & Martyr Lugdunensis, Libr. IV. adversus Hæreses, „ Cap. 26. In lege & in „ Euangelio cum sit primum & maximum præceptum *diligere* „ *Dominum Deum ex toto corde*, dehinc simile illi, *diligere proximum sicut te ipsum*, unus & idem ostenditur legis & Evangelii „ Conditor. CONSUMMATÆ enim VITÆ PRÆCEPTA „ in utroque Testamento cum sint EADEM, eundem ostenderunt Deum, qui particularia quidem præcepta aptat utrisque „ præceptis; sed eminentiora & summa, SINE QUIBUS SALVARI NON POTEST, in utroque EADEM suasit.--- Docebat (Jesus) ut FACERENT PRÆCEPTA QUÆ AB INITIO PRÆCEPIT DEUS, & ut veterem cupiditatem per „ opera bona solverent, & sequerentur Christum.

„ Et Capite 27. Et quia Dominus naturalia legis [moralis] „ PER QUÆ HOMO JUSTIFICATUR (quam etiam a legislatione CUSTODIEBANT *qui* FIDE [quæ legem adstruit. „ Rom. 3.] JUSTIFICABANTUR & placebant Deo,) non „ dissolvit, sed extendit, sed & implevit; ex sermonibus ejus „ ostenditur. *Dictum enim est*, inquit, *Antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis.* &c. (Matth. 5.)--- Omnia hæc „ non contrarietatem & dissolutionem præteritorum continent; „ sicut qui a Marcione sunt vociferantur: sed PLENITUDINEM ET EXTENSIONEM, sicut ipse ait: *Nisi abundaverit justitia vestra* PLUS *quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Quid autem erat *plus?* Primo „ quidem, non tantum in Patrem, sed & in Filium ejus jam „ manifestatum credere: hic est enim qui in communionem &

„ unitatem Dei hominem Domino ducit. Post deinde, non so-
„ lum dicere, sed ET FACERE: illi enim dicebant, sed non
„ faciebant: & non tantum abstinere a malis operibus; sed etiam
„ A CONCUPISCENTIIS eorum. Hæc autem non quasi con-
„ traria legi docebat, sed adimplens legem, & INFIGENS
„ JUSTIFICATIONES LEGIS IN NOBIS: --- Hæc non
„ dissolventis legem erant; sed adimplentis & *extendentis*, *&*
„ *dilatantis* IN NOBIS: Tanquam si aliquis dicat, majorem
„ libertatis operationem, & pleniorem erga libertatem nostram
„ infixam nobis, SUBJECTIONEM & affectionem. Non
„ enim propter hoc liberabimur ut ab eo discedamus;--- sed ut
„ PLUS GRATIAM ejus adepti, PLUS EUM DILIGAMUS.
„ Quanto autem plus eum DILEXERIMUS, eo magis gloriam
„ accipiemus, cum simus semper in conspectu Patris. Quia
„ igitur naturalia [moralia] omnia præcepta communia sunt
„ nobis, & illis, (antiquis,) in illis quidem initium & ortum
„ habuerunt, IN NOBIS AUGMENTUM ET ADIMPLE-
„ TIONEM perceperunt. „

„ Et Cap. 30. Quare Patribus non disposuit testamentum
„ [Deus?] Quia lex non est posita justis: JUSTI autem Patres
„ virtutem Decalogi conscriptam habentes IN CORDIBUS &
„ animabus suis, DILIGENTES scilicet Deum qui fecit eos,
„ & abstinentes erga proximum ab injustitia; propter quod non
„ fuit necesse admonere eos correptoriis literis, quia HABE-
„ BANT IN SEMET IPSIS JUSTITIAM LEGIS. Cum
„ autem hæc JUSTITIA ET DILECTIO quæ erat erga Deum,
„ cessisset in oblivionem, & extincta esset in Ægypto, necessa-
„ riò Deus PROPTER MULTAM SUAM ERGA HOMI-
„ NES BENEVOLENTIAM, semet ipsum ostendebat per vo-
„ cem, --- UT rursus fieret homo discipulus & SECTATOR
„ DEI.

Idem Capite seq. „ Nec enim indigebat Deus dilectione
„ hominis: deerat autem homini gloria Dei, quam NULLO
„ MODO poterat percipere NISI PER EAM OBSEQUENTIAM
„ quæ est ERGA DEUM. Et propter hoc iterum Moyses ait:
„ *Elige vitam, ut vivas tu & semen tuum, Diligere Dominum*
„ *Deum tuum, & audire vocem ejus, & apprehendere eum: quoniam*

hæc

" *hæc est* VITA TUA.--- In quam vitam præstruens hominem,
" Decalogi quidem verba ipse per semet ipsum omnibus simili-
" ter Dominus locutus est: Et ideo similiter PERMANENT
" APUD NOS, EXTENSIONEM ET AUGMENTUM, SED
" NON DISSOLUTIONEM ACCIPIENTIA PER CAR-
" NALEM EJUS ADVENTUM.--- Quæ [moralia præcepta]
" naturalia, & liberalia, & communia OMNIBUS AUXIT ET
" DILATAVIT, [ea] sine invidia LARGITUR, DONANS
" hominibus PER ADOPTIONEM Patrem scire Deum, ET
" DILIGERE EUM EX TOTO CORDE, & sine aversatione
" SEQUI EJUS VERBUM, non tantum abstinentes a malis
" operationibus, sed etiam a concupiscentiis earum.

III. Patet evidenter ex hisce verbis multisque aliis similibus quæ ex eo adduci possent, Martyrem sanctum Dei legem moralem habuisse pro magno Dei beneficio, non pro jugo imporrtabili, nec pro impossibili: quod ea per fidem in Sanctorum Patrum cordibus inscripta fuerat & custodita, qui per hanc adimpletionem Deive dilectionem justificabantur: justitiam hanc eorum fuisse vere internam & inhærentem: non posse sine hac lege & justitia hominem salvari: Christum venisse ut hoc ipsum per gratiam suam augeret, extenderet & dilataret in nobis ad majorem impletionem per obedientiam, subjectionemque & dilectionem Dei.

III. *Quid S. hic Martyr senserit de lege morali implenda, & de Sanctificatione & Justificatione.*

IV. Atque ut videas hanc hominis Sanctificationem & Justificationem per impletionem legis Dei in nobis & cooperantibus nobis, nihil gloriæ Dei detrahere, nihil gloriæ propriæ homini conciliare; libet ex eodem Sancto adducere verba Capitis 76. ejusdem Libri quarti, ubi omnia ita exponit:

IV. *Item an hac Justificatio per Legis in nobis impletionem gloriæ Dei detrahat.*

" Oportet te quidem primo ordinem hominis custodire (in-
" telligit statum cooperationis, ut videbitur,) tunc deinde par-
" ticipare gloriæ Dei. Non enim tu Deum facis; sed Deus te
" facit. Si ergo opera Dei es, manum artificis tui exspecta
" opportune omnia facientem; opportune autem quantum ad te
" attinet, qui efficeris. Præsta ei autem cor tuum molle &
" tractabile, & custodi figuram qua te figuravit artifex habens
" in se humorem, ne induratus amittas vestigia digitorum ejus.
" [Significat quod homo gratiæ Dei internæ resistere possit.]

„ Custodiens autem compaginationem (operationem Dei) adscendes ad perfectum. Ab artificio enim Dei abscondetur quod est in te lutum; fabricabit substantiam (realitatem veram) IN TE; manus ejus liniet te AB INTUS ET A FORIS AURO PURO ET ARGENTO, & in tantum ornabit te, ut & ipse *Rex concupiscat speciem tuam* (Ps. 45.) Si vero statim obduratus respuas artem ejus, & ingratus existas in eum quoniam homo factus es, ingratus Deo factus simul & artem ejus & vitam amisisti. FACERE enim, PROPRIUM EST BENIGNITATIS DEI: FIERI autem, proprium est hominis naturæ. Si igitur TRADIDERIS EI quod est tuum, id est FIDEM in eum & SUBJECTIONEM, percipies ejus artem, & eris PERFECTUM OPUS DEI. Si autem non credideris ei & fugeris manus ejus, erit CAUSA IMPERFECTIONIS IN TE QUI NON OBEDISTI, non in illo qui vocavit. Ille enim misit qui vocarent ad nuptias; qui autem non obedierunt ei, semetipsos privaverunt regia cœna: sed ille qui non consequitur eum, sibimet suæ imperfectionis causa est. Nec enim lumen deficit propter eos qui semetipsos excœcaverunt: sed illo perseverante quale & est, excœcati per suam culpam in caligine constituuntur. Neque lumen cum magna necessitate (coactione) subjiciet sibi quenquam; NEQUE DEUS COGIT EUM QUI NOLIT continere ejus artem. Qui igitur abstiterunt a paterno lumine, & transgressi sunt legem libertatis, per suam abstiterunt culpam, liberi arbitrii & suæ potestatis facti.--- Cum autem apud Deum omnia bona sint, qui ex sua sententia fugiunt Deum, semetipsos ab omnibus fraudant bonis.--- Qui enim fugiunt requiem, juste in pœna conversabuntur: & qui fugerunt lumen, juste inhabitabunt tenebras.--- Unus igitur & idem Deus Pater (est,) qui quidem CONCUPISCENTIBUS EJUS COMMUNICATIONEM, & perseverantibus IN SUBJECTIONE EJUS, quæ sunt apud se præparata bona; principi autem abscessionis Diabolo, & qui cum eo abscesserunt angelis, æternum ignem præparans, in quem mittantur, inquit Dominus, illi qui in sinistra separati sunt. " Hactenus Irenæus, cujus utinam verborum rationem habuissent quotquot tantas his in rebus induxerunt postea tenebras atque disceptationes.

Per-

Pergamus ad alios possibilis mandatorum Dei impletionis assertores.

V. Clemens Alexandrinus, in Pædagogo Libr. I. Cap. 13. dicit *fidem* esse OPERATIONEM QUÆ LABI NESCIAT: *ἀδιάπτωτος ἐνέργεια.* Et Stromatum Libr. II. pag. 380. ait: *Tria Philosophus noster* [Christianus] *sibi vindicat: primum quidem theoriam: secundo autem* PRÆCEPTORUM EXECUTIONEM, & pag. seq. PARERE PRÆCEPTIS (*τὸ πείθεσθαι ταῖς ἐντολαῖς*) *est* CREDERE *Deo.* Et Libr. IV. p. 528. *Quæ est in Christum* FIDES *& Euangelii cognitio, est expositio &* LEGIS ADIMPLETIO. Et Libr. VI. pag. 674. DILECTIO est OBSERVATIO MANDATORUM, *quæ deducunt ad cognitionem*, (scil. intimiorem, quam vocat *γνῶσιν*;) OBSERVATIO *autem ipsorum est confirmatio* (habitualis) *præceptorum, propter quam incorruptibilitas contingit: hæc autem efficit ut* PROPE DEUM SIMUS. V. *Testimonia Clementis Alexandrini.*

Idem in libello: Quis dives salvetur. Cap. 21. *Sic enim* [Magistri vestigia sequendo] *revera præstatur ut Salvatorem sequatur qui illius ἀναμαρθησίαν καὶ τελειώτητα*, IMPECCANTIAM ET PERFECTIONEM *colat; quique in illam velut speculum contuendo, animum perornet componatque, ac in omnibus pares illi mores prorsus induat.* Ibidem Cap. 29. asserit *Jesum esse medicum qui* RADICITUS *vitia prorsus exscindat; non sicut lex, nuda effecta; sed qui ipse suam securim malitiæ* RADICIBUS *admoverit.* - - - *Hunc igitur æque diligere oportet ac Deum. Diligit autem Christum* qui FACIT *ejus voluntatem* SERVATQUE ILLIUS MANDATA. Cap. 39. ita veram pœnitentiam describit. *Vera pœnitentia est in eadem non rursus delabi, sed ex animo prorsus evellere quibus se mortis reum peccatis agnovit. His enim sublatis, in te rursus Deus habitabit.* Et paulo post. *Verè autem converti à peccatis est* PECCANDI FINEM *facere, nec ultra ad ea quæ sunt retro respicere.* Cap. 40. *Præteritorum igitur quidem veniam concedit Deus: in sequentia autem ut non incidat, sibi quisque caveat.* Et in fine: *Et affectus quidem inolitos* CONFESTIM SIMULQUE *præcidere impossibile forte est:* DEI TAMEN VIRTUTE, *& humanis precibus fratrumque auxilio, nec non vera pœnitentia, res* PRÆSTARI POTEST.

„ VI. Origenes contra Celsum Libr. III. In divina doctrina, alia VI. *Origenis.*

„ alia ſunt curandis male affectis idonea: de quibus Verbum
„ Dei dixit, *non habent ſani opus medico, ſed male affecti:* alia
„ conveniunt PURIS ANIMO ET CORPORE, quibus oſten-
„ dunt revelationem myſterii temporibus æternis taciti, nunc
„ autem in medium prolati per Scripturas Propheticas & adventum
„ Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui OMNIBUS PERFECTIS HO-
„ MINIBUS illuceſcit, illuminans eos in rerum cognitionem
„ nullo vitiatam mendacio. - - - Miſſus eſt certe Sermo Dei
„ ad peccatores ut medicus; in quantum autem divinorum my-
„ ſteriorum Doctor eſt, venit ad PURIFICATOS ET NON
„ PECCANTES AMPLIUS. At *Celſus* non valens iſta diſcer-
„ nere, utpote qui non tenetur talium rerum ſtudio, *Quin po-*
„ *tius*, inquit, *ad immunes à peccatis miſſus eſt? quid mali eſt non*
„ *peccaſſe?* Reſpondemus, ſi dicit *immunes à peccatis* QUI
„ PECCARE DESIERUNT, ad hos quoque Servator noſter
„ miſſus eſt, ſed non ut medicus. Quod ſi per *immunes à pecca-*
„ *to* ſignificat eos qui nunquam peccarunt (non enim ſatis ex-
„ preſſit quos velit intelligi,) reſpondemus, impoſſibile eſſe in-
„ veniri hominem à peccato immunem, utique in eo ſenſu, ſo-
„ lo excepto homine quem Jeſus aſſumſit, qui peccatum non
„ fecit.

„ Idem Libro IV. contra eundem. Jeſus - - - LEGES tu-
„ lit, juxta quas qui viverent, aſſequerentur beatitudinem.

VII. Cypriani *Martyris*;

„ VII. Cyprianus, Martyr, de Unitate Eccleſiæ, ferme i-
„ nitio. „ Immortalitate potiri quomodo poſſumus, niſi ea,
„ quibus mors expugnatur & vincitur, CHRISTI MANDA-
„ TA SERVEMUS? ipſo monente & dicente, *Si vis ad vi-*
„ *tam venire, ſerva mandata.* Et iterum; *Si feceritis quæ mando*
„ *vobis jam non dicam vos ſervos, ſed amicos.* Hos denique for-
„ tes dicit & ſtabiles; hos *ſuper petram* robuſta mole *fundatos*;
„ hos contra omnes tempeſtates & turbines ſeculi immobili &
„ inconcuſſâ firmitate ſolidatos. *Qui audit*, inquit, *verba mea*
„ *& facit ea, ſimilabo eum viro ſapienti qui ædificavit domum ſuam*
„ *ſuper petram.* Verbis igitur ejus inſiſtere; quæcunque & do-
„ cuit & fecit, diſcere & FACERE DEBEMUS. Ceterum
„ CREDERE ſe in Chriſtum, quomodo dicit QUI NON FA-
„ CIT QUOD CHRISTUS FACERE PRÆCEPIT? aut
„ un-

„ unde perveniet AD PRÆMIUM FIDEI qui fidem non vult „ SERVARE MANDATI? Nutet necesse est, & vagetur, & „ spiritu erroris arreptus, velut pulvis quem ventus excutit „ ventiletur: nec ambulando proficiet ad salutem qui salutaris „ viæ non tenet veritatem. " Ignorabat sane Theologiam etiam D. Jægeri S. Cyprianus.

VIII. Basilius Magnus Homil. in Verba Mosis, Attende tibi: IMPIUM *est* (ἀσεβὲς) *asserere præcepta Spiritus S.* IMPOSSIBILIA *esse observatu.* Idem de Instit. Monach. Cap. 82. *Estote* IMITATORES DEI *sicut filii charissimi, & ambulate in* DILECTIONE SICUT ET CHRISTUS *dilexit nos, & tradidit semet ipsum pro nobis hostiam & oblationem Deo. Nunquam autem præciperet hoc justus & clemens Deus, nisi utique etiam* POSSIBILITATEM NOBIS DONASSET.

VIII. Basilii *Magni.*

IX. Sanctus ac admirabilis Macarius, Spiritu Sancto ejusque donis omnibus, etiam miraculosis inter Patres eremi insignis, ita ut ab iis diceretur (*a*) Deus terrestris, habet de his copiose quæ animum veritatis gustandæ aptum instruere ac tranquillare possint. Divinarum ejus Homiliarum bona pars hic describenda esset, & speciatim ex Homiliis 1, 3, 15, 17, 18, 19, 20, 21, 26. &c. Si quæ ad nostrum argumentum faciunt, essent ob oculos ponenda. Sufficiet paucula ostendere.

IX. Macarii, *de egeneratorum statu hac in vita possibili;*

(*a*) Apophth. Patrum apud Cotel. in Monum. Eccl. Græc. Tom. I. p. 541.

In Homilia I. describit statum animæ in Spiritu S. regenitæ quam comparat cum curru illo mystico in visione Ezechielis: atque ut ostendat ista ad hanc vitam pertinere, admonet circa finem Homiliæ eos qui hæc in se nondum experiuntur uti plorent & orent, quo eorum fiant participes: Sic ille postquam descripsit magnificum illum currum de quo Ezech. Cap. 1. & 10. „ Videbat (Propheta) mysterium animæ quæ Dominum suum „ amplexura, & thronus gloriæ futura erat. Anima siquidem „ quæ cùm Spiritu S. præparante illam sibi in sedem & habita„ tionem, participare lumen ejus dignata, & pulchritudine e„ jus gloriæ illustrata est, tota fit lumen, tota facies, & tota „ oculus; nec ulla ejus pars quæ oculis spiritualibus luminis ple„ na non sit, hoc est, nulla ejus pars tenebris offusa, sed tota „ lumen & spiritus effecta; - - - ita præparante eam Christo „ ferente, agente, portante, gestante, sicque exornante ac

„ decorante illam pulchritudine ſpirituali. - - - Quemadmo-
„ dum ſi quis moritur in civitate, is neque voces illorum qui i-
„ bi degunt, neque ſermones, neque ſonum illum exaudit; ſed
„ prorſus mortuus eſt, & tranſponitur in alium locum ubi nullæ
„ ſunt voces, nulli clamores illius civitatis: Sic & anima poſt-
„ quam mactata & mortua fuerit civitati malarum affectionum in
„ qua degebat ac vivebat prius, non amplius audit in ſe ipſa vocem
„ cogitationum tenebrarum: non amplius auditur ſermo & clamor
„ frivolarum diſputationum, & turbæ Spirituum tenebrarum;
„ ſed transfertur in civitatem bonitatis & pacis plenam, in civi-
„ tatem divinæ lucis: illic vivit & audit, illic converſatur, lo-
„ quitur & ratiocinatur, ibique operatur opera ſpiritualia &
„ Deo digna. - - - Ubi Dominus inſederit animæ & gubernat
„ eam, ſemper ille vincit, ducens & regens per omnia pruden-
„ ter currum animæ ad ſapientiam cœleſtem atque divinam.
„ - - - Ducuntur animæ ſanctæ ac reguntur à Spiritu Chriſti,
„ ducente illas quo voluerit, & quando libuerit, nunc per cœ-
„ leſtes cogitationes, modo per corpus: ubi placuerit, illic ei
„ miniſtrant. - - - Tu igitur quando hæc audis, attende tibi
„ an hæc poſſideas opere & veritate in anima tua: non enim
„ ſunt verba ſimpliciter ac nude prolata, ſed opus vere in ani-
„ ma productum. Et ſi non poſſideas, ac tantorum ſpiritua-
„ lium bonorum egenus ſis; angi, lugere, & aſſidue laborare
„ debes tanquam adhuc mortuus à regno; & velut ſauciatus,
„ ſemper clama ad Dominum, & pete confidenter ut ipſe ve-
„ ra hac vita te quoque dignetur.

X. *Ejuſdem, de mandatorum Dei adimpletione.*

„ X. Hactenus de regeneratorum ſtatu hac in vita poſſibili &
„ acquirendo. Nunc de mandatorum Dei adimpletione.
Homil. XV. in genere dicit: *Poſſibilia quæ ſunt tibi præcepit Deus.*

„ Homil. XVIII. circa initium. „ CHRISTUS *factus nobis*
„ *eſt à Deo Sapientia, Juſtitia, Sanctificatio & redemptio.* Quiſ-
„ quis igitur reperit & habet in ſe ipſo cœleſtem hunc theſau-
„ rum Spiritus, is OMNEM JUSTITIAM MANDATORUM
„ DEI ac omnem virtutum operationem ſine omni reprehen-
„ ſione & macula ejus ope peragit, & quidem facile & ſine ul-
„ la vi. Obſecremus igitur & nos Deum, poſtulemus ac depre-

„ ce-

„ cemur eum, ut thesaurum Spiritus sui nobis largiatur, ut hoc
„ modo in mandatis ejus omnibus sine reprehensione & macu-
„ la versari, & omnem justitiam Spiritus pure ac perfecte ad-
„ implere, cœlestis thesauri, qui est Christus, beneficio possi-
„ mus. „ Et paulo ante finem: „ Ubi anima ad PERFEC-
„ TIONEM Spiritus pervenerit, perfecte ab omnibus affecti-
„ bus expurgata, & Spiritui Paracleto arcana societate unita,
„ & permixta, & temperata cum Spiritu digna habetur fieri
„ Spiritus; tum tota lux, tota oculus, tota spiritus, tota gau-
„ dium, tota delectatio, tota exultatio, tota dilectio, tota vi-
„ scera, tota bonitas & clementia fit. Sicut enim lapis in pro-
„ fundo maris undique aqua circumdatur; sic hi omnimodo
„ Spiritui S. permixti, similes fiunt Christi, virtutes potentiæ
„ Spiritus constanter in seipsis obtinentes, intus & extra exi-
„ stentes omnis maculæ ac reprehensionis expertes atque puri.
„ Cum enim per Spiritum sint restaurati, quo modo extra pos-
„ sunt fructum malitiæ proferre? Verum perpetuo per omnia
„ fructus Spiritus in iis enitescunt. Oremus igitur quoque nos
„ Deum, & credamus in dilectione ac spe magna, ut largia-
„ tur nobis cœlestem gratiam divini Spiritus, ut & nos ipse
„ Spiritus gubernet - - - ac digni habeamur ad perfectionem
„ plenitudinis Christi pervenire, ut inquit Apostolus, *Ut im-*
„ *pleamini in omnem plenitudinem Christi*; & rursum: *Donec per-*
„ *veniamus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitu-*
„ *dinis Christi.* Promisit Dominus omnibus in se credentibus &
„ in veritate postulantibus, se largiturum mysteria ineffabilis
„ communionis Spiritus.

Hom. XIX. Postquam initio ostendit quinque requisita ejus qui eo pervenire vult, scilicet, credere, tradere se Dei voluntati, renunciare rebus mundi, orare perseveranter, atque etiam sibi vim inferre & se cogere ad preces, ad pugnam contra concupiscentias & ad bona opera; addit quod Dominus conspecta ejus sinceritate & labore, „ exercet cum eo misericordiam
„ suam, & redimit eum ab inimicis suis & inhabitante pecca-
„ to, replens eum Spiritu Sancto: atque ita is postmodum si-
„ ne ulla vi ac labore vere FACIT OMNIA MANDATA
„ DOMINI: vel potius, Dominus in eo sua MANDATA

„ IMPLET, & fructus ſpirituales tunc PURE producit. - - -
„ Dominus implet revera hæc omnia in eo PURE ſine ullo labore & vi, quæ ne vi quidem ulla antea obſervare poterat, propter inhabitans in eo peccatum; fiuntque illi hæc omnia virtutum officia veluti altera natura, &c. " Concludit divinus Vir ita: „ Atque hoc pacto MANDATIS DEI à nobis IMPLETIS BENEFICIO SPIRITUS SUI, qui ſolus novit voluntatem Domini, & nos conſummat in ſe, ac conſummatus in nobis purificatis ab omni inquinamento ac luto peccati, animas noſtras puras & immaculatas tanquam præclaras ſponſas exhibebit Chriſto; requieſcemus in Deo, in regno ejus, & Deus requieſcet in nobis in infinita ſecula.

Homil. XXIV. Ita explicat divinus Vir Redemptionis noſtræ opus à Chriſto peractum. „ Placuit Domino in adventu ſuo pati pro omnibus, & redimere eos proprio ſanguine, & fermentum cœleſte bonitatis infundere fidelibus animis ſub jugum peccati redactis; & ita promotione & incremento omnem JUSTITIAM MANDATORUM omneſque virtutes IN EIS COMPLERE, donec fermentarentur in unum in bono, & fierent *cum Domino unus ſpiritus*, ſecundum dictum Pauli; ita ut malitia ac nequitia ne pervenire quidem poſſit ad cogitationem animæ Spiritu divino plane ac penitus fermentatæ, ut dictum eſt: *Caritas non cogitat malum*, " *& quæ ſequuntur*.

Idem Hom. XLIV. circa finem. „ Oportet igitur DILIGERE Dominum, & contendere omnino in omnibus virtutibus, & aſſidue petere abſque omni intermiſſione ut conſequamur promiſſionem Spiritus ejus INTEGRE ac perfecte, quo vivificentur animæ noſtræ, quippe qui adhuc in carne [vita] ſumus. Niſi enim IN HOC SECULO conſecuta fuerit anima SANCTIFICATIONEM SPIRITUS ſumma fide atque obſervatione, & particeps divinæ naturæ facta fuerit, permixta gratiæ, cujus beneficio OMNE MANDATUM abſque reprehenſione & pure PERFICERE poterit, non eſt apta ad regnum cœlorum. QUICQUID enim BONI quis jam obtinuerit, hoc ipſum in illa die erit ejus VITA.

Idem in Tractatu de cuſtodia cordis, Cap. 8. „ Poſſumus quo-

„ quotidie augmentum & profectum accipere adjuti à gratia divi-
„ na : & ONUS justitiæ MANDATORUM LEVE nobis appa-
„ rebit, pure & irreprehensibiliter EA IMPLENTIBUS, coo-
„ perante ad hoc nobis ipso Domino per nostram in ipsum fi-
„ dem.

XI. Ista sufficiant e divino illo auctore, quem veluti omnium totius antiquitatis Patrum sine exceptione, mea quidem sententia, excellentissimum ac divinissimum, utinam, magis quam faciunt, cordi sumere vellent viri docti ac Theologi horumce temporum! Pro sterili sæpeque periculosa theoria & rixis noxiis, cresceret vivus ac fructuosus Christianismus in unitate Spiritus Dei. Utrum autem hæc ad palatum D. Jægeri futura sint, non parum dubito, sed tantus Arndii, qualem se dicit, a prima ætate cultor, ab istis quæ in S. Macario exstant veritatibus, minime alienus esse deberet, postquam publico notum est ex relatione eorum quibus hæc audire ex ore ipsius Arndii contigit, eum nempe tanta veneratione erga Macarium fuisse ductum, ut omnes ejus Homilias memoriæ mandaverit & sine libro recitare potuerit.

XI. *Quanti merito habendus sit hic S. Pater, & quanti eum habuerit Arndius.*

Verum audiamus & quid de nostro hoc argumento alii præterea senserint.

XII. Chrysostomus Homil. XVI. in Matth. „ Consentiamus
„ ergo dictis (Christi præceptis) nec amplius inobedientiam con-
„ tentione foveamus ; maxime cum vel ante præmia VOLUP-
„ TATEM IN SE & utilitatem habeant IPSA PRÆCEPTA.
„ Quod si multis MOLESTA videantur, & ingentis esse labo-
„ ris : Cogita quod propter Christum ista facis ; atque tunc
„ quod ANXIUM ERAT, FIET DULCE. Si ita semper co-
„ gitemus, NIHIL experiemur ONEROSUM : sed plurimam
„ capiemus undique voluptatem : siquidem labor non jam appa-
„ rebit labor ; sed quanto magis fuerit extentus, tanto dulcior
„ ac delectabilis fiet. „ Idem Homil. XVIII. in eundem Matth.
„ Ne igitur IMPOSSIBILIA putemus esse præcepta, quæ cer-
„ tè & utilia nobis sunt, & valde facilia si tota utique mente vi-
„ gilemus. „ Et Homil. XXXIX : „ Quod si adhuc jugum ac
„ onus audiendo formidas nimium atque perhorrescis, non na-
„ turæ rerum hujusmodi timorem, sed ignaviæ totum attri-

XII. *Testimonia* Chrysostomi.

 buas.

„ buas. Nam si accinctus & præparatus eris, & nulla desidia „ effœminatus, cuncta tibi facilia levissimaque videbuntur. „ Idem in Psalm CXI. „ Dei præcepta oportet cum magna vo- „ luptate suscipere, & nihil esse difficile in eis existimare. Dif- „ ficultatem enim non natura præceptorum, sed multorum so- „ let socordia efficere. Itaque si quis ea cum studio & alacri- „ tate animi suscipiat, videbit ea esse levia & facilia, quo circa „ dicebat Christus: *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* „ Et in Sermone XLVII. (a) qui est de laudibus S. Pauli Sextus: „ Possibile est Dei jussa perficere si modo velimus omnem natu- „ ræ trepidationem alacriter virtute superare, nihilque est im- „ possibile eorum quæ a Christo hominibus imperantur. Si enim „ quantum est in nobis virium velimus exprimere, maximum „ etiam Deus nobis adjungit auxilium; atque ita, etsi omnia in „ nos adversa concurrant, tuti tamen in medio periculorum in- „ tactique servabimur. „

(a) In Tom. V. Var. Opusc. Edit. Mogunt. 1702.

XIII. Augustini.

XIII. Veniamus ad Augustinum, cujus vel sola verba, quæ ante annos plus viginti contra Objectatores meos protuli, (b) sufficere debuissent ut desinerent contra possibilitatem mandata Dei observandi, a renatis maxime, insurgere. Legit ea, cum aliis auctoritatibus D. Jæger in altera (c) Editione, a se interdum citata; sed pertinaces clamatores quis possit compescere una atque altera auctoritate, nisi forte earumdem copiosiori numero, si non ipsi comprimantur, illis tamen quorum aures suis clamoribus obtudere, fiat satis, quando videbunt antiquiores ac sapientiores clamosis istis rixatoribus novissimis esse plane oppositos? Pergamus igitur addere iis quas hactenus vidimus, auctoritatibus, & has quæ sequuntur, & quidem primum ex Augustino.

(b) De Educ. Liberorum, Observ. VIII. p. 162. Edit. 1694.

(c) De Erud. sol. in 4. T. II. pag. 85.

Serm. 191. De tempore. „ Execramur etiam blasphemiam „ eorum qui dicunt, impossibile aliquid homini a Deo esse præ- „ ceptum; & mandata Dei non a singulis, sed ab omnibus in „ communi posse servari.

Et Libr. II. De peccatorum merit. & remiss. Cap. 3. initio. „ Quasi nostrum hoc ullus ignoret, quod si nolumus, non pec- „ camus; nec præciperet Deus homini quod esset humanæ im- „ possibile voluntati. „ Caput 6. ita concludit: *Itinera mea*, in- „ quit (David), *dirige secundum verbum tuum; & non dominetur*

„ *mihi*

„ *mihi omnis iniquitas.* Ab hujus execrandæ dominationis servi-
„ tute liberantur quibus Dominus Jesus eum recipientibus dedit
„ potestatem filios Dei fieri. Ab ista horrenda dominatione li-
„ berandi fuerant quibus dicit; *Si vos Filius liberaverit, tunc vere*
„ *liberi eritis.* His atque hujusmodi aliis innumerabilibus testi-
„ moniis dubitare non possum nec Deum aliquid impossibile ho-
„ mini præcepisse; nec Deo ad opitulandum quo fiat quod ju-
„ bet, impossibile aliquid esse: ac per hoc potest homo, si ve-
„ lit, esse sine peccato, adjutus a Deo.

Libr. De gratia & lib. arbitr. Cap. XVI. „ Magnum aliquid Pe-
„ lagiani se scire putant, quando dicunt; Non juberet Deus
„ quod sciret non posse ab homine fieri: quis hoc nesciat?

In Libr. De natura & gratia Cap. XLIII. „ Non igitur Deus im-
„ possibilia jubet: sed jubendo admonet & facere quod possis, &
„ petere quod non possis. Et Cap. 69. initio. „ Valde autem bona
„ sunt præcepta si legitime his utamur. Eo quippe ipso quo fir-
„ missime credimus Deum justum & bonum impossibilia non po-
„ tuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid aga-
„ mus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe fiunt FA-
„ CILIA CHARITATI, cui uni Christi sarcina levis est, secun-
„ dum hoc dictum; *Et præcepta ejus gravia non sunt.*--- Cui gra-
„ via sunt, -- petat quo destituitur ut impleat quod jubetur. „

Caput 70. totum, quo liber is mirifice clauditur, libet hic describere, ut videat inde D. Jæger justitiam inhabitantem, justitiam quæ est Amor Dei sive Charitas, non esse rem adeo horrendam ut debuerit exclamare, (a) *Væ nobis si impræsentiarum nostra justificatio esset ex charitate erga Deum!* & negare, eam esse nunc salutis viam. Ita habet ergo Caput illud:

(a) Exam. Th. N. pag. 39, 40.

„ CHARITAS ergo inchoata, inchoata JUSTITIA est;
„ CHARITAS provecta, provecta JUSTITIA est; CHARI-
„ TAS PERFECTA, PERFECTA JUSTITIA est: Sed
„ charitas de corde puro, & de conscientia bona, & de fi-
„ de non ficta, quæ tunc maxima est in hac vita quando pro
„ illa ipsa contemnitur vita; sed major, si non habet quo
„ crescat cum de mortali excesserit vita. Ubicunque autem &
„ quandocunque ita plena fit ut ei non sit quod adjiciatur, non
„ tamen diffunditur in cordibus nostris vel naturæ vel voluntatis

„ ope-

„ operibus quæ ſunt in nobis ; ſed per Spiritum Sanctum qui
„ datus eſt nobis, qui & infirmitati noſtræ opitulatur, & ſani-
„ tati cooperatur: Ipſa eſt enim gratia Dei per Jeſum Chriſtum
„ Dominum noſtrum, cui cum Patre & Spiritu Sancto æterni-
„ tas, bonitas in ſecula ſeculorum! „

De Gratia Chriſti Libr. I. Cap. 9. „ Nemo poteſt legem
„ implere per legem: plenitudo enim legis, CHARITAS. Cha-
„ ritas autem Dei non per legem diffuſa eſt in cordibus noſtris,
„ ſed per Spiritum S. qui datus eſt nobis. Proinde, per legem
„ gratia demonſtratur, ut LEX PER GRATIAM (charita-
„ tem) IMPLEATUR. „ Et Cap. 13. JUSTITIA ex lege di-
„ citur quæ fit PROPTER legis mandatum ; juſtitia ex Deo
„ dicitur quæ datur per gratiæ beneficium, ut NON SIT TER-
„ RIBILE, ſed SUAVE MANDATUM. „ [h. e. non *inſuppor-*
„ *tabile*, ut loquitur D. Jæger, ſed facile.] Et Cap. 15. „ Quan-
„ do Deus docet, non per legis literam, ſed per Spiritus gra-
„ tiam docet; ut quod quisque didicerit, non tantum cognoſcen-
„ do videat, ſed etiam volendo appetat, AGENDOQUE PER-
„ FICIAT. „ Et Cap. 17: „ Litera legis neminem juſtifi-
„ cat--- donec ad Chriſtum tranſeatur--- ad gratiam; ut intel-
„ ligatur ab ipſo nobis eſſe JUSTIFICATIONEM qua FA-
„ CIAMUS QUOD JUBET. „ Item Cap. 19: „ Lex ergo
„ data eſt ut gratia quæreretur. GRATIA data eſt ut LEX
„ IMPLERETUR. Neque enim ſuo vitio non implebatur lex;
„ ſed vitio prudentiæ carnis. Quod vitium per legem demon-
„ ſtrandum, per gratiam ſanandum fuit--- ut JUSTITIA LE-
„ GIS IMPLERETUR IN NOBIS. „ Ibid. Cap. 21: „ Cum
„ dicitur, Dabo leges meas in mente eorum, & in cordibus
„ eorum ſcribam eas; ſignificatur eos non forinſecus terrentem
„ legem formidaturos; ſed INTRINSECUS HABITANTEM
„ JUSTITIAM dilecturos. „ Et Cap. 29: „ Lex non evacua-
„ tur, ſed ſtatuitur per fidem: quia fides impetrat GRATIAM
„ qua LEX IMPLEATUR. „

Libro De fide & operibus, Cap. 21: „ Regnum cœlorum
„ intra vos eſt. Hoc enim diripiunt qui vim faciunt credendo,
„ impetrantes Spiritum Charitatis, ubi eſt plenitudo legis.---
„ Violentia fidei Spiritus Sanctus impetratur; per quem diffuſa
„ cha-

„ charitate in cordibus nostris, LEX non timore pœnæ, sed „ JUSTITIÆ AMORE COMPLETUR. „

Libro III. Contra duas Epist. Pelagianorum Cap. 2. (qui locus huc propriè spectat quamvis & suprà Cap. IV. §. 14. eum tetigimus) „ Dicimus lege fieri, ut Deus quid fieri velit, audiatur: gratia vero fieri, ut legi obediatur. Non enim auditores legis, ait Apostolus, justi sunt apud Deum; sed factores legis justificabuntur. Lex ergo auditores justitiæ facit; gratia FACTORES. Quod enim impossibile erat legi, ait idem Apostolus, in quo infirmabatur per carnem, misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justitia legis impleretur in nobis qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.--- Impossibile enim est legem impleri per carnem.--- Ideo justitia legis IN IIS IMPLETUR qui non secundum carnem ambulant,--- sed ambulant secundum Spiritum. Quis autem ambulat secundum spiritum nisi *quisquis agitur Dei Spiritu?* „ Et Cap. 4. pluribus ostendens quid in lege tanquam vetus & ceremoniale sit abrogatum, quid remanserit, ait inter alia: „ Exceptis librorum veterum sacramentis, quæ sola significandi ratione præcepta sunt, (quamquam & in eis, quia spiritaliter intelligenda sunt, lex recte dicitur spiritalis,) CETERA certe, quia AD PIETATEM BONOSQUE MORES pertinentia, non ad aliquam significationem ulla interpretatione referenda, sed prorsus UT SUNT DICTA, FACIENDA SUNT. Si enim Christus nobis abstulit illud GRAVISSIMUM multarum observationum JUGUM (*de circumcisione* &c.) numquid propterea dicturi sumus non ad nos pertinere quod scriptum est, &c. maximeque ipsum DECALOGUM &c? --- Quis est tam impius qui dicat, ideo se ista legis non custodire præcepta quia est ipse Christianus, nec sub lege, sed sub gratia constitutus? --- Sub gratia positi, quos vivificat Spiritus, & fide ista faciunt quæ per dilectionem operatur. „

Ad Simplicianum Libr. I. Quæst. 1: „ Bona est lex si quis ea legitime utatur: male autem utitur lege qui non se subdit Deo pia humilitate, ut per gratiam lex possit IMPLERI.--- Satis ostendit (Apostolus) non posse IMPLERI Legem nisi à

„ ſpiritalibus, qui non fiunt niſi per gratiam. Spiritali enim legi
„ quanto fit quisque ſimilior, id eſt, quanto magis & ipſe in
„ ſpiritalem ſurgit affectum, tanto eam magis IMPLET--- gra-
„ tiâ infundente Spiritum charitatis, quo & non ſit moleſta, &
„ ſit etiam JUCUNDA JUSTITIA „--- Et ibid. in fine: „ Lex
„ litera eſt iis qui non eam IMPLENT PER SPIRITUM
„ CHARITATIS, quo pertinet Teſtamentum Novum. Itaque
„ mortui peccato liberantur a litera, qua detinentur rei qui non
„ IMPLENT quod ſcriptum eſt. „ &c.

Libr. I. Contra adverſar. Legis & Prophetarum. Cap. 17:
„ Quamvis in Vet. Teſt. propter temporalium bonorum pro-
„ miſſionem malorumque comminationem, ſervos pariat tem-
„ poralis Hieruſalem; in Novo autem, ubi fides impetrat CHA-
„ RITATEM, qua LEX POSSIT IMPLERI, non magis timore
„ pœnæ, quam dilectione juſtitiæ liberos parit æterna Hieruſa-
„ lem. „ &c. Et Libr. II. Cap. 7: „ Lex quamvis juſta & ſancta
„ & bona, prævaricatoribus intulit mortem, quos Dei GRATIA
„ non adjuvit ad JUSTITIAM LEGIS IMPLENDAM. „

Sermone 18. De diverſis. Cap. 1: „ Qui autem ſub GRA-
„ TIA eſt, non ſub lege, IMPLET LEGEM: quia NON eſt
„ ei PONDUS, ſed decus: nec timenti tormentum eſt, ſed
„ amanti ornamentum. „

Quæſt. ſuper Exod: Libr. II. Quæſt. 166: „ Lex-- non
„ impletur niſi charitate.--- In ſecundis tabulis homo per adju-
„ torium Dei tabulas fecit--- quia Novi Teſtamenti charitas le-
„ gem fecit.--- Charitas Dei, qua VERACITER IMPLETUR
„ PRÆCEPTUM, diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum
„ S. qui datus eſt nobis.--- Beatus autem homo eſt quum hoc
„ MANDATUM SANCTUM ET JUSTUM ET BONUM FA-
„ CIT, hoc etiam opus ejus, ſed PER GRATIAM DEI.
„ Eadem ferme repetit Quæſt. 15. ſuper Deuteronomium.

In Libro Expoſitionis quarumdam propoſitionum ex Epiſt. ad Romanos. „ Quatuor iſtos gradus hominis diſtinguimus: an-
„ te legem, ſub lege, ſub gratia, in pace. Ante legem, ſe-
„ quimur concupiſcentiam carnis: ſub lege, trahimur ab ea: SUB
„ GRATIA, NEC SEQUIMUR EAM, NEC TRAHIMUR
„ AB EA: in pace nulla eſt concupiſcentia carnis.--- Scimus

„ quia

„ quia lex ſpiritalis eſt, ego autem carnalis ſum: ſatis oſtendit
„ Apoſtolus non poſſe impleri legem niſi ab ſpiritalibus, quales
„ facit gratia. Dei enim ſimilis quisque factus, ipſe LEGEM
„ FACILE IMPLET QUOD PRÆCIPIT: nec erit ſub illa;
„ ſed cum illa. „

Libr. LXXXIII. Quæſtionum. Quæſt. 66: „ Accedente au-
„ tem gratia, id ipſum quod lex oneroſe juſſerat, jam ſine one-
„ re ac libentiſſime IMPLEMUS. Lex ergo peccati & mortis,
„ id eſt, quæ poſita eſt peccantibus & morientibus, jubet tan-
„ tum ne concupiſcamus, & tamen concupiſcimus. Lex autem
„ Spiritus vitæ, quæ pertinet ad GRATIAM, & liberat à le-
„ ge peccati & mortis, FACIT UT NON CONCUPISCA-
„ MUS, ET IMPLEAMUS JUSSA LEGIS; non jam ſervi
„ legis per timorem; ſed AMICI PER CHARITATEM, &
„ ſervi juſtitiæ unde illa lex promulgata eſt. Juſtitiæ autem non
„ ſerviliter, ſed liberaliter ſerviendum eſt, id eſt, CHARITA-
„ TE potius quam timore. Ideoque veriſſime dictum eſt; Le-
„ gem ergo evacuamus per fidem? Abſit. ſed legem ſtatuimus.
„ Hoc enim EFFICIT FIDES QUOD LEX JUBET. Sta-
„ tuitur ergo Lex per fidem. „

Ex Epiſtolis ejusdem non pauca etiam poſſent adduci, v. g. Ex Epiſt. 95, 105, 106, 120, 157. Sed una ſufficiet hæc ſententia ex Epiſt. 200. in qua oſtendit quid Chriſtianus a Judæo differat: Ut ſit ſpiritalis qui legem impleat ſpiritalem, non fit ipſa lege, ſed gratia; hoc eſt, non imperio, ſed beneficio; non jubente litera, ſed adjuvante Spiritu.

Quod autem Sanctus Vir crediderit dari aliquos, paucos licet, qui nunquam poſt Baptiſmum graviter peccaverint; plurimos autem qui è lapſis pugnatores, deinde victores hac in vita evaſerint, vel ſola hæc verba e Libr. 22. de Civitate Dei, Cap. 16. evidenter oſtendunt. „ Pauciſſimi autem ſunt tantæ felici-
„ tatis ut ab ipſa ineunte adoleſcentia nulla damnabilia peccata
„ committant, --- ſed magna ſpiritus largitate opprimant quic-
„ quid in eis poſſet carnali delectatione dominari. PLURIMI
„ vero præcepto legis accepto, cùm prius victi fuerint præva-
„ lentibus vitiis, & prævaricatores effecti, tunc ad GRATIAM
„ confugiunt adjuvantem, qua fiant & amarius pœnitendo, &

„ vehementius pugnando, prius Deo ſubditâ, atque ita carni
„ præpoſitâ mente, VICTORES. „

XIV. Salviani: XIV. Salvianus, ſanctus presbyter, Auguſtino ferme coævus, obſervationem mandatorum Dei unam eandemque rem cum fide facit, Libr. IV. de gubernatione Dei, initio inquiens: *Cum hoc ſit hominis Chriſtiani fides, fideliter Chriſtum credere; & hoc ſit fideliter Chriſtum credere*, CHRISTI MANDATA SERVARE, *fit absque dubio ut nec fidem habeat qui infidelis eſt; nec Chriſtum credat qui* CHRSTI MANDATA *conculcat*. Et Libro VII. aſſerit mandata Dei non modo non eſſe oneroſa; ſed & eſſe reficientia munera bonitatis, pietatis & miſericordiæ Dei erga nos: *cum à nobis*, inquit, *Deus* NIL ONEROSUM, NIL GRAVE *exigat: non enim nos ad aratra aut ad ligones vocat--; non denique illa exigit a ſervis ſuis quæ nos exigimus a noſtris. Quid namque ait?*
„ *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos* RE-
„ FICIAM. *Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me quia*
„ *mitis ſum & humilis corde; & invenietis requiem animabus veſtris.*
„ *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* „ *Non ergo nos ad laborem vocat, ſed ad* REFECTIONEM. *Quid namque a nobis exigit, quid præſtari ſibi a nobis jubet, niſi ſolam tantummodo fidem, caſtitatem, humilitatem, ſobrietatem, miſericordiam, ſanctitatem; quæ utique omnia non onerant nos, ſed ornant: nec ſolum hoc; ſed ideo vitam præſentem ornant, ut futuram ornare plus poſſint. O bonum, ô pium, ô inæſtimabilis miſericordiæ Dominum, qui ad hoc nobis in præſenti* MUNERA *tribuit, ut ipſa in nobis poſtea quæ nunc dat munera muneretur!*

Idem Sanctus Vir in Libr. II. adverſus avaritiam, tantum abeſt ut cum D. Jægero putaverit quod de lege morali, Judæis cum ceremoniali impoſita, aliquid Chriſtus vel Apoſtoli in gratiam Chriſtianorum relaxaverint, ut potius oſtendat & evincat nos ad majora teneri quàm antea tenerentur fideles & ſancti inter Judæos. Dicit de Tobia, *ſic perfectus fuit qui legi paruit*, & addit, hoc *minus* fuiſſe quàm qui *nunc plus facit in Evangelio. Plus tunc indulgentiæ erat & plus licentiæ*; quod oſtendit multis exemplis: poſtea adducto loco Pauli, 1 Cor. 7. ℣. 29, 30, 31. cujus concluſio eſt, *qui utantur hoc mundo ſint tanquam non utantur* &c. addit: *Videte quam breviter miſſus a Deo Doctor cuncta moderatus ſit*,

sit, & intra quam PERFECTIONEM *universa concluserit, non inlicita solum intercidendo, sed etiam licita coarctando!---* Deinde paulo post addit: *Sed quærit forsan aliquis; quid sit istud quod* NUNC PLUS *exigat Deus a Christianis per Evangelium, quam a Judæis ante per legem?* Respondet: *Aperta istius rei ratio est. Ideo enim* MAJORA *nunc Domino nostro* SOLVIMUS, *quia* MAJORA *debemus. Judæi quippe habebant quondam umbram rerum; nos veritatem* &c. Pergit plura ostendere, tum addit: *Judæi manna manducaverunt; nos Christum. Judæi carnes avium; nos corpus Dei. Judæi pruinam cœli; nos Dominum cœli qui cùm, ut Apostolus ait, in forma Dei esset, humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis.--- Pro hoc ergo solo, quid solvere homo poterit cui se per ultimam pœnarum acerbitatem Christus impendit? Aut quid pro se dignum Domino repensabit, qui ipsum Deo a quo redemtus est Deum debet? Hæc ergo causa est qua* DEVOTIORES *esse nos Dominus sibi velit, quia tam magno devotionem nostram pretio comparavit; & ideo ait beatissimus Paulus; Quis ergo, inquit, nos separabit a charitate Christi?* &c.

Dicebatur Vir ille sanctus, Jeremias illius ævi, eo quod Christianæ Ecclesiæ sui temporis ingentem corruptionem soleret deplorare, uti scripta ejus testantur: Quid autem faceret si nunc inter nos viveret audiretque ultimorum horumce temporum Magistros, qui se Christianismum reformavisse opinantur, docere legem moralem ac mandata Dei jugum esse nobis insupportabile; & Christum loco nostro præstitisse illis obedientiam quam iisdem debebamus, ut nos eo jugo exoneraret?

XV. Tædet me plures adhuc auctoritates adducere, quando hactenus allatas vel pertinacissimo cuivis occlamitanti sufficere debere omnes vident. Quoniam tamen D. Jægerus singulari modo sese profitetur Luthero, Arndio & libris suis Symbolicis addictum, nec parum etiam sibi ipsi, libet ex abundanti eorum de hisce testimonia quædam antecedentibus addere. XV. *Item &* Lutheri;

Lutherus, Sermon. 18. post Trinit. (*a*) *Christus per mortem suum nobis acquisivit Spiritum Sanctum: hic* LEGEM IN NOBIS PRÆSTAT, *& non nos: etenim Spiritus quem Deus propter Filium suum in cor tibi mittit, facit ex te hominem plane novum, qui cum delectatione & amore facit ex animo id* OMNE QUOD IN LE-

(*a*) Citatur in Libro Germ. R. D. Schneideri, *unpartheysche Prüfung C. Schwengfelds &c.* pag. 267.

LEGE MANDATUM *est*, *quodque antea erat ipsi impossibile.* Et paulo post : *Hic Spiritus me plane novum facit : tuncque* OMNE ID QUOD DEUS PRÆCIPIT, *mihi dulce*, *amabile & acceptum est*, POSSUMQUE ID OMNE FACERE *quod ille ex me vult : non tamen a me ipso*, *sed virtute illius qui in me est*, *ut Paulus ait : Omnia possum in eo qui me confortat.* Hæc ad verbum e Germanico Lutheri.

Idem Tom. II. Jen. fol. 37: *Fides est vivida spiritalisque flamma*, *qua corda per Spiritum Sanctum inflammantur*, *regenerantur & penitus convertuntur ita*, *ut nihil aliud desiderent*, *velint*, *expetant*, FACIANT, *seu aliquid aliud sint*, *quam quod Moses verbis* POSCIT ET EXPETIT *suis. Unde talis* IMPLETIO LEGIS *facit bona opera*; *ac* JUSTUS ITA FACTUS, *facit justa.* Quæ ille dubio procul ex Augustino didicerat.

XVI. Arndii.

XVI. In Arndii Libr. IV. De vero Christianismo, Caput 17. habet hæc pro titulo : *Christianum qui Deum non amet*, *non posse se excusare propter* INFIRMITATEM *suam*, *aut rei difficultatem.* Et addit hunc ex Apostolo locum; *Hæc est* CHARITAS *Dei*, *ut* MANDATA EJUS CUSTODIAMUS; ET MANDATA EJUS GRAVIA *non sunt* 1. Joan. 5. ℣. 3. In ipso autem Capite hæc dicit : *Patet nostrûm esse*, *Deum cum singulari animi voluptate* DILIGERE, *quandoquidem amor omnium humanorum operum suavissimum gratissimumque est. Ex quo etiam ipsius Dei* AMOR & BENEVOLENTIA *erga homines innotescit*, *qui à nobis* NON DIFFICILEM, *non asperam*, *non ærumnosam & unde ægri aut debiles fiamus*; *sed jucundam*, *sed* SUAVEM, *sed in solo* AMORE *divino consistentem* RELIGIONEM *exigit.* Hæc ne dixisset ille si moralem legem, quæ merus Dei Amor est & proximi ob Deum, habuisset pro jugo quod portari non potest, & à quo per Sponsionem & Solutionem alterius loco nostri debuerimus relaxari?

XVII. *De* Theologia Germanica, *ejusque prima publicatione per Lutherum*,

XVII. Notatu dignum est, Lutherum & Arndium tanti fecisse, & merito quidem, libellum qui *Theologia Germanica* dicitur, ut hujus doctrina illorum doctrina dici possit. Lutherus libellum è tenebris eruit & prima vice Wittebergæ anno 1516. publicavit, sed incompletum : deerant enim quæ nunc ibi sunt, initio usque ad Caput 7. ut & quæ post Caput 26. sequuntur; sic ut potius frag-

fragmentum esset quam tractatus integer. Titulum dederat Germanicè: *Spiritalis nobilisque libellus De vera differentia & cognitione quid vetus, quid novus homo; quid Adami, quid Dei filius sit, & quî Adam mori, Christus resurgere in nobis debeat.* Ei editioni omnium primæ præfatiunculam linearum septem & decem præfixerat, in qua libellum dicit *non esse spumam aquæ innatantem; sed lapidem è fundo Jordanis à vero Israëlitâ electum*; in eoque inesse *solidam vel* PROFUNDAM (gründliche) *doctrinam Sacræ Scripturæ*, subjuncto nomine suo hunc in modum: *F. Martinus Luder* SUBSCRIPSIT. Sed aliquantum post nactus idem integrum manuscriptum, edidit integrum ibidem, anno 1518, in 4to. uti prius & in Capita 56. divisum, cum præfatione nova propria, quæ & in hodiernis editionibus legitur, cum hac subscriptione: *Doctor Martinus Luther Augustiner zu Wittenbergk:* in qua vero præfatione dicit, *nobilem hunc libellum esse divitem &* SUPEREXCELLENTEM IN DIVINA ARTE ET SAPIENTIA: *nullum sibi occurrisse librum ex quo, cum Scriptura & Augustino magis didicerit quid* DEUS, CHRISTUS, HOMO ET OMNIA SINT. *Se* (Lutherum) *in* hujusce *libelli Germanico idiomate ita* DEUM AUDIRE *&* INVENIRE, *ut neque ipse, neque alii eum sic invenerint nec in Latina, nec in Græca, nec in Hebraica lingua.* Titulo libelli modo dicto præfixit tunc istum generalem, *Ein Teutsche Theologia*; qui ipsi remansit: sed post ejus præfationem aderat & alia decem linearum præfatiuncula, quam editores recentiores sustulerunt licet à Luthero esset quoque ibidem posita, ac vel à se ipso, vel è manuscripto quo is utebatur desumta. Hanc ad verbum libet hic repræsentare ex ipso hujus editionis exemplari, quod penes me est cum exemplari Editionis præcedentis incompletæ, aliisque nonnullis Lutheri & Staupitii libellis una compactis ubi ipsa Lutheri manus iterum atque iterum adscripta apparet. Sic habet autem ea præfatiuncula: *Hunc libellum Omnipotens æternus Deus protulit* (*hat ausgesprochen*) *per sapientem, intelligentem, veracem justumque hominem, amicum suum, qui antehac fuit Eques Teutonicus, Presbyter & Custos in domo Equitum Teutonicorum Francofurti: docetque multa egregia veritatis divinæ discrimina, speciatim qui, ubi & quomodo agnosci possint veri ac recti amici Dei, uti & in-*

cui ut & Arndio non parum laudatur.

injusti ac falsi spiritus liberi qui Sanctæ Ecclesiæ valde noxii sunt. Notat libertinos, qui cum hodiernis Antinomis in eo conveniunt quod à legis jugo se liberatos dicant per Christum, quem ultimi plane suo loco legi obedivisse ut inde exonerarentur, pro fundamento suo assumunt. Equidem Libelli Editio Arndiana, ea saltem quam vidi, hacce præfatiuncula quam Lutherus suæ apposuerat, destituta est: sed defectum istum compensavit Arndius per egregiam & locupletiorem præfationem aliam suam, in qua postquam falsi Christianismi rixosi depinxit morbos, libellum hunc *Theologiæ Germanicæ* veluti pro insigni illorum remedio commendat, deque eo asseverat, *vivum ac verum Christianismum in eo contineri.*

XVIII. *Testimonia huc facientia ex hoc Libello;*

XVIII. Possum igitur non sine ratione Testimonia aliquot ex eo libello veluti Lutheri ac Arndii sententiam continentia adducere. Sic autem ille Cap. 3. ex interpretatione docti ac pii Castalionis.

Oportet ut lapsus meus corrigatur sicut Adami lapsus, & ab eodem à quo Adami lapsus correctus est, & eodem modo. A quo, aut quo modo facta est hæc correctio? Nec homo poterat sine Deo, nec Deus debebat sine homine. Propterea assumsit Deus humanam naturam, sive humanitatem, & factus est homo, & homo factus est Deus. Ita facta est correctio. Sic meum quoque lapsum oportet corrigi. Ego id sine Deo non possum; & Deus sine me nec debet nec vult. Nam ut hoc fiat, necesse est ut Deus IN ME *quoque fiat homo, ita ut Deus sibi assumat quicquid in me est, tum intus tum extra, adeo ut* NIHIL SIT IN ME QUOD DEO REPUGNET, *aut ejus opus impediat.* Idem, Cap. 9: *Animadvertendum ac sciendum omnino est, nullam virtutem,* NULLUM BONUM, *ne quidem ipsum* BONUM *qui* DEUS *est, hominem & animam unquam reddere virtute præditam, bonam aut beatam quamdiu id* EXTRA ANIMAM *est. - - - Hoc quoque sciendum est, æternam beatitatem in illo uno sitam esse, & in nullo alio. Atque ut homo aut anima beata vel sit vel efficiatur, necesse est ut* ILLUD UNUM *solum* SIT IN ANIMA. - - - *Neque vero opus est ut id nunc demum in animam intret: est enim jam ante in ea; sed incognitum. Cum dicitur oportere ad id venire, aut ut in animam veniat, perinde est ac si dicas, id ibi esse quærendum, sentiendum* (sive percipiendum) *atque gustandum.* Et Cap. 14. *Qui*

in

in INOBEDIENTIA *est* (qui non servat legem) *is in peccato est*; *nec unquam peccatum* EXPIABITUR (gebüsset) *aut emendabitur, nisi reditione ad* OBEDIENTIAM: *Ac quamdiu homo in inobedientia est, nunquam corrigitur* (gebüsset, expiatur) *aut emendatur, quicquid homo faciat: id quod ex eo intelligitur, quod* INOBEDIENTIA *est ipsum peccatum. Quod si homo ad veram* OBEDIENTIAM *revertitur, omnia sunt emendata, expiata & condonata: alioqui fieri id non potest: id quod notatu dignum est.* De hominis regeneratione & perfectiori statu legenda sunt præcipue Capita 13. & 31, ne plura vel omnia indicem. Omnia excellentissimo Auctori sunt operationes divinæ, internæ, inhabitantes, inque Deo & ab illo in homine restituto & regenito perfectæ secundum Dei voluntatem. Atque sic sentiebant cum illo olim Lutherus & Arndius, longe aliter sane atque D. Jægerus, qui vult omnia illa extra se, nihil intus præter imaginariam persuasionem quod per ea quæ extra se sunt, reputabitur purus, justus ac jus habens vitam æternam postulandi.

XIX. Si consulat tamen ille *Formulam* suam *Concordiæ*, pag. 84. hæc ibi videbit: *Christus ad hoc datus est, ut propter eum donentur nobis remissio peccatorum & Spiritus Sanctus, qui novam & æternam vitam ac æternam* JUSTITIAM IN NOBIS PARIAT. *Quare non potest* LEX VERE FIERI *nisi* ACCEPTO SPIRITU SANCTO *per fidem. Ideo Paulus dicit, Legem* STABILIRI *per fidem, non aboleri; quia* LEX *ita demum* FIERI POTEST *cum contingit Spiritus Sanctus.* Et pag. 223: *Supra satis ostendimus, quod sentiamus bona opera necessario sequi debere fidem. Non enim abolemus legem,* [bonorum operum scilicet, seu legem moralem,] *sed, inquit Paulus, stabilimus; quia cùm fide accepimus Spiritum Sanctum,* NECESSARIO *sequitur* LEGIS IMPLETIO, *qua subinde crescit dilectio, patientia, castitas, & alii fructus Spiritus.* Pag. 485, è Lutheri Catechismo majori: *Ubi ejusmodi cor* (timens & amans Deum) *erectum est, hoc & præsens* (primum) *& reliqua* PRÆCEPTA OMNIA AD UNUM COMPLEVIT: Et pag. 488; *Fides eò nobis servire ac prodesse debet, ut id quod præcepta* (legis moralis) *exigunt,* FACERE QUEAMUS. Et paulo post: *Eam ob rem nihilominus necessarium est hanc partem* (de fide,) *perdiscere, quam priorem,* (de præceptis

XIX. *Ut & ex Libro Concordiæ.*

legis moralis:) *Ut sciamus, quomodo* PRÆCEPTIS SATISFACERE QUEAMUS, *& unde* TANTA VIS *ac virtus petenda aut* IMPETRANDA SIT.

XX. *Ipsoque etiam Jægero.*

XX. Possem producere & D. Jægerum contra semetipsum: Nam hoc in libro & in aliis interdum sese nobis repræsentat acsi ad summam quæ hic haberi potest, quæque omnia Dei implet mandata, perfectionem adspiraret. Pag. 134. dicit se habere à Deo *Spiritum Filii in suo corde.* Pag. 280, petit ut *nulli alii vivat quam Christo*, & ut *Christus solus in ipso vivat, & nemo alius.* Pag. 293, vult *amore mori.* Alibi (*a*) *desiderat totus mergi in inexhausto & immenso Oceano amoris essentialis & infiniti, qui est Deus.* Alibi, (*b*) ut *nulla in animo suo sedeat caligo, nulla sit cogitatio, nullus affectus, nulla passio quæ non luce Spiritus S. sit illustrata, ut* TOTUS ARDEAT *in luce* & *amore SS. Trinitatis.* Plura istiusmodi interspersit quæ si vult credi dicta esse in veritate, & postulata in fide, confiteatur oportet se credidisse ea, hoc est, Sanctitatem & perfectionem in qua Dei mandata impleantur, esse possibilem, ne dicam maximam partem ab eo jam possessam. Si hoc fateatur, jam omnes clamores, convicia & maledicta omnia, in hacce Controversia adversus me effusa, in ipsius caput resiliunt: Si non fateatur, tunc se hypocritam & mendacem cum hæc peteret & tam pulchra diceret, fatebitur. Eligat quod volet. Sed in quamcunque partem se vertat, pœnitentia, quam ei ex animo opto, opus ipsi erit.

(*a*) Disput. VII. Th. 42.

(*b*) Theol. Myst. p. 53.

CONCLUSIO.

XXI. *Conclusio. Non sine causa hæc fusiùs tractari.*

XXI. Longior fui, sed non sine causa, in argumento omnium maxime momentoso ac necessario; cui obluctari, resistere est principio, scopo & fini Creationis nostræ, ut & principio, scopo & mediis Redemtionis nostræ; cui autem se reddere nihil aliud est, quam se iisdem reddere & saluti nostræ, quippe quæ nihil aliud sunt quam AMOR ET OBEDIENTIA FILIALIS erga Patrem, qui est ipsa Bonitas & Clementia. Vel ipsa natura nos docere possit, infantibus filiisque bonæ voluntatis, (quales ad minimum vere conversi ac regeniti sunt,) jugum esse minimè grave, Patrem bonum atque indulgentem amare eique obsequi pro uniuscujusque viribus. Contrarium docere, est naturæ obloqui, atque characterem gerere certissimum Christianismi collapsi.

XXII. Et tamen ultimorum temporum Magistri non pauci, qui ad ravim usque VERBUM DEI, EVANGELIUM, FIDEM EVANGELICAM clamitant, huc calamitatis devenere, & alios adduxere, eo ipso Verbum Dei, Evangelium, Fidemque veram annihilantes, & pro iis falsas suas opinionum larvas, quia adulatoriæ sunt & multitudini gratæ venditantes. Quid enim dicit VERBUM DEI vel per primum ejus Scriptorem, Prophetarum summum, nisi (*a*) *Ego Dominus faciens misericordiam in millia his qui* DILIGUNT ME ET CUSTODIUNT PRÆCEPTA MEA! Item: (*b*) *Quid Dominus Deus tuus petit à te nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus & DILIGAS eum, ac SERVIAS Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua,* CUSTODIASQUE MANDATA DOMINI? Quid per Regem qui divina præ ceteris mortalibus pollebat sapientia? (*c*) FINEM *loquendi pariter omnes audiamus:* DEUM TIME, ET MANDATA EJUS OBSERVA; HOC ENIM EST TOTUM HOMINIS? Quid est autem summa EVANGELII, quid injunxit Evangelii Auctor PRÆDICATORIBUS OMNIBUS EVANGELICIS? (*d*) *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti,* DOCENTES EOS SERVARE OMNIA QUÆCUNQUE PRÆCEPI VOBIS? Profecto diceres Evangelii inimicum jam alios ejus destruendi gratia misisse, quibus è contrario injunxerit, „ Euntes docete omnes gentes præ„ cepta Dei ac Christi servari non posse, esseque *jugum insup„ portabile*, cujus debito sua obedientia activa & passiva supplet „ ille perinde ac si ea esset vestra, modo hujus notitiam, assen„ sum & fiduciam sive fidem habeatis, cujus beneficio jus ha„ betis ad vitam æternam.„ O miserum vero Evangelium, miseramve Evangelii veri restitutionem, miseram fidem, miseros credentes, olim verbum illud audituros: (*e*) *Non novi vos: discedite à me iniquitatis operarii*, quique *non fecistis verba quæ dixi vobis, nec voluntatem Patris mei qui est in cœlis!*

Marginalia: XXII. *Quàm longe ab his & à Scripturis aberrent Magistri quidam ultimorum temporum.*

(*a*) Exod. 20. ℣. 6.

(*b*) Deut. 10. ℣. 12.

(*c*) Eccl. 12. ℣. 13.

(*d*) Matth. 28. ℣. 19, 20.

(*e*) Matth. 7. ℣. 21, 23, 24.

XXIII. Atque tunc (ut simili non-neminis utar) patebit evidenter eam istiusmodi Evangelicorum hominum *fidem* esse omnino similem fidei alicujus furis, qui divitis hominis testamentum furatus, sibi persuaserat cum fiducia se hæredem fore divitis

Marginalia: XXIII. *Quamque fallax sit & nulla Fides quam isti prædicant.*

tis illius, quoniam ipſius teſtamentum in manibus ſuis habebat: ſed cum ad tribunal deventum eſſet, apertis ſigillis patuit teſtamentum eſſe factum in gratiam plane aliorum, nequaquam autem hujus, qui potius nedum hæres, fur & nebulo declaratus eſt, ac debito pro ſperata hæreditate ſupplicio affectus. Simili modo fecit quidem Chriſtus, verus ille ac æternus dives, teſtamentariam diſpoſitionem pro diſcipulis, filiis, amicis & fratribus ſuis, *qui faciunt voluntatem Patris ſui qui eſt in cœlis*, & qui permanent in verbis Chriſti; quibus & dixit; (*a*) *Vos eſtis qui* PERMANSISTIS MECUM *in tentationibus meis*: *&* *ego* DISPONO VOBIS *ſicut* DISPOSUIT *mihi Pater meus* REGNUM. (*b*) *Eſto* FIDELIS *uſque ad mortem*, *&* DABO *tibi coronam vitæ. Qui vicerit*, *&* CUSTODIERIT *uſque ad finem* OPERA MEA, DABO ILLI - - - *ſicut & ego accepi à Patre meo: faciam illum columnam in templo Dei mei.* DABO *ei ut ſedeat mecum in Throno meo. Qui* VICERIT, POSSIDEBIT *hæc*: *& ero illi Deus*, *& ille erit mihi filius.* BEATI QUI FACIUNT MANDATA ILLIUS, UT SIT ILLIS JUS *in lignum vitæ.* (*c*) *Regnum* REPROMISIT *Deus* DILIGENTIBUS SE. Et ita quidem teſtamentariæ Chriſti diſpoſitionis contenta ſonant. Sed ecce, veniunt extranei qui harum conditionum nihil quicquam facientes, imo eas factu impoſſibiles dicentes, furantur tamen ſibique aſſumunt in os Teſtamentum Dei; & hoc furto, imaginariæ ſuæ fiduciæ gratiâ, tutos ſeſe putant & æternæ hæreditatis ſecuros; quando tamen ex aperto Teſtamento conſtabit illud ad eos minime pertinere, ſed potius eos eſſe fures, in ruborem dandos atque puniendos niſi dum tempus adhuc pœnitendi durat, ad frugem redierint; & quos ſeduxerunt, eos ab errore revocent, doceantque ac re ipſa oſtendant, veram FIDEM EUANGELICAM in vivo ac practico principio conſiſtere, & quod *in rebus practicis*, qualis eſt Religio & Evangelium, CREDERE *idem ſit ac* FACERE *id quod præſcribitur.*

(*a*) Luc. 22. ℣. 28, 29.

(*b*) Apoc. 2. ℣. 10, 26. Cap. 3. ℣. 12, 21. Cap. 21. ℣. 7. & Cap. 22. ℣. 14.

(*c*) Jac. 2. ℣. 5.

XXIV. *Credere in rebus practicis quid ſit.*

XXIV. Id quod vel ſtupidiſſimi ruſtici captum non ſuperat: Nam hic ſi æger ſit, & veniat ad eum Medicus qui præſcribat ut ab his abſtineat & illis utatur, atque ita ipſum ſanum fore ſpondeat; non ita ſtolidus erit ut ſibi imaginetur ſatis eſſe quod hoc noſcat, aſſentiatur ei, & ſibi fiduciam faciat ſe fore ſanum appli-

applicatione solius imaginationis suæ, sine ipsa praxi. Quam praxin si neglexisset, & tamen ad ægrum postea redeunti Medico assereret se ei credidisse, mentiretur sane, vel teste propria conscientia sua, ei dictante, quod CREDERE *Medico sit* FACERE *quæ Medicus præscripsit:* Sic stolidissimi homines seculi, sunt in suis prudentiores & intelligentiores multis qui se filios lucis esse non dubitant. O stupendam cœcitatem; quam vel ipsimet aperte hoc ipso profitentur quod dicunt, *Mandata* Dei *per gratiam ejus servari non posse!* Nam verba sunt Apostoli: (*a*) *qui dicit se nosse eum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & in eo veritas non est*: Quodsi ergo in eo qui talis est, cognitio Dei non est: in quantis igitur tenebris positus & quam incapax ille ad hoc ut doceat alios, sitque verus Doctor aut Pastor Evangelicus, qui aliis veram salutis viam ostendat eisque præeat? O Domine, fuga lupos qui venerunt in vestibus ovium, intus autem sunt lupi rapaces, qui quidem ex fructibus suis satis dignosci possent, nisi homines cœcutire vellent! O Domine, mitte veros Operarios in messem tuam, da (*b*) ut promisisti, *Pastores juxta cor tuum, qui pascant oves scientia & doctrina Spiritus tui*, quorum vocem oves audire & vestigia tuto sequi possint, quia ipsi viam & vocem tuam sequentur, aut potius quia tu in eis ipse vives, docebis, reges & eris omnia, ut omnes per te ac Spiritum Sanctum ad Patrem redeant. Amen!

(*a*) 1 Joan. 2. ℣. 4.

(*b*) Jer. 3. ℣. 15.

BERNHARDUS IN CANTIC. SERM. 77.

Parum est nostris vigilibus quod non servant nos, nisi & perdant.

LIBER QUARTUS,

Specialiores obices circa Problematica nonnulla oppoſitos removens.

CAPUT I.

De cogitationibus ſeu conceptibus quibusdam peculiaribus circa SS. Trinitatem.

I. *Argumentum hujus Libri; removere obices oppoſitos circa problematica.*

I. HActenus ſuſtulimus trium generum obices quos invidia adverſarium impulit uti ſalutarium veritatum viæ opponeret; generaliores nempe in hujusce Operis Libro primo; in altero ſpecialiores ſalutis externa media reſpicientes: quæ autem ad media ſalutis interna ſpectabant, ea in Libro tertio qui præceſſit, tractavimus prolixius, quod maxime omnium eſſentialia & momentoſa eſſent omnibusque ſummopere neceſſaria. Breviores eſſe conabimur in remotione ceterorum quorumdam qui ſuperſunt obicum, quia non reſpiciunt Chriſtianæ fidei eſſentiam; ſed res problematicas, quæ ſalute ſalva vel poſſunt ignorari, aut in quibus etiam errari poteſt ſine periculo quando alioqui mens bona ac fidelis eſt in eſſentialibus.

II. *In his error ſaluti non nocet fatentibus moderatioribus & Apoſtolo.*

II. Qua de diſtinctione omnes ſanæ ac temperatæ mentis Theologi inter ſe conveniunt, etiamſi error eſſet circa objectum diviniſſimum, puta Deum, SS. Trinitatem, Chriſtum, & reliqua alia quæ non poſſunt non eſſe minora. Quis neſcit de his innumera quæri & diſputari, circa quæ diſſentiunt Docti in quibusvis partibus, quamvis propterea heterodoxiæ ſeſe mutuo non accuſent? Nemo unquam Græcos ea de cauſa damnavit quod Spiritum S. a ſolo Patre, non autem a Filio procedere crederent. Nemo ſanctioribus Patrum Eccleſiæ antiquæ pro hæreſibus imputavit errores aliquot ab iis creditos, ſecus tamen ac poſtulabat veritas. Hæc qui ignorat, inſpiciat tantum vel Caput IV.

Libr.

Libr. II. de Usu Patrum D. Dallæi, qui quanquam in eos durior fuerit, minime tamen impedivit quin SS. Patres apud æquos judices in suo maneant pretio. Probis omnium seculorum licuit semper salva charitate Christiana inter se de multis circa sacra dissentire; & concessit idem omnibus vel ipse Apostolus, simulque regulam præscripsit hisce verbis: (a) *Quicunque perfecti sumus*, *hoc* (ad ulteriora tendere) *sentiamus: & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus revelabit. Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula.* Quod & hodie observant qui probitatis & pietatis veri cultores sunt.

(a) Phil. 3. ℣. 15, 16.

III. Verum enim vero non est quod spem nobis faciamus hujusmodi æquo moderamine usurum esse erga nos adversarium nostrum. Quin potius contra, ubi nullus in dictis nostris error est, ibi ille aliquot excogitabit omni conatu: ac ubi excogitati ab eo errores deberent haberi pro tolerabilibus, ille eos pro impiis, blasphemis, infernalibus, diabolicis proclamabit & Orco cum ordinariis sibi conviciis adscribet. Id palam fecit in Controversiis suis reliquis adversus nos circa quædam quæ respiciunt SS. Trinitatem, Christum, Creaturarum & Animæ originem, hominem, Gentilium quorumdam salutem, animarum post mortem purificationem, de quibus agemus in posterum, monentes iterum iterumque, ne imputatis ac assertis ab adversario fidem adhibeant Lectores, nam in hisce uti odium & invidia, sic & spiritus mendacii indissolubili modo implicantur.

III. *Jægerus contrà omnia in errores exitiales trahit.*

IV. De SS. Trinitate omnibus persuadere voluit in suo Examine, Controv. I. me docere, Patrem esse in SS. Trinitate facultatem vacuam, tenebrosam, infelicem, talem cujus definitio vel Diabolo competere posset: & similia, si non pejora, in Contr. sua IV. repetiit. Imo, teterrimarum suarum calumniarum cramben, quo ardet desiderio maledicta sua disseminandi, ac me iis quaquaversum horrori omnium exponendi, recoxit & reposuit in Thesibus Cyclicis, in Disputationum suarum VII. in Exam. Theologiæ Mysticæ: in suo systemate Dogm. Polem. Tom. I. &, quod mireris, in rapsodiæ Historiæ suæ Eccles. Polit. Tom. II. ubi de Boëmio more suo traducendo egit. Rogo autem eos qui de hoc argumento quæ sentiam scire dignabuntur, ea non accipiant è perversis D. Jægeri assertionibus, quas

IV. *De SS. Trinitate imputationes teterrimæ. Poireti sensa de hisce unde haurienda.*

se

ſe hauſiſſe dicit tum e libello quodam qui meus non eſt, tum & è Capitibus 14 & 15. Libr. I. *Oeconomiæ* meæ: Quæ vero duo Capita ſi legere velint, addant quoque & ex eodem Libro Caput 2. & 6. ut & e *Cogitationibus Ration.* tertiæ Edit. Libr. III. Cap. VIII. Propoſitione 16 & 17; ac præſertim ex ultimo libro meo, *Vera & cognita omnium prima, ſive de natura idearum*, quæ ibi exſtant pag. 22, 29, 50, 297. ſed ſpeciatim Propoſitiones de SS. Trinitate tredecim, a pag. 174 ad 181: atque cum illis & ſecundum illa interpretentur quæ ex Oeconomiæ Capitibus 14. & 15. D. Jægerus depravare geſtiit.

V. *Imputationes illas falſas eſſe palam oſtenditur.*

V. Malum illum ſenſum e ſolo D. Jægeri maligno animo procedere probatur hinc evidentiſſime, quod ex omnibus quotquot Oeconomiam meam legerunt Gallice, Latine, Anglice, inter quos plurimi D. Jægerum eruditione, ingenii perſpicacia, omnes vero probitate longe ſuperant, nullis plane, quantum novi, in mentem venerit ſenſus ille impius quem excogitavit, & mihi qui de eo (ſancte profiteor) nunquam cogitaveram, voluit adfricare: & propter quem de me dicit, me *tenebrarum parentem pro informatore habuiſſe, me eſſe blaſphemum in Patrem, Filium & Spiritum S., injurium in Deum*, mihique præter imputata *dogmata infernalia, impia, horrenda, diabolica, nefanda, peſtilentiora quam Arianismus, & ex ſtygia palude deſumta*, aſſignat inſuper in hiſce pro animi diſpoſitione ac intentione *proterviam, ſcelus & malignitatem.*

VI. *Eas non poſſe non eſſe ſuſpectas, cum duplex mendacium in fronte gerant.*

VI. Si iſta non ſatis ſint Lectoribus ut ſibi ab aſſertionibus hominis, eo quo ſe oſtendit D. Jægerus impotenti animo præditi, caveant, velim ut animadvertant præterea illum in me vitilitigationem hanc ſuam duplici, ſi non triplici mendacio præpoſito incepiſſe. Primum eſt in ſuo hoc libro de quo agitur, ubi quanquam non eſſet initio, in Controverſia ſua I. locus de eo argumento agendi; tamen ut pro ſua in me benevolentia illico horrori lectorum me exponeret, hocce ſubjectum cum ſuis calumniis ac maledictis proponit, extra oleas, eique ſequentia verba ac ſi mea eſſent, præponit, quo ſuis accuſationibus pondus ex me addat ſcilicet: (*a*) *Error omnis in fide, juxta ipſum Poiretum in Oeconomia ejus divina, eſt infernale venenum:* nec notat locum, quia nullus eſt, imo contrarius, & ſatis longus, exſtat in Oecon.

(*a*) Jæg. Exam. Th. N. pag. 20, 21.

Oecon. (*b*) Libro V. Cap. 4. §. 53 ad 57: ubi de fide implicita agens, ostendo in fide explicita posse circa multa particularia de rebus divinis vel spiritualibus innocuos errores foveri ac credi nullo salutis periculo, quando nempe in errante bonus & humilis permanet animus, neque ejus naturæ est error, ut minuat in nobis amorem Dei & proximi, ac restitutionem imaginis divinæ per justitiæ & sanctitatis studium. Quò revera referendi essent errores si qui a me in hoc argumento commissi sint, contra quàm contendit vel ex mea falsò allegata hic sententia probare D. Jægerus.

(*a*) Tom. II. Lat. pag. 425. ad 428.

Alterum ejus mendacium exstat in VII. suarum *Disputationum ex Systematis Poiretiani Libr. I. excerptarum* Thesi XI. pag. 7. ubi hanc ipsam materiam tractare incipiens, hæc profert: *Cuinam ergo magis credendum est, an Spiritui scrutatori Divinitatis,* (1 *Cor.* 2: 10.) *profundissimo & perfectissimo; an homini qui per naturam mendax est, qui mendaciter* JACTAT AFFLATUS IMMEDIATOS? Si D. Jæger respicit ad locum & sensum Psalmi 116. *Omnis homo mendax*, nempe per naturam corruptam si eam sequi velit, aut aliis de caussis quas notant interpretes, eo in casu nihil ei obloquor nisi quod & ipse mecum & cum hominibus ceteris talis etiam *mendax* sit. Sin indicare vult in me esse specialem quandam ad mentiendum dispositionem & habitudinem prout in illis est qui jure merito mendaces dicuntur, tunc omnino eo ipso dicto ipsemet mendax est: sciunt enim qui me norunt omnes, & maxime Deus cordium cognitor, me per ejus misericordiam, à mendacio revera alienum esse: atque utinam D. Jægerus æque ab eodem esset alienus; etenim illico non adjunxisset alterum hocce mendacium, me *jactare afflatus immediatos.* Ubi vel quando id fecerim, nisi ostendat D. Jægerus, mendax manet donec id recantet. Contrarium in hoc ipso Oecon. Cap. XIV. quod D. Jæger nunc speciatim aggreditur, evidenter declaravi §. 11. pag. 198. ubi postquam paulo ante egi de *anima* quæ RADIUM *quendam luminis fidei conspexit*, quæque *& divinis oraculis & sanctorum hominum, quibus Deus mirabilia multa declaravit, commercio usa est, ac eo modo illuminata est*, eousque ut res divinas melius possit ad aliorum captum exprimere; de me paulo post hæc profiteor: *Equidem non ignoro me ab eo statu etiam longe abesse:* Hocne

(a) Sup. Lib. I. Cap. 4. §. 5. 13. 14. 26. Cap. 5. §. 6. Cap. 6. §. 7. 8.

ne idem est atque *jactare afflatus immediatos?* Sed provoco ad ea quæ superius (a) scripsi contra hujusmodi mendacium quod vel sexcenties noster gaudet ubique iterare, & cujus gratia mihi hic denuo *fanatismum* imputavit.

VII. *Poireti in hisce integritas, institutum & scopus.*

VII. Libet hic nonnulla annotare quibus quæ sentio evidentiora illis fiant, qui, quæ de hisce obiter scripsi, legere cupient.

Nunquam putavi Deum Patrem fuisse aut potuisse esse sine Filio & Spiritu S., potuisse esse vacuum, tenebrosum, anxium: sed contra, fuisse semper cum Filio & Spiritu S. plenum lumine, gaudio, gloria æterna; nec potuisse aliter esse.

Sed quoniam dantur qui negant Deitatem Filii & Spiritus Sancti, putavi me ostendere posse & ipsam Dei Patris gloriam ac delicias, quas Pater in Filio & cum Spiritu S. habet, sua illa negatione tolli: hoc scopo meo, ut in viam agnitæ S S. Trinitatis redire possint.

Præterea cum non dubitarem animas nostras ad Imaginem SS. Trinitatis esse factas, ac participare quædam ex unaquaque SS. Trinitatis Persona, quorum alia non possunt amittere (fundum scilicet ac facultates a Patre Creatore receptas,) unde immortalitas earum; alia possunt amittere (participationem gratuitam Filii & Spiritus S.) unde earum miseria æterna; omnia vero & possunt retinere quæ non tantum à Patre, sed & à Filio & à Spiritu S. participavere: cumque forte nonnulla olim similis argumenti in divino Boëmio legissem, sed non ad votum intellecta, & putarem incidentes mihi cogitationes posse forsan suis dilucidandis utcunque inservire; sentiremque me eò ferri ut de his quædam scriberem eo scopo ut retineremus quæ a Deo receperamus, vel quæreremus denuo quæ nostra culpa amiseramus, lucem veram nostram Jesum Christum Dei Filium, Amoremque & gaudium æternum in Spiritu S. quibus cum Patre in unum colligeremur, deliciaremur ac æternum consummaremur: en, per & propter ista omnia inductus fui ut infantuli instar balbutirem bono animo & corde ea quæ in mentem mihi incidebant coram Domino, utque ea ostenderem quibusvis qui mecum animo fraterno simul & infantili coram communi Patre cœlesti lætari ac veluti olim David coram arca, ludere & salire gestirent.

VIII. Qua

VIII. Qua in re si errores nonnullos admiserim, certus sum eos non magis in perniciem mihi a Patre imputandos fore, atque infantulorum de Patris sui rebus, gestis, regimine bono ac læto animo placendi Patri ac se in eo oblectandi balbutientium, & tamen absurda plura simul cogitantium. Rideret bonus Pater qui eorum bona corda bonumque sciret animum, rideret inquam istiusmodi hallucinationes, quemadmodum non dubito quin ad hominum speculationes quas vel sublimissimas credunt, rideant, ut ita loquar, beati Spiritus, qui res vident in veritate, nos in imagine, in ænigmate, in parte, in tenebris & ignorantiis multis, in quibus vult Pater ut toleremus alii alios & nos amemus, gaudeamus in eo ac inter nos charitate & innocentia infantium & fratrum. Sed minime speraveram proditurum ex iis aliquem qui Cainino prorsus animo omnia mea verba, dicta, intenta in horribiles sensus, in blasphemias contra Patrem, in scelera, in delicta impia, maligna, infernalia, diabolica converteret, meque propterea Diabolo & Orco assignaret, præ se interim ferens se agere ita causam Dei illius quem ut Patrem optimum venerabundo animo adoro & colo, & intendo, nec sine sinceri erga eum amoris participatione aliqua ac desiderio ipsi ut placeam. Judicabit ille olim, imo & nunc in omnium bonorum cordibus, uter amborum, ille ne an ego, ipsi magis placere, aliisque sine cujusque ad se ipsum ullasque humanas partes respectu, prodesse secundum Deum voluerit & conatus fuerit. Ego interim paucula quæ ad bonos de sensus mei integritate informandos conducere arbitror, hic loci superaddam.

VIII. Quam inique isthæc in crimina horrenda vertantur.

IX. In SS. Trinitate, ut & ipsa Divinitate, utcunque concipienda vel exprimenda multis modis processere qui eam sincere credunt & adorant, atque incomprehensibilem confitentes & ineffabilem, suos tamen de ea conceptulos ac sermones, haud secus ac umbram aliquam, vel balbutientium sonos, imo veluti nihil ac tantum non ineptias præ rei Majestate ipsa, professi sunt. Quorum vero modorum unum atque alterum hic recensere libet.

IX. Modi varii SS. Trinitatem incomprehensibilem pro modulo nostro imperfectissimo concipiendi.

X. Primus eorum est qui Deum ut potentissimum, lucidum, bonum, felicem, perfectum &c. concipiunt veluti fertilem ac volentem habere sui essentialem imaginem potentem, lucidam, bonam, felicem, perfectissimamque: atque hinc ortum esse Filium,

X. Primus eorum qui Deum con-

cipiunt ut fertilem ac volentem habere sui imaginem essentialem.

lium, imaginem illam, Deum de Deo, lumen de lumine, bonum de bono, felicem de felice, &c. cui & ex animo subscribo, eumque secutus sum & proposui non semel. Vid. Cog. Rat. Libr. II. Cap. 6. & Oecon. Libr. I. Cap. 2.

XI. *Alius eorum qui Deum concipiunt ut est supra omnem comprehensibilitatem praeunte Scriptura.*

XI. Alter modus eorum est qui Deum ut incomprehensibilem pro modulo sciunt ac credunt; dicuntque Deum isto modo spectatum, esse super omnem comprehensibilitatem, super omnia attributa repraesentata vel cogitata, super omnem ideam & omne quod in intellectum nostrum cadere potest, ac veluti immensum & indistinctum fundum, ubi nihil particulare occurrit, nec apparet distinctio ulla; sed mera unitas omnis multiplicitatis conceptae nescia. Non negatur ibi SS. Trinitas; sed nec percipitur modo distinctiori; quia eam contemplantur hic ut reductam ad suam primordialem originem in unitate. Hanc viam aperuit ipsemet Deus, cum dixit Mosi (*a*) SUM QUI SUM. Sum merum esse mihi soli cognitum. Et Paulus, quando dicit, quod Deus sit (*b*) *lux inaccessa*, *quam hominum nemo vidit*, *nec videre possit*. Ad hanc viam respexere Hebraeorum Doctores quando Deum appellaverunt (*c*) *Non-ens*, *nihil*, *Ensoph*, *aleph tenebrosum*, & ejusmodi quae ex eorum libris petenda sunt.

(*a*) Exod. 3. ℣. 14.

(*b*) 1 Tim. 6. ℣. 16.

XII. *Sic tenebras Deo tribuunt multi & ipsa Scriptura.*

XII. Inter Christianos auctor librorum qui Dionysii Areopagitae nomen ferunt, appellat Deum superessentialem, superbonum, & sic de ceteris; & caliginem divinam ei tribuit, quod & satis frequenter fecere Mysticorum excellentiores, Rusbrochius, Taulerus, Harphius, Suso, alii; sed inter omnes nihil hac in re tam emphaticum reperitur quam contemplatio haec Dei in caligine quae sanctae Angelae de Fulginio obtigit & quam ipsa in (*d*) Vita sua descripsit, digna plane quae ibi legatur. Forsan huc pertinet illud quod alii silentem aeternitatem appellant. Notabo obiter multum falli nostrum D. Jaegerum quando ob *caliginem* vel *tenebras* Deo assertas horribilem in modum tumultuatur: recte quidem si tales concipit quales in suo cerebro, vel in Daemone, vel in natura sunt: sed bonus vir multum hic fallitur vel suo ipsius judicio, quippe hac voce in

(*d*) Edit. Lat. Cap. 26. Gallic. anni 1696. Part. II. Cap. 1. §. 8.

(*c*) Vid. de his Cabalam denud. T. I. Part. I. in voce אין, & Part. II. p. 20. & multis aliis in locis. Item Libr. Jezirah Editionis Rittangelii pag. 4, 5, 74, 160. 165. &c. Reuchlin. de Verbo Mirif. Libr. II. Cap. 15. & seqq. & Libr. III. Cap. 5. Picum Mirand. & alios apud D. Buddeum in Introd. ad Histor. Philos. Ebraeorum.

in hocce (*a*) libro ac ſubjecto uſus: Divina autem Scriptura (*b*) non ſemel tenebras & caliginem Deo attribuit, hoc eſt, fundum omni intellectui creato incomprehenſibilem, ac nihil ejus quod à noſtro intellectu viribus & actibus ſuis poſſit concipi. Hic adoratur Deus & SS. Trinitas in ſilentio cum intellectu nudiformi.

(*a*) Jæg. Exam. pag. 94.

XIII. *Alius, de SS. Trinitate conſideranda modo relato ad mentem hominis & tria quæ in eo ſunt.*

XIII. Alius modus SS. Trinitatem concipiendi is eſt qui fit ex conſideratione naturæ hominis, vel ejus mentis, quatenus ad imaginem SS. Trinitatis condita eſt, in qua vero occurrunt hæc tria, eſſe, intelligere, velle, ſecundum Auguſtinum: vel ſecundum alios memoria, intellectus, voluntas: vel, deſiderium, intelligentia, acquieſcentia: vel intellectus, idea ſui in intellectu, gaudium; & plura ejuſmodi quæ apud Patres, Theologos Scholaſticos, Myſticos, alioſque occurrunt; quæ vero copioſius propoſui in Libr. III. Cap. VIII. Cogitationum Ration. & ſtabilivi fuſius ac ab objectionibus nonnullorum vindicavi in Editione III. monendo talia etſi bene ac pie SS. Trinitati applicentur, non tamen ei ex omni parte convenire; dari enim hic ſicut in omnibus ſimilitudinibus, diſſimilitudines, quas autem nemo, ea de re admonitus, urgebit, & in blaſphemias ac ſcelera vertet, uti facit noſter, iis qui illas adhibebunt. Plura alia de hoc argumento ibidem recenſui quæ miſſa facio ut uni adhuc conſiderationi, quæ huc maxime facit, locum concedam.

XIV. *Item modo relato ad naturam, v.g. hominis deſiderantis & generantis filium ſibi ſimilem in quo lætetur.*

XIV. Ea eſt quando Deum ac SS. Trinitatem conſiderare volumus modo ad naturam relato. Natura creata, vel ſpecialius, natura hominis, fertilis eſt, & homo generat hominem ſui ſimilem, filium, in quo adepto gaudet & deliciatur. Sumamus exemplum aliquod eminens. Sit Rex aliquis admodum potens, ſapiens, omnibus abundans, lætus, felix, glorioſus, & in ſeſe ſuaque individua perſona perfectus. Is quando ad certos ætatis annos pervenit, ita à natura diſponitur & ſtimulatur, ut ſentiat ſibi deeſſe ſui imaginem, deſideretque naturali inſtinctu habere filium ſibi ſimilem, æque potentem, ſapientem, abundantem, felicem, glorioſum, perfectum uti ipſe eſt, & qui cum illo regnet ceu ejus collega imperii. Is Rex, qui in ſe potens eſt, & ſapiens, & abundans, & felix atque glorioſus, ſi deſiderans

 impen-

(*b*) Gen. 15. ℣. 12, 17. Ex. 19. ℣. 9. Cap. 20. ℣. 21. 1 Reg. 8. ℣. 12. Pſ. 18. ℣. 12. & Pſ. 97. ℣. 2.

impensè habere talem Filium, non adipisceretur tamen; evidens est quod ejus desiderium privatum desiderato tali objecto filiali, potenti, intelligenti, gloria illustri, eatenus erit desiderium nubilum vel tenebrosum, non fruens cum lætitiâ objecto illo intelligenti, luminoso ac glorioso desiderato; atque adeo vacuum, imo & anxium atque dolorosum esset, idque eo magis, quo magis objectum illud desiderabitur & tamen aberit, quamvis nihilominus Rex ille in se & solitarie spectatus, sit & maneat sapiens, dives, gloriosus atque in se felix.

XV. *Simili hoc dilucidari quæ de desiderii vacuitate & anxietate dicta sunt.*

XV. Quo verò simili patet, radicem ad paternitatem, ejusque characterem primum, esse desiderium vel, si vis, potentiam aut facultatem desiderandi, in qua terminus à quo est vacuitas vel capacitas receptiva, terminus vero ad quem est objectum perfectum, intelligens, gloria coruscans &c. quo autem absente, Rex ille in se potens, intelligens, dives, felix & gloriosus, est nihilominus qua desiderans talem filium nec habens eum, vacuus, tenebrosus (liceat sic loqui) sive destitutus objecto gloriâ ac luce illustrato; est, inquam, tristis atque anxius & inquietus, quamvis idem in se quoties se unum ac solum respicit sine desiderio illo alterius, sit & maneat ut prius abundans gloria, copia, felicitate propria, nec possit vere dici ab ullo vacuus, egenus, infelix, inglorius, &c. Et quidem rem ipsam interdum ad literam videre est ita se habere ac subsistere in Regibus, vel potentibus aut divitibus & beatis seculi hujus; quia deest eis absoluta potentia ut quod desiderant id faciant sibi existere.

XVI. *In Deo considerari posse quædam tum hisce dissimilia; actu quippe in eo nec esse, nec esse posse tenebras:*

XVI. Jam in Deo considerari possunt quædam hisce similia, & quædam dissimilia. Dissimilia, quia Deus Pater in se potens, lucidus, bonus, felix, desiderans Filium sibi æqualem, non potest non illum adipisci; ita ut ejus desiderium non possit non frui illico, hoc est ab æterno, illo Filio suo; adeoque non possit ejus potentia sive facultas desiderandi actuata quatenus in ea terminus à quo, vacuitas sive receptivitas filii consideratur, subsistere vel per momentum privata, deficiens, vacua objecto filiali cupito, luminoso, atque perfecto, termino suo ad quem, quo fruatur, lætetur & glorietur veluti cupivit.

Unde patet neque dici, neque objici posse, fuisse unquam vel potuisse unquam actu aliquid esse in Patre vacuum, tenebrosum

brosum, anxium, secundum eos qui agnoscunt Deum Patrem desiderando Filium sibi æqualem, eum acquisivisse sive generavisse per omnipotentiam totam tantam quantam in actu exercitam, quamvis loquantur de potentia sive facultate generandi eo quo jamjam feci modo.

XVII. Similia hîc consideranda sunt. 1. Quod Deus O. M. possit à nobis considerari, (nam de conceptibus agitur,) sine Filio: quomodo eum conceperunt omnes quibus SS. Trinitatis mysterium revelatum non est, aut qui illud non credunt: & ita agnoscitur à cunctis omnipotens, lux infinita, sapiens ac felix, in se ipso.

XVII. Tum similia per conceptus abstractivos quos nec Scriptura, nec Theologi respuunt. Absurdum esse in istos debacchari.

2. Idem consideratus ut volens habere Filium sibi æqualem, Deum de Deo, lucem de luce, hoc ipso non est idem, (eadem persona,) ac suus Filius, non est lux genita; alias non desideraret sive non vellet eum filium producere vel generare.

3. Desiderium paternum generandi & recipiendi in se genitum, consideratum ut terminus à quo, non includit formaliter in se terminum ad quem, sive genitam *lucem*; ac eo sensu potest abstractive considerari veluti capacitas lucis quidem receptiva, sed quatenus eam desiderat eatenus ejus adhuc veluti vacua. Certe quemadmodum Pater qua Pater, non concipitur formaliter ut Filius: sic etiam potest concipi ut formaliter nondum lucidus luce filiali quæ ipse Filius est. Similiter de anxietate, quatenus desiderium paternum concipitur ut nondum involvens gaudium vel amorem, qui demum in eo processurus est. Absurdi & morosi ingenii est nolle ejusmodi conceptibus abstractis locum concedere, quando tamen, quod plus est, ipse Deus sine Filio considerari possit, ut modo (num. 1.) vidimus.

4. Desiderium illud lucis nascendæ in se, sive Filii, cum vivum, intensissimum, simulque omnipotens sit, efficit & recipit à se in se id quod vult sive Filium, lucem, Deum de Deo, æqualem Patri, atque in eo lætatur Pater & deliciatur. (a) *Hic est Filius ille meus dilectus in quo mihi complacui.*

(a) Matth. 3. ℣. 17.

5. Si jam, per impossibile, illud desiderium, ea potentia & voluntas generandi in Patre consideraretur ut non attingens scopum desideratum, non adipiscens objectum cupitum, quid aliud esset, aut quî aliter consideraretur ac desiderium vacuum, sine

luce,

luce, vividissimeque ac vehementissime anxium atque inquietum, quippe id non adipiscens quod infinita vehementia ac vivacitate desiderat? Absurde, adhuc dico, absurdorum venator aliquis in ejusmodi abstractos conceptus, qui nihil in re ponunt & affirmant, debacchabitur. Scriptura Sacra tales propositiones interdum proponit quæ sunt impossibiles, & quæ blasphemæ à nostro deberent nominari: Christus Judæis dixit: (a) *Si dixero me non nosse Patrem, ero mendax sicut vos:* Abraham repræsentat Deo (b) quod si deleret justum cum injusto, ipse non juste ageret &c. Athanasius contra Arianos (c) ait, quod si Deus aliquando *sine Verbo suo* fuisset, *sine lumine ac sine sapientia* fuisset, quod idem est ac si dixisset, concipere Deum qua Patrem, sine Filio, esse, concipere eum ut tenebrosum & intelligentia vacuum, destitutum nempe luce ac sapientia cupita & desiderata. Theologi concipiunt Deum, si peccatum approbaret ut qui non sanctus esset, & infinita hujusmodi, quæ tantum non rusticis nota sunt, nec conceptu molesta, ita ut mirandum sit talia veluti monstra videri homini docto, tot magistrandorum olim principi, & nunc vel pueris non ignota ignorare se simulanti.

(a) Joan. 8. ℣. 55.

(b) Gen. 18. ℣. 24, 25.

(c) Epist. de Syn. Arim. & Seleuc.

XVIII. *Anima tum mors, tum vita æterna in quo consistant.*

XVIII. 6. Id autem quod in Deo nunquam actuatum fuit, nec esse potuit, id in anima ad imaginem Dei facta & ad eum scopum creata, ut Deus in ipsa concurrente illius desiderio versus Deum directo, generaret Filium suum quo æternum beata esset, potest utique accidere. Si enim anima quæ ex creationis suæ conditione prædita est facultate tantum non immensa bonum desiderandi, desiderium illud vivens & anhelans dirigat versus concupiscentias suas, aut creata & vana hujus mundi, & non versus Deum ejusque Filium; discedatque eadem ex hac vita ea in constitutione; nunquam in ea deinceps nascetur Dei Filius, lux & vita ipsa æterna: sed manebit desiderium ejus æternum ac immensum in vacuitate, in tenebris, in anxietatibus atque doloribus sine ullo fine, quæ damnatio & mors æterna est.

Sin convertat quamdiu hic est sincere & toto animo versus Deum ejusque Filium desiderium suum constanter ac perseveranter, producet in eo ubi probatum erit & debite præparatum, Deus Pater dilectum Filium suum, habitatorem cordis fideliter eum anhelantis, ejusdemque Salvatorem & beatitudinis æter-

æternæ fontem indeficientem, qui animæ desideria investiet, dilatabit, illuminabit, nutriet, deliciis quæ in ipso Deo immenso sunt fovebit: quæ vero vita est æterna.

XIX. Cum autem ista momentosissima quæ sunt illustrentur funditus, ac etiam animi circa ea salutariter disponi possint per hujusmodi considerationes de SS. Trinitate, judicent æqui rerum æstimatores an inutiliter propositæ sint. XIX. *Tales de SS. Trinitate cogitationes non inutiliter proponi.*

Non dicam Socinianos posse utcunque ex hisce de suo errore convinci, modo sincere id agnoscere velint quod Scriptura testatur de Patre, volente in Filio omnino acquiescere. Voluntas perfecte acquiescendi vel se delectandi digna Deo, non potest esse nisi in suo æquali: Si Deus Pater vult sive desiderat in Filio sibi æquali delicias capere; nec tamen aliquem sibi æqualem producere sive generare possit, ut dicunt, tunc desiderium ejus maneat oportet vacuum, atque anxium & inquietum: quod cum de Deo dici non possit, sequitur eum sibi generare æqualem Filium, in quo pro voluntate & desiderio suo acquiescat & delicietur.

XX. Crediderim ex hisce sufficienter omnia evanescere quæ D. Jæger adversus ea, quæ in Oeconomia de hoc argumento obiter & veluti privata mea cogitata ac exercitiola conceptuli mei in hisce rebus balbutientis, non autem ut necessaria scitu vel creditu protuli, obmurmuravit, depravavit, & ad stygiam paludem relegavit non uno in loco. Quantum ad locutiones & cogitationes J. Boëmii similes, alias, diductiores ac profundiores, si quis eas cupiat videre prolixius expositas simul & defensas, consulat si placet libellum Germanicum contra J. Boëmii adversarium, postea pœnitentem, scriptum, cujus titulum in margine (*) apposui & loca indicavi quædam specialia. Deum Patrem prout in se est & sine relatione consideratum, *esse sine tenebris, esse meram & claram lucem ac lætitiam*, conceptis verbis dixit J. Boëmius semel ac bis eodem in loco, qui est, §. 75. & 76. Cap. II. Libri sui de Vita hominis triplici. XX. *Jægeri objectata per hæc evanescere. De locutionibus & cogitatis Boëmii.*

XXI. Quod adtinet ad libellum cui titulus, *Theologiæ Christianæ juxta principia J. Boëmii Idea brevis*, hunc præcipue noster XXI. *Item de Libello:*

Xxx

* Orthodoxia Theosophiæ Teutonico-Böhmianæ contra Holtzhausium defensa, &c. à Joh. Matthæi (Zimmermanno, Past. Luth.) Francof. 1668. vid. ibi pag. 65. & seq. item pag. 83. &c.

Theologia Christiana secundum principia J. B. Idea brevis.

ster in tota sua Controv. IV. horrendum in modum divexat, ita ut postquam aliqua ex eo verba, resectis sequentibus quæ ea vel explicabant vel leniebant, citavit; continuo exclamet hæc esse *tetrica*, *&* PIARUM AURIUM OFFENSIVA. O teneram pietatem aurium Jægerianarum, eas longe aures religiosas superantium de quibus Augustinus: (*a*) *Liberis verbis loquuntur Philosophi; nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt!* Is autem de quo ibi D. Jægerus agit durissime libellus, quem non videram cum Oeconomiam divinam scriberem, non tantum à me compositus non est, sed & obscuritatem ejus, & quid deesset ei, improbavi in mea *de Auctoribus Mysticis* (*b*) *Epistola*, §. 46. adeo ut de iis quæ D. Jæger in illo sive jure sive injuria carpit, minime tenear respondere. Notabo tamen pro charitatis Christianæ indole, omnia in bonam partem, quantum fieri potest, interpretari quærentis, eum Auctorem, quem audivi Germanum fuisse, &, si bene memini, Tubingensem, ac ante annos complures mortuum, monuisse, ea quæ de primo principio dixit (*c*) *non esse actu in Deo*, in quo quippe *omnia sint & lux & bonum*. Deinde hæc ejus verba, (pag. 1.) *Pater non nisi per Filium in Spiritu S.* DEUS *est*; si de DEO *qua manifestato* intelligantur, erronea non esse; siquidem Pater non se Deum manifestavit per opera Creationis & Redemtionis nisi per Filium ac Spiritum suum. Denique potuit auctor qui hæc sua cogitata sibi privatim scripserat nec unquam edidit, alia deinde vel perfectiora cogitavisse & scripsisse, quibus priores cogitationes suas vel explicaret, vel emendaret ubi opus erat. Quicquid hujus sit, hominis defuncti & pietate ac doctrina dum viveret præditi, privata cogitata post mortem forte in charta longo post tempore reperta, velle in pessimum sensum sumere, in hæreses & blasphemias vertere, ipsique Auctori contra concepta ejus verba imputare, ut hic facit D. Jæger, (*d*) quod *Summo Bono malitiam tribuat*, & quod INFERNUM *adstruat in* DEO, ac propterea eum ut *Cœlo indignum* declarare, idque publicare, is modus agendi Caino potius quam Abele revera dignus est.

(*a*) De Civ. Dei Libr. X. C. 23.

(*b*) Vid. Tom. II. de Erud. pag. 430.

(*c*) pag. 2.

(*d*) Exam. Th. N. pag. 72.

XXII. *Jægeri ra-*

XXII. Ferme oblitus eram futilitatem duarum D. Jægeri rationum retundere, quibus probare vult, ea quæ dixi in hisce,

con-

conceptus esse abstractos, non esse hujus modi, sed realiora deque rebus ipsis. Prima est, (*a*) quod dixerim Libr. I. Oecon. Cap. 15. §. 24. quod hic *sit abyssus quædam mysteriorum captum superantium, in quorum evolutione seculorum omnium duratio venerabunda semper occupabitur.* Tum addit: *sane* PRÆCISIONES *intellectus nostri non possunt fundare tam sublimia Mysteria:* Et paulo post: *Quomodo dici potest quod in evolutione talis Mysterii ex præcisione intellectus provenientis, seculorum omnium duratio venerabunda se sit occupatura, &c.?* Atqui patet inspicienti textum meum verba illa à me non esse dicta de Patre sive de desiderio Patris *abstracte* considerato; sed de Patre revera Filio suo desiderato fruente ac in eo deliciante, quod falsum est me pro *abstractione* habuisse, sed potius pro ipsa re concretissima, ut ita loquar, & in qua evolvenda, consideranda & fruendâ æternum cum veneratione occupabuntur beatorum mentes. Atque ita sophisticè D. Jæger aliud pro alio substituit.

tiones sophisticæ, quibus probare vult dicta de his non esse meros conceptus abstractivos, retunduntur.

(*a*) Exam. p. 25.

Ratio ejus altera est, (pag. 67.,)quod nulli *Scholastici* abstrahendo *aut præscindendo à perfectione aliqua, præprimis in divinis,* APPONERE *audeant oppositam imperfectionem: v. g. nullus unquam si in Deo abstraxit* ÆTERNITATEM, *propterea Deum concepit ut ens temporale, essentiam habens ratione durationis finitam. At Poiret putat, si abstrahatur à Divinitate ratio lucis & ideæ luminosæ, tum necessario Deitatem concipiendam esse ut tenebricosam. Falsissima* (pergit) *hæc est illatio, quæ vel oritur ex* IGNORANTIA *naturæ abstractionis, vel est impium emplastrum ad palliandum* INFERNALE DOGMA. Hactenus D. Jæger, qui, ut videtis, vix sine *inferno* procedere potest. Verum illi qui pravis affectibus aguntur, non norunt quid agant, neque se falsa proferre vident, aut ignorantiam suam propalare, quando id ipsum faciunt tum cum idem perperam aliis exprobrant. Falsum est, ea quæ de his à me prolata sunt, proposita fuisse ut *dogmata:* aut calumniatur sciens, aut *ignorat* quid DOGMA sit D. Jægerus. Dixi supra quid de his sentiam & haberi velim. Falsum est, me abstrahendo *apposuisse oppositum.* Nihil apposui; sed consideravi subjectum, desiderium paternum, præcisa perfectione lucis, quod ipsum, sine ulla *appositione oppositi* positive à me illata, est concipere desiderium non luminosum sive tenebricosum, non au-

tem positive ei tenebras inferre, quales in conceptu D. Jægeri existunt; ac multo minus statuere id tale existere. Quando abstrahitur *æternitas* à Deo, conceptus qui restat de eo est conceptus *tempori accommodatus* secundum prius & posterius, ut norunt tirones præ hoc magno Philosopho, qui alios *ignorantiæ* & sæpius *stoliditatis* tanto cum supercilio accusat, dum re vera utrâque non raro scripta sua, nec parce, adspersit. Neque tamen propterea quando considerantur in Deo actus priores & posteriores, antecedentes & consequentes &c. dixerit ullus, nisi forte Jægeriano animo, Deum ita per *dogma infaustum*, *impium* & *infernale* statui temporarium. Stolidiores id non dicerent. Quæ de anima noster interseruit, & ipsa quoque falsa, alibi (*a*) discutiemus.

(*a*) Infrà Cap. 5.

CAPUT II.

De vocibus ἀγράφοις in explicandis mysteriis SS. Trinitatis aliisque. De scientia divina; Generatione Filii Dei; & Tribus Personis in SS. Trinitate.

I. *Quorsum inserantur Controv. V. & X. Examinis. item in Editione altera nova IX.*

I. UT librum suum, ad omne bonum sterilem, D. Jægerus redderet spissiorem, placuit ei interserere non pauca, imo tota Capita vel Controversias integras, quæ me ac ea quæ scripsi minime respiciunt; veluti est (*b*) Controversia sua V. item & (*c*) X. quas nullo alio scopo videtur immiscuisse quam ut maledicta sua etiam de aliis quam de me, in publicum disseminaret, pro ut suo loco de X. specialius (*d*) ostendam. Eodem pertinet ineptissima illa in nova sua Editione fabula quam Editor ejus Hallwachsius pro IX. Controversia addidit, de Incarnatione Spiritus S. quæ tam ad rem facit quam si fabulas libri, de Insula Formosa idem interposuisset, ut hic numerum facerent. Sed putavit mihi maculam inde adspergi, si iniquos, vel insanos, vel impios mecum pro magistri sui propensione copularet, cui tamen, ut & sibi ipse, magis ita nocet ex rei veritate. Siquidem additionum ita cupidus erat, convenientius & pro suo patrono magis salubriter egisset interponendo Capitulum vel Controversiam de Caino, fratrem suo affectu odii pleno prosequen-

(*b*) Jæg. Ex. p. 73. ad 82.
(*c*) ib. p. 125. & seqq.
(*d*) Infra §. 12, 13. & seqq. hujus Cap.

quente, controverſias ei de omnibus ejus dictis factisque movente, omnia in ſiniſtram partem detorquente, & tandem eundem occidente, cujus vero Caininam progeniem nondum deſiiſſe, ſed reviviſcere in omnibus qui fratres ſuos ex odio perſequuntur, teſtatur Joannes Apoſtolus.

II. Tota Controv. V. D. Jægeri, An liceat in Explicatione Myſterii SS. Trinitatis uti verbis quæ in S. Scriptura non repe-riuntur, imo an idem in aliis etiam ſubjectis liceat; tantum abeſt ut ſit contra me, ut potius id ipſum aſſeruerim data opera, nec ſemel, in operibus quæ emiſi, ut videre eſt in Libro de Eruditione III. §. 74, 75. vid. & Cogit. Rationales Editionis tertiæ in Propoſitione XVI. Cap. VIII. pag. 355. ad 368. Verum D. Jægerus hac aſſertione pugnat contra ſemet ipſum (multosque ſui ſimiles ſocios Theologos, qui ſæpius Scriptoribus Myſticis aliisque vitio vertunt, quod aliis quam quæ in Scriptura contineantur, vocabulis uſi ſint. Fecit id ipſum D. Jægerus (*a*) ipſemet. Si dicant ſe vocabula illa reprehendere propter errores quos obtegunt; rationem hanc, quando vera erit, fatebor eſſe validam rejecti vocabuli cauſam: ſed ratio altera, quam adjungunt, quod vox ea in Scripturis non ſit, a Jægero ipſo qui tamen eam quoque adhibuit, hic contra ſe bene impugnatur. Dicam quod res eſt. Volunt illi ea ſibi concedi & licita eſſe, quæ aliis ipſi nolunt eſſe conceſſa & licita: quia hoc præceptum legis naturalis atque moralis, ut *aliis faciamus quæ nobis ab illis fieri volumus*, ipſis eſt cum mandatis etiam ceteris, *jugum inſupportabile*.

II. *Quod liceat in ſacris uti verbis quæ non ſunt in S. Scriptura. Jægerus in ſe pugnans.*

(*a*) Jæg. Ex. Th. Myſt. Cap. 23. & 24.

III. In Oeconomiæ Libr. I. Cap. V. §. 4. poſt quædam dicta de Ideis, quod Deus eas conſtituerit, atque adeo noverit, addo: *Idea hominis quæ in Deo eſt, non includit quotnam actu exempla ejus ideæ, ſeu* QUOTNAM *homines in mundo ſint futuri; nec* QUOMODO *ſinguli ſe geſturi ſint; quid unusquisque facturus ſit, & quænam ſingulis eventura. Deus quidem in ea* (hominis idea) *videt diverſitates infinitas combinationum ac varietatum poſſibilium & idealium tum regiminis, tum habitudinum, tum propagationum: ſed hoc ipſo tamen homo ad particularia iſta, veluti ad certum terminum propagationis, aut ad certum regiminis modum non determinatur.* Quæ ſane, vel teſte ſano cujusque ſenſu communi negari non poſſunt,

III. *Locum Oeconomiæ de Præſcientia Dei, difficultates graviſſimas præ vertentem abſurde impugnari.*

quin hoc ipso stabiliatur omnium rerum & eventuum fatalismus inevitabilis, & prædestinatismi ad singula eventa fundamentum, a quo vero D. Jæger & quotquot in suæ Religionis partibus sunt, aversi plane sunt. Hoc autem volui a radice resecare, ut hic paucis ostendi, sed pluribus in Libro II. de Peccato Cap. 4. & maxime in Libr. VI. de Providentia universali. Et sane ea res fuit non paucis gratissima, qui se eo modo difficultatibus non parvis expeditos esse testati sunt: sed quid hæc ad D. Jæger? Satis ei est, si pro invidiæ pleno scopo suo, quærat tantum omnibus quæ dixi & quæ ab aliis probantur, *obices* ponere, quod facile ex turbatis affectibus tenebras ubique miscendo, obtinere potest. Quæ hic opponit confusa in Controv. sua VI. pag. 82. &c. ea ex altera sua disputatione V. jam ante habita §. 8. ad 13. depromit ad verbum; & ut quaquaversum disseminaret, apposuit iterum eadem in Systemate suo Dogm- Polem. Tom. I. p. 257. Ceterum ob præconceptam animi sui contra mea aversationem minime capax est, qui quæ proposui bene percipiat, etiam si ea (quod non fecit) simul sibi coram animo sisteret. Non capit in Deo dari conceptum arbitrarium & scientiam liberam tantam quantam Deus vult: non attendit quando aliquid objectat, ad ea quæ his & multo majoribus difficultatibus respondi in Libro VI. Absurde (ut me *vertiginosum* dicat) objicit mihi consensum & *totius chori Patrum, quorum quidam pro veritate divina sanguinem fuderint*, (pro hacce controversia de ideis!) *& Theologorum omnium tum in Romana, tum in Protestantium Ecclesia.* Bene, consenserint in opinionem quæ problematica est, & ut talis consideratur; quid tum postea? an non licet meliora quærere, & si inventa sint ab illis dissentire?

IV. *Nec sine ignorantia aut memoria defectu.*

IV. Sed & hic D. Jægerus evidenter ostendit se aut ignorantia, aut memoriæ defectu laborare; aut simulare utrumque, ut mihi invidiam conciliet. Nemo tiro nescit quinam inter Theologos Ecclesiæ Romanæ scientiam, quam vocant, mediam, sustineant. Ipsemet Jægerus in Historia sua Ecclesiastica retulit nec improbavit hæc Petri Molinæi, magni inter Reformatos nominis, verba, ei ab aliis in memoriam revocata: (*a*) TUA SUNT, *inquiunt ei, Deum de omnibus & singulis eventibus decretum non fecisse: Non esse conveniens Deum decrevisse de graminum nume-*

(*a*) Hist. Eccl. Tom. I. p. 364.

numero, aut vermium ac culicum: hæc ipsa nec boni quicquam nec mali in se habere; nec ad Dei gloriam aut universi perfectionem facere. Ex Patribus autem, eorum omnium doctissimum, qui fuit Hieronymus, audiat noster sensa sic sua exprimentem: (a) *Absurdum est ad hoc deducere Dei Majestatem; ut sciat per momenta singula quot nascantur culices, quotve moriantur: quæ cilicum & pulicum & muscarum sit in terra multitudo: quanti pisces in aqua natent; & qui de minoribus majorum prædæ cedere debeant. Non simus tam fatui adulatores Dei ut, dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eandem rationabilium quam irrationabilium providentiam esse dicentes.* Qui hæc & similia sentiunt ex principio Venerationis erga Dei Majestatem, timentes ne eam deprimant, veluti & non pauci qui præsentiam Dei in omnibus locis sibi persuadere non audent ob illius reverentiam, quam obscœnorum respectu timent ne afficiant dedecore; quamvis ii in errore sint, an tamen propterea barbarum in modum condemnandi sunt, quando Deus eos non ideo amat minus, imo eorum mentis constitutionem, licet cum errore junctam, longe præfert immisericordi Doctorum rixatorum indoli, sterilibus & siccis veritatis ideis turgidæ. Ceterum quæ de his obiter hic tetigeram, ea potius Dei Præscientiam & providentiam de futuris quam de præsentibus scientiam respiciunt, de quibus omnibus ab ovo, ut ajunt, ac e fundo & systematice tractavi in *Libro Oec. VI.* ad quem remitto Lectores hujus argumenti penetrandi avidos, uti & ad librum meum *de origine idearum*; è quibus videbunt nullum superesse locum objectiunculis D. Jægeri, & ex ignorantia esse id quod dicit, has esse *otiosas subtilitates* & *otiosa verba*, ingentem fructum quem radices istæ parum speciosæ ac veluti terra obtectæ in ramis suis ferunt, animadvertere impotens. Earum veritatum ope, auxiliante Deo, emersi tandem, ut puto, ex abysso difficultatum, quæ circa mali originem & eventa, libertatis regimen, prædestinationis doctrinam me non parum antea constrinxerant. Quod & inde non paucis aliis etiam accidit, qui oculatiores sunt quàm ut cum D. Jægero hæc pro subtilitatibus otiosis habeant.

(a) Comm. in Abac. C. I.

V. Controversiam suam VII. pag. 86. ad 96: *Num Filius Dei per veram & realem generationem ex essentia Dei Patris sit genitus?* plane hic omittere potuisset D. Jægerus, si quocunque modo non

V, *De Filii Dei ex essentia Patris generatione ve-*

ra, nec dubitavit nec negavit quicquam P. non quæſiviſſet occaſionem obicem mihi opponendi meque denigrandi, conviciandi, fanatismum & monſtroſitatem, ut hic facit, adfricandi, etiamſi re vera nulla hujus rei eſſet hic occaſio. Neque enim de Generatione æterna Filii Dei ex Patris eſſentia vel ſubſtantia dubitavi, vel negavi quicquam. Fidei eſt illam propter Dei in Scripturis de ea teſtimonium credere, non autem comprehendere, quippe quæ ſit finitis intellectibus incomprehenſibilis, & quod proprium fidei ſit, incomprehenſa & non intellecta credere, non autem ea capere.

VI. *An & quî liceat ſua in his cogitata peculiaria proferre.*

VI. Sed nemo unquam adeo moroſus fuit ut impediverit vel improbaverit, ne quis ſibi quasdam de hiſce particulariores repræſentaret cogitationes ad ſimilitudinem eorum, quæ vel in rebus ſpiritualibus vel incorporeis ſunt; non ut cogitata ſua ſibi haberet vel aliis proponeret pro materia fidei, aut pro re ipſa incomprehenſibili; ſed vel pro pio mentis exercitio, vel etiam ad impediendum ne vel ipſe vel alii plerique materiales ac carnales nimis conceptus de generatione illa in Deo arcana ſibi formarent; tum ad hoc quoque, ut myſterium hocce negantibus, ſub ſpecie quod in eo contradictoria implicari dicant, ſuggererentur aliquo modo umbratili nonnulla, quæ illos a ſua illa concepta contradictione imaginaria poſſent revocare, eosque ut ſe fidei ſubjicerent, diſponere. Hæc fuit mea mens, communis mihi cum pluribus aliis ex optimis Patrum Doctorumque Chriſtianorum quorumvis temporum. Quid ad hæc D. Jæger in Controverſia quam hic mihi ſuſcitat?

VII. *De allatis contra Weigelium, Paracelſum & alios.*

VII. Primo adducit ſibi impugnandos Weigelium, Paracelſum, D. Arnoldum, Socinianos, qui plane omnes nihil ad me: intermiſcet me illis ex mera invidia, eo quod, ut ejus verba ſunt, (p. 87.) *a Patre Filium quidem genitum eſſe aſſerui, ſed per intellectum.* Deinde tres quatuorve paginas impendit contra Weigelium & Paracelſum (quorum libros de his nunquam vidi) quod, ſi ipſi fides adhibenda ſit, ſtatuerint in Deo cœleſtem Evam unde Filium genuerit; ac probat contra illos in Deo non dari differentiam ſexus veluti in ſubſtantiis corporeis. acute! Quid autem ſi illi tantum intellexerint, dari in Deo potentiam activam quidem generandi, paſſivam vero recipiendi in ſe genitum ſuum, ſive capacitatem & receptivitatem Filii in ſe; eſt enim

gene-

generatio illa in Deo immanens? Si hæc ita essent, pugnaret Jægerus in ventos & in vocabula, & frustra curavisset suæ alteri Editioni addi peregrinam triginta ferme paginarum dissertationem, in hac quæstione maxime occupatam; (a) *An divina essentia masculinum & fœmininum genus admittat?* Quæ vero mustacea ipse & suus Editor novus sibi sua habeant & servent: aut digladientur cum iis qui talia proposuere, & quorum forte cogitata fide Punica retulerunt minimeque percepta. Uno verbo, nihil ista ad me, neque ea volo mihi adoptare.

(a) Jæg. Edit. II. pag. 111. ad 139.

VIII. Ad me tandem accedens, sic infit, (pag. 91:) *Poireti sententiam quod concernit, illa quidem jam olim suos quoque patronos habuit, & hodie tota Scholasticorum turba eam defendit; sed nobis tuta non videtur.* Tum opportune silentio præteritis eo in loco Patribus & suo Luthero, qui in mea fuere sententia, sed in quos nolebat calumnias addendas cadere, opponit Sociniana pericula, consequentias absurdas & monstrosas, petit sibi quædam explicari, deinde cum Hæreticis Basilide & Marcione, ipsum Servetum Trinitatis oppugnatorem & vivum combustum SENTENTIÆ POIRETIANÆ socium adjungit hisce verbis: (p. 93.) *Servetus, qui tanquam oppugnator SS. Trinitatis Genevæ* VIVUS COMBUSTUS *fuit, per hujus* SENTENTIÆ POIRETIANÆ *cuniculos viam quæsivit ad destruendum illud Mysterium. Prælusere Basilides & Marcion, infausta in primitiva Ecclesia nomina:* in quibus nemo non videt D. Jægerum erga me Caininum plane animum aperte nimis denudare. Cur enim illos cuniculos, per quos Jæger asserit (sua quidem fide, quæ tota lubrica est) Servetum quæsivisse Mysterium SS. Trinitatis destruere, appellat *Sententiam Poiretianam*, potius quam *Sententiam Scholasticam, imo Patristicam* & *Lutherianam*, siquidem paulo antè observavit à *tota Scholasticorum turba eam defendi*, & mox, Patres quoque addit & ipsum Lutherum? dicit enim post verba ultima: *Interim non negamus quosdam Patres, imo etiam B. Lutherum in Cap. I. Genes. similitudine illa uti.* (Tantus Arndianus potuisset addere Arndium de Vero Chr. Libr. I. Cap. 1.) Cur igitur eorum sententia Jægero non erit, *cuniculi Serveto combusto ad destructionem Mysterii Trinitatis* inservientes, cur non *fanatica* illa, & *monstrositates* continens; eadem vero in Poireto id erit? Audite,

VIII. *Mira Jægeri duplicitas, qui sententiam eandem in P. atrocissime denigrat, in Scholasticis, Patribus, ipsoque Luthero excusat.*

quæso, hujus diversitatis rationem, & agnoscite inde, quî D. Jæger duas habeat mensuras & duo pondera. Lutheri & Patrum agendæ rationis hanc dat definitionem, quod sit, *Explicatio Mysterii qualitercunque per similitudinem.* Mea autem eadem agendi ratio ipsi est: *Voluntas determinandi modum substantialem æternæ generationis & spirationis:* vel si ipsa ejus verba vultis: *Aliud est, per similitudinem qualitercunque explicare mysterium SS. Trinitatis*, (ut Patres scilicet ac Lutherus fecere;) *Aliud, modum substantialem æternæ generationis determinare velle*; (quod de me subinnuit.) Atqui, pace D. Jægeri, falsum est me *velle* vel voluisse *determinare* illum *modum substantialem:* & verum est me per similitudinem *qualitercunque* explicare Mysterium illud voluisse. Sed cum in omni similitudine fieri debeat ejus ad subjectum suum applicatio, ego illam facere non dubitavi; & quando illam feci, monui aliquoties neque in hoc consistere id quod in eo Mysterio præcipuum est, & restare adhuc in eodem infinita nobis occulta & incomprehensibilia, teste vel ipso D. Jægero, qui paulo ante (*a*) hæcce mea verba retulit ex Oeconomiæ Libr. I. Cap. 15. §. 14. quod *sit abyssus quædam* (vel potius uti mea verba exstant,) quod *hæc ipsa abyssi sint quædam Mysteriorum captum superantium, in quorum evolutione seculorum omnium duratio venerabunda* (adorabunda) *semper occupabitur:* quæ vero me intellexisse de adorando Mysterio Trinitatis, Personarumque inter sese commercio, sive, ut Mystici loquuntur, fluxu ac refluxu Oceani illius immensi, ipse locus Oeconomiæ palam ostendit; licet D. Jæger, pro suo erga me animo, Lectoribus persuadere voluerit contra oculorum suorum testimonium, me id de *doctrina* mea sive de conceptibus meis dixisse, ut inde alio in loco (*b*) horribilem in modum in me, tanquam in hominem incomparabilis superbiæ ea de causa detonaret.

(*a*) Jæg. Exam. pag. 25.

(*b*) Jæg. Ex. p. 145, 146. & 182.

IX. *Indicantur SS. Patres aliique auctores venerandi qui eandem de Filii Dei generatione sententiam tenuêre.*

IX. Ceterum in Libr. de Eruditione solida Vol. II. pag. 168. & in Cogit. Rational. III. Edit. pag. 321. & seq. nominavi non paucos Auctores qui sunt in eadem mecum sententia, indicatis etiam eorum Scriptorum locis, quæ vero hic repetere nolim, tametsi nomina additis nonnullis, libeat recensere: Sunt autem e Patribus & Catholicis Scriptoribus: Greg. Nazianzenus (Orat. 26.) Ambrosius, Isidorus Hispalensis, Augustinus sæpius, Rufinus,

finus, Bernardus, Thomas Aquinas cum omnibus Scholasticis, Scotus Erigena; E Mysticis aliisque Hugo Victorinus, Savanarola, Suso, Rusbrochius, Taulerus, Harphius, Dionysius Carthusianus, Reuchlinus, Vives, Clichtoveus, Thomas a Jesu, Margarita Euangelica; è recentioribus, Fr. Salesius, Bernerius, Huetius, P. Betaut, Mr. de Saci in Genes., Mr. le Tourneux, le P. Martin in admirabili vita matris suæ Mariæ ab Incarnatione, &c. &c. E Lutheranis, ipse Lutherus (Jægero teste,) Gerhardus & Arndius. E Reformatis Mornæus, Keçkermannus, Alstedius, Leidenses Theologi, Maresius, Abbadie, Juriæus. Plures addere vel quærere, superfluum puto.

X. Quantum ad ea quæ objicit D. Jægerus, si illi aliqua pro Luthero & Arndio, ne dicam pro nonnullis Patrum vel Doctorum quos modo nominavi, veneratio inesset, debuisset sane objectata sua cum consequentiis de monstrositatibus inde proveniendis in gratiam illorum, vel supprimere si ipse ea dissolvere non potis erat; vel si poterat, solutionem eorum illico addere. Verum quicquid horum fecisset, obicum suorum Poireto ponendorum minor fuisset numerus. Minuam tamen illum & hac occasione, simulque Venerandorum Auctorum quos indicavi sententiam, quæ & mea est, ab oppositione D. Jægeri liberatam ostendam, idque eo magis, quod D. Jæger hanc petitionem formet moderatius quam alias solet, ita nempe:

X. *De objectatis contra eam: & de difficultate: Cur cognitio Dei Patris sit fœcunda, Filii non item?*

(*a*) *Assignet ergo, si placet Dn. Poireto, rationem, cur cognitio Dei Patris sit principium fœcundum ad intra, & productivum personæ modo generativo; & cur parilis cognitio in secunda Trinitatis Persona non sit eo modo fœcunda, & nova a se distinctæ personæ principium, cum etiam ibi detur cognitio.* Simile addit de Spiritu S. considerato ut Amore vel ex Amore producto.

(*a*) Jæg. Ex. Th. pag. 93.

XI. Responsio mea, pro pusillo & infirmo meo conceptulo, & salva Dei Triunius incomprehensibili ac inscrutabili Majestate, meaque erga illum profunda veneratione, hæc est. Cognitio Dei de se, qua Dei, non est productiva, sed tantum contemplativa, eaque Deus se ipsum novit ut Deum individuum: & quisquis novit Deum hoc modo, sine ulla præterea revelatione, novit simpliciter unum Deum *individuum*; veluti saniores e Gentilibus. Sed cognitio Dei de se, qua fertilis, qua Patris

XI. *Ad quam respondetur.*

 omni-

omnipotentis, qua deſiderantis omnipotentiſſime habere Filium, ſive imaginem ſubſiſtentem æqualem illi quam de ſe habet, ſive Filium æqualem ſibi, illa inquam cognitio omnipotenti deſiderio æqualis imaginis poſſidendæ, prædita eſt naturaliter & neceſſario neceſſitate omnipotentis deſiderii ſive voluntatis productiva. Jam poſito vel generato Filio æquali Patri, Filii cognitio qua Deus eſt, mere contemplativa quoque eſt, ſive ſui, ſive Patris ſui, eum concipias contemplari vel cognoſcere imaginem. Eadem ſui qua Filii, qua a Patre omnia habet, cognitio, ad contemplandum refertur, nec involvit deſiderium producendi alium Filium, quod vero Patris eſt, non Filii. Si quam deſiderat Filius imaginem ſibi æqualem in qua delectetur & acquieſcat, habet Patrem perfectiſſimum ac beatiſſimum, ſimulque ipſi ſufficientiſſimum, unde ejus deſiderium intelligens ad alium non fertur ex neceſſitate naturæ ac perfectionis ſuæ: refundit etiam omnia ſua gratus Filius in amantiſſimum perfectiſſimumque Patrem a quo omnia accepit, uti viciſſim Pater perfectiſſime contentus eſt illo perfectiſſimo Filio ſibi æquali ac ſui amantiſſimo, in quo delectatur & acquieſcit perfectiſſimè: quid ultra ad horum ſtatus complementum (ut ſic loquar) adhuc deſiderari poteſt & requiri, niſi ut ille *Amor* mutuus qui facit delicias utriusque, qui ex utriusque mutua communicatione exſurgit, & quo uterque in alterutrum veluti per *canalem* fluit, aut per *nodum* quo alter alteri indiſſolubiliter annectitur, (termini ſunt ſanctarum mentium) fiat per illos ſubſiſtens, atque adeo perſonalis, qui & ipſe jam principium cognoſcens & amans, recipiensque a Patre & a Filio eorum luminoſa ad delectabilia magnalia, eadem cum propriis ſuis infinite perfectiſſimis actibus ac modis in utrumque refundit, ac in hac ſui in illos refuſione acquieſcit? Neque concipi poteſt ullum horum Trium aliquid præterea neceſſario & naturaliter ad perfectiſſimum ſui ſtatum deſiderare; ſiquidem objecta & actus, & receptiones habeant in ſe mutuo abſolutiſſime perfectas ac beatiſſimas. Cognitio & amor Patris feruntur in Filium; cognitio & amor Filii feruntur in Patrem; cognitio & amor Spiritus Sancti feruntur in utrumque a quibus omnia ſua. Sufficiunt ſibi illi Tres. Cetera alia quæ præterea excogitari poſſent, neceſſaria non eſſent, ſed acceſſo-

cessoria, libera & ex abundanti. Quo verò etiam modo placuit, sine naturali necessitate & ex mero arbitrio ac beneplacito, potentiam, cognitionem & amorem suum extra se ferri in excogitando & cognoscendo rerum creabilium ideas, ac largiendo deinde illis ut existant & subsistant entia similia, quo sese in iisdem veluti in figmentis arbitrariis, cernerent & delectamentum sibi adventitium pro placito caperent Pater, Filius & Spiritus S. Qua verò de re pluribus alibi egi; neque plura hîc de SS. Trinitate quærere ac loqui intendo. Hæc si D. Jægero non satisfaciant, satisfacient, ut spero, melioribus, qui maluerint, & ego cum illis, SS. Trinitatem cum religioso intellectus silentio adorare & venerari, eidemque conari ut placeamus ac obediamus, quam de ejusdem profundis multa inquirere & loqui, secundum illud sancti viri Kempisii dictum (a) *Quid prodest tibi alta de Trinitate disputare, si careas humilitate, unde displiceas Trinitati? Vere, alta verba non faciunt sanctum & justum: sed virtuosa vita efficit Deo charum.*

(a) Lib. I. c. I.

XII. Hinc est quod mentes non paucæ sanctissimæ sibi & aliis interdixerint, tum profundiora circa hoc Mysterium scrutinia propria, memores hujus dicti; (b) *Scrutator Majestatis opprimetur a gloria*; tum particulariores de eo speculationes, ut taceam Scholasticorum cogitata circa suos in hisce terminos, illis forte, certe simplicioribus ac plebejis cunctis non intellectos, & laborem ipsis figentes siquando ipsis importunius inculcentur, aut sese in iis utcunque pro captu sibi concipiendis & repræsentandis occupare velint, id quod de celebri vocabulo *personæ* dicere licet, quem terminum sibi non intellectum confessus est Augustinus ipse. Certe boni plebeji ac indocti quando *persona* una vel plures quid sint sibi repræsentare volunt, concipiunt individua ad modum hominum, quæ ita per se sint, ut sibi unumquodque sua omnia habeat, nec essentialiter cum alio individuo uniatur, sit, cogitet, intelligat, velit, felix vel infelix sit aliis etiam non existentibus vel aliter dispositis. Ita naturaliter inter homines omniaque creata cetera, personæ singulæ: idque vocabulum inter eos nil aliud quicquam significat. Unde etiam factum est, ut optimi eorum nonnulli, qui terminorum Scholasticorum subtilitates nesciunt, quando de isto vo-

XII. *Quare sanctiores nonnulli particulariora de hoc Mysterio urgenda nolint? & quo sensu dicant tres personas in Deo non esse? Item de Trinitate practica.*

(b) Prov. 25. ℣. 27.

cabulo, veluti de re magni momenti, adhibendo vel judicando, importunius vexabantur a nonnullis rixarum candidatis, nihil pro captu suo responderint, quam improprie dici in SS. Trinitate esse *tres personas:* personas proprie (eo quo percipiebant communi ac humano modo) esse res finitas, neque in Deo proprie tales esse. id quod nemo non videt verissimum esse in sensu ab iis intellecto, qui inter plebejos obtinet. Hoc autem excidit dictum & scriptum piis inter alias mentibus Boëmii & Ant. Burignoniæ, quæ præterea non segniter suasit ut SS. Trinitatem, sepositis ac creditis profundis ejus mysteriis, consideraremus modo quodam practico nobisque salutari, quatenus est in Deo Patre bonitas, in Filio justitia, in Spiritu S. veritas. Has tres qualitates vel proprietates a nobis repræsentandas & imitandas, esse veram illam Trinitatem practicam, sive practico modo consideratam, (*a*) qua nos in omnibus occupare debeamus, agendo omnia cum bonitate, justitia ac veritate, ut placeamus Deo Patri bono, Filio justo, ac veraci Spiritui S. Falli omnes qui putant speculationes illas suas subtiles de Personalitatibus ac proprietatibus illarum idealibus & scholasticis circa SS. Trinitatem, sibi in veram & salutarem fidem imputandas esse, seque per hæc esse salvandos sine vera charitate sive bonitate & amore Dei, sine justitia & veracitate in vita ac moribus suis, & plura hujusmodi.

XIII. *Horum occasione Antonia B. gravissimos errores falsò imputat J. non sine conviciis.* (*b*) Jæg. Ex. Contr. X. pag. 225.

XIII. Horum nonnulla ut primum vidit D. Jægerus, impos sui factus, non tenuit modum nec mensuram. Erupit homo in clamores & impotentia maledicta, ex quibus integram (*b*) Controversiam composuit. Imputat illi 1. quod *nec tres personas in Deo vere & realiter admittat:* 2. *nec concedat quod charitas accendi in homine per hanc de tribus personis doctrinam possit*; & 3. *quod Trinitas in divinis nil aliud sit quam Bonitas, Justitia & Veritas Dei.* Et postquam loca duo manca attulit, effundit convicia ac maledicta, *furoris*, *impotentissima fœminæ*, *fastûs*, *effrænis superbia*, *impudentia summa*, *mentis non satis compotis*, *alloquia Satanæ habentis*, *fanaticæ impudentis*, *ex Diabolo* sua habentis, *stultitiæ*, *insanientis mulieris*, & si qua ejusmodi. Po-

(*a*) De hoc pluribus agit Liber Belgicus, *Onpartydige Gedachten over de Wezentlyke Dry-eenheid Gods &c. Adiacriti Sinceri. Lugd. Bat.* 1714. multa quoque alia continens quæ legi merentur.

Ponit falso D. Jæger eam quæ dicit intelligere de Mysterio ipso SS. Trinitatis, quod plane falsum est: etenim illa, quæ non pro doctis, sed pro plebejis scripsit, non sibi proposuit ut eis Mysteriorum fidem, non dicam tolleret, sed idealibus modis explicaret: sufficiebat ei si practica & salutaria illis potissimum inculcaret: de mysteriis vero, si crassos & falsos conceptus vulgares iis excuteret, prout olim eadem de causa & simili modo Augustinus ad plebem suam dicere cogebatur: (*a*) *Quandocunque* PERSONAS *appello, rogo vos, ne me putetis* PERSONAS HOMINUM *dicere. Ego personas in Patre, Filio & Spiritu* SANCTO NON DICO *quasi personas hominum.* De Antonia, vel ipse locus à D. Jægero citatus, sed nonnullis resectis, manifeste evincit eam nihil negasse, nisi in Deo esse tres Personas eo in sensu quem plebeji concipiunt de *personis creatis*, ac *humano* & vulgari modo conceptis. Locus est apud (*b*) Jægerum è lapide Lydio A. B. pag. 100. ita relatus: *Revera in Deo non possunt esse tres personæ: nam personæ sunt solummodo Creaturæ, nihil vere creatum potest esse essentia Dei.* Hæc clare manifestant quæstionem esse de *personis* sensu vulgari sumtis, sequentia autem quæ resecuit noster, id magis ostendunt: nam postquam illa tres Dei proprietates Bonitatem, Justitiam & Veritatem in Deo utilius considerandas commendasset, addit: *Certe arbitror hac doctrina multo magis homines ad Deum duci, quam* EJUSMODI *trium personarum* CONCEPTU; (sequuntur resecta à D. Jæger) SICUT *Catholici SS. Trinitatem depingunt,* SENE *nimirum, qui Patrem;* JUVENE, *qui Filium; &* COLUMBA *in medio horum posita, quæ Spiritum S. denotet.* Tum probat hoc ita esse non posse, *materiales personas in Deo non dari.*

(*a*) Aug. Serm. 189. De Trinit.

(*b*) Jæg. Exam. p. 126.

XIV. Atque ibidem de Mysterio ipso, agnoscit ejus realitatem, sed nobis incomprehensibilem, allata historia de apparitione Augustino facta infantuli totum mare in foveola continere volentis, cui addit: *Quamvis hæc* historia *fabula foret, hoc tamen* LONGE VERISSIMUM *est, nullum humanum ingenium quid sit* SS. TRINITAS COMPREHENDERE *posse. Quinimo, exigua fovea omnes Oceani aquas facilius caperet, quam hominis Mens* QUID DEUS SIT, QUID SS. TRINITAS *intelligeret. Etenim omnes omnium mortalium mentes simul junctæ non sunt nisi*

XIV. *Verba Antoniæ clarissima de SS. Trinitatis Mysterio tribusque in ea Personis.*

nisi minutissima arenæ granula, quæ grande divinæ Sapientiæ flumen ingredi nequit nisi quibusdam solummodo guttulis, quas animabus nonnullis instillat, queis sese communicare ipsi placet. Hæcne possunt esse verba hominis SS. TRINITATEM, quam inter realissima incomprehensibilia cum DEO ibidem componit, negantis? Ante locum alterum è pag. 104. à D. Jægero allatum, abstulit ille hæc verba priora & annexa: - - - esse *tres personas in SS. Trinitate: quæ sanè, quomodo sese habeat, nunquam ab humana mente comprehensa, nunquam capienda.* Eodem in Libro pag. 5. hæc habet illa: *Nititur* (adversarius) *ostendere me negare tres personas SS. Trinitatis; cum tamen certa sim me præ omnibus aliis ipsam magnifacere & venerari.* Sed sufficiat unum adhuc pro omnibus hunc locum proferre è Libro I. Lucis Mundi: Collatione 24. Is sic habet:

Non est cur inquirere debeamus ecquid sit SS. TRINITAS; *siquidem nemo capax sit comprehendendi eam, aut quî Pater Filium suum generet. Atque id eo magis, quod nemini opus sit aliquid scire præterquam id quod Deus ipsi injungit & mandat, quo ipsi gratum præstemus servitium. Quidquid præter hoc est, id vel inutile est, vel etiam malum; siquidem omne id quod de SS. Trinitate dicere vel concipere possemus, id non potest non maxime gloriam deprimere ejus essentiæ, vel τȣ̃* ESSE, *quod* EST SUPRA ID OMNE QUOD PULCHERRIMUM, *quod* OPTIMUM, *& quod* MAXIMUM *est. Nihil est quod cum Deo comparari possit: neque ulla dantur verba quæ nobis dare possint vel minimam Dei omnia comprehendentis significationem.* - - - Quo vero in loco asseritur non tantum existentia & essentia SS. Trinitatis realissima, gloriosissima, omnia pulchritudine, bonitate & magnitudine infinite superans, incomprehensibilitas Generationis Filii à Patre, incapacitas nostra eam comprehendendi & verbis exprimendi, imperfectio conceptuum & verborum omnium de ea; sed etiam, quod præcipuum est, id inculcatur maxime; periculosum esse & interdum noxium, velle in hæcce incomprehensibilia mysteria curiosius inquirere, neglecto officio quod Deus à nobis exigit, quod non est ut ejus mysteriorum naturam & secreta inquiramus, & ea cognoscamus, sed ut cognoscamus & præstemus officium quisque suum quod Deus exigit, ut illi grati & accepti simus.

XV. Atque hæc est causa cur illa hæc ipsa, de officiis nostris erga Deum præstandis, de abnegatione propriæ voluntatis, de traditione nostri Deo, de divino amore, de imitanda bonitate, justitia, & veritate quæ est in Deo Patre, Filio, & Spiritu S. ita tractaverit, eaque tam instanter ac unice commendaverit, ut videri possit aliorum Mysteriorum eam quasi oblitam esse, eo ferme modo quo Paulus dicebat, (*a*) *Non me misit Christus ad baptizandum, sed ad evangelizandum*, tametsi Apostolorum missio Baptismum, id quod Paulus hic non negat, contineret; sed ut minus præcipuum: Simili modo cùm Antonia B. hic ageret, eam SS. Trinitatis negatæ suspectam habuerunt incauti, ream sustinuerunt malevoli, veluti hic D. Jægerus, cujus objectata cassa esse & in ventos planissime conjecta nemo ex modo dictis non perspicit: clarius vero perspiciet quisquis voluerit ea inspicere quæ in Editione III. Cogitationum Ration. de Deo, Libr. III. in Cap. VIII. Continuat. meditatus sum, (*b*) ubi sensus varios vocis *personæ*, vulgarem, scholasticum, verum, Augustino olim mihique antea non bene cognitum exposui, illos à SS. Trinitate removi, hunc vere ei applicandum esse ostendi, quo quidem antea non frequentius utebar, sed nec eo abstinebam data opera, ut sine veritate mihi imputavit D. Jægerus hisce suis verbis: (*c*) *Quam frigide Poiretus de SS. Trinitate loquatur, & quanta cura* OMNES *illas in Ecclesia Christiana* USURPATAS VOCES *fugiat, testis est ejus Oeconomia.* Testis ergo sit mea Oeconomia hujusce Jægeriani falsi. Ibi legitur Libr. I. Cap. XIV. num. 19: *Sciendum est, naturam animæ, quæ extra Deum subsistit, non ex Tribus simul* PERSONIS (*qua voce* SINE SCRUPULO *utor*) *SS.* TRINITATIS *derivari: adeoque animæ naturam subsistentiamque ex iis non constitui.* Et Cap. XV. §. 12: *Quæ quidem* (antecedentia tria de Patre, Filio & Spiritu S.) *simul* (sumta) *sunt unus idemque Deus, natura unus, at* PERSONIS (*ut termino artis utar*) *seu* SUBSISTENDI *& cogitandi modis*, TRINUS. Citata è Cogitationibus Rat. & Liber De Idearum Origine, & rem & voces extra omne dubium collocabunt.

XV. *Cur illa de officiis nostris erga Deum instantiùs tractet quam de Mysteriis. De sensu vocis* Personæ *ubi actum. Aliud falsum Jægeri.*

(*a*) 1 Cor. 1. ℣. 17.

(*b*) Ad propos. XVI. Conclus. 4. pag. 362. & seq.

(*c*) Jæg. Exam. pag. 76.

XVI. Quantum ad ea quæ opponit Dn. Antoniæ ut contra eam ostendat *charitatem accendi in homine per hanc de tribus personis*

XVI. *Idem Antoniam vo-*

lens impugnare, pro illa contra se pugnat.

sonis doctrinam; non illa (ut facit Jæger) sed ipse *insaniens* in hisce suis dicendus est, quippe qui non modo non contra illam, sed & pro illa contra se ipsum hic pugnet. Illa per *hanc doctrinam* intellexit, ut ex præcedentibus patet, conceptus ac verba plebejorum humano & vulgari illo modo considerata, vel etiam, Scholasticorum & doctorum subtiles tricas, quibus ostendunt se ipsos nescire quid dicant & concipiant. Contra hoc non pugnat Jægerus, & ipsemet cum doctis sui similibus exemplo proprio & factis confirmat speculationes suas Scholasticas de Trinitate, eum prorsus charitate vacuum, imo affectibus odii, iræ & amatæ falsitatis plenum reliquisse. Postea se confert ad considerationes Patris Creatoris ac boni, Filium suum nobis dantis; Filii, ex amore se tradentis pro nobis; & Spiritus S. qui sit ipse amor, eorumque erga nos beneficiorum, unde concludit charitatem inde in animis nostris accendi posse & debere: quod plane est omnium verissimum: sed istæ considerationes non sunt plebejæ vel Scholasticæ illæ imaginationes & futilitates de quarum sterilitate agitur; sed sunt ipsissimæ illæ considerationes ex *Dei* BONITATE sive *Amore* & *Veritate* atque *Justitia* desumptæ quas maxime in SS. Trinitate, in Deo Patre, Filio & Spiritu S., & ab illo in nobis derivandas, proposuit ac commendavit divina Antonia, cui hoc modo vel invitus opitulatur bonus noster Dominus Jægerus.

XVII. *Articulus de SS. Trinitate qui sit essentialis.*

XVII. Nil dicam de sua conclusione pag. 134. *Articulus ille de SS. Trinitate, essentialis est*, inquit: an secundum conceptus humanos & imaginosos? *Quo stante*, pergit, *stat salus nostra, & cadente ruit totum ejus ædificium.* Nugæ, si de cogitatis vel crassis & humanis plebejorum, (de quibus agitur) vel de subtilibus tricis, imo de ideis sterilibus eruditorum in mero intellectu id intelligatur. Impii, imo & Diaboli, hunc articulum ita idealiter possident. Aliter res habet quando in SS. Trinitate Bonitatem, Justitiam & Veritatem contemplantur, venerantur, amant & imitantur.

XVIII. *Effatum Jægeri de his perabsurdum. De*

XVIII. Addidit D. Jæger affectatum cogitatum quo nihil unquam concipi potuit ineptius: scilicet: TRES *habet angulos cor nostrum*; *sola ergo* TRINITAS *illud implere potest.* Quis non miretur ineptias plusquam anthropomorphiticas, & crassis vulgi

gi imaginatis ineptiores hujuſce effati; quod *ſtolidum* & forte *blaſphemum* vel ſimile quid dixiſſet D. Jægerus in quovis alio. *Suſpiriis ejuſdem.*

Suspiria amoris ad SS. Trinitatem, quibus Controverſiam hanc claudit, minime conveniunt in perſonam quam egit eo in articulo, imo in toto libro. Hic & ubique falſa, probra, convicia & maledicta amara in proximum ore ſuo conjecit; & protinus ex eodem ore vult benedicere, vel potius, adulari Deo. Pugnant iſta, nec capitur Deus tam pigmentatis & inſociabilibus adulationibus. (*a*) Itane *ex eodem ore procedit benedictio & maledictio; Num fons ex eodem foramine fundit dulcem & amaram aquam?* Plane non. Videat, ſi placet, in Apoſtolo reliqua, conveniunt enim quam optime tali Controverſiarum Profeſſori atque tractatori, qualem paſſim ſe oſtendit D. Jæger.

(*a*) Jac. 3. ℣. 10.

CAPUT III.

De aſſumta à Filio Dei Humanitate ante lapſum.

I. D. Jæger, quo magis in invidioſo obices ponendi ſtudio pergit, eo magis excedit charitatis, imo rationis & moderationis limites, & abit in extrema. Facit ex quibusvis ſententiis innocuis dogmata Theologiam Chriſtianam evertentia, impia, ſcelerata, & è grano montes; ipſe autem quos camelos deglutiat minime perſpicit. Propoſueram in Oecon. Libr. II. & III. nec ſine fundamentis ac Scripturæ teſtimoniis, Deum ut cum homine quem glorioſum creaverat converſaretur, ac cum eodem ejuſque poſteris, ſi non peccaſſent, æternum ſe oblectaret viſibili modo, ex eodem aſſumſiſſe corpus & animam, & factum eſſe Filium hominis glorioſum, qui etiam cum eodem in horto converſabatur familiarius cum innocens eſſet; imo & poſtea quoque, ſed rarius, uti & cum Patriarchis, cum Moſe & populo Iſraelitico aliiſque de quibus ſacra pagina: quæ vero humanitas Filii Dei poſtea mortalitate noſtra ſeſe in Virgine Maria ad converſandum inter nos ſuperinduerit. Hoc, quod ſanctiſſimæ alicui animæ divinitus apertum fuit, propoſui, uti & ipſa fecerat, veluti ſententiam ſcitu ad ſalutem non neceſſariam, propter quam ſalus nec damnatio ulli ſit eventura, pro-

I. *Quid de hac propoſuerit P. & quàm impotenter id Jægerus ſuo more impetat.*

pter quam nullus magis minusve Deo gratus atque acceptus erit ſive admittat eam aut relinquat, prout ex ea majora Deum ejusque amorem, providentiam, ac curam hominis mirabilem agnoſcendi & laudandi, Scripturasque clarius interpretandi argumenta elicere poterit, aut ſecus. Hoc noſtro intolerabile eſt. Facit inde mihi *Examinis* ſui Controverſiam quæ Octava eſt, & quam recoxit maximam partem in ſuo Syſtemate Polemico Libr. II. pag. 17. Incipit a mendacio de me, ſcilicet quod (a) *aſſeram* SAEPE *& impudenter me habere Theologiam* EX IMMEDIATA REVELATIONE *divina*; nec tamen vel unum poteſt oſtendere locum ubi hoc aſſeruerim de me quod nunquam re vera cogitavi. Tum illico ſtatum Controverſiæ pervertit, mutat adiaphora in dogmata eſſentialia, extrahit quædam ex Scriptis meis paulo latius, ſed tamen adhuc deficientia; dein objicit ſua leviſſima, ne dicam futilia, & tantum non lectu indigna, cum crambe iterum repetita *immediatæ illuminationis:* atque hæc omnia ornat hinc inde titulis ei aſſuetis *ſtoliditatis*, *impudentiæ*, *delirii*, *ſuperbiæ*, *ſummi ſceleris*, *inſaniæ*, *fanatiſmi*, *phreneſeos*, *ſtuporis* &c. productis etiam Schwenkfeldio, Weigelio, & neſcio quibus aliis, quæ omnia in Jægeri noſtri armamentario copioſe adſunt, & ab eo ad uſus quotidianos, ne forte rubigine obducantur, paſſim adhibentur.

(a) Jæg. p. 96. (Vid. & 146.)

II. *De voce Incarnationis.*

II. Cum INCARNATIO *Filii Dei* ſemper ſignificaverit aſſumtionem carnis noſtræ mortalis, fragilis, infirmæ ac miſeriis hujuſce vitæ omnibus obnoxiæ, nec talem carnem Chriſtus ex homine primo ſumſerit, ſed glorioſum, potens ac immortale corpus, non bene ponit D. Jæger in Controverſia ſua ejusque aſſertione nobis applicata, Filium Dei jam in Paradiſo ante lapſum Adami *incarnatum* fuiſſe: negamus hoc: affirmamus aſſumſiſſe humanitatem glorioſam. Sed ipſe ex hac vocum perturbatione fallacem rixam infra parabit de duplici incarnatione.

III. *Et de objecta ſtoliditate Controverſiæ.*

III. Exorditur ab objecta *ſtoliditate* Controverſiæ. Conſentio eam eſſe ab illo ſtolide poſitam, eique ſtolidam rationem additam eſſe: Scilicet *quia hactenus totus Chriſtianiſmus* UNO ORE *confeſſus eſt quod Filius Dei in* MEDICUM *naturæ noſtræ--- fuerit demum poſt lapſum promiſſus*, *& quod* CARNEM NOSTRAM *poſt XL. pene ſecula aſſumſerit.* Quid inde? An hæc promiſſio ejus

ejus qua *Medici* & aſſumturi *carnem noſtram fragilem*, tollit priorem ſtatum? An huic omnium UNO ORE Chriſtianorum confeſſioni quicquam derogamus, eandem & ipſi confitentes? Vellet D. Jæger inſinuare quæri hic de fidei materia, ab *omnibus Chriſtianis uno ore* huc uſque confeſſa, quando tantum agitur de expanſione mirabilium Dei in ſuo regimine, quæ vero finem neſciunt: Deus enim promiſit olim ſe in ultimis temporibus detecturum uſque & uſque nova lumina, nova mirabilia in ſe, in regimine & in operibus ſuis; imo & hoc in omnem fiet æternitatem. Æquum-ne eſſet, quando & quoties id exequetur, ea rejicere per hanc Jægerianam rationem: *Hactenus totus Chriſtianiſmus* UNO ORE *confeſſus eſt* ſe hæc non agnoviſſe, & aliter putaviſſe?

IV. Proponit excerpta D. Jægerus ſolito longiora, ut ſibi fidem ſinceri diſputatoris conciliet: ſed fruſtra plane. Rationes & fundamenta non pauca ſententiæ meæ in præcedentibus ſunt, ut & in ſubſequentibus, quæ omiſit ille. Adverſarius aliquis bonæ fidei, vel ſine excerptis notaret verbis paucis ſuis adverſæ partis rationum nucleum; & ſi quæ ibi reperirentur quæ difficultates objiciendas ſolvere apta eſſent, vel notaret ea, vel ab objectionibus ſuis deſiſteret. Non ea eſt æquitate noſter, etiam quando mea verba refert. Quapropter lectores & hic velim rogatos uti nunquam ex eo ſperent diſcere quid ſentiam & quibus fundamentis innitar. Hactenus exemplis plus ſatis oſtendi minime ei fidendum eſſe ſi quis decipi nolit, & ſolus ejus in me hoſtilis affectus id evincit plus ſatis. Legant ergo mea ſenſa in Scriptis meis, bene attendendo ad antecedentia, ſæpeque ad ea quæ ſequuntur, ſiquidem de iis judicare ipſis placeat: ſin aliter, a judicando ut abſtineant poſtulo. Reſpondet autem noſter excerptis ſuis primo per convicia, deinde opponendo unam atque alteram murmuratiunculam, quibus diluendis ea quæ modo annotavi ſufficiunt.

IV. De excerptis à Jægero ex Oeconomia, & objectatis contra ea.

V. Objicit & *abſurda* multa ſequi, & *impoſſibilia* de penetratione corporum, *ſineque Scriptura* proferri quæ dixi; & *comparationes* quaſdam *de nube*, urget ad literam. Quæ omnia nil niſi ſpuma ſunt. *Abſurda* quæ objicit, in re ipſa non ſunt, quæ prout a me expoſita eſt, clariſſime concipi poteſt: ſunt tantum in

V. Eum perabſurde objicere abſurda, cujus opiniones de eodem ſub-

jecto absurdis scatent. in terminis & vocabulis quibus non uſus ſum, & quæ ille ad terrendos pueros adhibet, ſcilicet de duplici incarnatione, duplici humanitate, (duplici ſtatu unius & ejusdem debuiſſet dicere,) de duplici anima, (quod eſt inconſequens;) quæ & adhuc leviora, ipſe abſurdorum patronus quæritat, antequam incomprehenſibilia abſurda propria ſua compoſuerit vel de iis cogitet: quod ipſum abſurdiſſimum eſt; nempe in ſententia aliorum conceptu facili, & quæ ut ad ſalutem indifferens commendatur, velle abſurda quærere & objicere; quando ipſemet, in eodem ſubjecto, *de humanitate Chriſti*, tam abſurdas fovet opiniones, ut incredibile eſſet, poſſe eas in homines cadere, niſi exemplis permultis hoc factum conſtaret.

VI. *De Ubiquitate Brentiana.* (a) Syſt. Theol. Dogm-- Polem. Libr. II. pag. 283. vid. & pag. 51. ibid.

VI. Opinatur ſcilicet D. Jægerus cum Tubingenſibus ſuis, & contendit (*a*) cum Theologis Saxonicis, ut antea cum Gieſſenſibus, humanitati Chriſti, puta cùm animæ tum corpori, a tempore conceptionis ſuæ in utero ſacræ Virginis Mariæ communicatas eſſe proprietates divinæ naturæ, ut omnipræſentiam, omniſcientiam, & reliqua, ita ut ex eo momento corpus & anima Chriſti non in ſolo utero virginali, ſed in omnibus mulierum uteris, imo in omnibus locis re vera fuerint: quæ opinio adeo monſtroſa eſt, ut etiam aliquot fidei articulos deſtruat: Nam ſecundum eam, *Chriſtus non eſt natus ex Maria*; ſiquidem ante, jam a momento conceptionis, erat extra uterum ejus, imo & naſcendo ibidem manebat: *Chriſtus non eſt paſſus*, *nec mortuus*; nam Divinitatis idioma ſive proprietas eſt impaſſibilitas & immortalitas. Neque idem *ſepultus eſt*, *neque ad inferos deſcendit*; jam enim antea illic erat: neque *reſurrexit à mortuis*; immortale enim corpus ut non moritur ſic neque reſurgit. *Nec adſcendit ad cœlos*; quippe qui ante illic erat quoque a conceptionis momento: Neque etiam olim inde *venturus eſt*; jam enim adeſt ubique præſens. Et hæc quidem omnia adverſus Symbolum Apoſtolicum abſurditatum monſtra (quibus innumera alia addi poſſent) eo ſpectant, ut defendat Chimæram Brentianæ & Tubinganæ Ubiquitatis, ut ut ad probandam præſentiam Chriſti in Sacramento S. Cœnæ inutilis, quippe quam alii ſaniores Lutherani facillime ſolis Chriſti omnipotentis Verbis in ipſa Sacramenti conſecratione adſcribunt, quod ſane ſufficit. Ceterum ejus-

ejusmodi abſurdorum & Symbolo contradicentium reos nolim facere omnes, qui ubiquitatem ex uſu, bono & ſimplici animo ſine ratiocinationibus & rixis credunt. Sed homini rixatori, qui ubique, & in hoc ipſo ſubjecto, aliis abſurda quærit opponere, tametſi nulla ſint, abſurdum eſt idipſum facere velle dum interim ipſemet ea ſovet quæ abſurdis neque parvis neque paucis pullulant.

VII. Hæc ex occaſione objectionis ſuæ de *abſurdis*, uti & de *impoſſibilitate*, quam ultimam, uti & allatam ſpongiæ *ſimilitudinem* potuit videre ſolutu facilem ex nota ad imam pag. 64. Libr. IV. ex qua pagina ipſe objectionem ſumſit, ne dicam præterea ſimilitudines, veluti ea de *nube*, non eſſe ex omni parte urgendas. Quod dicat me *ſine Scriptura* proceſſiſſe, ſolus locorum conſpectus non minus vicies id falſi convincit. Sibi contradicit quando pag. 102. objecit, rem de qua agitur *fieri non poſſe*; deinde pagina ſequenti ubi allegavit locum in quo aſſero, poſſe Deo volente, reſpondet, ſui immemor, non eſſe quæſtionem de Dei *potentia:* abſurdum duplex! ſi quidem & ibi agatur de opere potentiæ Dei ſpecialis; & præterea, perinde eſt qua potentia aliqua res fiat ut ipſa dicatur poſſibilis. Quantum ad *apparitiones*, allegavi ex Scriptura earum plurimas hominibus ſanctis vigilantibus factas, horum converſationes cum Chriſto viſo ut homine durabiles, vel per annos quadraginta continuatas, ut illa cum Moſe, in quibus vero Chriſtus auditus eſt loquens, viſus moveri, pro oſtenſione vultus negata, oſtenſa manus, oſtenſus ipſe a tergo, conſpectus eſt a ſenioribus, & quid ſub pedibus ejus eſſet &c. D. Jæger hæc omnia putat ſe diſſolvere allegata viſione una in ſomnio, ubi Deus Pater ſub emblemate grandævi Senis Danieli Prophetæ dormienti repræſentabatur, tametſi Pater nunquam aſſumſit humanam naturam; item & alterâ, ubi Spiritus S. Joanni, tametſi columba non ſit, ſub columbæ ſpecie apparuit. Quæſo quid hæc duo emblematica ad reales converſationes ingenti numero ac aliis Scripturæ locis non paucis munitas? Hæc ſi nolit D. Jæger, fiat: non credat: id non eſt neceſſe cuiquam ut ſalvetur: ſed tamen abſtineat a probris & conviciis, ne inter illos inveniatur de quibus Judas Apoſtolus in Epiſtolæ ſuæ ℣. 10. locutus eſt.

VII. *Ad alia à J. objectata non ſine falſo & contradictione.*

VIII. Ne-

VIII. *Et ad lepidam ejus quæstionem.* (*a*) Jæg. Ex. p. 107. 108.

VIII. Neſcius quid obtrudat præterea D. Jæger, confert ſe ad cramben ſexcenties ab eo recoctam (*a*) *de illuminatione immediata in intellectu paſſivo & evacuato*, &c. & petit, *An hanc veritatem* habeam eo modo? Verum memor dicti, me aliunde primum habuiſſe, unde occaſionem ſumſi eam in Scripturis quærendi, & ibi etiam inveniendi, quærit ille porro; *Cur non in quiete & intellectu paſſivo expectaverim donec Deus ipſe in lumine ſuo eam communicaſſet?* Lepida & peracuta D. Jægeri jocantis jacula! Reſpondeo (Salomone id permittente) quia non licet motu proprio petere à Deo extraordinaria, & quæ ad ſalutem noſtram noſtrumque officium peragendum non ſunt neceſſaria. Sed ſi Deus ea ex ſe vel aliunde ſuggerat, accipere licet, iisque uti ad profectum noſtrum & ejus gloriam. Mitto nugas illius ceteras.

IX. *De ſententia Mennonitarum. Item de ſententia & Epiſtola Arndii.*

IX. Tandem advocat Mennonitas, Quackeros, Weigelium & neſcio quos alios, quos impietatis condemnat D. Jæger, quia dicunt materiam aliquam e cœlo formaſſe corpus Chriſti in Virgine Maria. Nihil video impietatis in hac ſententia licet neque vera ſit, neque mea. Sed operæ pretium eſt, ut D. Jægero, magno illi a teneris Arndii cultori (credat Judæus apella) ſignificem (quod forte melius ſcit atque vellet) exſtare Arndii (*a*) Epiſtolam Germanicam Amſtelodami denuo publicatam anno 1676. ſecundum apographum Dresdæ deſcriptum ex originali manu ſcripta Arndii, data 25. Decembr. 1599. ad Eraſmum Wolfartum Notarium publicum &c. In ea Epiſtola multus eſt ut probet, ſpeciatim ex loco 1 Cor. 15. ℣. 47. *Chriſtum aſſumſiſſe veram naturam humanam*, *Adamum cœleſtem*, *e cœlo*, quod tamen non vult intelligi localiter, ſed quod Spiritus Sanctus eam produxerit. Non improbat, ſed explicat ſententiam Paracelſi, Weigelii & aliquot aliorum; claudit autem notas ſuas hiſce

(*a*) Ea Epiſtola eſt ſine urbis nomine, ſed characteres eam oſtendunt. Conſtat 16. pagellis in 8vo. quibus additæ ſunt octo notarum ejusdem Arndii. Titulum dederunt Epiſtolæ Editores: Magnum Myſterium aſſumtæ humanitatis (*der Menſchwerdung*) Verbi æterni, in Epiſtola ad amicum ſuum Eraſmum Wolfartum, Not. Publ. Cæſ. &c. explicatum & conſcriptum à D. Joanne Arndt, olim Generali Superintendenti Lunæburgenſi.--- Nunc denuo Germanice prodit. [Eadem Epiſtola iterum ſub initium hujus ſeculi impreſſa exſtat Amſtelodami 1705. *Ultimis Beatæ Leadeæ horis* ſubjecta, ubi & in fine locus additur *Lutheri* hoc de Myſterio.]

hiſce verbis: *Qui hæc non intelligit, vel necdum attingere ea capax eſt, eum velim rogatum, ne hæc illico Diabolo adſcribat; neve cito judicet ea contra verbum Dei eſſe: ſiquidem Dei verbum ſublimius ſit quam tu & ego id capiamus. Exſpecta parumper, donec lumen tibi exoriatur; neque hæc contaminato miſera & inani proprietate imaginaria ſapientia tua.* Oſtendat nunc ipſo facto D. Jægerus, an aliquid Arndio deferat. Ceterum ex hiſce & ex tota Epiſtola ejus evidens eſt ſuboluiſſe ei ſublimius quid & occultius in Chriſti Incarnatione quam vulgo ſentiant; nec dubium quin ſi eidem & ceteris de quibus loquitur innotuiſſet myſterium illud, quod Deus haud ita diu aperire dignatus eſt, id toto animo fuiſſent amplexi, uti fecerunt eorum non pauci qui antea cum illis in eadem fuerunt ſententia adhuc non parum obſcura & velo obtecta.

X. Controverſia ſequens in Jægeriano Examine, quæ IX. eſt, & agit de Spiritu S., magis me non reſpicit, quam futilis illa fabula ab Editore Editionis II. Libri Jægeriani addita, de qua obiter ſupra (*a*) mentionem feci; niſi tamen excipias difficultatem circa finem controverſiæ (pag. 123.) a D. Jægero motam, cui vero feci ſatis in Capite quod proxime præceſſit. (*b*) X. *Verbulum de Controv. IX.*

(*a*) Cap. II. §. 1.
(*b*) §. 11.

CAPUT IV.

De Creaturarum Origine ex parte Dei.

I. QUemadmodum Deus non neceſſaria tantum nobis conceſſit, ſed & quæ vel omnibus poſſunt variis modis uſui & delectationi innocuæ inſervire, idque in operibus tam naturæ quam gratiæ; ita etiam permittit, quin & gaudet homines illa ſua abundantia diverſis modis uti, hæc adhibere ſibi, relinquere illa aliis, prout unusquiſque hæc vel illa ſibi condûcere vel placere experitur. Hanc varietatem creaturis Dei utendi tolerant inter ſe homines, nec ullus eſt qui alteri invideat, ut ſuo more hæc vel illa Dei beneficia externa adhibeat, alia quibus ipſe uti nolit permittat aliis ſuo quemque arbitrio adhibere. In rebus ſpiritualibus in quibus infinita ſunt & augentur magis ac magis, idem fieri deberet, ut unusquisque (non loquor I. *Abundantia mirabilium Dei in Natura & Gratia, libertaſque iis variè utendi ad Dei laudem, malè à quibusdam reſtricta.*

de necessariis) liberum alteri relinqueret usum de his meditandi, ex iis Deum laudandi & quasi gustandi in omnibus pro animi cujusque propensione, e Dei mirabilibus hæc aut illa, hoc vel illo modo, contemplandi, celebrandi, voce, scriptis &c. ut in natura, sic & in gratia, prout olim quoque in gloria. Sed quantum ad hæc postrema, exorti sunt in vinea Domini, in Christianismo, zizaniorum filii non pauci, qui omnes alios sub jugo suo & ad modos suos vel in rebus liberrimis adstringere voluerunt; & quos aliter constitutos repererunt, conati sunt rixis suis diffamare atque opprimere, haud aliter atque olim Cainus, qui non contentus cultu quem frater suus Deo vivo offerebat, quoniam non erat ad modum Caininum de fructibus terrestribus, sed de ovibus & adipe gregis, quæ sinceritatem & plenitudinem animi innocentis & candidi significabant, cum eo jurgari cœpit, nec desiit donec eum plane opprimeret.

II. *Poireti in iisdem exponendis scopus & institutum. J. omnia ceu capitalia invadit.*

II. Scit Dominus cordium scrutator me cum meditarer vel scriberem de ejus mirabilibus in natura & gratia, tum de necessariis, tum de iis, in quibus nobis reliquit libertatem multiplicibus modis cogitandi, me id eo animo ac scopo fecisse, ut occasiones & argumenta eum admirandi, venerandi, amandi, laudandi ac in eo gaudendi suggererem, tum mihi ipsi, tum aliis quibus meis cogitatis ad hunc scopum uti liberet, permittens iisdem ea dimittere, & alia ad eundem scopum adhibere, non dubitans quin saltem in iis, quæ liberiora sunt ac problematica, sinerent me uti libertate quæ inter probos & doctorum nomine dignos licita est.

Sed nec id mihi vel in istis concedere placuit D. Jægero. Quamvis enim quæ in hac sua de Creaturarum Origine, in sequenti de Animæ Ortu, aliisque annexis Controversiis agitantur argumenta ejus naturæ sint, ut & sua & mea de iis sententia, licet diversæ sint, æquis tamen animis tolerari possint; ille nihilominus ea haud aliter invadit quam si capitalia essent. Et in hac quidem Controv. XI. pag. 137. *Quis sit fons & origo creaturarum ex parte Dei*, quam repetiit maximam partem in (a) Systemate suo Polemico, ne statum quidem controversiæ neque rem ipsam intellexit.

(a) Tom. I. p. 142.

III. *Nullitas oppositionum ejus contra*

III. Vult primo insinuare, diversitatem sententiæ in hoc argumento, influere in Theologiam, & facere *miram Theologiam*, quod tamen non est verum. Dein-

Deinde tria loca ex Oeconom. Libr. I. Cap. 4. citat & decerpit, ſcilicet ex numeris 2, 5. & 6: quaſi hæc Controverſiæ decidendæ nucleum continerent; quod tamen non ita eſt. Omiſit non ex malitia, ſed ex ignorantia, aliquot lineas §. 4. ubi nucleus eſt. Præterea oſtendit, (pag. 148.) ſe verborum meorum quæ allegavit ſenſum minimè concepiſſe. Inſuper mea male intellecta amovet per poſitionem erroris ſui duplicis, de origine rerum, & de ideis in Deo negatis. His ita ſe habentibus, quid quæſo poſſunt eſſe omnia ſua objectata quam verba extra ſcopum, futilia, lectu & reſponſione indigna, imo virum probum minime decentia, quando me ibidem accenſet *fanaticis* quorum *indoles eſt fallere, mentiri, hypocritas agere*: meque in oratione qua Controverſiam claudit, *noctuam, ambitioſum, temerarium ac ſceleris* in hiſce reum nominat. Eſt ſemper Jægerus idem. *Caput Oeconomiæ quod hic impetitur.*

Neſcio utrum operæ pretium ſit hæc dilucidius & paulo latius exponere. Dicam in his quam beviſſime potero mentem meam.

IV. Cum Caput a D. Jægero vexatum componerem, animadvertebam dari inter homines, (& utinam non inter eos qui ſe Chriſtianos dicunt,) nonnullos qui creationem rerum a Deo, plane negarent, quales ſunt Spinoſiſtæ: alios qui dicerent, res quidem creatas a Deo procedere, ſed neceſſario, & ex ejus eſſentia & natura; qui error ſi tam teter non apparet quam Spinoſiſmus, eò tamen re vera ſequaces ſuos ducit, & præterea merum fataliſmum directe ſtatuit, ne plura ejus abſurda commemorem: & tamen ex doctioribus eum non pauci ſequuntur, eique implicant alios quotquot poſſunt, quorum ſane numerus accreſcit indies. Hoc autem pacto omnem pietatem & Religionem tolli, nemo non perſpicit. Ego autem iis conatus ſum obviam ut irem, ac eorum errores cum ſuis fundamentis ab imis radicibus, (ſi loqui ſic liceat,) everterem, poſitis melioribus quæ tam pernicioſos errores non ferrent. Nonne hæc ſatis legitima, utilis imo neceſſaria optimaque mihi fuit ſcribendi cauſa? Ut quid ergo D. Jægerus, horum omnium ignarus iisque parum idoneus adverſus me clamat, uti facit, (p. 143.) *Ad quid vero conducit ſententias tales confingere, quæ non tantum nihil faciunt ad* PIETATEM, *ſed etiam ſua natura abducunt a veritate? Quanto ſatius foret in ſimplicitate fidei acquieſcere, & lineam* IV. *Spinoziſmi & eò vergentium errores capitales quibus ibi occurritur. Quàm iniquè contra hæc obmurmuret J.*

Verbi divini potius sequi quam lascivientem rationem? & ludicra alia quæ adjicit! Quo non inducit hominem sua invidia! An ergo ægre fert D. Jægerus Spinosismum everti, vel subministrari principia, per quæ ab eo solvantur vel præserventur qui in periculo sunt? Eat vero ille, & Spinosistis ac similibus *simplicitatem fidei* vel *Scripturæ* pro principio eis adducat; & videbit qui ab illis sit excipiendus. Debuisset sane D. Jægerus, nedum hæc ignarum in modum diffamaret, eadem potius commendare, vel, si maluisset, omnino tacere, cogitando illud Scripturæ: (a) *Non contradicas verbo veritatis ullo modo; & de mendacio ineruditionis tuæ confundere.*

(a) Eccli. 4. ℣. 30.

Opposui autem hisce erroribus duo hæc principia, quæ latius alibi explicui: Alterum, Deum esse ens sibi se solo sufficiens, in cujus idea nihil alieni, sed mera Divinitas sit, ita ut Deus se solo contentus æternum sine ulla alia re & idea manere potuisset. Alterum, rerum ideas, quæ ex se nihil erant, esse a Deo ex mero arbitrio excogitatas, ad quarum similitudinem cum voluit omnia creavit. Quibus duobus nemo non videt destrui Spinosismum, & errores ejus similium vel eo appropinquantium.

V. *Et contra adhibita hic verba Joannis.*

V. Hæc duo indicantur breviter verbis meis a D. Jægero relatis. Improbat autem id, quod Joannis Evangelistæ verbis hic usus sim. Feci id in gratiam eorum qui Scripturæ adhuc aliquid deferunt. Ait Jæger, hunc non esse genuinum Euangelistæ sensum, veluti est in Chrysostomo & Arndio, quos adducit: Euangelistam voluisse Ebioni ac Cerintho sua opponere. Sit ita: Quis Christianorum nescit Scripturæ sensus ita profundos esse ac latos, ut verissime & secundum intentionem Spiritus Dei, possint ad plurima alia extendi, quam ad subjectum primum & directum, cujus occasione dicta sunt? Solusne D. Jægerus id ignoret, vel neget? Damnet igitur ipsius Arndii explicationem, qui, ipso teste, (pag. 148.) Joannem dixit ea protulisse *contra Archihæreticos Paulum Samosatenum & Sabellium*, qui tamen uno ac altero seculo post Joannem demum comparuerunt. Possem ostendere explicationem meam cum laudatis a D. Jægero in unum idemque redire, simulque docere ea quæ D. Jægerus obmurmurat futilia, imo male cohærentia esse: sed prolixior evaderem nulla necessitate.

VI. Nunc autem, post duo ostensa contra Spinosismum & eo propensos principia, fuerunt qui quærerent: *Quomodo potest inde deduci creaturarum origo?* Nam si Deus in se ipso nihil videt præter se ipsum, & hoc ei sufficit, eoque æternum contentus est; quomodo inde ad aliquid diversi, ad ideas scilicet a se ipso diversas, devenire potest, & consequenter ad creaturas? Qui se uno per naturam contentus est, & nihil naturaliter videt quam se ipsum; quomodo is de aliis quæ non sunt, cogitare potest? Hoc autem dicunt ut evertant Sufficientiam Dei in se ipso solo, & ut evincant ex eo principio idearum & creaturarum originem non posse deduci. Hæc illa est difficultas de qua est quæstio, & quam D. Jægerus non animadvertit, adeoque ex locis citatis omisit hæc verba Oecon. Libr. I. pag. 44. & 45. quæ difficultatem solvunt: *Ceterum Deus dum ita in se ipso Verbi sui, seu Ideæ ac repræsentationis suæ contemplatione gaudet ac delectatur, nihil* ALIUD, *sed se ipsum solum Deum invenit, perinde atque nihil* ALIUD, *sed se ipsum & solum Deum sibi repræsentari videt. Nihilominus tamen hic &* QUODAM MODO ALIUD *quippiam, seu potius* ALIUS *modus rei - - - invenitur. - - - Hæc vero idea* DIVERSITATIS *quam Deus in se ipso, qua repræsentante & repræsentato agnoscit, Deo occasionem dedit, (ut nostro intelligendi modo verba accommodemus,)* COGITANDI, *utrum &* ALIA *quadam ratione quæ à se ipso* DIVERSA *sit, se repræsentare possit. Et hæc quidem prima fuit* COGITATIO *quam Deus de* ALIA RE *quæ a se, a Filio suo, ab essentia sua,* DIFFERAT, *habuit. Non possum non in rebus istis omnino balbutire &c.* Quibus vero verbis objecta difficultas soluta est, ut meditantibus evidens est.

VI. *Difficultas alia à Jægero non animadversa, ibidem soluta.*

VII. Quantum ad objectata D. Jægeri, quoniam rem ejusque scopum non perspexit, ea non possunt non esse Andabatarum more, in aerem jacta, cum cœca intentione me forte tangendi. Sunt coccysmi sexcenties recantati simulque falsitatis pleni de Patre *sine lumine*, de *alloquiis divinis*, de *illuminatione immediata*, de *litera Scripturæ* quæ sit *corporeus modus*, de *rejecta* à me *ratione* (quam tamen ut ministram, non autem ut Dominam, semper admisi,) aliaque similia, quæ ei in buccam veniunt quoties nil habet quod ad rem dicat: sunt tamen & inter illa qua-

VII. *Objectata ejus in aërem jacta & mendaciis interspersa ac errore duplici:*

tuor alia, itidem falsa, quorum duo me respiciunt, duo rem ipsam utcunque & sunt D. Jægeri dogmata sive principia bina notabilia. Me respicit perversa interpretatio qua ille, quæ de Evangelista Joanne ejusque sublimibus cogitatis evidenter dixi, ea subire non debere judicium hominum qui sunt in statu carnali, quando Apostolus in statu erat luminis Spiritus S. adepti, vult persuadere, & quidem pluribus in (*a*) locis contra contextus mei claram enunciationem, dicta esse à me de me ipso meoque statu, ut me (*b*) *præsumtionis*, *stultissimæ arrogantiæ & cæcitatis* culpet, addito hocce incredibili mendacio, *me credere quod sublimiora dicere queam*, *quam Joannes inspiratus à Deo.* Altera ejus me respiciens censura, est etiam mendacium ejusdem naturæ & scopi. Interjeceram in hocce Capite aliquot humilis invocationis divini auxilii verba, pro dicendis vel potius balbutiendis à me in posterum, ut cederent ad ejus venerationem & amorem. Quid hic facit oculus benignus D. Jægeri? Vult hæc inspicere & ab aliis inspici ut Poireti GRATIARUM ACTIONES *pro insigni & sublimi illa veritate*, *quam supra omnes Doctores literales hauserit*, *maxime in explicatione citati loci.* Joh. I. ℣. I. Atque ut hanc superbiam à se ipso mihi imputatam castiget, præscribit mihi aliam *deprecationis* formulam, in qua, uti modo dixi, me *noctuam* & *sceleris* convictum introducit, promittentemque Deo *pro specimine pœnitentiæ* RETRACTATIONEM. O utinam D. Jægero oculi aperirentur, videretque quam opportuna hæc omnia ipsimet competant, eaque in effectum deduceret quo salvus fieri posset!

(*a*) Jæg. Ex. p. 146. & p. 182. &c.

(*b*) Jæg. p. 146.

VIII. *Scilicet* (1) *Plenitudinem essendi in Deo esse fontem creaturarum: quod Manichæismum sapit & ad Spinosismum ducit.*

VIII. Primus autem ejus error hac in materia, is est, hisce ejus verbis sententiæ meæ oppositis: (*c*) *Dicimus*, *quod fons creationis rerum ex parte Dei*, *primo sit plenitudo illa essendi* - - - *in qua continentur* TANQUAM IN RADICE *omnium rerum creabilium perfectiones longe eminentius quam in* OCEANO GUTTA *aquæ.* Alter error, ibidem: *Secundo*, *est Sapientia*, *quæ* ORDINAT *& disponit de* OMNIBUS *sine auxilio* IDEARUM *vel formarum*, *quibus non indiget illa lux infinita ut architecti creati.*

Ad primum errorem hæc annotanda sunt. (1) *Plenitudo essendi in Deo*, cum sit ipsi essentialis, sitque ipsemet Deus, nihil ex illa qua tali & naturaliter sequitur quam ipsemet Deus Filius, &

(*c*) Jæg. Ex. p. 143.

& Deus Spiritus S; & si creaturæ inde fluerent, Deus essent. (2) Si quid ad merum Dei arbitrium sequitur ac fluit ex plenitudine essendi in Deo, illud debet esse naturæ divinæ; nam nihil ex τῷ esse rei sequitur quam quod ejus τȣ̃ esse particeps est. (3) Unde consequens esset, omnes creaturas esse divinæ naturæ participes; quod vero de corporeis asserere, Manichæismum saperet, & duceret ad Spinosismum: de creaturis autem intelligentibus id arbitror esse verissimum, eas scilicet *esse divinæ naturæ*; tametsi D. Jægerus, ex cujus positione prima hoc ipsum sequitur, in posterum horrendo modo debacchaturus sit quando de animæ origine agetur, in hanc propositionis suæ propriæ necessariam sequelam, quam, pro more, ORCO protinus adscribet. (4) Ejus similia, de *radice*, *Oceano*, & *gutta*, id ipsum etiam insinuant: neque enim gutta in Oceano continetur *eminenter*, sed *materialiter*: quod si ad res spiritales transferas, id de materialitate metaphysica, hoc est, de subjecto vel natura intelligi debebit. *radix* quoque principia continet ejusdem naturæ atque rami prodeuntes. Omnia hæc Jægeri pro me contra Jægerum.

IX. Alter ejus error, quod *Deus* ejusve *Sapientia quando ordinat omnia & de iis disponit*, non habeat eorum IDEAS, idve SINE IDEIS faciat, intolerabilis est in homine tantisper philosopho, & implicat in se manifesto sibi contradicentia. Idem enim est ac si dixeris; Sapientiam, quando res *ponit* intellectualiter *in ordinem*, & cogitat *de illis disponendis*, non cogitare de rebus, nescire, non concipere, non intelligere illas: quod secum pugnat: Adeoque sapientiam esse insipientem, sive ignaram: alia contradictio. Quid enim aliud est IDEA quam *conceptus*, *repræsentatio*, *intelligentia rei in intellectu*? & quid est habere ideas rerum, aliud quam res concipere, considerare, contemplari, cognoscere, intelligere &c? Sane si quis istam idearum in Deo negationem more D. Jægeri excipere vellet, quæ non nomina stoliditatis, insaniæ, delirii, blasphemiæ, isti daret neganti propositioni: Sed absit ut eum imiter. Credo potius illum ex uno Aristotele in his sapuisse, qui cum Platonis sententiam de ideis in Deo non intelligeret, aut potius se intelligere dissimularet, motus invidia & desiderio novam Sectam contra Platonem erigendi, illiusque discipulos ab eo deterritos sibi alliciendi, ejus de

IX. *Deum ordinare omnia sine ideis, quod contradictorium. Hujus erroris causa.*

de ideis doctrinam ridiculum in modum exposuit, qua in re secuti sunt eum ipsius & suorum discipuli, quotquot Magistro suo, prout adhuc in usu est, fidem cœco more adhibuerunt, & supinum in modum plilosophari satis habuerunt.

CAPUT V.

De Origine Animæ, an sit ex nihilo.

I. *Hæc proprie huc non pertinere. Duæ quæstiones de anima.* (a) Contr. XII. pag. 151.

I. QUæstionem de Origine Animæ non ad Religionem, nec ad Theologiam, nisi naturalem intelligas, sed ad eam Philosophiæ partem quam Pneumaticam, alii Metaphysicam ejusve membrum dicunt, pertinere, fatentur eruditi. Placuit tamen D. Jægero eam in suum *Theologiæ Novæ Examen* transferre, ac inde ad verbum recantare in suo System. Theol-Polem. Tom. I. p. 161. tum postea sententiam de ea re meam (*a*) ORCO adscribere & inter *vanas, nocivas Christianismo, eumque destruentes* annumerare, eo scopo iisque modis quos nemo ignorat.

De ea re quæstiones duæ formari possunt, scilicet, 1. An anima sit naturæ divinæ? An si ita sit, ea sua natura facta sit ex nihilo per potentiam Dei: an vero orta sit vel fluxerit ex Deo ipso, quemadmodum, ut similitudine utar, ramus ex arbore, vel prout plerique Philosophorum & Theologorum censent, adhuc animas hodie produci à parentibus ex traduce, uti loquuntur? Notandum est autem eos qui hanc tenent sententiam de origine animæ ex Deo, id non extendere ad omnes animas modo immediato, sed ad solam primi hominis animam, quæ sola immediate ex Dei spiramine prodiit: ceteræ omnes ex parentibus per modum traducis veniunt, quanquam & ad originem ex Deo, sed mediate referri possint & debeant, haud secus ac nos omnes dicimur & sumus filii Adami & ex eo nati, sed mediantibus multis progenitoribus.

II. *Animam verè esse naturæ divinæ*

II. De naturæ divinitate, si in Deo considerentur hæcce ejus generalia, nempe, quod per naturam suam sit Spiritus intelligens, volens, liber & immortalis, dubitari nequit inter intelligentes quin anima eatenus re vera sit divinæ naturæ: quæ

quæ ſententia conformis plane eſt Sacræ Scripturæ quando aſſerit hominem ad imaginem Dei eſſe factum, ſive hominem referre Deum, hoc eſt eſſe talem, ut ex eo judicare liceat quis Deus ſit, quæ ejus natura ſit, nempe ex eo quod anima noſtra ſit ſpiritus intelligens, volens, liber & immortalis, Deum quoque eſſe talem. Et hactenus quidem naturarum utriuſque convenientia; eaque quod ad fundum invariabilis ſive nunquam mutanda, ut in Deo, ſic nec in homine: nunquam enim homo ſive ejus anima non erit Spiritus intelligens, volens, liber & immortalis. Vix opus eſſet ut dicerem, clarum eſſe me hic loqui de imagine Dei non morali modo, quatenus juſtitiam & ſanctitatem ſignificat, ſed modo naturali & phyſico conſiderata, cui deinde iſtæ virtutes ſuperimponi vel ab eo tolli poſſunt, manente tamen hac naturali imagine divina: ſed ſophiſtæ cogunt hoc uti moneam. *Deique imaginem.*

III. Quantum ad originem ejus, an ex Deo orta ſit, vel ab eo ex nihilo creata ſit, non eſt hic una omnium ſententia. Plurimorum olim & nunc opinionem eſſe eam ex nihilo creari, dubium non eſt. Sed nec minus certum, uti oſtendam, non paucos contrariam foviſſe ſententiam, & quidem inter antiquos Eccleſiæ Patres, Doctores, Theologos, ſanctiores quoque Myſticos, ac alios eruditione divina vel humana conſpicuos, quorum ego ſententiæ, quam cum veritate congruentem credo, acceſſi. III. *De origine animæ. Eam eſſe ex Deo ortam ſentiunt non pauci.*

IV. Notandum autem eſt, cautelæ gratiâ, cum anima dicitur eſſe vel fluere ex Deo, eſſe veluti ejus particulam, auram, ſcintillam &c. (1) hæc non debere ita concipi ac ſi ageretur de ſubjectis quantis, eorumque partibus quantitavis vel conſtitutivis, veluti, v. g. cum ex maſſa quadam ſumitur portio aliqua quæ cum reliquis totam molem conſtituebat, & ex ea ſumta portione conſtituitur alia maſſa vel pars quædam ejus: uti olim Manichæi ſibi imaginabantur portiones ſubſtantiæ Dei boni eſſe commixtas cum ſubſtantia mali principii, mundum & quæ in eo erant cum bono, conſtituentis. Vid. Oec. Libr. I. Cap. 10. §. 24. IV. *Ubi notandum:* (1) *Hic non eſſe partes quantitativas.*

V. (2) In rebus generantibus vel fertilibus, id quod ex illis eſt ad productionem rei oriundæ, & ex quo orta res eſt id quod eſt, V. (2) *Imo nec rem ortam*

proprie esse partem ejus unde oriunda. est, non proprie vocari *partem* neque rei producentis, neque rei productæ. Certe vel in rebus corporeis, in plantis v. g. in floribus, in animalibus, semina non dicuntur esse partes illorum; & quæ ex illis provenere plantæ aliæ, & animalia alia, non dicuntur esse partes priorum. In homine, absurde assereretur Alexandrum Philippi esse partem aut portionem aliquam, licet hic illum genuerit.

VI. *(3) Nec dari inter eas communicationem individualium principiorum, actionum & sensationum.*

VI. (3) Notandum, subjecta producentia quæ cum productis naturam suam communicant, non communicare illis propter ea propriam sibi individualitatem, vel, in intelligentibus, personalitatem, neque suas individuales facultates, sensationes, actiones & passiones, qualitates individuas. Absurdum esset dicere quod planta nata ex alia, animal ex alio, Alexander à Philippo, essent eadem planta vel pars ejus; idem animal, cujus actus, passiones, dolores, essent ipsi cum suo producente communes; idem humanum individuum, cujus cogitata, acta, sensa, bona malaque essent utrique communia, sic ut quæ fiunt vel accidunt Alexandro, ea agantur vel sentiantur à Philippo, ut absurde in quæstione & sententia de qua agitur, objiciunt oblocutores qui ipsimet credunt se & animam & corpus habere a parentibus suis per modum traducis, & tamen vident id non sequi in se nec in suis originibus quod objiciunt ut veritatem hic obscurent.

VII. *(4) Quid sit ista seminalis productio. Qui anima sit & creata & ex Deo orta.*

(a) Oecon. Libr. I. Cap. X. §. 25.

VII. (4) Quid ergo erit, inquiet aliquis, hic animæ ex Deo ortus, aut quî bene repræsentandus est? Certe illud novit solus Deus omniscius atque omnipotens; nec credo intellectum creatum etiamsi in integritate sua mansisset, id ex se ipso posse excogitare: cujus assertionis suo loco rationem (a) dedi. Quanto minus in quo statu sumus illud cognoscere possumus qui ne unius quidem pili in corpore nostro productionem concipere re vera quimus. Si tamen balbutire licet, meum imperfectissimum conceptum sic exprimam: Deum, qui est substantiale & liberum principium intelligendi, volendi & lætandi, voluisse ex hoc principio elicere vim & potentiam quandam veluti semen aliquod spirituale quod extra se poneret, ac indueret nova individuitate sive personalitate, hoc est, cui daret ut esset principium actionum & passionum propriarum regiminisque proprii atque

que liberi: quod ultimum, quia nullum antea fuit, *creatio* ejus eſt; primum autem ejuſdem naturæ *ortum* arbitrarium ex Deo indicat.

VIII. (5.) Patet hinc immenſa quæ inter Deum eſt & Spiritus productos, *differentia* tametſi ſint divinæ naturæ. Nam I. producti ſunt *arbitrario modo*, quod de Filio Dei ex Patre nato dici non poteſt. 2. Eorum perſonalitas vel *individua ſubſiſtentia*, quod habeant eſſe perſonale, proprium agere, & pati, id antea non fuit: donatum eſt eis *creatione ex nihilo*. 3. Iſtud principium, iſte fundus, iſtæ facultates animæ, intelligendi, volendi, ſeſe ad placitum regendi, vel, ſi vis, deſiderandi, intelligendi, acquieſcendi & lætandi, ac ſe libere regendi, *non* ſunt *productivæ* objectorum & terminorum ſuorum ad quos factæ ſunt. Objecta illa ſunt lumen infinitum & bonum infinitum, Filius Dei & Spiritus S. quos anima in ſe producere non poteſt veluti Deus id in ſe & poteſt & facit. Vel hæc una inter omnes differentia eſt inſigniſſime immenſa, quam tamen adverſarii mei diſſimulant, licet illam notabiliter (*a*) inculcaverim aliquoties ubi de his egi. 4. Imo nec animæ eſſentialis eſt ſive naturalis ac neceſſaria objectorum iſtorum poſſeſſio, ſive, non pertinet ad naturam vel eſſentiam animæ ut objecta ſua poſſideat, iiſve fruatur; quæ demum ipſi dantur ex gratia, ac ea conditione, ut ſi velit continue illis datis frui, continue etiam omnes facultates ſuas libere verſus ea convertat. Quod ſi facit, beata eſt continuâ Dei ſui gratiâ: Sin libere divinas illas facultates ſuas ab illis avertat objectis, vacua eſt, miſera fit, tenebroſa, anxia, damnata ex propria culpa. Qua vero de cauſa cùm mihi excidiſſet dicere, naturam illam divinam animæ noſtræ eſſe damnationis ac miſeriæ æternæ *fundamentum*, uti & vitæ etiam æternæ; prius illud ingentem clamorem adverſus me excitavit in noſtro Examinatore qui *fundamentum* ſumſit pro cauſa vel efficiente vel movente, quando ſolum ſignificat *ſubjectum in quo*, ſive ſubjecti capacitatem recipiendi, non actum ipſum vel cauſam ejus. Si quis poſtulet, qua de cauſa bruta animalia non ſint beatitudinis cum Deo vel damnationis æternæ uti dæmones capacia: reſpondetur optime, quia non habent animas divinæ naturæ, quæ ſolæ illarum capaces ſunt.

VIII. (5) *Differentia immenſa quæ eſt Deum inter & ſpiritus creatos. Quo ſenſu divina anima natura fundamentum dicatur damnationis ejuſdem.*

(*a*) Oec. Libr. I. Cap. X. §. 20. Cap. XIV. §. 7, 18, 19, 20, 22.

IX. *De probationibus hujus sententiæ: eas non posse esse Mathematicas.*

IX. Argumenta sive probationes meæ hujus sententiæ, dixi non semel me malle ex me quam ex adversariis repeti. Sunt autem in Oecon. Libr. I. Cap. 10. & 11, & 14. ad quod ultimum non attenderunt illi.

Notari meretur, probationes sive argumenta in hocce rerum genere non esse exspectanda qualia sunt ratiocinia Mathematicorum, quæ lectores vel invitos constringunt uti assentiant. In rebus Metaphysicis, iisque sublimioribus vel sola animi oscitantia, multoque magis aversio, vel versus inolita præjudicia propensio, sufficit ut quis se ineptum reddat ad eas capiendas, imo & ut mille obmurmurationes, re ipsa & in se absurdæ & è quibus se extricare non poterit, contra eas excitentur. Ego iis qui tales sunt non proposui Scripta mea: sed generosioribus ac liberis animis, qui veritates momentosas è fundamentis suis cognoscere sitient, iisque capiendis animum facilem ac docilem afferent. Voluissem ut ceteri quibus nihil dico nec commendo, ab illis legendis abstinuissent, & tacuissent. Sed hoc illis non permisit invidia.

X. *Objectionibus Jægeri per modo dicta locum non esse.*

(*a*) Jæg. Ex. p. 164.

(*b*) Vid. Suprà Cap. II. §. 9.

X. Ex modo dictis hîc ac in Libro Oeconomiæ, objectiones D. Jægeri nullam plane difficultatem relinquunt ingenuis Lectoribus, imo nec locum habent earum pleræque; tametsi ille aliquando tam absurdus est, ut *delirium* objiciat quando ipsemet evidenter delirat ac simul ignorantiam suam prodit, veluti cum dicit; *Quod supponit Poiret, nempe nostram animam esse repræsentativam adorandæ Trinitatis, adeoque etiam generationis Filii Dei, id inter deliria & somnia vigilantis referendum est.* Vidimus in testimoniis Patrum ac Doctorum aliorum non semel contrarium (*b*). Sed ut conviciorum fundamentum aliquod habeat Jæger, fingit id dictum non esse de imagine physice, sed moraliter considerata. Cetera objectata non meliora sunt; & crassa est nimis calumnia qua ille eodem de argumento me adspergit hisce suis verbis: *Et sane horrenda* BLASPHEMIA *est*, SUBSTANTIAM DEI *fingere componentem cum homine partem mutabilem, peccato contaminabilem, miseriis obnoxiam.*

Non me intellexit ille, nec intellexerunt adversarii mei, quæ mero contradicendi animo impugnarunt.

XI. *De opposi-*

XI. Id quod vel invitus dicere cogor de duabus Dissertationibus

nibus D. JOACHIMI LANGII, quas Jægerus Editioni II. Examinis ſui curavit inſeri. Qua vero occaſione de illo hic cogor aliquid dicere. *tionibus* Langii *earumque cauſis & iniquitate.*

Doctus ille Vir, cum Gymnaſii Berolinenſis Profeſſor eſſet, ac Libros meos *de Eruditione* legiſſet, ex iis fundamenta vel *principia* in ſuam *Medicinam mentis* aſſumta fuſiusque diducta & ampliata vel è præfatione laudaverat, veluti *quæ in Sapientiæ ſtudio antehac ipſum adjuverant*, *eique in conficiendo hoc ſuo libro profuerant*; interdum & alibi *Oeconomiam Div.* commendaverat, meique in modo dicta Præfatione mentionem fecerat honorabilem, ceu, ut loquitur, *ſummi ac meritiſſimi viri*, *in cujus Scripta cum olim incideret*, *magnopere ſibi gratulabatur.* Hæc, ubi ab eo publicata eſſent, excitarunt illico clamores contra ipſum & invidiam malignorum Lutheranos inter Theologos abundantium rixatorum; quibus autem ille territus, non tantum ex altera libri ſui Editione elogia illa & nonnulla alia ſuſtulit, cenſurasque aliquot oppoſuit; ſed, cum rixatorum ſuorum invidia contra eum indies creſceret, eos uti placaret, animi imbecillitate, ne quid gravius dicam, ſtylum ſuum adverſus me, indignantibus omnibus inter ſuos ingenuis viris, convertit tandem, tum in Scripto quodam Germanicè edito, cujus aliquot lineas deſcriptas tantum vidi; tum duabus de *Ortu animæ Diſſertationibus* publice habitis, in quibus ſi nulla ineſſent niſi difficultates quæ bono alicui animo in mentem ex lectione eorum quæ a me tractata ſunt, venire poſſint, nihil quererer: ſed quæſivit ille & iis quæ legitima ſunt, iniqui ſpeciem dare; & rem, quæ ex ſe tota eſt problematica atque indifferens, adducere per conſequentiarum hoſtilia artificia, in conſpectum plane horribilem atque diabolicum. Et horum quidem quæ nunc dixi, exempla libet producere nonnulla.

XII. Leviora ſunt, de quibus nec queror, cum, v. g. *lemmata* mea *marginalia* examinaturus, ad I. quidem hoc, *Hominis naturam neceſſario eſſe divinam*; opponit, ſe (*a*) *nullum in mea hujus lemmatis expoſitione videre ejus rei argumentum*, *niſi quod à naturæ divinæ - - - repræſentatione*, *ad quam anima producta ſit*, *ducitur:* petitque deinde, *an non ſpiritus diverſæ naturæ* id facere poſſit? Ipſi quidem videtur quod ſic: ſit ita pro illo: mihi vero videtur quod *illud quod imaginem Dei viventis*, *conſcii*, *liberi*, *ſupremi* XII. *Reſponſio ad earum nonnullas.* (*a*) pag. 587. Ex. Jæg. Edit. 2.

premi & independentis quoad fieri potest vivide ac perfectissime repræsentare debet, naturæ divinæ esse debeat. Vel sola libertas miraculum est & dos naturæ divinæ. Qui hæc nolit aut nequeat capere, per me licet. Non mihi sumsi id cuiquam intrudere invitum in animum. Nota sua ad Lemma II. nihil est. Ad III. non intellexit hæc verba contextus; *nulla materiæ communio esse potest cum Deo, quoniam naturam habet diversam.* Hæc non asserunt, ut putat, animam esse materiam. Sunt interjecta similitudo: hoc volui: quemadmodum *nulla materiæ communio esse potest cum Deo, quoniam naturam habet diversam - - - ita anima non posset cum ipso Deo commercium habere immediatum - - - nisi ipsa divinæ naturæ foret.* IV. Non id intellexit: agitur de præsentia Dei quâ interiora sua aperiat animæ, & animæ interiora in Deum refundantur &c. Atque ita de reliquis ejus objectatis, quæ si sibi conatus est insolubilia suscitare, aliis tamen debito modo mea meditantibus, talia non erunt.

Ad Dissert. II. §. 2. Non est candidi pectoris quærere rixari sine causa. Vitio mihi vertit quod, id quod rationibus evici, velim confirmare per Scripturam S. Ecquis est qui hoc in aliis non laudet quando id ipsum fieri potest? Animam immortalem esse, rationibus evincitur: quid inversi aut digni reprehensione si Scripturæ locis idem confirmetur? Male ibidem appellat *dogma peregrinum* quod neque proprie *dogma* est, (voce in Theologicis ad fidei theoremata vel morum regulas restricta,) & maxime intimum est. In §. VI. (unum ac alterum e præcipuis indico,) contendit, *spirationem* non esse *communicationem ejus quod est in intimis.* Vult probationes: Vel quivis idiota ipsi naturalissimam dicet & ostendet. Ego contis vel malleis id in ejus animum mihi data opera reluctantem intrudere nequeo. Paulo post contendit vocem אפים ad Filium non referri: referat, si velit, ad Patrem, & sequatur sensum quem ostendi Cap. 10. §. 24. Explicatio ejusdem vocis per *faciem*, & quidem non iratam (quo ad Filium applicetur) invenitur Gen. 3. ℣. 19: & Chaldaice, Dan. 2. ℣. 46. *Creatio & emanatio* (& hæc quidem non stricto & philosophico sensu, sed vulgari, quem significat Gallica qua usus sum lingua, *derivationem* simpliciter designans) ista duo, inquam, quî dici possint de eodem subjecto, de *anima*, diverso respectu, non

non ſemel ibidem oſtendi ac aſſerui, uti & hic loci paulo antè.

XIII. Et ex his tamen atque ſimilibus, eo tandem deferri ſe paſſus eſt ut hoſtilem in modum ſententiæ innocuæ imputaret ſex vel ſeptem concluſiones odioſiſſimas quæ in nullius boni lectoris mentem unquam veniſſent; ſed quas ſingulari ſtudio quæſitas & inventas eſſe oportuit ab animo peſſimam quantum fieri poteſt rebus ſpeciem inducente. Vel ipſe iratus D. Jægerus ad iſta extrema hîc procedere noluit. XIII. *De concluſionibus odioſiſſimis ſententiæ innocuæ imputatis, & de earum probationibus.*

Ea exſtant in ſua Diſſ. I. à §. 23. ad 30. ſuntque ſequentia: nempe, quod *hypotheſis de emanatione* (de ortu oportuit dici) *animæ e divina eſſentia pugnet*, 1. *Cum doctrina de Deo*: 2. *cum doctrina de Divinitate Filii Dei*: 3. *cum doctrina de Creatione*, *introducendo* αὐτοθεϊσμὸν *humanum*: 4. *cum doctrina de lapſu*; 5. *de incarnatione Filii Dei*: 6. *cum practico ſalutis ordine & cum mediis ſalutis*: & 7. *cum doctrina de æterno exitio*. Quis, quæſo, ad iſta totus non horreat; nam de doctrina ipſius Antichriſti vix pejora dici poſſent. Eane commeruiſſe *virum* olim *meritiſſimum*, *in cujus Scripta cum incideret* D. L. *de eo ſibi magnopere gratulabatur*? jam-ne autem ut aliis inviſa & odioſa ſint, efficere his modis ſibi gratulandum videbitur? Deum cujus veritati ſincere cupivi inſervire, Judicem mihi eſſe gaudeo: eundem aliis propitium & condonantem opto. Equidem ſeptem illa horrida, quæ modo recenſui, legitima eſſe, aliquibus adjectis verborum lineis probare contendit eorum illator: Sed, nedum hæc in divino judicio ſubſiſtere poſſent; ea vel ſoli humano adeo nulla apparent ac ſunt, ut quæ modo pauca cautelæ gratia prænotavi iis funditus difflandis ſufficiant, ne ad ea provocem quæ fuſius in Oeconomiæ locis aliquot occurrunt. Hac ipſa de cauſa nec ceteras ejus neque D. Jægeri objectationes hic recenſere atque refutare duco eſſe operæ pretium, quippe ineptas quæ boni lectoris animo ad ea quæ & ibi & hic dixi attendenti, crucem poſſint figere.

XIV. Ad Scripturæ loca quæ excipiunt, hoc potiſſimum deſtruuntur obſervato, ſuperius (a) jam a me notato, de Scripturarum ſenſus profunditate & amplitudine. Deinde & hoc notandum eſt; Scripturarum locutiones, quibus dicimur *facti ex flatu* ſive *inſpiratione* Dei, *Filii Dei*, ipſe *Pater noſter*, & ſpeciatim *Pater Spirituum*, nos vero eſſe *genus Dei*, & ſimiles quas miris XIV. *De exceptionibus ad loca Scripturæ.*

(a) Cap. præced. §. 5.

miris exagitant modis, manere immotas quamdiu non ostenderint easdem omnibus rebus creatis ac ipsis brutis, nobiscum esse communes; quod nunquam efficere poterunt: nam in loco Ps. 33: ℣. 6. *Verbo Domini cœli firmati sunt*, id quidem ad omnia creata pertinet: sed quod sequitur; *& Spiritu* ORIS EJUS *omnis exercitus eorum*, id ad angelos, ejusdem divinæ cum anima originis & naturæ, referendum est. Observandum est quoque non sufficere ad vim veritatis sentiendam ut argumentorum sive ex ratione sive e Scriptura unumquodque seorsum consideretur cum conclusione speciali, sed ut simul omnia uno quasi conspectu contueamur cum generali conclusione quam simul inferunt.

XV. *De testimoniis Philosophorum Gentilium pro hac veritate observatio.*

XV. Sed satis de adversariis. Vertam me ad benevolos, iis ostensurus Veritatis hujusce excellentissimæ fautores & fructus aliquot minime contemnendos. Non faciam meum producere ex antiquis Gentilium Philosophis nonnullos quibus notum & certum fuit, veluti Socrati, *Animam non solum esse Dei opus, sed & ejus portionem; non ab ipso tantum, sed & ex ipso & de ipso ortam; eam venire desuper; nos a Deo esse avulsos & fabricatos; exiisse a Deo; esse genus Dei: divinæ esse originis; animum homini ingeneratum esse a Deo; divino genitum semine; particulam auræ divinæ; imaginem ex ipso Deo delibatam ac profectam*, &c. quæ fusius apud (*a*) alios videri possunt. Velim tantum ad hæc notari nonnulla: nempe 1. Eos ista ab Ægyptiis & hos ab Hebræis habere potuisse. 2. Deum per se vel per bonum Angelum, siquos vidit bono animo esse inter illos, hancce notitiam uti & alias potuisse illis communicare: Ex S. Scriptura constat Deum istis modis se suaque interdum Gentilibus nonnullis aperuisse: vid. Gen. 20. ℣. 3. & 6. 2. Paral. 35. ℣. 22. &c. Neque mihi dubium est quin Genius Socratis bonus Dei Angelus fuerit. 3. Vocabula illorum, *portio*, *particula* &c. non materiali & crasso sensu esse interpretanda, uti jam dictum antea. 4. Ipsos potuisse hisce proprios errores immiscere vel iis addere, ut Stoicorum aliqui; qui vero errores nec universis imputandi sunt, nec cum rei ipsius veritate confundendi.

XVI. Di-

(*a*) Vid. Huet. Quæst. Alnet. de Concordia Rationis & Fidei Libr. II. Cap. 8. Pfanneri Syst. Theol. Gent. Cap. 7. & alios.

XVI. Digniores ſunt attentione noſtra antiqui ex Chriſtianis, eorum ſanctiores præcipue. XVI. *Producuntur pro eadem teſtimonia Patrum antiquorum.*

Juſtinus Martyr, Orationem ad Græcos, quam Bullus, Caveus, Scultetus, Labbeus, Tillemontius, pro certa habent, Dupinio licet dubia ſit, hiſce verbis claudit: *Soluta* (anima) *abit ad eum qui fecit illam. Oportet enim illam reſtitui* UNDE ABSCESSIT, *unde aliqua orta eſt, vel exiſtit.* ὅθεν τις ἐγένετο, ἤ ἐςιν. (1) Juſtini Martyris,
In Dialogo cum Tryphone Judæo, huic Juſtinum interroganti: (a) *Quæ vero nobis eſt* CUM DEO *cognatio? Num & ipſa anima divina & immortalis eſt, & illius Imperantis Mentis particula?* (τοῦ βασιλικοῦ νοῦ μέρος;) *Atque ut illa Deum videt, ſic & nobis permiſſum eſt mente noſtra divinitatem complecti, & exinde jam nunc beatis eſſe?* Reſpondet Juſtinus: *omnino, inquam.* (a) pag. 221. Edit. Col. Brand.

XVII. Tatianus ejus diſcipulus, in ſua contra Græcos Oratione, Hieronymo & Euſebio laudata, hæc habet, (pag. 146;) *Verbum* (Λόγος) *illud ſupracœleſte, Spiritus à Patre genitus & Ratio* (λόγος) *ex potentia rationali* (intellectûs,) *hominem, immortalitatis imaginem, fecit ad* IMITATIONEM *ſui genitoris: ut, quemadmodum immortalitas apud Deum eſt, eodem modo* DIVINAM PORTIONEM (Θεοῦ μοῖραν) *participans, habeat & id quod immortale eſt.* Quæ procul dubio à Juſtino præceptore didicerat. XVII. (2.) Tatiani,

XVIII. Origenes Libr. IV. contra Celſum, (qui liber omnibus probatur) dicit hominem præſtare beſtiis ob rationem, (intelligentem animam,) à Dei Verbo ortam: *Liquet*, inquit, *nec in univerſum homines habendos pro vermibus* COLLATOS AD DEUM. *Nam Ratio* ORIUNDA *ab auctore* VERBO DEO, *non ſinit rationale hoc animal exiſtimari prorſus alienum à Deo.* Et aliquantum poſt, ubi reprehendiſſet Celſum malitioſe inſufflationem Dei in faciem hominis interpretantem, de eadem addit iſta; *Quæ* (inſufflatio) *ſic interpretanda eſt:* IMPARTIISSE *Deum homini Spiritum incorruptibilem, ſicut ſcriptum eſt: Incorruptibilis autem Spiritus tuus eſt in omnibus.* XVIII. (3.) Origenis,

XIX. Lactantius, Divinarum Inſtit. Libr. II. Cap. 12. *Ficto corpore, ſpiravit* [Deus] *ei animam de* VITALI FONTE SPIRITUS SUI, *qui eſt perennis. - - - Quandoquidem anima, qua vivimus velut è cœlo* ORITUR A DEO. Et paulo poſt: *Eſt e-* XIX. (4.) Lactantii,

nim [corpus] *quasi vasculum, quo tanquam domicilio temporali Spiritus* COELESTIS *utatur. - - - Officia sunt, ut hoc quod est ex cœlo* ET DEO, *imperet.*

XX. (5.) Hilarii, (a) Enarr. Pſ. 62.

XX. Hilarii verba ſunt: (a) *Et quidem uniuscujusque mens ad cognitionem æternitatis naturali quodam fertur instinctu; quia veluti insitum impressumque omnibus,* DIVINAM *inesse in nobis* ANIMARUM ORIGINEM *opinari; cum non exiguam cœlestis in se generis* COGNATIONEM *mens ipsa cognoscat.* Eundem, *quod nihil incorporeum* CREATUM *dixerit*, refert (b) Claudianus Mamertus.

XXI. (6) Gregorii Nazianzeni,

XXI. Gregorius Nazianzenus (verba refero Cl. Pfanneri in Syſt. Theol. Gent. p. 193.) Theologi nomen præcipuo quodam honore adeptus, *Hominem Dei partem esse atque superne fluxisse* affirmavit.

XXII. (7.) Prudentii:

XXII. Prudentius, poëta Chriſtianiſſimus, in *Hymno ante cibum*, de mente ſive anima dicit eam eſſe opus oris Dei, flante Deo compoſitam, fluentem de ſolio Patris: verba ejus ſunt;

(c) Libr. Cathemer. Hymn. 3.

(c) ORIS OPUS *vigor igneolus*
Non moritur, quia FLANTE DEO
COMPOSITUS, *superoque* FLUENS
DE SOLIO *Patris artificis,*
Vim liquidæ rationis habet.

Idem in Hymno ante ſomnum, qui ſextus eſt:

Quia mens soluta curis
Cui est ORIGO *cœlum*
Purusque FONS AB ÆTHRA,
Iners jacere nescit.

In Hymno X. circa exequias defuncti, plura hujus generis habet, vel ab initio, tum in ſequentibus.

DEUS IGNEE FONS ANIMARUM,
Duo qui socians elementa,
Vivum simul ac moribundum,
Hominem, Pater, effigiasti.

Ut dum generosa caducis
Ceu carcere clausa ligantur,

Pars

(b) Libr. 2. de ſtatu anim. apud. Grot. de Satisf. Chr. p. 249.

Pars illa potentior exstet
Quæ GERMEN AB (*a*) ÆTHERE TRAXIT. (*a*) à flatu divino.

At si GENERIS *memor* IGNEI
Contagia pigra recuset;
Vehit hospita viscera secum,
Pariterque REPORTAT AD ASTRA.

Illic, precor, optime Ductor.
Famulam tibi præcipe Mentem
GENITALI *in sede sacrari*
Quam liquerat exul & errans.

Quæ in sua *Apotheosi* his non satis consentanea videntur, id volunt: *animam non esse Deum*; *non esse portionem vel partem Dei*; *non esse genitam de corde Patris sicut Filius Dei*; esse *creatam*: sed *ore Dei*, unde *fluxerit*; ac esse *flatum Domini*: quæ suprà dictis non adversantur.

XXIII. Audiamus & nonnullos ex iis qui secuti illos sunt ad ultima hæc usque tempora. Bernardus, Serm. 26. in Cantic. ubi animam cœlum esse dixerat, addit: *Nunc jam intueamini ejus gloriam, quæ & cœlo se comparat, & illi cœlo quod est tanto gloriosius quanto* DIVINIUS. *Nec immerito usurpat inde similitudinem unde* ORIGINEM DUCIT. *Nam si propter corpus quod de terra habet, tabernaculis Cedar se assimilat; cur non & propter animam,* QUÆ DE COELO EST, *cœlo æque similem se esse glorietur, præsertim cum vita testetur* ORIGINEM, *testetur* NATURÆ *dignitatem &* PATRIAE? - - - *Quid evidentius* COELESTIS *insigne originis, quam ingenitam & in regione dissimilitudinis, retinere similitudinem?* - - - *Cœlestis sunt ista potentiæ, non terrenæ; & quod vere* DE COELO *sit* ANIMA *quæ hæc potest, aperte indicant.* Et in Sermone 83. *Talis confirmitas maritat animam Verbo, cùm cui videlicet similis est* PER NATURAM, *similem nihilominus ipsi se exhibet per voluntatem.* XXIII. *Item eorum qui eos secuti sunt*, (8.) Bernardi,

XXIV. Taulerum si adduxero, testem & exemplum in eo meis adversariis non rejectaneum spero me habiturum, quando non ignorant quanti divinum illum virum fecerint Lutherus ipse, XXIV. (9.) Tauleri,

ſe, Melanchthon, Arndius, Spenerus, ne ceteros alios commemorem. Sic autem ille de hoc ſubjecto: (*a*) *Interior ille nobilis homo*, (animæ fundus & facultates internæ,) *ex præclariſſimo Divinitatis* FUNDO PROFLUXIT, *factus ad imaginem nobiliſſimi atque puriſſimi Dei: & ad eundem fundum, ſeu* ORIGINEM SUAM, *revocatur, invitatur, pertrahitur, ita ut omnis boni valeat eſſe particeps: quodque Deus habet à natura*, (lumen, beatitudinem, gloriam,) *id ipſe* (cujus natura hæc objecta non involvit naturaliter, ſiquidem ſit tantum viva & divina capacitas hæc recipiendi,) *adipiſci queat ex gratia.* (*b*) Alio in loco ubi ex Evangelio animam drachmæ comparaviſſet, addit: *Ponderoſa debet eſſe hæc drachma, & imagine ſua inſignita. Ponderoſa videlicèt, ut in* FUNDUM DEI RELABATUR *& demergatur qualis* INDE EXIIT, *tota videlicet pura, immaculata, tamque nuda & expedita ab omnibus uti* INDE PROFLUXIT. (*c*) Alio in loco hæc notabiliſſima profert: (*c*) *Hæc ſcintilla* (quam ante fundum & centrum animæ dixit) *modo bene ſe habeat, in tam ſublime fertur, ut eam intellectus ſubſequi non poſſit. Non enim quieſcit donec in* DIVINITATIS FUNDUM, UNDE PROFLUXIT, *&* IN QUO *necdum creata* EXSTITIT, *revertatur.* Quæ ipſiſſima idem alio in Sermone efficaciter hiſce verbis confirmat. (*d*) *Et Deus namque Spiritus eſt, & anima ſpiritus eſt: atque hinc perpetuam quandam propenſionem habet, jugiterque adſpirat reſpicitque ad* FUNDUM ORIGINIS SUÆ UNDE PROFLUXIT: *ex ipſaque ſpiritualis naturæ, ſeu ſpiritualitatis ſimilitudine in ſuam* ſe ORIGINEM, *cujus ſimilitudinem habet, reflectit atque propendet. Hæc propenſio illius* (animæ) *ad Deum* (fundum originis ſuæ) *nullo unquam tempore, nec in ipſis quidem damnatis ceſſabit.* (Ideo enim miſeri ſunt, quia deſiderantes bonum & beatitudinem, illis carebunt, eo quod illa non quæſiverint ubi ſunt, ſed alibi.) Et paulo poſt: *Tam ineffabilis ad Deum* AFFINITAS *& propinquitas eſt, ut multa hinc dicere* NEMO AUSIT, *nedum poſſit.* - - - *Quandoquidem Spiritus eſt Deus, creatus ſpiritus illi ſe unire & in increatum Dei Spiritum nuda & expedita mente ſe erigere atque demergere debet, ut quomodo* AB ÆTERNO FUIT INCREATUS IN DEO, *ſic totum ſe creatus referat in illum* - - - *ubi*, (inquit paulo poſt) *Spiritus in ſuæ* ORIGINIS *abyſſum raptus, aſ-*

(*a*) Domin. 5. poſt Epiph.

(*b*) Dom. 3. poſt Trinit. Serm. I.

(*c*) Dom. 13. Serm. 2.

(*d*) Dom. 19. poſt Trin.

aſſumtus, abſorptus eſt. Hactenus Taulerus, quem D. Spenerus Germanice edidit, ac in notis ſuis marginalibus ea ſubinde indicavit quæ ſibi quoquo modo cavenda videbantur, ſed ad iſta loca omnia, quæ germanico idiomate non minus graphice expreſſit quam hic latine exſtant, ne umbram quidem malæ notæ adjunxit, nedum terribiles illas ſeptem D. J. Langii concluſiones, aut aliquam ex iis, adſcripserit, quia alio ſpiritu ducebatur quam illo quo tentabatur D. Langius cum Diſſertationes ſuas componeret. Neque eſt quod objiciat (ut video factum) animam appellari ab illo *creatam.* De hoc enim neque dubitavit unquam ullus, neque eſt quæſtio; ſed an creata ſit *ex nihilo*, ut aliquoties monui.

XXV. Ceterum plures de veritate hac perſuaſos adducere adhuc poſſim, & credo non inutile fore ſi ſaltem aliquos indicem. Henricus Suſo, Contemplator divinus ac vir ſanctitate inſigni, in libello ſuo *de Novem rupibus*, (quæ totidem hominum ſtatus ſignificant,) refert, (Cap. 32.) quod poſtquam volente Deo ſe reſignaviſſet ad conſpiciendum *principium ſuum, mox illi Originis porta patefacta eſt, adſpexitque principium ſive* ORIGINEM, *vix momenti ſpatio.* Quo viſo extra ſe poſitus ob rei incomprehenſibilitatem & ineffabilitatem ubi Deo dixiſſet: *O ſi ex te ſciſcitari auderem - - quidnam viderim!* pro reſponſo habuit: TUAM *adſpexiſti* ORIGINEM. XXV. (10.) Henrici Suſonis,

XXVI. De eadem Gerlacus Petri, ob inſignem vitæ & contemplationis puritatem *alter Kempiſius* dictus, in divinis ſuis Soliloquiis, cap. 36. hæc teſtatus eſt: *Hic eſt fructus, effectus & finis* [omnium] *ut videlicet anima reducatur ad ſuam primam* ORIGINEM, *quæ* DEUS *eſt.* XXVI. (11.) Gerlaci Petri,

XXVII. Piiſſimi Abbatis Bloſii verba ſunt: (*a*) *Anima rationalis tantam habet cum Deo,* A QUO PROFLUXIT, *ſimilitudinem, ut ejus excellentiam nulla creatura capere poſſit.* XXVII. (12.) Ludovici Bloſii,

XXVIII. Nemo neſcit S. Brigittæ Revelationes ab Eccleſia Catholica ſolenniter pro vere divinis haberi, & ferunt ſane Sapientiæ verè divinæ characterem inſignem ac guſtum illis qui eas recto animo conſiderant. In earum Libr. II. Cap. 29. hæc leguntur: *Deus - - æternaliter eſt, & nunquam immutatur; & ex* XXVIII. (13.) S. Brigittæ,

 DEI-

(*a*) Oper. p. 310. Edit. Ant. 1632.

DEITATIS EJUS UTERO *omnes* ANIMÆ *rationales egrediuntur.* Et Libr. V. Interr. 15. ad quæst. 2. *Anima longe melioris naturæ est quam corpus, quia ex* VIRTUTE DEITATIS *meæ est.* Et adhuc Lib. VI. Cap. 21. *Redemi* [hominem] *in quo erat aurum pretiosum, id est,* ANIMA DE DEITATE MEA CREATA.

XXIX. (14.) *Auctoris* Margaritæ Evangelicæ: (*a*) Libr. I. Cap. 40.

XXIX. Consona his exstant aliquoties in insigni Libro *Margarita Evangelica* dicto, cujus Auctor divino lumine potiebatur: Exempli gr: cum rationem dare vult cur Christi anima tristis fuerit, hæc dicit, inter alia; (*a*) *Quia cognoscebat Sapientiæ suæ æternæ lumine animarum* [nostrarum, post lapsum miserarum] NOBILITATEM; *quam nobilis scilicet & intelligens anima erat, & quî illa erat substantia ex substantia divina:* (een wesen upt dat Goddelijk wesen/ ut habet Belgicum originale.) Titulus Capitis 1. ejus Libri II. est. *De nobili nostra origine unde profluximus*; & initio Capitis: DEUS *est nobilis* ORIGO *unde profluximus.* Et Cap. 5. dicit; *Unitatem summam animæ*, quæ est in Spiritu ejus, *esse & in Deo, & esse ipsum Deum, unde* CREATURALI *modo profluximus.* Porro Cap. 39. *In Divinitate videmus quam pura, simplex, immutabilis, amabilis, divina essentia* (wesen) *sit, ex qua profluximus.* Adhuc Cap. 46. De nobili parte animæ quæ dicitur, *Spiritus, apex mentis, scintilla*, item *nobilitas animæ: Hæc*, inquit, *ex Deo profluit, & in eum iterum refluit, manens nihilominus semper creatura. - - - habet æternam dependentiam a Deo in quo æternum fuit cum adhuc increata esset.*

XXX. *Nec non recentiorum*; (15.) Rob. Leightonii *Archiep. Glascuensis.*

XXX. Inter recentiores huic sententiæ addicti fuere, Rev. ac pietate insignis Archiep. Glascuensis Rob. Leighton, uti patet ex posthumo Prælectionum Theol. opere, ubi in Prælect. 5. quæ est de animæ immortalitate, ita infit (pag. 28.) *Imo, & quod illam* COELO ORTAM *maxime testatur, reditum in cælum sperat.* & pag. seq. anima ei dicitur, *hominis pars potior ac* DIVINIOR, *quæ seorsim in reditu ad* FONTEM SUUM *perbeatam agere posset ac perennem vitam.* In precatione vero qua pius Præsul *Orationem* suam *valedictoriam* concludit, has ad Deum fundit voces, (p. 236.) *Sed animas hasce* COELESTES ET DIVINÆ AURÆ PARTICULAS, *heu quàm profundo cœno immersimus! Neque iis denuo extrahendis, & a colluvie sua repurgandis par ulla est, præter tuam solius dexteram, Pater celsissime & benignissime.*

XXXI. Ac

XXXI. Accedit huic profundus ac ſublimis Anglus, non minus Theologus quam Doctor Medicus, Joan. Pordægius, cujus aliquot tractatus Germanice nuper tribus voluminibus (in 8vo. Francof. 1715.) prodierunt. In illorum altero, in tractatu dicto *Mundus Angelicus*, Caput integrum exſtat (nempe 2. Libri 2.) quod totum legi meretur de hocce argumento. Capitis ſumma eſt, *de æterno Angeli Spiritu, ac primò, de ejus Origine & materia.* Præveniuntur etiam ibidem difficultates omnium præcipuæ. Neque refert eum de Angelis, nos de anima hic agere; eſt enim una eademque communis utrorumque origo. XXXI. (16) Joannis Pordægii.

XXXII. His ſi addidero virum mirabilem, J. Boëmium (*a*) cum omnibus ejus defenſoribus, item & divinum Engelbertum, qui Deum immenſo igni, animas ſcintillis ex eo igne oriundis comparabat; horrorem equidem Dn. Jægero me incuſſurum minime dubito: at non ita (*) D. Langio, cui audio Boëmium aliquo in pretio eſſe, ea dubio procul de cauſa, quod D. Spenerus, licet tantum non ab omnibus ſuæ partis Theologis ſollicitatus ut eum virum ejusque Scripta condemnaret, non ſolum utrumque conſtanter recuſavit, ſed & potius iis pondus addidit inſigne quando publico retulit D. Holtzhauſii, primum Boëmii adverſarii, dein ex conſcientiæ in extremis eum angentis impulſu, pœnitentis ac priora revocantis, factum memorabile, de quo ſupra (†) mentionem feci. Quid autem nunc diceret Vir ille, D. Langio jam pridem venerabilis, D. Spenerus, ſi Diſcipulum ſuum videret Jac. Boëmii ſententiam (quæ ipſa mea eſt) de animæ Origine ita exagitare ac concluſionibus adeo tetris denigrare? Eane in illo mei reſpectu approbaret quæ Boëmii reſpectu improbaret maximopere? Vix crediderim. XXXII. (16.) Jacobi Boëmi & Joh. Engelberti. (*a*) Vid. vel unum ejus libr. Quæſtion. 40. de anima. (†) Libr. III. C. 6. §. 16.

XXXIII. Hiſce autem ſcio, minime movebitur noſter D. Jæger, cui nec magis placebit dictum Div. Virginis Burignoniæ obiter dicentis, (non enim, ut putat ille, hoc argumentum ullibi data opera tractavit,) (*b*) *animas germinare ex Deo veluti ramus ex radice* ſua: neque etiam ſequentia ſanctæ ac illuminatæ matronæ D. Gujoniæ: (*c*) *Obſervandum eſt, Deum nobis dediſſe,* XXXIII. (18.) Ant. Burignoniæ & *Dn.* Gujoniæ;

cum

(*b*) Lum. Mund. Part. I. Collat. 21. (*c*) In Cantic. Cant. Cap. 1. ℣. 1.

(*) [Vide Libri Germanici *Aufrichtige Nachricht* &c. Tom. V. Obſervat. 4. ubi D. Langius §. 4. totidem verbis aſſerit: Veriſſimum omnino eſſe Jacobum Boëmium habendum eſſe pro viro à Deo illuminato.]

cum nos crearet, PARTICIPATIONEM *ſui* ESSE, *quæ apta eſt ut eidem denuo uniatur*; *ſimulque impreſſiſſe tendentiam ad hancce reunionem.* & in Cap. 3. ℣. 10. *Fundus hominis trahit* ORIGINEM SUAM EX IPSO DEO, *eſtque factus ad ejus imaginem & ſimilitudinem.*

XXXIV. (19.) *Ipſius etiam* Jægeri.

XXXIV. Verum ne ejusmodi auctoritatibus exaſperetur nimis D. Jægerus, demulcendus eſt tandem & auctoritate nova aliqua ipſi hic inexſpectata, nonnullius auctoris qui ei eſt ſupra omnes alios quam maxime dilectiſſimus, & inſtar omnium. Habet ille cum ipſo nomen idem, & eadem opera, inter quæ & eſt *Examen* noſtrum, in cujus pag. 143. & 144. hæc profert oraculi inſtar: DICIMUS *quod* FONS CREATIONIS RERUM *ex parte Dei*, *primo ſit* PLENITUDO ESSENDI, *in* qua PLENITUDINE CONTINENTUR TANQUAM IN RADICE *omnium rerum creabilium perfectiones longe eminentius quam in Oceano gutta aquæ.* Hæc plura involvunt quam ſenſerim unquam: neque ſcio quid iis poſſit pro adverſario meo opponi niſi forte hoc: Ipſum Vatem cum hæc effunderet, oraculi ſui vim & ſenſum non intellexiſſe. Guttam enim in Oceano ita contineri, ut ſit cum eo ejusdem *naturæ* atque *ſubſtantiæ* parva particula, non ignorat ullus inter natos homines. Dixit & idem alibi: (*a*) *Animam tendere ad Deum tanquam ad ſuam* ORIGINEM: EX EO, *ceu primo principio*, *eſſe* EGRESSAM.

(*a*) Exam. Theol. Myſt. pag. 231.

XXXV. *Concluſiones quæ hinc fluunt Langianis oppoſitæ.* (1) *Debere nos amare Deum amore puro;*

XXXV. Claudo hoc Caput concluſionibus ex hac inſigni veritate fluentibus, atque ad Dei gloriam & animæ ſalutem facientibus ſeptem, oppoſitis totidem offendentibus ac noxiis quas perperam ei imputare voluit Diſſertationum a D. Jægero adoptatarum auctor, D. Joach. Langius, ſcilicet:

Patet hinc (1) Naturâ nos teneri *amare Deum amore puro*, filiali nec mercenario, haud ſecus ac infans vel filius genuinum patrem amat qui eum genuit. Aliter ſi facimus, monſtra ſumus naturæ reluctantia, ac ab ea degenerantia.

XXXVI. (2) *Indeſinenterque imitari.*

XXXVI. (2) Teneri nos imitari Patrem, indeſinenter anhelando ad *Filium & Spiritum S.* donec eos adipiſcamur. Ad hoc genuit nos Pater ex natura ſua. Hic finis eſt noſter unice ſummus, ut ad Deum Patrem redeamus pleni Filio & Spiritu Sancto.

XXXVII.

XXXVII. (3) Patet hinc fundamentum veræ *humilitatis* veræque a Deo dependentiæ noſtræ æternæ. Sumus natura noſtra fundus quidem & facultates capacitatis immenſæ ac *divinæ*; ſed hoc à Deo: deinde licet facultates ſint inſtinctu præditæ, ſunt tamen ex ſeſe vacuæ, niſi ad Patrem libere nos convertentes, recipiamus gratioſa ejus donatione Filium ſuum ac Spiritum S.; quos autem non daturus eſt, ſi ab illo ad nos ipſos ſuperba noſtri conſideratione nos convertere velimus: quo quidem pacto æternum vacui, tenebroſi, miſeri ac dæmones evaſuri ſumus. Hinc eſt quod omnis boni fundamentum ſit *humilitas*. XXXVII. (3) *Fundamentum humilitatis veræ;*

XXXVIII. (4) Sequitur & hinc *amoris* imo & venerationis *erga proximos*, fundamentum verum. Sunt illi ex origine divina veri filii Dei, deſtinati ut templa ſint & domicilia viva & æterna Filii & Spiritus S., Patriſque ad quem ſic pleni redibunt. Sunt nobis ſecundum optimam ſui partem fratres fraternitate divina in familia communis ſpirituum Patris, quibus proinde æque ac nobis auxilio, quantum fieri poteſt, eſſe debemus, ut officiis modo notatis fungantur, boniſque annexis fruantur. XXXVIII. (4) *Ut & amoris erga proximos.*

XXXIX. (5.) Patet inde etiam quis ſit *legitimus ſui ipſius amor*, quem unuſquiſque ſibi ipſe vere debet; ſcilicet, ſe ipſum velle conſervare Deo Patri noſtro veluti depoſitum vere *divinum* ad Deum pertinens; aut veluti ſe conſervat filius non degener ad Patris ſui obſequium & gloriam fratrumque commune bonum. XXXIX. (5) *Quis ſit legitimus amor ſui.*

XL. (6.) Patet quoque hinc ſola divina & *æterna* eſſe *digna quæſitione* ac dilectione noſtra, cetera non item. *Divina* ac pretioſa animarum noſtrarum vaſa, Deo ac divinis objectis recipiendis apta nata, occupare rebus creatis, tranſeuntibus, vanis, futilibuſque quiſquiliis quærendis, conſiderandis, admittendis, ſervandis, prodigioſius quiddam eſt, quam ſi pretioſiſſima vaſa aurea ac gemmea luto & ſtercori colligendo atque ſervando inſervire vellemus. XL. (6) *Sola divina eſſe noſtra dilectione digna.*

XLI. (7.) Denique hinc ſolide refellitur monſtroſa ac horribilis illa Antelapſariorum ſententia, qua dicunt, Deum voluiſſe ab æterno magnam partem Spirituum angelicorum atque humanorum producere ut æterna ac inevitabili damnatione torquerentur, idque (o horrorem!) ad ejus gloriam. Nollet pater ullus inter homines ut ut legibus ac ipſa æquitate ſolutus, liberos pro- XLI. (7) *Sententia Supralapſariorum incongruentia: ut & amoris infiniti Patris, Filium*

suum pro nobis tradentis, fundamentum. ducere eo ſcopo ut illos carnificibus cruciandos traderet: vel ſolus naturalis ac paternus inſtinctus horret id cogitare ut quis in ſe ipſum adeo ſæviat. Et Spirituum Pater Deus, coram quo omnium patrum terrenorum tenerrima bonitas & pietas exigua ſcintillula eſt, de natis ſuis ſimile quid vellet! Apage prodigioſum commentum! Sed neque Pater optimus ad eum uſque infinitum amoris gradum nos amaſſet poſtquam degeneres facti ſumus, ut pro nobis redimendis ipſum Deum Filium ſuum dilectiſſimum, ſibi æqualem & coæternum tradidiſſet, niſi vel anima una coram illo ejus pretii ac valoris eſſet atque dignitatis quæ omnem mundum corporeum, cœleſtem ac terreſtrem infinite ſuperat. Ecqui Sapientia divina, omnia aptiſſime ac convenienter ordinans, potuiſſet Dei Filium eundemque immenſum Deum tradere in λυτρὸν pro aliquo *nihilo*, ſi in illo aliquo vere non fuiſſet aliquid vere divini immortalisque generis, omnium creaturarum, nedum nihili, valorem excedentis? Quis ſanus redimere velit muſcas effuſione ſanguinis Filii proprii? In nihilum potius ſuum primum redigere æquum fuiſſet omnes animas quam ut propter iſtas muſcas (ſi divinæ naturæ non ſunt) moveret ac devoveret ſe Magnus ille Deus Jeſus Chriſtus ad mortem uſque patibuli: potuiſſent prioribus ad nihilum ſuum reductis, ex nihilo aliæ atque aliæ creari. Verum non ita: quia naturæ divinæ ſunt, annihilari non poterant: & cum Dei adhuc capaces manerent, ac Deo dilectæ iterum fieri poſſent, non pepercit Pater dilecto Filio ſuo, ut dilectos illos filios Filiique fratres, denuo acquireret potius quam miſeros æternum relinqueret. Væ poſthac filiis rebellibus quotquot per eum redimi nolent a vitiis & inobedientiis ſuis! Beati vero, ac Dii denuo facti reſtitutique qui divinum animæ fundum, cor & facultates verſus Deum vertent, ei reſtituent, eo occupabunt, ut (*a*) *fugientes ejus quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem*, *fiant* per renovationem *divinæ* ac glorioſæ *conſortes naturæ* unde degeneraverant.

(*a*) 2. Pet. 1. ℣. 4.

XLII. *Quanta anima ſit dignitas.*

XLII. Ea erit reſtitutio animæ in ſtatum dignitatis in quo creata fuit, qui tantus eſt, ut non poſſim quin eum paucis exprimam verbis animæ cujusdam ſanctiſſimæ cui illum parumper oſtenderat Deus. Sic autem illa in ſermonis ſui ſimplicitate (*b*) *Tunc* (in

(*b*) Angela de Fulginio, quam magni fecit Arndius. Vid. ejus Vitæ Cap. 27.

(in manifeſtatione ſcilicet divina) *animæ meæ fuit fuit facta repræſentatio ſuimet : & vidit anima ſemetipſam tantæ nobilitatis & altitudinis, quantam nunquam potueram cogitare nec intelligere; nec alias poſſem credere, quod anima mea, vel animæ quæ in Paradiſo ſunt, poſſent eſſe tantæ nobilitatis. Et anima mea non potuit tunc comprehendere ſemetipſam.*

XLIII. Plura hoc de argumento non libet addere, neque iis quæ de eo in Oeconomia propoſui, neque ad objectata contradicentium, relinquens quibusvis liberum, iis præſertim in quorum mentibus ſupereſt adhuc divini inſtinctus aliquid, ut vel eos audiant qui ipſis pro ſtirpis ſuæ origine non Regiam vel Imperatoriam, ſed Divinam plane radicem, fontem atque familiam aſſignabunt & digito oſtendent; vel iis adhæreant qui ipſos oriundos ex principio cum equis & mulis, imo truncis ac lapidibus communi contendere ſatagunt, murmurantes *philautiam* & *ſuperbiam eſſe* ea de anima noſtra ſentire quæ vel a Sanctiſſimis atque Doctiſſimis vidimus eſſe aſſerta. Non eſt *philautia* ea ſui dilectio quæ propter Deum fit, uti modo diximus. Non eſt *ſuperbia* agnoſcere ea quæ à Deo accepimus, quando eadem ad Deum unum deſiderandum, veluti ad ſolum objectum naturæ noſtræ excellentia dignum feruntur, ceteris quæ in mundo ſunt contemptis, ac tanquam quæ amore animæ divinæ indigna ſint, ſub pedibus conculcatis: aut ſi hæc *ſuperbia* dicenda eſt, ſancta atque legitima ſuperbia, imo ſalutaris dicenda eſt, de qua legi omnino meretur in Vitâ plane divinâ Stæ. Catharinæ Genuenſis Caput XIV. pene integrum.

XLIII. Philautiam & ſuperbiam hic fruſtra objici.

XLIV. Videt D. J. Langius me ſpei ſuæ ac voto de hominibus a mea ſententia ad ſuam adducendis nihil dare poſſe : ſimulque, ſi vult, agnoſcere poterit ſe nondum eousque in veritatis detectione & poſſeſſione perveniſſe, quò ſe perveniſſe putabat cum ſuas DISSERTATIONES duas componeret animo ſui tam ſecuro, imo etiam diverſo ab illo qui eum decuiſſet, ſi ex æquitate & ſine hominum reſpectu agere voluiſſet, tum erga me, qui de eo numquam male meritus ſum; tum erga ipſam de hoc argumento inſignem ac utilem veritatem, quæ utique ab ipſo minime meruerat, ut veluti *pugnans cum doctrina de Deo, de Divinitate Filii Dei, de Creatione, de lapſu, de incarnatione Filii Dei,*

XLIV. De Langii modo agendi cum voto.

cum practico salutis ordine mediisque salutis, *cumque doctrina de æterno exitio* coloribus vanis denigraretur ac condemnaretur. Opto ipsi meliora, & animum ab humanis respectibus liberatum. Interim si a melioribus hæc nobis eveniunt, quid non a malignis ac inimicis exspectare debeamus, judicet ac simul sibi ab his caveat Lector quisquis decipi noluerit.

CAPUT VI.

De Imagine Dei in homine; primi hominis Corpore; Uxore ex eo orta: & de Semine mulieris.

I. *De tractandis hoc Capite: & primò de Imagine Dei in homine.*

I. IN Controversiis XIII, XIV & XV. D. Jægeri, quæ triginta paginas occupant, nullus inest ordo, lux nulla, nullaque moderatio. Hanc ultimam tollunt passim injuriosi ac conviciosi clamores, ei ordinarii: pro ista, regnant ignorantia mira & tenebræ: Confusionem indicant non modo ad dudum dicta reditus & coccysmi perpetui, sed vel ipsa trium illarum Controversiarum dispositio. Media respicit animam hominis; extremæ, corpus. Incipiemus a media, sive ordine XIV. quæ est de Imagine Dei in primo homine.

II. *Turba extra oleas de Controversiis.*

(*a*) Jæg. Ex. p. 181. 182.

II. Vix tria loca ex aliquot Oeconomiæ Capitibus suo more lacerata de hoc argumento produxit, cum vult me (*a*) cum *omnibus Patribus veteris Ecclesiæ*, *& recentioribus Theologis Pontificiæ*, *Reformatæ & Lutheranæ committere*, plane extra oleas; atque etiam, extra subjectum. Quippe contendit Jægerus, (quæ mera sunt ejus somnia) quod illis omnibus *moveam Controversias:* me autem, in his præcipue, *Controversias* eorum respectu, habere pro *diabolicis*, eosque viros *pro Diaboli instrumentis*; respectu vero mei quando eas moveo, tunc *præsumtione & Dictatoria arrogantia* eas inter *divina* numerare. Falsa, contorta & absurda omnia.

Quid hic ad rem locus de *Controversiis?* Velletne D. Jæger ut nemo cogitata quæ habet de rebus etiam problematicis scribere ac publicare auderet si vel cum antiquis eadem non essent, vel cum libris Jægero Symbolicis non concordarent, nisi hoc ipso velit pro Controversiarum contra omnes suscitatore & pacis Reipublicæ literariæ vel Theologicæ perturbatore haberi? Absurdum!

ſurdum! Ego vero controverſias nulli unquam movi. In controverſiis dudum ante me motis, in argumentis nondum plene tractatis, ſimpliciter & pro libertate omnibus permiſſa, aperui ſenſa animi mei, liberum cuivis relinquens ea admittere vel rejicere: conatus ſum ubique ut omnia ad pietatem & charitatem redirent, etiam controverſias tractans, uti videre eſt ex *Irenico* meo *Univerſali*: quod potius eſt controverſias minuere quam movere. Ea de re habeo plus mille teſtes.

III. Sed horret hoc ipſum noſter Jægerus, Profeſſione ſua Controverſiarum rixarumve Theologicarum Tractator ſcabroſiſſimus: diſplicetque adeo illi *Controverſias* a me ſemel forte dictas fuiſſe *diabolicas*. Si tractarentur illæ eo animo, ſcopo & eventu, ut minuerentur, & tandem ad unitatem charitatis in Chriſto rediretur, quantum fieri poſſet, *benedictas* dicerem, imo *angelicas* iſtiusmodi controverſias. Sed, auctore ac teſte divino Apoſtolo Jacobo, (*a*) *diabolica* ſunt quæ fiunt animo invido, amaro & contentioſo: quando animus Caininus, invidia & odio turgidus, excitat, uti lupus olim agno in fabula, vel ex ipſo pacis & tranquillitatis argumento *controverſias* ſuas, trahitque, vel eas ex mendaci ſuo fundo, vel ex aliorum verbis detortis, falſatis, in contrarium ſenſum ſumtis, ad conſequentias odioſas adductis; quando item quæ indifferentia & innocua ſunt, convertit in eſſentialia & capitalia; quæ mere Philoſophica vel ſpeculativa aut ſcientifica, pro Theologicis fidemque ac Theologiam evertentibus traducit, frequentia ſuperaddendo iisdem convicia & maledicta omnis generis, quibus omnium horrori exponantur illi, qui iis modis per hujusmodi diabolicas controverſias invaduntur. Agnoſcat hic D. Jægerus ſuarum Controverſiarum indolem & characterem genuinum niſi plane cœcutierit. Sed ad rem.

III. *Qui illæ ſint diabolicæ, teſte Jacobo.*

(*a*) Jac. 3. ℣. 15.

IV. Velim notari, me imaginem Dei in homine *phyſice* conſideratam, dixiſſe eſſe in fundo divino & facultatibus deſiderandi, intelligendi & acquieſcendi cum libertate, quæ omnia pro Deo ejusque operationibus recipiendis facta ſint: *moraliter* autem ſpectatam, conſiſtere in hiſce omnibus quatenus Deo ejusque operationibus ſanctis repleta ſunt. Citavit noſter locum ex Oecon. ubi hæc omnia continentur hiſce verbis. (*b*) *In hiſce* (fundo intimo, deſiderio, intelligentia, acquieſcentia & libertate) *divino*

IV. *Imaginem Dei vel phyſicè vel moraliter ſpectari: hæc à Jægero confundi.*

(*b*) Jæg. p. 180.

divino lumine & amore penetratis, & plenis seu possessis, consistere IMAGINEM *primævam.* Et tamen mox ea dividit & confundit.

V. *Objectiones ejus additis pro more coccysmis & maledictis.* (*a*) Jæger. 182, 183.

V. Primo (*a*) repetit objectionem falsam de anima quæ sit *portio* vel pars divinæ essentiæ sensu Manichæo, quantitativo & proprie sumta: cui coccysmo, multis falsis, conviciosis & scurrilibus clamoribus condito, silentium supra jam impositum est.

Secundo, imaginem Dei *moraliter* considerans, vult sophisticè ostendere eam non consistere in his quæ dixi de eadem *physicè* spectata; atque ita objicit impertinentia (sit venia vocabulo,) coccysmos, nugas de vacuitate, desiderio, & similibus dudum supra deletis, adjuncto, ne Diaboli obliviscatur, doctrinam Poireti ex *inspiratione Diaboli* esse: imo & *abominabilem & blasphemam* & *impiam hypothesin* esse clamat quod dixerim, æternæ miseriæ *fundamentum*, hoc est, capacitatem & receptibilitatem ejus, esse in anima, quæ eodem sensu & æternæ felicitatis fundamentum in se habet: quos vero clamosos coccysmos, & his similes imperitissimas, & conviciosas maledicentias quibus ad finem usque controversia sua abundat, in superioribus satis compressimus. Profecto si quis Theologiæ tirunculus adversus theses sibi non intellectas vel ab eo detortas tam imperite, confuse & petulanter publice opponeret, dignus esset qui ex auditorio non sine ignominia & exsibilatione ejiceretur foras & castigaretur. Impotenter de aliis dicit (p. 190.) quæ sibimet ipsi nimium competunt.

VI. *Nec aliter disputat de* Corpore *hominis. Omissio ejus quod omnes objectiones prævertere debebat.* (*b*) Jæg. p. 169.

VI. Controversiam *de Corpore primi hominis ejusque dotibus*, quam ille per *hysteron-proteron* fecit antecedenti præcedere, incipit, pro animi sui constitutione, à scurrili convicio, (*b*) *fanaticorum Antesignanum* appellando hominem (me) qui gratificante Deo per totum vitæ curriculum, longum satis, nunquam adhæsit mente vel conversatione ulli eorum qui se prophetico spiritu, lumine, motibus, inspiratione, separationis vel collectionis officio præditos dixerunt; nec unquam jactavit vel unicam revelationem. Postea addit locum ex Oecon. Libr. I. Cap. 22. §. 10. (p. 313,) ubi aliquot prærogativas corporis primi hominis, de quibus seorsum tractaturus eram, recensui: sed omisit id ipsum quod omnibus æquis Lectoribus, sive mecum consentirent, sive à me dissentirent, satisfacere aptum est. Id autem sic habet;

„ (*a*)

„ (*a*) Si qui forte adduci non possint ut credant tempore „ Creationis eam humani corporis excellentiam fuisse quam nos „ ad finem usque hujus libri explicabimus, non poterunt tamen „ hæc ut figmenta & theorias inutiles spectare, modo eorum meminerint quæ (*b*) in Præfatione ea de re monuimus. Supponant saltem ideam corporis nostri, quale post resurrectionem „ erit, à me nunc delineandam esse: qua ratione omnia quæ dicturus sum videbunt in subjecto, de cujus futura exsistentia „ verissima & reali ex fide Resurrectionis constat, rata & re ipsa futura. - - - Neque aliter inter nos diffidebimus, quam „ quod illi corpus hoc ut futurum saltem considerent, quod „ secundum sententiam nostram non tantum aliquando exstiturum est, sed & olim exstitit. Ac quicquid de circumstantia „ hac temporis statuatur, ex re ipsa tamen in se considerata idem utique fructus ad utrosque redundabit". Mitto cetera, quibus id juris postulo ut hæc saltem cum probationibus suis, sine animo hostili ac irrisorio audiantur. Sed quis à D. Jægero æquitatem ejusmodi exspectet, quippe qui potius in deteriora magis magisque delabitur.

(*a*) Oec. Tom. I. p. 314.

(*b*) Præf. gener. §. II. num. 21---31.

VII. *Mendacia aspersa.*

VII. Namque non contentus dixisse hic de nonnullis mihi nunquam lectis: (*c*) *Quæ de proceritate Adami plusquam Gigantea nonnulli tradunt*, citatis ab eo, Magiro, Lipsio & Philone, hæc ipsa non dubitat Dnæ. B. ac mihi nominatim imputare in suo Theol. System. Dogmatico & Polemico hisce suis verbis: (*d*) *Delirium est Mad. de Bourignon & Poireti, qui statuunt primum hominem tam proceræ staturæ fuisse, ut nullus unquam Gigas tam proceram staturam habuerit*: quod velim ut Lectores pro *Giganteo mendacio* D. Jægeri habeant donec ipsis ostenderit ubi hoc, quod neque illa neque ego unquam cogitavimus, scripserimus tamen, quamquam hoc non absit à vero, Adamum hominesque antiquiores, staturæ fuisse aliquantum procerioris quam sit hodierna. Sed nec illud D. Jægero suffecisset mendacium solum, nisi bina alia ei adhuc ibidem addidisset; *Deum ex Adamo Evam condidisse, quia Adam inspecto coitu brutorum ad libidinem fuerit accensus. Hoc primum fuisse peccatum.* Ob quæ bina sua mendacia nova conviciis non dubitat nos illico cumulare, sed in eum jure merito recidentibus. Illius & mea mens hæc est: Adamum

(*c*) Jæg. Ex. p. 171.

(*d*) Theol. Dogmatico-Polem. Libr. I. p. 160.

cum

cum solus esset, incepisse paulatim adspectus & affectus suos a Deo ad res creatas, ipso inferiores deflectere nimium. Hæc initia fuisse defectionis suæ; cui vero ut Deus mederetur, ex illo condidit fœminam sibi æqualem, quæ imaginem Dei & ipsa gerebat, ut Adam ea conspecta, simulque & Dei imagine in ea, ad Deum considerandum hoc modo relevaretur, nec affectum daret rei minori quam ei quæ Deum ipsi repræsentabat, & quam propter Deum & in Deo amare poterat. Hanc sententiam pluribus exposui in Oeconom. Libr. II. Cap. 12. quam legit Jægerus, imo & refert ipse pag. 194; & tamen aliud omnino mihi hic affingit.

VIII. *Instantiæ Jægeri cum flosculis ordinariis.*

VIII. D. Jægeri instantiæ vento leviores sunt. Instat (p. 173.) Christum, secundum Adamum, non habuisse inter nos tale corpus quale Adamicum describitur, cum tamen Adamo inferior esse non debuit. Oblitus est bonus vir Controversiæ suæ VIII, ex qua meminisse debuisset, Christum ex Adamo corpus assumsisse gloriosum æque (ad minimum) ac corpus Adami; & quod plus est, ejusdem gloriam retinuisse post lapsum Adami: Id autem ipsum corpus voluisse mortali nostra ac infirma carne obtegere cum inter nos venire voluit. De quibus (*a*) supra prolixius actum est.

(*a*) Cap. 3. hujus Libri 4.

Falsum est quoque D. Jægeri assertum, (p. 176,) ea quæ de fœcunditate primi hominis dixi, à Boëmio, quem denuo barbarum in modum conviciatur, esse desumta, quamvis ille, quantum ad rei substantiam, eadem senserit. Male refert quoque verba Christi Matth. 19. ℣. 4. *ad primam generationem*, cum manifestum sit ex ipso loci argumento referenda esse *ad primam conjugii institutionem*. Ceteri quibus Controversiam 13. claudit flores objecti de audacia, impudentia, stoliditate, protervitate &c. qui sint excipiendi, docuit dudum suo exemplo vel Ethnicus Socrates male lacessitus.

IX. *De Uxore ex Adamo facta. Hæc esse mere problematica.*

IX. A Controversia sua XV, quæ nihil ad fidem vel salutem facit, potuisset imo debuisset desistere is, qui in libri sui titulo ea promittit tractanda quæ *præcipuos fidei Christianæ articulos* respiciunt. Sed rixarum & obicum suscitandorum amor fecit promissi eum sui dudum immemorem. Vexare hic vult ea quæ in Oecon. Libro II. Cap. 12. dixi de Uxore quam Deus ex Adamo

mo eidem suscitavit atque donavit, cur & quomodo id mihi repræsentem factum esse secundum Scripturam & sensum eorum quibus rara ac multa Deus donavit lumina. Descripsi ibidem & sensum meum & rationes ejus. Si cui hæc placeant, bene: sin minus, bene etiam; neque enim id nos reddet vel magis vel minus gratos Deo si eum amemus. Sed D. Jægero, tametsi hic paulum leniori, illud non satis est: dubitat enim illico, (p. 193.) utrum sententiam hac de re meam referat vel ad *fanatica*, vel ad *vana philosophica*, vel ad ea quæ *sanæ antiquitati*, aut *receptiori Theologiæ*, vel *sanæ Rationi* repugnant. De *Sana Ratione*, imo & de aliis ceteris judicare nequit ille, qui mille exemplis hucusque ostendit, se per affectuum contagium sanam Rationem non sequi. Si quis ejus oppositiones dignetur legere, illas conferat cum meis uti ea scripsi, ad quæ ille excepit paucula.

X. Scilicet, (1.) Evam primùm peccavisse, deinde Adamum, (p. 195:) quod verum est de peccato, quo gratiam & amorem Dei perdidimus ac hæreditate paterna excidimus. Id autem non impedit quin verum sit ante Evam cæspitationes fuisse aliquot ab Adamo commissas. Vel in domo qualibet paterna haud raro ab officio decedunt filii in aliquibus, quæ propterea amorem paternum non exstinguunt, neque exhæredationem commerentur; sed dissimulantur ab amore Patris, donec eum ejuraverint in essentialibus. Ita quoque cum Adamo factum est; & ad hoc ejus insigne & mortale lapsus consummati peccatum, pertinent quæ D. Jægerus ex Osea & Joanne objicit, quæ vero ea quæ dixi minime evertunt.

X. *Resp. ad Exceptiones Jægeri. De primo peccato & de somno Adami.*

Contendit (2.) *somnum* in Adamo non fuisse veluti *aliquod virium deliquium* (p. 197). Dicat ergo, si vult, esse ex virium incremento & fortitudine, ut eo magis se mihi opponat. (3) Ast *à Deo immissus* dicitur. Quasi verò Deo non tribuerentur sæpius eventa physica, imo, vel ipsa mala, de quibus tamen sapienter disponit. (4) Neque tamen velim hic excludi specialem divinæ operationis interventum, modo nec D. Jæger virium minutionem hinc exclusam contendat. (5) Non fuisse *somnum in Adamo* antequam ullo modo deficeret, ipse Jægerus debuisset ex eo concludere, quod de eo in Scriptura non fiat mentio, & primus somnus dicatur à Deo immissus; vult enim D. Jæger alios ad-

 strin-

ſtringere ad hoc, ut nihil de hiſce quod ad circumſtantias etiam innocuas dicant, niſi ſecundum *literam Scripturæ* pag. 195: tametſi hoc jugum ſuum ſit ipſimet importabile.

XI. *De impeccabilitatis deſiderio; & de coſta ex Adamo detracta.*

XI. (6) *Deſiderium impeccabilitatis*, in homine qui nondum probatus eſt, recte dixi *abſurdum* & *brutum*. In homine jam probato, & probationis ſuæ curſum emenſo, legitimum eſt, Deo gratum, ac per donationem *ſtatus confirmati*, ratum ab ipſo habitum. Illud tamen D. Jæger *Theologiam plane prodigioſam* appellat (p. 199.) Atqui per ſe clarum eſt, hominem qui vellet ut creatus non eſſet in ſtatu probationis, ſed infallibilitatis, velle contra Deum, adeoque *abſurdum* velle: ac præterea, velle ut non fuiſſet *liber* in ſui regimine, quod eſt *brutum* quid velle. Quam *prodigioſa* verò malevolentia, propter hanc claram & æquam ſententiam, totam alicujus *Theologiam* contaminatam & *prodigioſam* clamare! (7) Non recuſo *cordatos Theologos*, ut judicent an mali aliquid ſubſit huic ſententiæ, Deum non ad literam ex coſta una oſſea Adami Evam formaviſſe ita, ut Adam coſtarum numero ex uno latere minutus fuerit; ſed potius ex toto Adami corpore, ac potiſſimum è fœcunditatis regione, deſumſiſſe illud unde fœmina conſtructa eſt, & quod modeſtia ſtyli Scripturarum per *coſtam*, non autem per alia verba deſignare voluit, ut & caſtarum aurium pudori conſuleret, atque etiam impudentibus ſcurris non daret eam effrontem ſcurrandi licentiam, qua non detrectavit abuti aliquoties D. Jægerus. (vid. pag. 415.)

XII. *Sententiam de primo homine utraque principia in ſe habente, nec antiquis fuiſſe incognitam, nec recentioribus.*

XII. Ceterum, hanc ſententiam de primo homine utriuſque ſexus principia in ſe habente, *antiquitati* non fuiſſe prorſus incognitam, uti putat D. Jæger, patet ex ipſis apud Hæbræos antiquis Doctoribus; de quibus ita Leon Hebræus in Dialog. III. de Amore. (*a*) „ Nec enim [Moſes] Deum Adamum & „ Evam primo procreaſſe, ſed ſolum Adamum marem ſimul & „ fœminam effeciſſe dicit. - - - Meo quidem judicio is Moſaicæ „ orationis ſenſus eſſe videtur: quod Adamus, primus videlicet „ homo, quem Deus ſexta procreationis die formavit, cum „ conjunctum quoddam humanum exiſteret, marem ſimul & „ fœminam nulla penitus intercedente diviſione complectebatur. Quapropter Propheta hujuſcemodi utitur verborum con-

(*a*) In Scriptoribus Rei Cabal. Tom. I. pag. 536.

„ contextu. *Creavit Deus Adamum ad Imaginem suam: masculum „ & fœminam creavit illos.* Ecce prius singulari numero *Adamum*, „ unum videlicet hominem appellat. Deinde cum subjungit *: ma- „ rem & fœminam creavit illos*; eundem plurali numero designa- „ re videtur. Hac autem numerorum diversitate idcirco sanctis- „ simum virum opinor usum fuisse, ut illud significaret, quod „ cum Adamus, ut modo diximus, conjunctum quoddam esset „ humanum, utrumque sexum, & masculum & fœmineum si- „ mul complectebatur. Quæ quidem expositio HEBRÆO- „ RUM quoque, atque ANTIQUISSIMORUM INTER- „ PRETUM, qui divina volumina Chaldaica oratione prosecuti „ fuerunt, GRAVISSIMO TESTIMONIO confirmatur. Dixerunt „ namque isti doctissimi viri: *Adamus ex duabus personis, ex „ mari videlicet atque fœmina constitisse videtur.* &c. " Nec du- bium est quin ab illis Hebræorum antiquis similia his desumse- rint cogitata Pythagoræi, Platonici, ac recentiores Hebræi, nisi quod explicationis specialioris gratia, hic admiscuerint sua fictitia, imaginati hominem primum duplici quasi corpore sed conjuncto constitisse quod deinde in duo separatum fuerit, cui figmento & auctor modo citatus adhæret, uti mox, post hic ex eo allegata, ostendit.

XIII. Plures qui de hoc argumento tractarunt si quis videre cupiat, indicabo nonnullos. Videantur ergo in *Cabala denudata* loca ex libro Sohar notata ad nomen אשה pag. 163, & ad nomen נוקבה uxor. p. 565, ubi hæc sunt: *Fœminæ duplex est notio; vel quatenus initio cum masculo combinata est; vel, secundo, quatenus dein- de ab illo separata.* Adde *Ducem Candalensem*, in *Trismegistum*, pag. 68. Gall. Item, *Joannem Matthæi*, V. D. M. sive *Zimmer- mannum* contra Holtzhausium pro Boëmio, Germanicè: pag. 141. & seqq. ubi & ex Hebræis passim non pauca allegat. Por- ro Auctorem Belgam, *Adiacritum Sincerum* JCtum; in libro, Onpartydige Gedachten &c. à pag. 150. ad 160. Et denique pro- fundum Doctorem Anglum *J. Pordægium*, cujus opus *de Para- diso*, Caput (*a*) ferme integrum eo de argumento, graviter ibi tractato, habet, indicatis ibidem & aliis quoque ejusdem sen- tentiæ auctoribus. XIII. *Auctores qui de ea scripserunt.*

(*a*) In Tom. 3. Tr. de Paradis. Cap. V. §. 7. & seqq. p. 496. &c.

XIV. *De Semine mulieris, quod conteret caput Serpentis; Querela tragica.*

XIV. Pergo paucis ad D. Jægeri Controv. XVII. (a) *de sensu loci, Semen mulieris conteret caput serpentis.* Hic contra charitatis indolem, quæ malum non cogitat, gaudet quoque omnia mihi in capitalia convertere: scilicet, *toti Ecclesiæ* novam *controversiam* movi, *consensum ejus* destruxi, *fidei fundamenta* labefactavi, *dubias feci animas in lectione Scripturæ*, & *falsissima* asserui quando de hoc loco sententiam meam proposui. Hic D. Jægero fidi sunt comites, falsitas & reticentia. Controversiam à me non moveri, testantur hæc verba mea, quæ ipsemet retulit: *Ceterum uti unicuique libertatem relinquo, primum hoc oraculum quod Adamo obtigit, ita interpretandi, uti ad* GLORIAM *Dei suamque* SALUTEM *fas esse putabit*; (*quam utique interpretandi rationem nunquam improbo:*) *ita perinde velim ut mihi idem juris relinquatur; utque singuli proximos suos ea quæ poterunt lumina fructusque ex verbo Dei derivare permittant.* Testor quorumvis conscientiam, an hoc idem sit ac controversias movere, vel fidei fundamenta labefactare, & dubias facere animas in lectione Scripturarum.

(a) Vid. Oec. L. III. Cap. XI. §. 5. & 6.

XV. *Falsa imputata.*

XV. Post hanc D. Jægeri querelam, sequuntur tria ejus falsa mihi ab eo imputata. Primum est, in querela, quod hoc in loco opponam me *consensui Ecclesiæ.* Quod certe falsum est: illius enim hoc de oraculo sensum & consensum relinquo integrum hisce meis apud D. Jægerum verbis: *Non ignoro verba hæc* (de semine mulieris) *variis passim interpretationibus explicari, earumque singulas iis qui per eas juvari se sentiunt, relinquo lubens.* Verum, quia nunquam fuit prohibitum unius loci sensum dilatare & ad plura extendere, vel plures ejus sensus proferre, quando hoc ad pietatem & salutem confert; id & hic sine scrupulo conatus sum: & credo me bene fecisse. Altera duo falsa D. Jægeri sic profert ille. (b) *Poiret per semen mulieris intelligit homines ex muliere natos: Imo ait promissionis hujus revelatæ impletionem ultimis demum temporibus ratam fore*, quæ tempora D. Jæger paulo post appellat *fanaticam periodum.* Ultimum hocce ejus imputatum de *impletione* DEMUM ultimis temporibus rata falsi convincitur, tum per ipsa verba mea, ab illo producta, quæ quidem truncavit, sed quæ integra ostendunt me non locutum esse simpliciter de *impletione* oraculi, verum de ejusdem *impletione*

(b) Jæg. p. 211, 212.

tione qua *plenissimo atque universali eventu rata* erit, atque plene consummata, de qua Apoc. 20. item 2 Thess. 2. ℣. 8. & aliis in locis quæ apposui, ille reticuit. Quod autem non negaverim oraculum incepisse impleri jam inde a primis illis temporibus, probant verba mea antecedentia, quæ D. Jægerus legit quidem, sed omisit iterum fraudandi gratia: (*a*) *Id vero in multis eorum qui e semine mulieris descenderunt*, RATUM *fuit.* Alterum imputatum D. Jægeri æque falsum est & simul dolosum; reticet enim id ex meis verbis, in quo vis & veritas inest: Verba mea a D. Jægero omissa sunt: *Semen mulieris conteret caput serpentis: hoc est: Homines ex muliere nascituri*, IN QUORUM CORDIBUS FILIUS DEI, *seu* VERBUM *divinum*, *lumine & amore suo aderit*, *omnem potentiam Diaboli*, *& quicquid ab ipso pendet*, PER EUM *destruent:* quo pacto non ad homines ex muliere natos, sed ad FILIUM DEI in illis, omnis redit veritas, honor & gloria.

(*a*) Oec. Tom. I. p. 735.

XVI. Quod autem hoc non retulerim directe ad illum in se consideratum, sed veluti habitantem & agentem in hominibus ex muliere natis, facit non tantum locus Apoc. 12. ℣. 11, & 17: *Abiit draco facere prælium cum reliquis de semine mulieris*, *qui custodiunt mandata Dei*, *& vicerunt eum* (draconem) *per sanguinem agni*; item & verba Apostoli: (*b*) *Deus pacis conteret Satanam sub pedibus vestris:* Sed ipse Geneseos locus idem ostendit. Christus enim est qui ipsemet ibi loquitur, promittitque se *positurum inimicitiam* non tantum inter Serpentem & mulierem; sed & *inter Serpentis semen & semen mulieris:* hoc est: Christus promittit se effecturum ut semen mulieris horreat Diabolum, peccatum, tentationes ejus, easque vincat. An Christus promisit se hoc effecturum in Christo? annon in membris suis, in illis qui ipsum admittent, ac in se operari sinent? Certe hic sensus adeo in se verus est, adeo salutaris, ut nemo possit eodem decipi; quando sensu altero (quem tamen non rejicio) multi qui sibi aliisque adulantur, sese & alios soleant tegere atque decipere. Mitto cetera verbosa & falsa D. Jægeri, quæ etiam in conclusione repetit, sed (ita fœcundus in his est) addito novo falso, dum dicit me (*c*) *asserere*, *per semen illud* OMNES *homines ex mulieribus nascituros intelligi.* Illud OMNES quod hactenus defuerat, suæ pennæ est additio necessaria ad complementum imputati

XVI. *An per semen hoc intelligi possint homines ex muliere nati?*

(*b*) Rom. 16. ℣. 20.

(*c*) Jæg. p. 217.

 tati

tati falsi sui. Cur potius ad verba hæc mea, *homines ex muliere nascituri* non adjecit quæ sequebantur, *in quorum cordibus Filius Dei lumine & amore suo aderit?* Sed hæc sustulissent *obicem* quem volebat & hic ponere. Ceterum in *semine mulieris* comprehendi & fideles Christi, tantum abest ut negent Theologi; ut vel ex uno a D. Jægero interdum laudato D. Witzio ipse possit contrarium discere. Vid. ejus Oecon. Fœder. Libr. IV. Cap. §. 16. ne plures alios commemorem.

CAPUT VII.

De Salute Gentilium per Christum sine Verbo externo.

I. *De Salute Gentilium possibili disceptatio Jægeri.*

(a) Jæg. Ex. Contr. XXII. pag. 294.

I. A Deo ardet in speciem & coram imperitis obices mihi ponere D. Jæger, ut oblitus sui promissi, suorum principiorum, suarum lectionum, eorum quæ sensere Patres non pauci, Doctores quam plurimi, suusque etiam Lutherus, moveat mihi Controversiam (*a*) de *Salute Gentilium possibili*, quam tamen omnes vident non pertinere ad *fidei articulos*, de quibus Jægerus se adversus me tractaturum vel e titulo promiserat. Sed & quantum ad meam quam hic impugnat sententiam D. Jægerus, principia sua de Gratia universali cum ea conspirant: Patres & Doctores quos veneratur, Lutherus quem tantum non adorat, mecum hic faciunt; nec videt se eos omnes per meum latus invadere. Sane si eorum adhuc aliquem respectum habeat, propria sua ergo adversus illos objectata vanissima, nec sine contumeliis in me prolata, dissolvat ipsemet, ne etiam *Pelagianismi*, *Naturalismi*, *& Fanatismi* reus per eum habeatur & Lutherus ipse.

II. *Sententia in Oeconomia exposita & stabilita. Tractanda hoc in Capite.*

II. In Oeconomiæ Libr. III. postquam ostendi Christum a lapsu hominis suscepisse officium Redemptoris generis humani, impendi Caput integrum, quod est XIII. in eo ut probarem Gentes, quæ sub naturæ lege & extra Patriarcharum familiam, in qua revelatio externa continebatur, vixerunt, non esse a salutis gratia exclusas, modo attenderent tum ad principia conscientiæ cordibus a Deo inscripta, & quæ Paulo teste, ipsis erant *lex*, tum ad opera Dei, *potentiam* & *bonitatem* ejus manifestantia, hominesque ad Deum cognoscendum & per gratia-

tiarum actiones laudandum appellantia, teste eodem Apostolo. Quibus vero si obsecundarent illi, si secundum conscientiæ lumina & motus se regerent, si Deum agnitum grato corde, laudibus & honore prosequerentur, procul dubio non tantum excusandos fore in Dei judicio, sed & *honorem*, *& gloriam*, *& pacem* consecuturos, ut Paulus de Græcis loquitur, eos hac in re Judæis conjungens. Innocuam hanc doctrinam, Philanthropia Dei, Salvatoris misericordia & providentia adeo dignam, bono cuivis cordi cui charitatis scintilla inest sese commendantem, stabilivi exemplis aliquot tum e Scriptura desumtis, ubi mentio nonnullorum fit, qui licet extra Patriarcharum ac Israëlitarum cœtum vixerint, Deo tamen grati & amati fuere; tum ex ipsis Gentilium Scriptis ac exemplis, e quibus patet eos, doctrinis, præceptis praxique & actibus optimis destitutos non fuisse. Quæ quidem omnia optimis quibusque plane placuerunt; D. Jægero non item: imo, *mira* hæc ei visa sunt; nec mirum sane.

Si pro paucis quæ ex me citavit, dignetur Lector totum Caput libri mei legere, videbit, aliter quam in D. Jægeri relatione, & rem ipsam solide fundatam, & objectiones ejus præcipuas jam ante solutas vel præventas fuisse; ceteras fumum esse: quod brevibus ostendam; & tum de re ipsa aliquid specialius in medium proferam.

III. *Jægeri oppositiones quinque. Resp. ad (1) seu ad loca Scriptura.*

III. Quicquid D. Jægerus nobis opponit, excipit ille (1) vel e quibusdam Scripturæ locis; (2) vel e Gentilium tenebris, & erroribus, aut corruptione universali, imo & speciali meliorum; (3) vel ex impotentia luminis aut instinctus naturæ; (4) vel ex eo quod Verbum revelatum alioqui contemptibile aut inutile esset; (5) vel denique sunt exceptiones quædam ad exempla a me e Scripturis prolata.

(1) Loca quæ ex Scriptura allegat sunt, Joan. 17. ℣. 3: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te* (Patrem) *solum verum Deum & quem misisti, Jesum Christum.* Et quod dicit Petrus Act. 4. ℣. 12: *Nullum nomen, nec in ullo salutem nobis esse datam, nisi in nomine Jesu Christi.* In priori loco, si *vita æterna* sumatur sensu consummato & pleno, *cognitio* quoque eodem sensu sumi debet; atque tunc nihil hic est quod contra Gentilium salutem facit. Gentiles namque qui vita æterna potientur, potientur & cognitione

tione illa Patris & Filii quæ vitam æternam constituit. Sin vox illa sumatur pro *via* ad vitam æternam, & *cognitio* pro medio ad illam, sciendum est duplicem dari cognitionem, alteram historicam & idealem, quam vero & Dæmones habent & Christianorum pessimi; atque hæc neminem salvat: altera realis est, & in hoc consistit, ut quis cognoscat sive amet & experiatur vim & virtutes, quas Christus Deus operatur in cordibus eorum, qui Deum quærunt & illum in se operari sinunt, sive habeant Verbum externum, seu eo destituantur. Quisquis vel audito verbo, vel consideratis operibus Creationis, vel conscientiæ instinctu observato agnoscit Deum optimum maximum, conatur ei placere, optat ab illo quæ sibi ad hoc necessaria sunt, is hoc ipso admittit in se causam omnis boni, Christum Deum, qui in illo operatur amorem Dei & proximi puriorem, humilitatem, mansuetudinem, & alias Spiritus Christi virtutes: & tunc novit ille Christum secundum Spiritum, licet non secundum literam: qua de causa Sanctus ille Martyr, inter Patres primus atque doctissimus Justinus, asseveravit, (*a*) *Christum a Socrate ex parte cognitum fuisse*; neque dicere coram veritus est, (*b*) *Quicunque cum Ratione sive Verbo* (μετὰ λόγου) *vixere*, CHRISTIANI SUNT, *quamvis athei & nullius numinis cultores habiti sint*, *quales inter Græcos fuere* SOCRATES *& Heraclitus*, *atque iis similes.* Et sane hujusce constitutionis homo in via ad vitam æternam, multo certior est quam merus aliquis literalista, (sit venia verbo) qui cum pleno historicæ cognitionis cerebro, vertit cor suum ad amorem sui & mundi, datque ita Satanæ locum in se operandi superbiam, odium proximi, invidiam, malitiam, amaritudinem, mendacia, & omnia quæ virtutibus Christi sunt contraria; quanquam idem stolide sibi imaginetur, se per imaginariam cordis sui cœci & maligni fidem, ac persuasionem adulatoriam de Christo pro se passo, salvum fore. Alter ubi mortalitate solvetur, deteget in nictu oculi historica Dei ac Salvatoris sui quæ ante ignoraverat; & quia se non opposuit Dei operationibus, sed iis dedit locum dum viveret, non inveniet Deus in illo ullum obstaculum plenæ suæ cum eodem communicationis, atque adeo æternùm simul delectabuntur beatissime: Alter contrà, sterilibus ac pictis cognitionibus præditus, earundem realitate carens torquebitur,

(*a*) Apol. pro Christ. ad Senat. p. 48.

(*b*) Apol. ad Antonin. pag. 83. Edit. Col. 1686.

tur, & cor ejus, quod fuit Satanæ operantis officina, eidem hospiti ac tyranno cedet in possessionem æternam, ubi quæ sua sunt continuabit misere operari.

IV. Locus Petri dicit quidem Christum esse solum salutis auctorem atque effectorem, & omnes quibus annunciatur, debere ad eum accurrere si salvari velint: Sed non negat iis quibus annunciatus neque fuit neque potuit esse, auctorem salutis esse posse: nam & qui Ethnici salvantur, salvantur merente ac auctore Christo, qui licet quod ad literam historiæ ignotus, realiter tamen in illis operatus est quicquid illi habuerunt boni. Provocat D. Jæger & ad Symbolum Athanasio adscriptum, *Quicunque vult salvus esse* &c. a tota Ecclesia receptum. Verùm illud Symbolum non respicit Gentes, sed Christianos; estque Arianis, Christianis falsis, oppositum; & hoc vult: *Quisquis Christianum se professus, vult salvus esse* &c. Hæc nihil ad Ethnicos, imo nec ad Judæos ante adventum Christi, qui tamen salvi esse volebant.

IV. *Gentiles non salvari nisi per Christum. De Symbolo Athanasii.*

V. (2.) Urget D. Jæger tenebras & errores, corruptionemque Gentilium universalem, teste ipsa Scriptura: quid inde? arguit & illa vel inter Judæos olim non minorem, imo & majorem corruptionem; prædicitque idem de Christianismo, & eventus confirmavit Christianitatis generalitatem ipsis etiam Ethnicis multo pejorem esse. Verùm dari ab ista universitate exceptiones in utrisque, quis ignorat præter ignorantissimos? Dudum enim & nuper etiam doctissimi quique viri, veluti inter Græcos Joannes Stobæus, inter Italos Cœlius Rhodiginus & Augustinus Steuchus, inter Anglos Stanlejus & Galæus, inter Germanos Pfannerus, inter Gallos Mornæus, Huetius, Motta-Vaierus, Morainvilliers, Dacerius, P. Mourgues, & alii undique complures, integra scripsere volumina & collectanea, in quibus ad stuporem, imo ad Christianorum plerorumque ruborem, videre est quousque Gentilium quorundam cognitiones de Deo ac divinis, de virtutibus solidis ac earum praxi adscenderint, & quanta horum omnium ad Scripturam S. observetur appropinquatio. Ita ut nihil imperitius a D. Jægero illis objici potuisset quam ignorantia *de Trinitate*, de *vita æterna*, imo & de *resurrectione*, & nonnulla de Christo ut *Dei verbo*, de quibus dicit,

V. *De Gentilium erroribus & corruptione. Fuisse inter eos qui divina non ignorarunt.*

 (a) Ne

(a) Jæg. p. 306.

(a) *Ne vestigium quidem in eorum libris reperiri*; ac *infantes nostros quinque vel sex annorum*, (psittacos illos, qui maximam partem pronunciant vocabula sibi non magis quam brutis intellecta,) *Philosophorum talium potuisse esse Doctores & Magistros.*

VI. *Ignorantia Mysteriorum an iis noceat. De SS. Trinitate quibusdam non incognita, teste Augustino.*

VI. De Christo ac Mysteriis multis, vitio ipsis dari non potest, quod ea nesciverint quæ a revelatione divina speciali pendent; neque Deus ipsis (non magis quam surdis inter Christianos natis) culpæ imputabit eorum ignorantiam, quæ per impotentiam naturalem ac invincibilem non cognoverunt; non enim adeo injustus est Deus, ut exigat a quoquam rationem talenti quod ei non concrediderat. De ceteris plerisque, agnoscat D. Jæger, speciminis gratia, vel circa unum ac sublimiorem de SS. Trinitate articulum in objectatis suis ignorantiam vel veram vel simulatam, ex hisce Augustini, testis oculati, ipsissimis verbis, ab eo ad Deum fusis. (b) *Procurasti mihi* (Deus) *per quendam hominem - - - quosdam Platonicorum libros ex Græca lingua in Latinam versos. Et* IBI LEGI *non quidem his verbis, sed hoc* IDEM *omnino multis ac multiplicibus suaderi rationibus: Quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quod factum est in eo vita est: & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Et quia hominis anima quamvis testimonium perhibeat de lumine, non est tamen ipsa lumen, sed Verbum Dei. Deus est enim lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et quia in hoc mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus non cognovit eum. Quia vero in sua propria venit, & sui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine ejus;* HOC IBI LEGI. *Item* IBI LEGI: *Quia Deus Verbum non ex carne, non ex sanguine, non ex voluntate viri neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natus est. Sed quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, non ibi legi. Indagavi quippe in illis literis varie* DICTUM, *& multis modis; Quod Filius in forma Patris non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, quia naturaliter id ipsum est. - - - Quod enim ante omnia tempora incommutabiliter manet unigenitus Filius tuus, coæternus tibi, & quia de plenitudine ejus accipiunt animæ ut beatæ*

(b) Confess. Libr. 7. Cap. 9.

beatæ ſint, & quia participatione manentis in ſe ſapientiæ renovantur ut ſapientes ſint, EST IBI.

VII. Satisfactionis ignorantiam, quam objicit etiam Jægerus (p. 295.) crediderim iis fuiſſe minus noxiam, quam vel agnitio fuiſſet ejusmodi ſatisfactionis qualem ille ſupra propoſuit, perpetuis peccatis atque ſceleribus tegendis aptam, & hominem a debito officio agendi & patiendi, ac partibus ſuis Diſcipuli, redemti & ſubditi erga Chriſtum ſatisfaciendi, relevantem. Satis erat iis cognoſcere Deum Miſericordem atque Sapientem, qui optime ſecum ſciret componere rem ſalutis eorum qui ipſum timent, diligunt eique factis ſuis placere conantur. De ceteris conſuli poterunt Auctores a me modo indicati.

VII. *De ſatisfactionis ignorantia.*

VIII. Circa praxin boni inter bonos e Gentilibus, opponit noſter, (*a*) Nil boni ab illis proficiſci potuiſſe quia ad *opus bonum* neceſſe ſit ut fiat *ex fide*, *ſecundum legem Dei* quæ *interiora* poſtulat, & *ad gloriam Dei.* Ita quidem de perfecto opere. Bonorum autem operum gradus ſunt multiplices, ut ſciunt tirones. Ex fide fit, licet implicita, quod fit bono inſtinctu mentibus a Deo indito, & ſecundum legem a Deo ſcriptam in cordibus Gentium, ut ait Paulus de iisdem, quorum illi de quibus loquimur, quæſiverunt placere Deo, uti patet ex Auctoribus modo indicatis, ipſorumque Pythagoreorum, Socratis ac Epicteti conceptis verbis quæ paucis in Oeconomia adduxi.

VIII. *De Virtutibus Gentilium, an fuerint ex fide & ad Dei gloriam.*

(*a*) Jæg. p. 299.

IX. Audite, quæſo, quemadmodum AD GLORIAM DEI omnia facere & vivere novit & voluit Epictetus, inquiens: (*b*) *Si ſani eſſemus, quid aliud nobis agendum erat & publicè & privatim, quam Numen celebrandum &* LAUDANDUM, *&* GRATES *perſolvendæ? Nonne & inter fodiendum & arandum & edendum hymnus hic cantandus erat Deo*, MAGNUS EST DEUS, *qui nobis inſtrumenta præbuerit hæc quibus terram excolamus: Magnus Deus, qui manus dederit, qui deglutiendi vim, qui ventrem; qui effecerit ut latenter creſcamus, ut dormientes reſpiremus? Hæc* SINGULIS IN REBUS *cantanda erant; & hymnus maximus ac diviniſſimus reſonandus quod facultatem dederit harum rerum intelligentem, & utendi ratione inſtructam. Quid ergo? cum vulgo excæcati ſitis, nonne oportebat eſſe aliquem qui hoc munere fungeretur, & loco omnium hymnum de Deo publicaret? Quid enim poſſum aliud, ſenex claudus,*

IX. *Exemplum Epicteti.*

(*b*) Arian. in Epict. Lib. I. cap. 16.

dus, *quam* CELEBRARE DEUM? *Quod ſi luſcinia eſſem*, *luſciniæ officio fungerer*; *ſi olor*, *oloris*. *Nunc rationis particeps cum ſim*, DEUS *mihi* CELEBRANDUS *eſt*. HOC MEUM MUNUS EST: HOC EXSEQUOR; *neque ſtationem hanc deſeram quoad licuerit*; *& vos ad eandem cantilenam exhortor*.

X. *De eorum bonis operibus; horumque neceſſitate ad ſalutem.*

X. Atque eo magis potuerunt illi *bonis operibus* ſeſe dedere, quòd infecti non eſſent peſtilenti illa D. Jægeri doctrina, *bona ſcilicet opera ad ſalutem non eſſe neceſſaria*, eorumque debitum eſſe *jugum inſupportabile*, a quo per alterius ſubſtitutionem liberati ſimus: qua ſtante doctrina, bonorum operum ſtudium, ipſaque adeo animæ ſalus, plane impediuntur. Non quod bona opera noſtra efficiant proprie ſalutem & vitam æternam, quam ſolus Chriſti Spiritus in intimis noſtris operatur: ſed impediunt ne Satanas, ejusque & naturæ corruptæ opera, in nobis opus Dei, opus ſalutis, impediant fieri atque conſtrui a Deo. Concipe, ſi placet, ædificandam eſſe domum aliquam ſolidam & elegantem in fundo, in quem tamen torrentes vel aquæ identidem irruere vel defluere ſoleant: Plane neceſſe eſt, ut colonus iis in locis opera non parva, aggeres ac moles terrarum conſtruat, atque opponat aquis imminentibus ſi velit aream aptam eſſe domui conſtruendæ, opuſve jam inceptum iis non abripi. Hoc neceſſarium opus ubi fecit ac perpetim conſervat, non eſt ipſa domus conſtructio: ſed veniat oportet architectus, qui pro arte & induſtria ſua domum conficiat. Ubi facta eſt, non coloni, ſed architecti opus eſt ac dicitur; eſſetque colonus omnium abſurdiſſimus, ſi ea de cauſa quod rude ac craſſum opus ſuum fuerat omnino neceſſarium, arrogaret ſibi conſtructæ domus peritiam & efficientem cauſam.

XI. *Hanc non per opera noſtra, ſed à ſolo Deo in homine perfici.*

XI. Eodem modo ſe res habet circa æternæ ſalutis opus ac conſtructionem in fundo noſtro in nobis perficiendam. Irruunt in nos Satanæ ac corruptionis nativæ impulſus ad omnis generis mala, vitia, vana, quibus prorſus neceſſe eſt ut opponamus, cum auxilio divino (quod nunquam benevolis deeſt,) aggeres bonorum operum, bonarum cogitationum, amoris Dei, precum, charitatis, humilitatis, atque omnium virtutum, totidem vitiis quibus impugnamur oppoſitarum. Hoc ubi non fit, area animæ noſtræ vitiis inundata, inepta eſt in qua ſalutis domus inædificetur:

Ubi

Ubi autem hæc opera facta ſunt, & diligenter cuſtodiuntur, tunc venit adorandus Chriſti Spiritus, unus ille ſalutis Architectus, qui in area animæ non amplius impeditus, operatur atque efficit domicilium ſalutis æternum, aliaque opera infinite digniora quam bona illa aggerata, in quibus active adhuc atque operoſe occupabamur; aliam purificationem atque abnegationem profundiſſimam, fodiendo ac ejiciendo ex anima noſtra quicquid ſolidum non eſt ac divinum, donec appareat ipſa rupes, ſolus Deus, verum fundamentum: cui & inædificat porro aliam ac profundiorem & vere divinam humilitatem, quæ eſt eadem quæ in Chriſto humilitas; celſiorem Dei Amorem puriſſimum ac diviniſſimum; diviniores preces fundi intimi continuas, Spiritus S. voces ac ſuſpiria; charitatem, benignitatem, pacem, juſtitiam, ſanctitatem, uno verbo imaginem Dei perfectam, omnibusque Chriſti ſupranaturalibus virtutibus ornatam, qualis æternum coram Deo ſubſiſtere debet, in qua Chriſtus & Deus vivat, faciat, imo ſit omnia. Quod ſi autem admirabile hujus ſalutis æternæ opus nunc conſideratur, cuinam, quæſo, patet ejus conſtructionis cauſam & gloriam tribuendam eſſe? Nonne Sole clarius eſt eam uni Deo Architecto, ædificatori ejusque operatori unico aſſerendam eſſe; non autem colono ejusve operi, etiamſi hujus opus omnino perquam neceſſarium ad hoc fuerit? Lamentabile eſt, non a plebe tantum, ſed & a Doctoribus non paucis Theologis qui ſe profundiſſimos opinantur, iſta prima Chriſtianiſmi elementa non ignorari tantum; ſed & ubi vel tantillum eorum aliquid apparet, cœco ac furioſo impetu impugnari, diffamari, contrariaque mordicus ſuſtineri: quod ſane Gentiles, ſi iis offerrentur, minime facerent: quo vero facto illi ſeſe Gentibus deteriores oſtendunt, quarum tamen bona immiſericorditer damnant, ac Diabolo & æterno exitio adjudicant.

XII. Ex illis in exemplum Socratem atque Epictetum adduxeram, prætermiſſis ceteris aliis forte non inferioribus. De Epicteto maledicere non audet D. Jægerus: Sed admirabilis Socrates, qui bonis omnibus ſemper in æſtimatione fuit, ipſi eſt (a) *fidelis ſervus Diaboli*, atque etiam, *Sodomitici ſceleris* reus, auctore ſcilicet Luciano, omnium conſenſu atheo, maledico ac nugaciſſimo Scriptore, ſed hîc ad D. Jægeri palatum ſapido &

XII. Socratis *quem J. atrociter criminatur, vindicatio.*

(a) Jæg. p. 305.

& probato, cui adjungere audet Cornelium Nepotem, qui tamen contrarium dicit: nam in Vita Alcibiadis hæc sunt ejus verba: (a) *Ineunte adolescentia amatus est a multis* (Alcibiades) *more Græcorum: in eis a Socrate, de quo mentionem facit Plato in Symposio; namque eum induxit commemorantem se pernoctasse cum Socrate, neque aliter ab eo surrexisse* AC FILIUS A PARENTE DEBUERIT. quæ verba tetram Jægeri criminationem plane diluunt, non minus ac illa Xenophontis, referentis, (b) continentiam Socratis omnibus fuisse agnitam: evitasse illum objecta pulchritudine excellentia, magis quam ceteri ingrata fugere soleant. Se, Xenophontem, ab illo severum in modum fuisse ideo reprehensum, quòd non improbasset a Critobulo datum esse Alcibiadis filio osculum, quod Socrates venenatum scorpionis instar asserit, suadens omnibus ut diligentissime ab iis decederent in quibus pulchritudo eminebat, ne iisdem caperentur. Frustra opponit novus D. Jægeri editor (c) Salvianum, Socrati objicientem uxorum in Republica communionem, quando patet bonum Salvianum ex inscitia & aliorum relatione fallaci hîc locutum esse; dicit enim ibidem: *Socrates de hac re & libros condidit, & memoriæ hæc pudenda mandavit.* Atqui nemo nescit Socratem nullos unquam condidisse libros; & in iis quæ Plato composuit, ipsummet, quo pondus propriis dictis adderet, non raro ea tribuisse Socrati quæ bono viro nunquam in mentem venerant, nec is pro suis agnoscebat: qua de re ita Diogenes Laërtius: (d) *Ajunt Socratem cum Platonis Lysidem audisset recitari, Proh Dii immortales, dixisse, quam multa de me mentitur adolescens!* Addit Laërtius: *Scripsit quippe non pauca vir ille quæ Socrates non dixit.* Quibus verbis, uti & Xenophontis testimonio, adducor ut credam, vel saltem suspicer, historiolam istam a Cornelio Nepote ex Platonis Symposio relatam, de Alcibiade cum Socrate pernoctante, purissime licet, inter Platonis quoque figmenta esse referendam. Adde, non mirandum esse si inter Ethnicos maligni calumniatores reperti sint, qui probissimis viris eos reprehendentibus scelera odiosa falso imputarent, quando videmus hodie Theologos inter Christianos, qui omnis generis mala & errata publice audeant imputare innocentissimis, quorum Scripta, vita, coævorum & notorum testimonia testantur plane contraria, omniaque bona.

(a) Cap. 2.

(b) Xenoph. Memorab. Libr. I.

(c) De Gub. Dei Libr. I. circa finem.

(d) Diog. Laert. Libr. III. in Vita Platonis.

XIII.
De testimonio oraculi Delphici pro Socrate, deque Genio ejusdem.

XIII. Quantum ad titulum, quem D. Jæger omnium primus Socrati commodat, quod fuerit *fidelis servus Diaboli*, facit quod solet, Diabolo eos, quibus male vult, addicendo. Contumeliæ color ei est, quod *Socrates omnium Græcorum sapientissimus ab Oraculo Delphico* declaratus sit. Verùm quis ignorat, & ipsos Dæmones divina interdum potentiâ compulsos fuisse, ut vel in sui detrimentum veritatem dicerent? Ecquis præterea sustinere audeat, eos de quibus illi bona dicunt verba, esse propterea *Diaboli servis* annumerandos, quando Evangelia & Apostolorum Acta testantur eosdem de Christo, Paulo & Sila dixisse bona atque vera? Adde, Jægeri recentem Editorem contra ipsum annotasse (pag. 444.) ex D. Heumanno, rem eam, de Oraculo, confictam esse: atque ita famam universalem tulisse Oraculi Delphici nomen, quemadmodum & vulgo dicitur, *Vox populi, vox Dei.* Urget D. Jæger, *Genium Socratis* fuisse *malum Dæmonem*, & citat Augustinum (de Civ. Dei Lib. VIII. C. 14.) qui tamen id minime dicit: Annotat hîc contra novus Editor pro me adversus Jægerum suum (pag. 443.) non paucos eruditos, inter quos doctissimum Buddæum nominat, in ea esse sententia; *Angelum quendam bonum fuisse Socratis genium*: item, nil absurdi eos statuere, qui *Deum peculiarem Socrati associasse intelligentiam, vitæ ducem* existiment. Certe vitæ illius æqualis integritas, moderatio, mansuetudo, justitia & pietas, ipso facto ostendunt eum bono spiritu instructum & animatum fuisse. Mirorque Editori difficultatem hîc peperisse salsas Deorum Gentilium irrisiones in ironicis Socratis dejerationibus *per canem, per lapidem &c.*

XIV.
De sacrificio quod voluit Æsculapio fieri.

XIV. At non miror D. Jægero, pro more suo, ultima Socratis verba, ut *Æsculapio redderetur Gallus debitus*, visa fuisse, jussum *sacrificium non Deo, sed Diabolo* faciendum; quod immisericors & crudele judicium verbis Apostoli colorare audet, qui de generalitate quidem Gentium ista locutus est; sed exceptiones dari ipse alibi ostendit Rom. 2. Sciendum est, bonos Gentilium, etsi cum aliis viverent, loquerentur, agerent similia, tamen intra se ipsos semper cogitasse Deum in verbis factisque suis; ita ut cum Jovem nominarent, Deum intelligerent; cum Neptunum, eundem Deum quatenus maribus imperat; cum

Mi-

Minervam, Dei Sapientiam; cum Æſculapium, Deum ipſum quatenus à morbis liberat & vitæ reſtituit; atque ita de ceteris: eoſdem etiam cum ſacris adeſſent vel ea facerent, verum Deum in mente habuiſſe. Atque hoc pacto Socrates morti vicinus, cum vellet amicis ſignificare, Deo agendas eſſe gratias qui eum è morboſa & miſera hac vita in vitam veram reſtitueret, qui ex tenebris in lucem veramque diem educeret, id illis ſymbolico loquendi more, illi cum Pythagoricis familiari, his ſignificaſſe verbis, *Æſculapio*, Deo vitæ reſtitutori, *Gallum*, cantionem laudis ob tenebras noctis evaneſcentes & diei lucem inſtantem, *reddi debere ab illis*, nedum triſtiores eſſe debeant propter ejus deceſſionem. Quisquis in Pythagoræ & ſuorum ſymbolicis ac allegoricis tantillum verſatus eſt, novitque à Socrate Deum verum fuiſſe agnitum, cui omnia bona tribuerit, ac, ut ejus miniſter, voluntati illius quo uſque eam norat morem geſſerit, de hoc ultimorum admirabilis viri verborum ſenſu nequicquam poterit dubitare, quanquam & crederet ſuos diſcipulos forte & externo modo ſanctæ ejus mentis votum ſimul exſecutos fuiſſe.

XV. *De Sancti appellatione ipſi tributa, deque impacta hinc blaſphemia & impudentia.*

XV. Ægre fert Jægerus Socratem à me *Sanctum* fuiſſe appellatum: appellavit *Sanctum* & Eraſmus, & Vives (*a*) *Sanctiſſimum*, ut de innumeris aliis taceam. Quid quod Jægerus ipſemet *Senecam* nominaverit (*b*) *Sapientiſſimum*; ejuſque & Epicteti Philoſophiam titulo *Sanæ Philoſophiæ* inſigniverit? Quis autem ignorat Socratem horum neutri poſtponendum eſſe? atque tantum abeſt ut me hujus dicti, vel Socratis ac ſui ſimilium virtutes poſſidendi deſiderii pœniteat; ut potius ex animo aſſeverem, me, ſi ejus optio facienda mihi incumberet, millies malle coram Dei judicio in ſtatu ac Spiritu Socratis comparere, quam in ſpiritu Jægeri & ſui ſimilium, quamdiu in contrarium non mutabuntur. Sed falſo affirmat idem, (*c*) *me blaſpheme Chriſto Sancto Sanctorum, comparare* Socratem eumque *ad ipſum Filium Dei impudentiſſime evehere*, ea de cauſa, quod dixerim, illum *imminente morte defenſionem ſui ſuſcipere noluiſſe, perinde uti nec Chriſtus* fecit. Jubet Deus ut ſimus boni, benigni, perfecti ſicut ipſe eſt; ut quemadmodum Chriſtus fecit, ſic & nos faciamus, ut ſimus ejus imitatores, ut veſtigia illius ſequamur &c. An ergo ſi quis de aliis dicat eos imitatos eſſe Deum, & Chriſtum, idque

(*a*) Comm. in Aug. de Civ. Dei. Libr. 2. Cap. 9.
(*b*) Exam. Theol. Myſt. Cap. 8. p. 175.
(*c*) Jæg. pag. 297. & 304.

idque in hac vel illa re; is hoc ipso *blasphemè* illos *comparat Deo*, & *impudentissime ad Filium Dei evehit?* Atqui Paulus ipse de se dixit; (a) *Estote mei imitatores sicut & ego* CHRISTI *sum: Item*, (b) *Estote imitatores Dei sicut filii charissimi.* Imo ipsa virtus est imitari Deum & Christum; & omnino nihil vere bonum dici potest, nisi in quantum est illorum imitatio. In Doctissimi Huetii Opere, *Concordia Fidei & Rationis* dicto, Liber secundus hunc præfert titulum, *Dogmatum Christianorum & Ethnicorum* COMPARATIO; & Liber III. sequentem, *Præceptorum Christianorum & Ethnicorum ad vitam pie rectéque instituendam pertinentium* COMPARATIO: in quibus COMPARATIONIBUS totus est, ut ostendat quantum fieri potest, utrorumque omnium inter se & cum Scriptura Sacra convenientiam. Fecerunt idem passim & multi inter Christianos doctiores & æquiores, quorum nonnullos supra nominavi; neque ullus huc usque repertus est; qui ea de causa illos *blasphemiæ* & *impudentiæ* accusaret, imo de quibusvis cordatis ac ingenuis hoc ipso bene sunt meriti; ac dicere ausim, ea pauca quæ hoc de argumento hic scripsi, probis quibuscunque fuisse gratissima: neque id ignorat D. Jægerus; sed id ipsum est quod irritat illius odium atque invidiam; cui malo remedium nescio, nisi se ipsum impugnare velit. Sed mitto hæc, & redeo ad rem.

(a) 1 Cor. 11. ℣. 1.
(b) Eph. 5. ℣. 1.

XVI. (3.) Excepit porro, (c) quod *cogitatio de Deo ante sonum Evangelii peccatori sit horribilis: unde se ipsum excæcare & indurare studeat.* Intelligit sonum externum & literam Scripturæ; vultque iis absentibus lumen omne veri ac instinctus ad bonum innatos, plane extincta vel nulla esse, uti olim Epicurei, ac nuper Lockius. quod sane deplorandum, & potius *horribile* dicendum est. Repugnat enim bonitati Dei, Scripturæ, naturæ & conscientiæ cujusvis qui non sit vel Satanæ totus mancipatus, vel mercenarius omnium maxime cœcus: his enim solis *cogitatio de Deo horribilis est*; ceteros blande ac jucunde allicit. Bonus Deus ex quo homines ad se a lapsu voluit suscipere, ac pro iis Filium proprium tradere, potuit-ne, eo animo erga omnes præditus, ipsorumque mentibus præsens, quando illæ de eo *cogitare* volunt, aliam de se notionem indere quam boni Patris vel boni Creatoris?

XVI. *(3.) De Exceptione: Cogitationem de Deo ante sonum Evangelii peccatori esse horribilem.*
(c) Jæg. p. 298.

XVII. *Bonitas Dei erga Gentes demonstrata & ab iis agnita.*

XVII. Scriptura diserte affirmat contrarium factum. Rom. I. ℣. 19--21. Deum manifestavisse in ipsis Gentilibus id quod de eo cognoscibile est, veritatem, potentiam, bonitatem sive Divinitatem suam, idque non eo modo ut *horribilis* iis cogitetur, sed eo qui eos attraheret, & inexcusabiliter obligaret ad *illum glorificandum*, eique *gratias agendum*, quod sane non efficitur per *horrorem*, eumque inevitabilem. Insinuat idem Apostolus, Cap. 2. ℣. 14: *opus legis scriptum esse in cordibus Gentium.* Quid autem illa lex à Deo scripta in cordibus dicere possit? An hoc: *Habete de Deo cogitationes horribiles?* Videte, quæso, ad quæ abominabilia deducat Spiritus ponendi obices? Vel tota natura cunctis ob oculos ponit Dei amabilitatem, bonitatem, liberalitatem, ita ut Paulus (*a*) Gentiles ad *Deum vivum* appellans, dicat eis, quod idem, *qui fecit cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt*, quamvis *in præteritis generationibus siverit Gentes suas vias sequi*, nihilominus tamen *non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias & tempora fructifera, implensque cibo ac* LÆTITIA CORDA NOSTRA. Et aliquantum post (*b*) *Deum fecisse mundum & omnia quæ in eo, - - - dedisse omnibus vitam, spiritum & omnia - - -* UT QUÆRERENT DOMINUM, *si forte vel palpando eum perciperent &* INVENIRENT. Dixit vere Tertullianus (advers. Jud.) *Ante legem Mosis scriptam in tabulis lapideis, legem contendo fuisse non scriptam, quæ* NATURALITER INTELLIGEBATUR. Et revera eos qui inter Ethnicos ad legem illam à Deo in cordibus scriptam attenderint, simulque ad externa Dei opera mirabilia, eo pacto invenisse Deum ejusque veritates amabiles & salubres, testes luculentos in iis habemus, quos modo ex Gentilibus à Christianis laudatos commemoravi. Discant vel ex illis Ethnicorum testimoniis crassi literalistæ, qui Deum extra literam fingunt *horribilem*, quantum contra illum mentiantur; & vel audiant saltem verba hæc Ethnicorum; Ciceronis; (*c*) *Sunt ingeniis nostris semina innata virtutum* (non horroris Dei,) *quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam* (non ad fugam Dei) *natura*, (instinctus ille motusque à Deo inditus,) *perducerent.* Antonini; (*d*) *Intus respice:* INTUS FONS BONI, *qui perenniter scatebit si jugiter foderis.* Hieroclis: (*e*) *Judicii principia summa arbitramur*

(*a*) Act. 14. ℣. 14, 15, 16.

(*b*) Ibid. Cap. 17. ℣. 24. &c.

(*c*) Tusc. Q. lib. 3.

(*d*) Lib. VII. §. 59.

(*e*) In Pyth. Carm. 17--20.

tramur BONITATEM DEI, *&, quæ ab hac*, LEGEM IN NOBIS (quæ violata est,) *rectam rationem, ac veluti Deum aliquem domesticum.* Item; (*a*) *Quæ ostensa sunt à Deo, ea multi idcirco non vident quod non recte utantur communibus notitiis quas generi rationali innasci fecit Opifex ipse ad sui cognitionem*, & non ad horrorem. Sed qui fit ut tantus *Arndii à prima ætate cultor, & cinerum ejus adhuc venerator*, ita hic oblitus sit ejus hac de re sententiæ Libr. I. Cap. 7. de Vero Christian. expositæ, ac ipsi plane contrariæ?

(*a*) Ib. Carm. 63.

XVIII. (4.) Dicet D. Jæger, ista facere ad contemtum Verbi externi: quærit enim de me: (*b*) *Eccur, quæso, isti homines tam inimici sunt Verbo Dei externo? Nempe eum tantum in finem, ut regulam omnem credendi certam eliminent, & somnia & Enthusiasmos pro revelationibus Orbi obtrudere queant.* Quicquam ne isto coccysmo ineptius potuit objici huic thesi: Gentiles qui per impotentiam naturalem Verbum Dei externum nesciunt, si legi à Deo cordibus inscriptæ, si bono ejus instinctui, si naturæ & omnium creaturarum voci Dei potentiam & bonitatem testanti attendant, & pro conscientia obsecundent, salvos fore per Bonitatem & misericordiam Dei? Ubi hic vel minima contemtûs Verbi Dei, aut ejus ceu credendi regulæ eliminandi, illiusque loco somnia & Enthusiasmos pro revelationibus Orbi obtrudendi umbra aut suspicio aliqua? Vigilabatne an somniabat potius D. Jægerus cum tam absurda pro obicibus scriptitaret? Nec melioris sunt mentis quæ alicubi supra objecit (*c*) ac alibi etiam denuo repetiit ad hanc materiam, & quod Gentilium aliquos veluti Socratem atque Epictetum laudavissem: *Cur*, inquit, *discipuli in festo Pentecostali illuminati, hac* METHODO *non fuere instructi; quum citra ullum vitæ periculum illi Romanos, Athenienses &c. informare potuissent, dicendo: Heus Romani, & vos Athenienses, nihil novi, nihil extra vos docemus. Habetis viros inter vos Sanctos, Socratem, Platonem, Senecam, Epictetum; illorum doctrinalia sequimini. Imprimis consulite in centro animæ vestræ veritatem: ibi invenietis expeditam ad salutem viam.* Repetit coccysmum alibi cum hac detestabili calumnia: (*d*) *juxta hypothesin*

XVIII. *Quàm ineptè hinc trahat J. Verbi externi contemtum vel inutilitatem, addita calumnia detestabili.*

(*b*) Jæg. pag. 302.

(*c*) Jæg. Exam. p. 56. & Theol. Myst. p. 19. item Syst. Theol. Tom. I. P. I. p. 52.

(*d*) Exam. Theol. Myst. de Enthus. pag. 361.

Poireti Religionem naturalem longe faciliorem, meliorem, tutiorem, imo sanctiorem esse quam quæ in Scriptura sacra exstat.

XIX. *Jægerianæ ratiocinationis absurditas.*

XIX. Quis unquam somniavit, ex hac methodo, secundum quam verbo qui destituuntur externo debent notiones & instinctus conscientiæ à Deo inditos observare & sequi ut ipsis post mortem bene sit, consequi absurdas hasce consequentias, eosque qui Verbum Dei externum habent vel habere possunt, debere ergo illud abjicere, idve minime curare; ipsosque etiam Apostolos huic consecutioni debere inservire? Ista ratiocinatio ut valeat, debet D. Jæger hoc statuere principium: *Ubi res aliqua omnibus necessaria fit à paucis, raro satis, nec sine magnis difficultatibus, ob mediorum faciliorum defectum; illi qui copiosa & faciliora omnibus media offerunt eam rem perficiendi, minime admittendi sunt, neque audiendi; sed res in antiquis terminis relinquenda est, & homines eò remittendi sunt.* Quo Jægeriano principio Germani ad sylvas, homines ad antra & glandes, quibus olim vita conservata est, è domuum frugumque usu avocandi erunt, si velint vivere atque sapere: Judæi quoque non ad Christianismum, sed ad antiquum Judaismum, quia in eo non pauci servati sunt, & ab Apostolis appellandi erant, & nunc adhuc erunt invitandi. Ratiocinationis Jægerianæ absurditatem nemo non sentit ista per absurda, nemo non clare videre ac intelligere potest per ea quæ nunc dicam. Boni inter Gentiles rari, imo & Prophetæ & Sancti inter Judæos sub Lege veteri, non erant salutis auctores, non erant fontes, origines & causæ luminis divini, virtutum omnisque boni quod in iis inesse poterat: participabant illi scintillas quasdam ab alio, erantque vi hujus exempla quædam virtutum & boni paucis cognita, multis diffamata, & impotentia quæ vim darent aliquam ullis ea aspicientibus. Christus vero Jesus non participat aliunde scintillas virtutis, nec est merum & sterile in se aliis exemplum: sed est auctor ipsissimus, idemque unus, salutis æternæ, est fons, origo & causa luminis divini & interni, virtutum bonorumque omnium quæ unquam in ullis hominibus fuere, aut possint esse in posterum. Ad hunc salutis auctorem, miraculis vitæ, resurrectionis ac Spiritus Sancti effusionis splendidum, quaquaversum annunciandum, hominesque eò adducendum cum missi essent Apostoli ejus Spiri-

tu

tu pleni, non poterant, nisi Apostatas eos fingat Jægerus, homines appellare ad quoscunque alios, nisi forte interdum tanquam ad testes, qui ex plenitudine Christi possidebant scintillas & rivulos boni ac veri, quæ in suis intimis poterant inesse; qua vero ratione provocavit Apostolus non ad Sanctos tantum gentis Israëliticæ, sed & ad Gentilium poëtarum testimonia, & ad (*a*) Gentilis ac Chananeæ fœminæ exemplum; & Justinus Martyr ad Socratem; ut omnibus eo magis inculcarent ad unum Christum venire eos oportere, à quo quicquid boni in istis exemplis reperiri poterat, derivabatur, ac nunc porro in omnes profluentissime derivandum erat, qui ad ipsum vera & intima cordis fide accederent. Hæc si nostro non satisfaciant, satisfacient spero melioribus.

(*a*) Hebr. 11. ℣. 31.

XX. (5) Ad exempla alia è Gentilibus, & quidem primo, *Melchisedeci*, quod objectat D. Jæger, *non fuisse* eum *è classe Gentilium*; ipse refutatur à novo suo editore (*b*) Danhaweri & aliorum productis auctoritatibus, quibus addesis Cl. Pfannerum (Theol. Gentil. Cap. 22. p. 493.) qui Melchisedeco, & Jethroni plures alios, *secundum vetustiorum ac recentiorum haud paucorum* sententiam adjunxit. De *Abimelecho*, contrarium habet Jægerus vel ipsum Lutherum, ut modo ostendam. De Jethrone, non Israëlita, nullo positivo argumento probabit eum Verbo divino externo potitum fuisse, atque adeo in statu naturali hactenus relinquendus est: quid, quod etiam in *statu ignorantiæ* (*c*) D. Jægerus inclusos velit eos omnes qui non sunt *Israëlitæ* ac nati ex *Jacobo*, adhibens ad hoc verba Davidis è *Psalm.* 147. ℣. 19, 20; quasi nullam paterentur quorundam hominum privatorum exceptionem: quo pacto omnes suas exceptiones hujus generis ad exempla quævis, quæ produci possent ex non-Israëlitis, ipsemet rejecit, ac nullas declaravit. Et potuissem exempla alia plura & è sacris huc adduxisse: verum ea ex aliis supra à me nominatis, facile à quolibet repeti possunt.

XX. (5) *De exceptionibus ad exempla è Scripturis allata.*

(*b*) Edit. 2. p. 439.

(*c*) Exam. Pag. 56.

XXI. Restat ut breviter ostendam rei veritatem ex ipsis veri principiis à D. Jægero admissis, eque testimoniis nonnullis quæ ipse suis auctoribus non audeat *fanatismo*, *Pelagianismo*, *Naturalismo* cum ordinariis flosculis adscribere.

XXI. *Gentiles salvari posse, licet Verbo externo careant;*

Credit ac docet ille, cum Scriptura & e rei veritate, Deum

probatur ex ipsis veri principiis à Jægero admissis.

nolle mortem æternam ullius hominis peccatoris: nolle ut quisquam in tenebris, angoribus, doloribus, rabie, odio Dei, blasphemiisque contra eum perpetuis, (quæ damnatio est,) sempiternam degat vitam infinitis mortibus pejorem. Velle contrà, ut omnes homines, quicunque unquam & usquam fuerunt, sunt & futuri sunt, vitam habeant æternam, in Deo ejusque luce, amore, laudibus, lætitia, mirabilibus ac cœlestibus operationibus, in æternum posthac deliciantem ac lætantem, sine ullo amplius malo. Christum Jesum, Dei Filium, ut Deum Patrem redderet hominibus propitium, iisque hæc donaret, sese eidem sua merita, suas preces, suam vitam atque mortem in sacrificium obtulisse pro unoquoque hominum, Gentiliumque & barbarorum, eorumque infantium, ut ipsi salvi fierent. Si hoc verum est, uti revera est, & firmissime ex Dei Verbo, Dei cognitione & intimo conscientiæ testimonio credo; sique Deus hoc serio vult exsequi, (solus enim dare vitam æternam potest,) & idem Sapiens sit; oportet necessario, siquidem id vult non absolute, (alioqui id sine ulla exceptione fieret,) sed sub conditione dare, oportet inquam ut hoc non velit sub conditionibus absolute homini impossibilibus: nam velle aliquid, sed sub conditione impossibili, id neque boni neque sapientis est; neque id etiam velle est, sed nolle. Oportet igitur aliquas esse conditiones Gentilibus possibiles, aliqua media oblata, iis præsentia, quibus illi, si velint, uti ad hoc possint. Proferat nunc illa D. Jægerus, vel dicat, nulla adesse. Si dicat nulla adesse, in Dei bonitatem & sapientiam injurius est; facit Deum nolentem vitam peccatoris; & in iisdem degit castris cum illis qui decretum absolutæ reprobationis plerorumque hominum statuunt. Si dicat, illa media esse *Verbum externum*, idque *solum*; ipsemet novit id innumeris nationibus non fuisse administratum. At inquies forte, debebant id quærere ubi inveniri potuit. Quomodo vero id quærerent quod nequidem suspicabantur dari? quomodo id alibi quærerent, qui nec sciverunt alias dari terras quam suas? Ante annos paulo plus ducentos totus Americanorum Orbis novus nescivit plane dari Orbem alium, dari Judæos atque Christianos, & hodie adhuc ibidem, uti & in Africæ & in Orientis locis quam plurimis idem ignoratur a maxima parte, a plebejis, a mulieribus

bus, ab agrestibus innumeris: tenerenturne illi sub æternæ damnationis pœna quærere, an dentur qui Verbum Dei externum habeant, eosque adire? Absurdum! perinde dicas Deum serio velle eorum omnium salutem hac lege, ut Libro Concordiæ Ecclesiæ Lutheranæ (quam Jægerus alicubi dicit, (*a*) *Solam esse veram Ecclesiam*, exclusis *Reformatis* atque *Catholicis*,) subscribant quilibet: illud enim non minus iis impossibile est quam hocce ultimum.

(*a*) Syst. Theol. Dogm.-- Pol. T. II. Libr. 4. pag. 31.

XXII. *Conclusiones hinc illata.*

XXII. Dicat ergo velim hic D. Jægerus aliquid, quo comprobet Deum serio ac sapienter & benigne illos omnes velle salvos, nisi hæc quæ sequuntur, pro veris vel pro maxime probabilibus agnoscat, nempe,

1. Deum omnes Gentilium infantes, qui ante rationis ac libertatis usum mortui sunt, salvos facere per meritum & interventum Christi.

2. Adultos inter Gentiles, quorum facultates fuere detentæ veluti sopore, stupiditate, ignorantia invincibili, ita ut peccarint mera ac stupida ignorantia sine malitia deliberata, salvos fore per meritum & intercessionem Christi, intercedentis ac precantis pro iis qui peccarunt per ignorantiam, nescientes se peccare, sed qui nollent & quos facti pœniteret si scirent.

3. Omnes Gentiles qui lumini ac instinctui conscientiæ interno, a Deo indito, attenderunt, idque quantum iis notum fuit ac potuere respectu Dei, sui & aliorum, secuti sunt, licet ex ignorantia vel ex infirmitate peccaverint, imo & interdum gravius & scienter, modo tamen hoc desierint, ejusque illos vere pœnituerit, atque in bono cognito continuaverint, salvos fore per meritum Christi pro ipsis mortui ac intercedentis; illos maxime, qui singularibus Dei luminibus ac virtutibus vitæque innocentia, æquitate, charitate ac sanctitate, veluti Socrates aut Epictetus & aliquot similes enituere. Et de istis quoque arbitror dictum esse, (*b*) *eos in Regno cœlorum cum Abrahamo, Isaaco ac Jacobo accubituros*, QUANDO FILII *regni*, qui Verbum externum habuerunt, nec servarunt, *foras ejicientur*.

(*b*) Matth. 8. ℣. 11.

XXIII. *Quam barbara sit eorum crudelitas qui om-*

XXIII. Equidem hi non sunt totidem fidei meæ fundamentales articuli: de iis tamen persuadeor ex animo Dei benignitatem, sapientiam, philanthropiam, Christi merita venerante; ac

nes quibus Verbum externum non datur, inferno adscribunt.

ac hominum omnium, ceu fratrum meorum ex Patre communi Deo, Adamo, Christo Redemtore, amandorum dilectione utcunque tactus: detestorque crudelem eorum sententiam, qui, licet clament se credere quod Deus homines omnes salvos velit, eosdem tamen ad Diabolum, ad mortem ac tormenta æterna, ad statum odii erga Deum sempiterni, rabidi ac maledici adjudicant pleno ac læto inque eos offenso animo, qui consentire non possunt ipsorum crudelitati, hoc uno principio innixæ, quod scilicet exteri non habeant *Verbum externum*, quale ipsi habent, quod Verbum tamen ipsimet millies pejus quam Ethnici pervertunt, violant, pro insupportabili jugo ejus præcepta & opera habent, ex eoque pulvillos Satanæ faciunt, quibus in peccatis, affectibus pravis ac nequitiis suis ad mortem usque indormiscant, & dormire alios faciant. Qua de causa etiam, si Verbi ipsius prædictiones audiamus, id ab iis tolletur; & Gentibus multo melioribus tradetur, quæ fructus illius ferent ad Gloriam Dei Redemtoris sui.

Si corda illa malevola, canino livore obsita, aliis, se melioribus, salutem gratulari nolint, desinant saltem eos Diabolo adjudicare, relinquant eos divino illi Judici qui nos vetuit condemnare quemquam, neve pergant aliis male velle, insultare aut maledicere, qui ex charitate, nec sine lumine de Deo deque animabus Filii sanguine redemtis, meliora quam ipsi sentiant; quales ex multis fuere qui sequuntur, quique dubio procul non paucos habuere secum consentientes.

XXIV. *Probatur idem auctoritatibus Patrum.* (1) Justini,

XXIV. Justinum Martyrem modo (§. 3.) audivimus asseverantem, *eos qui cum Ratione, sive Verbo, vixerunt, Christianos fuisse, quamvis athei & nullius numinis cultores habiti sint: quales inter Græcos fuere Socrates & Heraclitus atque iis similes:* item, *Christum a Socrate ex parte cognitum fuisse.* Idem non dubitat eum veluti Dei martyrem, componere cum Christianis martyribus qui omnes artibus Diaboli & improborum hominum occisi sunt. Verba ejus sunt: (*a*) *Postquam Socrates ratione vera hæc* (Dæmonum technas) *per inquisitionem in apertum proferre, & mortales a Dæmonibus abducere est annisus, illi ipsi Dæmones per homines pravitate gaudentes, effecerunt ut quasi atheus & impius, nova inducens Dæmonia* (verum Deum) *occideretur.* ID IPSUM *itidem* DE NOBIS *faciunt.*

(*a*) Apol. ad Anton. p. 55. & 56. Edit. Colon. 1686.

XXV.

XXV. Clemens Alexandrinus. (*a*) *Iis*, inquit, *qui a Philosophia fuere justificati, auxilium tanquam thesaurus reconditur: ea quoque consensio quæ ducit ad Dei cultum & pietatem in Deum. Atque erat quidem ante Domini adventum Philosophia Græcis necessaria ad justitiam: nunc autem est utilis ad Dei cultum & pietatem iis qui fidem colligunt per demonstrationem. Quoniam pes*, *inquit*, *tuus non offenderit si quæ bona sunt, ad Dei providentiam referas, sive Græca sint, sive nostra. Omnium enim bonorum Deus est causa: sed aliorum quidem principaliter; ut Testamenti Veteris & Novi, aliorum autem per consequentiam, sicut Philosophiæ. Forte autem principaliter tunc Græcis data fuit priusquam Dominus Græcos quoque vocasset. Nam ipsa quoque Græcos Pædagogi more docebat, sicut Lex Hebræos ad Christum. Præparat ergo Philosophia ei viam muniens, qui a Christo perficitur.* Quid autem aut quam Philosophiam intelligat, ex ipso audire est: (*b*) *Philosophiam autem, non dico Stoicam, nec Platonicam, aut Epicuream, & Aristotelicam; sed quæcunque ab his Sectis recte dicta sunt, quæ docent justitiam cum pia scientia, hoc totum selectum dico Philosophiam.* Omitto alia ex eodem, ne longior sim.

XXV. (a) Clementis *Alexandrini*, (*b*) Strom. I. pag. 282. Ed. Col. 1688.

(*b*) Ibid. pag. 288.

XXVI. Athanasium, qui ad manus non est, scripsisse in Oratione de Incarnatione & adventu Christi, *aliquos justificatos lege naturali placuisse Deo*, annotavit Scultetus, in Medulla Patrum pag. 545.

XXVI. (3.) Athanasii,

XXVII. Chrysostomus de iis qui ante adventum Christi vixerunt, dixit. (*a*) *Poterunt homines tunc etiam ipsum Christum non confessi, salvari. - - - Quod autem qui ante Christum obierunt, ac ideo ipsum non agnoverunt, si ab idolorum cultu recesserunt, ac Deum solum adorarunt, si præterea honeste vitam peregerunt: æterna bona & beatitudinem* (Græce ἀπάντων ἀπολαύσονται τῶν ἀγαθῶν, omnia simul bona) *adipiscentur; audi quid dicat* Paulus: *Gloria & honor & pax omni operanti bonum, Judæo primum, & Gentili.* Addidit interpres in margine hoc lemma: *Gentiles salvari potuisse.*

XXVII. Chrysostomi, (*c*) Homil. 37. in Matth. p. 431, 432. Ed. Ffurt. 1697.

XXVIII. Hieronymi locus insignis est, in Epist. ad Gal. Cap. 1. *Perspicuum fit, naturâ omnibus Dei inesse notitiam, nec quenquam sine Christo nasci, & non habere semina in se sapientiæ & justitiæ, reliquarumque virtutum. Unde multi absque fide & Evangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè.*

XXVIII. Hieronymi,

XXIX. Augustini; XXIX. Augustinus in Libro XVIII. de Civit. Dei, Cap. 47. hæc habet inter alia: *Homines quosdam non terrena, sed cælesti societate, ad veros Israëlitas supernæ cives patriæ pertinentes, etiam in gentibus fuisse, negare non possunt* (Judæi:) *quia si negant, facillime convincuntur de sancto & mirabili viro Job.* Et paulo post. *Divinitus autem provisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno sciremus, etiam per alias gentes esse potuisse qui secundum Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad spiritalem Hierusalem.* Quod confirmat Vives commentator nota satis longa.

XXX. *Uti & recentiorum, ac ipsius* Lutheri. XXX. Plura antiquorum non libet, uti nec aliorum, (†) ceterorum producere testimonia. Sed trina ex Luthero hic addam,

(†) Anselmi, Brunonis, Thomæ, Tostati, Fabri Stapulensis, Andradii, Collii &c. item & Zwinglii, Gualteri, Seb. Franckii, Frankebergii, Boëmii, Zimmermanni, Pordægii &c: Addam tamen hic duo ex Libris apud Catholico-Romanos probatis. Illustrium ac Sanctarum Brigittæ & Mechtildis, quæ quatuor abhinc circiter seculis vixerunt. In illius Divinarum Revelationum Libro I. Cap. 41. repræsentatur Christus, qui conqueritur de quinque hominum ordinibus, in quos totum humanum genus diviserat, & quorum tertius Judæorum, quartus Paganorum erat, quibus autem omnibus sua incumbebat ab illo condemnatio: verum is ex hisce duobus nonnullos sic excepisse notatur: *Sed de te, o Judæe, excipio omnes Judæos qui occulte sunt Christiani, & serviunt mihi sincera charitate, & recta fide, & opere perfecto in occulto. De te autem,* PAGANE, *excipio omnes qui libenter incederent per viam mandatorum meorum si scirent quomodo, & si instruerentur, qui opere faciunt quantum sciunt & possunt.* HI NULLATENUS *vobiscum* (alloquitur omnes quinque) *judicabuntur.*

In Libr. I. *Spiritualis Gratiæ* (sive Revelationum) Stæ. Mechtildis, Cap. 59. ipsa sic de se loquitur. *Sabbato quodam dum cantaretur sequentia - - - in illo versu,* UT FONS SUMME &c. *cogitabat* (Mechtildis Virgo) *quot & qualia dona, & quanta inenarrabilia bona de ipso* FONTE OMNIUM BONORUM *emanassent, & sine fine emanent. Et ait illi Dominus: Veni, & vide* MINIMUM QUI EST IN COELO; *& tunc poteris cognoscere* FONTEM PIETATIS. *Ipsa vero cogitare cœpit, ubi illum posset invenire, aut quomodo valeret eum agnoscere. Et ecce, occurrit ei vir quidam viridi amictus vestimento, crispos habens crines & glaucos, mediocris staturæ, pulcher facie nimis, & decorus valde. Cui illa: Quis enim tu es? Ego* (inquit) *eram in terris raptor & maleficus, & nunquam opus bonum feci. Quæ ait: Quomodo huc in gaudium intrasti? Respondit: Omnia mala quæ feci, non ex nequitia, sed quasi ex consuetudine, & melius nesciens, perpetravi: quia ad hoc a parentibus nutritus eram: ideoque in fine, per pœnitentiam, Dei misericordiam sum consecutus: & centum annis fui in locis pœnarum, & multa pertuli tormenta: Et nunc sola gratuita Dei pietate huc in requiem sum deductus. Tunc ille omnia bona quæ Deus tam misericorditer in ipso peregit, isti ancillæ* (Dei) *quæ hæc vidit, tradidit: Et hoc erat illi lætitia magna, quod hoc facere potuit. Sicque* FONTEM PIETATIS *cognovit in* MINIMO. *Quia si Deus talia operatus est in eo qui nil boni peregit, quid in justis Sanctis*

dam, quæ ne ſuppoſititia credantur, videbit lector confirmari apud Cl. Pfannerum ab Hulſemanno & Muſæo. Exprimam e Germanico prima duo verbis Cl. Pfanneri Latinis: (*a*) *Cicero* (inquit Lutherus) *vir ſapiens & induſtrius, multa tulit fecitque. Spero Deum ipſi illique ſimilibus propitium fore.* Et alibi exiſtimat: (*b*) *Multis Ethnicorum ſalutem contigiſſe per extraordinariam quandam Dei miſericordiam.* Tertius locus ex Tom. IV. Jenenſi Germanico, fol. 114. a. Latine redditus ita habet: *Id negari non debet, quod ſæpe etiam inter Gentiles vere boni fuerint Chriſtiani; uti quoque de Rege Nabuchodonozore, item Naamane Syrio legimus, qui utique probi erant,* PLURIMIQUE ALII *inter* GENTILES. *Quapropter credibile eſt hunc etiam* (Abimelechum) *fuiſſe fidelem. Neque ludificationem putemus, Deus ſi quem ea dignatur gratia qua Regem illum, ut ad eum veniat, ei ſe manifeſtet, cum eo loquatur, eumque diſpendii commonefaciat. Omnino virum non ex poſtremis fuiſſe oportet.* Quid quod Lutherus Jægero ſuarum partium adulatori, Gentilium meliorum oſori, adeo diſpar fuerit, ut ſuos Lutheranos maximam partem velut Chriſtiano nomine indignos, Ethnicis bonis ſimiles eſſe optaverit, verbis hiſce, ex Germanico redditis: (*c*) *Chriſtiani non adeo obvii ſunt, ut tot unum ad locum ſe congregare poſſint. Rara avis eſt Chriſtianus.* UTINAM *maxima pars noſtrum* (Lutheranorum) PROBI ESSEMUS PAGANI, *viventes ex præſcripto legis naturæ, ne dicam Chriſti.* Et alibi idem conqueritur, ne hoc quidem eſſe, ut Ethnicis æquiparandi ſint Lutherani, quos ſic alloquitur: (*d*) *Nos*, inquit, *ſepties* PEJORES PAGANI *facti ſumus quam antehac fueramus.*

(*a*) Luth. in Colloq. menſ. ap. Pfann. Cap. 22. p. 494.

(*b*) Luth. in Genes. 4. & 9.

(*d*) In Poſtill. Eccl. Dom. III. Quadrag. p. 309.

XXXI. Et de hoc quidem argumento ſufficiant hactenus dicta & allegata, quæ ſane æquum fuerat D. Jægerum non ignoraviſſe, & bene digeſſiſſe, priusquam ea *ex lacunis Pelagianorum & Naturaliſtarum hauſta declararet*, per Diſſertationem adeo miſeram ac nullam, licet ejus judicio dignam quæ ad verbum in ſuo Syſtemate Theol. - - - Polemico (*e*) recocta apponeretur denuo. Eumne etiam latuiſſe ſequentia nuperi Scrip-

XXXI. *Concluſio cum teſtimonio Grabii de Patrum hac in re ſententia.*

 toris

Sanctis ſuis perficiet? Hactenus illa. Hunc autem fuiſſe paganum, ex univerſali ignorantia in qua is ejusque parentes fuere, clarum eſſe puto. Quæ de animæ poſt mortem purificatione ibi tanguntur, e ſequenti Capite amplius patebunt.

(*c*) Luth. Tom. III. Altenb. p. 118. Apud. G. Arn. Hiſt. Eccl. Part. 2. p. 150.

(*e*) Tom. II. Part II. Libr. III. p. 9. & ſeqq.

toris Doctiss. Grabii declarata, in Præfatione ad Acta Theclæ: (a) *Quod vero attinet istud de Tryphena, rogante Theclam ut pro defuncta Falconilla precaretur, quo in locum refrigerii & vitam æternam transferretur; hoc tantum abest, ut Acta Theclæ novitatis convincat, ut potius eorum antiquitatem confirmet. Quippe* ANTIQUISSIMI *quidem* PATRES *melius de* ETHNICORUM *qui honeste vixerant, unumque Deum coluerant*, SALUTE *& liberatione ab æterno exitio sperarunt, quam recentiores, qui male illis ominati sunt; adeo ut sequioribus seculis absurdum fuerit animabus infidelium* (Ethnicorum) *defunctorum refrigerium, & tandem vitam æternam, adpostulare.* Hactenus ille de sensu SS. Patrum quantum ad salutem Ethnicorum. Locum de Falconillæ ex pœnis ad Stæ Theclæ preces liberatione, infra (b) producemus.

(a) In Spicileg. SS. Patr. Tom. I. pag. 94. Ed. Oxon. 1700.

(b) Cap. seq. §. 31.

CAPUT VIII.

De Purificatione animæ post mortem.

I. Purificationem seu Sanctificationem acquiri non posse per modum imputationis externæ.

I. ANtequam de animæ post hanc vitam purificatione specialius agamus, prænotandum est quam maxime, purificationem sive sanctificationem esse ejusmodi beneficium Dei, quod acquiri non potest per modum imputationis externæ, sed solum per inhærentiam rei in ipso subjecto. Dantur enim duo beneficiorum genera minime confundenda, quorum alterum imputatione, alterum operatione inhærenti & intima acquiritur. In naturalibus, v. g. vel civilibus, reus aliquis a rege restitui potest in statum integrum, ignobilis declarari & fieri nobilis per imputationis viam: Sed si quis sit cœcus, aut æger, is non potest per imputationem visus aut sanitatis alterius fieri oculatus vel sanus: verum opus est ut beneficia ista visus & sanitatis ei insinuentur inhærenti ac intimo modo. Sic in rebus spiritualibus: ubi homo qui in Deum peccavit, consideratur ut qui meritus sit a Deo plane relinqui; id hominis demeritum tolli potest per imputationem quâ, propter Christum intercedentem, reassumatur ac si Dei derelictionem meritus non esset. Sed quando idem consideratur, v. g. ut ex misero salvandus sive beatificandus, hoc beneficium non per viam imputationis, sed per

viam

viam inhærentiæ debet ei donari; neque quisquam esse aut dici potest salvatus imputative, dum inhærenter damnatus vel salute in se privatus est. Idem plane de sanctificatione dicendum, per quam animæ à peccati sordibus & maculis liberantur, & puritate integra donantur. Id beneficii non aliter quam per modum operationis inhærentis, ac infusionis intimæ & inhabitantis acquiri potest. Absurdum plane est credere, se purum vel purificatum imputativo modo, qui inhabitantes impuritates adhuc in intimis relinquat; absurdum clamare toto gutture, *Sanguis Jesu Christi purgat nos ab omni peccato*, quando tamen isti clamatores re ipsa & inhærenter peccati sordes adhuc in se habent atque fovent nec plane sancti sunt.

II. *Sententiam de Purificatione post mortem malè novam dici & à P. excoctam. Tria hoc Capite exhibenda.* (*a*) pag. 377. Contr. XXXI. (*b*) In tit. Disput. Ann. 1716.

II. Quanquam sententia de animarum hinc non sine peccati maculis decedentium *purificatione* post hanc vitam, nec nova sit, nec mei unius, neque ab æquioribus omnium partium inter eas sit numerata quæ articulos fidei faciunt: placuit tamen D. Jægero mecum de ea in Examine suo (*a*) contendere perinde ac si *nova* esset, mihi specialis, & à me excogitata, vel, ut suo more loquitur (*b*) *excocta in cerebro Poireti* & *extracta ex fumo infernali*; & propter quam non solum in *heterodoxiam*, sed & *in impietatem* & *in blasphemiam* incurrerim. Quæ nemo non videt, ne ab ignorantissimo quidem tirone, sed à solo animo sui non compote proficisci & objici posse. Transeant tamen ista. Indicabo hic paucis (I.) quid ea in re fecerim. (II.) Quid ad hæc objecerit D. Jæger. (III.) Deinde videbimus quid hic antiqui, quid docti etiam ex posterioribus de hac materia senserint.

III. (I.) *Quid ea de re tradatur in Oeconomia duobus Capitibus.*

III. (I.) Eo de argumento scripsi in Oecon. Libr. V. Capita duo integra, videlicet VI. & VII. quæ simul centum ferme paginas Gallicè faciunt; Latine, in majori forma, quinquaginta. quæ autem supponunt Caput V. quod præcessit, de purificatione animæ hac in vita, & lectum esse & in mente haberi. Nihil mihi asserendum sumsi neque de gradibus, neque de modis, neque de locis, neque de mediis, an ignis sit vel aliud quid, neque de duratione, nec de ullis circumstantiis purificationis animæ: sed hoc tantum *in genere*, Animas quæ decedunt ex hac vita, peccato ejusve habitibus & radice adhuc infectæ, licet vere pœnitentes decedant, debere ab iis impuritatibus munda-

 ri,

ri, antequam ad ſanctam cum Deo unitionem & beatificam ejus viſionem admittantur. Hujus probationes continet Caput VI. Solutiones difficultatum oppoſitarum in Cap. VII. reperiuntur.

IV. *Quorum alterum poſt duo axiomata veritatem hanc probat argumentis quindecim; alterum reſolvit difficultates ſex.*

IV. Suppoſui fundamenti loco Principia ſive Axiomata duo, digna quæ ut vera ab omnibus admittantur.

Alterum, Sine perfecta Sanctitate Deum videri non poſſe. Quod Scripturis ſacris, Matth. 5. ℣. 8. 2 Cor. 6. vſ. 14. Hebr. 12. vſ. 14. & Apoc. 21. vſ. 27. ibidem confirmavi.

Alterum, quod dentur non pauci, qui in viâ converſionis decedunt adhuc imperfecti & nondum ſancti, qui tamen non peribunt, ſed nec ſervabuntur antequam mutatio magna in iis fiat: quæ vero dicitur *purificatio.*

Quam autem probavi multis argumentis: & quidem,

Primo, ex ejus natura, quæ infert tempus ſive moram, &, generalius loquendo, doloroſum ſenſum;

Deinde rationibus pluribus, iiſque deſumtis tum ex Dei, tum ex animæ ejusque naturæ, ſtatus, ſalutis, & conditionum conſideratione; qualium rationum protuli hic quidem quatuor & decem, quæ vero deſumtæ ſunt 2. Ex Dei Juſtitia. 3. Ex ejuſdem Veritate. 4. Ex illius Sanctitate. 5. Ex notione à Deo cordibus omnium inſcripta. 6. Ex natura animæ quæ eſt ſenſibilis. 7. Ex eo quod ſine purificatione ſaluti ineſſet ignorantia ſui. 8. Ineſſet & eidem ſaluti ignorantia Dei ut Liberatoris. 9. Nec poſſent deliciæ ſalutis ſine eadem purificatione guſtari. 10. Pugna quæ inter gratiam eſt & peccatum idem quoque exigit. 11. Adſtruitur idem ex conſideratione reſtitutionis facultatum in integrum. 12. Et hinc, quod ſine ea purificatione gratia ſalutaris occaſionem exitii daret. 13. Tum ſine eadem pravos habitus deleri non poſſe: 14. Nec ſanctos & perfectos habitus comparari. 15. Ac denique amorem purum idem exigere. Quæ omnia clare à me expoſita, diducta, ac, ubi opus fuit, vindicata ſunt.

In Cap. VII. proponuntur & reſolvuntur difficultates ſex.

1. Annon doctrina hæc, de doloroſa purificatione, deſperationem potius inducat, quam ſolatium præbeat? 2. Annon oppoſita ſit remiſſioni peccatorum à Deo promiſſæ, præcipue uti

exſtat

exſtat in Prophetia Ezechielis Cap. 33. ℣. 12, &c? Item 3. loco 1 Joan. 1. ℣. 7. ubi ſanguini Chriſti purificatio tribuitur? 4. Annon & Bonitati Dei opponatur? 5. Cur hac in vita purificatio illa non fiat potius, quam in altera vita? 6. Denique, Cur Scriptura de hiſce, ſi vera ſint & tam magni momenti, clariorem mentionem non faciat? His omnibus conatus ſum ut plenius & notabiliter fieret ſatis.

V. (II.) Quid ad hæc autem D. Jægerus in ſua Controverſia XXXI? V. *Ex his J. in Examine ſuo non niſi tres lacinias affert & vellicat fruſtra.*

Citat *primo* deficienter meum I. Axioma. *Secundo* allegat eodem modo alteram rationem ex meis; item &, *tertio*, decimam tertiam: ceteras omnes relinquit intactas, addens, (*a*) *hæ* (tres illæ laciniæ) *ſunt potiores rationes Dn. Poireti pro novo* (ſic falsò appellat) *purgatorio. Omnes recenſere nimis longum foret.* Tum antequam eas vellicare tentet, perſuadere vult, me in totum niti revelatione facta ea de re D. Burignoniæ: quod falſum eſſe, ex aliis rationibus meis allatis omnes vident. Cauſatur nec Apoſtolis, nec Scripturis id revelatum eſſe: cui exceptioni reſponſum vidit à me ad difficultatem Sextam, ſed id diſſimulat. Et poſtquam cœcum in modum ſubjunxit, (*b*) *pœnas eſſe ad purificationem inſtrumentum* ineptum, ſtolidum eſſe id credere; putat ſe tribus illis rationibus, quas è medio aliarum deficienter protulit refutandis, ſatisfacere mihi imputando, quod ſtatuam tamen animas in ſtatu & *tenebris purificationis illuminari*: quod nunquam de illuminatione unitiva, nec de tenebris peccati, licet pœnæ, in mentem venit. Addit *purificari corda per fidem:* utique: at non per Jægerianam ac imaginariam fidem, ut in ipſo patet; ſed per fidem, quæ eſt abſoluta noſtri & omnium quæ in nobis ſunt traditio Deo ac Redemptori noſtro, ejuſque operationibus: cujus fidei efficacia & poſt mortem cum ipſa fide permanet & non in momento omnia operatur. Dicit deinde, *juſtitiam Dei*, malorum actuum & habituum nec dum delectorum reſpectu, in hoc conſiſtere, ut *qui in deliciis mundi vixere, & demum in morte* ad *Chriſtum converſi fuere*, minorem ſint habituri *gradum gloriæ*; & *habitualia mala tolli, non intercedente aliqua mora, ſed in momento*, & ob ſatisfactionem Chriſti: Contrarium *ſapere Philoſophiæ Scholam.* Quid ni Chriſtianus poſſit u-

(*a*) Jæg. p. 379.

(*b*) p. 382, & 383. &c.

ti

ti Philosophia (quam falso ibidem dicit noster me *sæpe diris orationibus devovere*,) eaque saniori, cum ipse Jægerus *sanam* (*a*) alicubi *Philosophiam* in Gentilibus nonnullis agnoverit? Verùm ut videat ex teste probato eoque, minime Philosopho, quanta cum difficultate ac mora habitus mali ex anima deleantur, legat si placet divini Macarii Homiliam XLI. hac de re consideratione dignissimam. Satisfactio sensu Jægeriano, & justa mali compensatio per minorem gloriam, uti & momentanea transformatio vel immutatio animæ, meræ sunt ejus adulationes, Justitiæ divinæ notionem ejusque in sacris declarationem plane evertentes, non minus quam ipsam rerum spiritalium naturam & proprietates. Et hæc quidem sunt Controversiæ ejus de nostro hoc argumento in Examine suo contenta, brevius indicata.

(*a*) Ex. Theol. Myst. p. 175.

VI. *Disputatio ejusdem contra hæc ipsa Titulo planè singulari, ejusque contenta.*

VI. Verum enim vero, cùm hæc non impedirent, quin vel me tacente rationes meæ in Oeconomia declaratæ, apud quosvis probos & rerum spiritalium æquiores ac perspicaciores consideratores prævalerent ac invalescerent, ita ut etiam Germanico idiomate verterentur & publicarentur duo illa ex Libro meo de hocce subjecto Capita cum alio quod ea præcesserat (*b*); tam immanes iras inde concepit D. Jæger, ut post decennii circiter hac de re silentium, non potuerit quin in novam omniumque impotentissimam contentionem & aggressionem denuo erumperet, per editam à se anno 1716, Disputationem, è cujus raro titulo Lector de contentis deque aggressoris animo judicare possit. Titulum ei hunc fecit: *Nova purgatio animæ post mortem excocta in cerebro Mad. Bourrignion & Petri Poireti, extracta ex fumo infernali, rejecta ab Eminentissimo Domino Cancellario Joh. Wolfgang Jægero SS. Theol. Doct. & Profess. Primario famigeratissimo, Serenissimi Ducis Wurtenb. Consiliario, Eccles. Tubing. Præposit.* &c. *Respondente M. Christoph. Caspar. Osiandro* &c. Ea continet, post Præfationem, Capita quinque, undecim Corollaria anathematica, duas Reflexiones Practicas, & Carmina quorundam Versificatorum novemdecim, (inter quos ipsemet est) quibus fere tum ei suove Respondenti adulantur, tum me conviciantur. Hæc carmina cum Corollariis, Reflexione practica secunda ipsoque titulo omissa sunt in Editione secunda subjectâ novæ Jægeriani Examinis editioni hujus anni (1719). Libet nonnulla in gra-

(*b*) *Reinigung der Seelen vor oder nach dem Tode.* 1711.

gratiam curioſorum de hac Diſputatione annotare.

VII. In *Præfationis* ſuæ initio me illico *Fanaticorum & Enthuſiaſtarum Primipilum* appellare gaudet EMINENTIA ſua, cui tamen revera hic titulus ex æquo magis competeret: namque animi impetus turbulentos ac ratione deſtitutos haud ſecus ac divinum Zelum in rebus ſpiritualibus ſequi, genuinus *Enthuſiaſmus eſt* & *fanaticiſmus*, idemque verus D. Jægeri character, ut ſæpius patuit & patet adhuc in ſuis *Reflexionibus practicis*. Affirmat ibidem præter omnem veriſimilitudinem Præſules aliquot in Gallia, *Pariſienſem*, *Meldunenſem*, ac duos alios, doctrinam de qua agitur, *per ſolidiſſimas rationes ex Patribus deſumtas rurſus extinxiſſe*. Cujus contrarium ex ipſorum libris, praxi quotidiana quâ in Miſſa quavis pro *refrigerio defunctorum* orant, eque doctrinalibus Concilii Tridentini admiſſis evidenter patet. Forte abuſus quoſdam ea in re, non autem rem ipſam refutaverunt, & quidem ſecundum ipſum Concilii Decretum, quod ita ſe habet: (a) *Præcipit Sancta Synodus Epiſcopis, ut ſanam de Purgatorio doctrinam, à ſanctis Patribus & ſacris Conciliis traditam, à Chriſti fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter ſtudeant. Apud rudem vero plebem* DIFFICILIORES *ac* SUBTILIORES *quæſtiones, quæque ad* ÆDIFICATIONEM NON FACIUNT, *& ex quibus plerumque nulla fit pietatis acceſſio, à popularibus concionibus ſecludantur.* INCERTA *item, vel quæ* SPECIE FALSI *laborant, evulgari ac tractari non permittant. Ea vero quæ ad* CURIOSITATEM *quandam ac* SUPERSTITIONEM *ſpectant, vel* TURPE LUCRUM *ſapiunt, tanquam ſcandala & fidelium offendicula prohibeant:* quo ſane Decreto nil ſapientius ea in re potuiſſet ſtatui.

VII. De hujus Præfatione. Enthuſiaſmi character quis. Narrata non veriſimilia.

(a) Seſſ. XXV. ſub initio.

VIII. Caput I. Diſp. promittit tractationem *De Purificatione Animæ poſt Mortem ex mente Pontificiorum:* & tamen de eorum mente ac ſententia ne verbum quidem habet; ſed totus in eo impenditur, ut de Platonicorum ac Poëtarum opinionibus agat, quas deinde ſine probatione ac veritate dicit ab *Eccleſiaſticis Doctoribus* quibus *Platonici Philoſophi in magna erant admiratione*, eſſe admiſſas. Amplectitur hic D. Jæger methodum & artes Socinianorum, qui ut doctrinam de Divinitate τοῦ Λόγυ, Filii Dei, deque SS. Trinitate rejectaneam eſſe oſtenderent, excogitave-

VIII. De Capite I. An hæc doctrina Platonicis Philoſophis originem debeat.

runt haud ita diu hanc calliditatem, ſcilicet ut eam ex Platonicis Philoſophis deſumtam dicerent. Imitati ſunt idem & ineptiores Antimyſticorum, qui Theologiam illam internam voluerunt quoque perquam abſurde ex Ethnicis Platonicis ortam eſſe. Quando contra, SS. Patrum & hodiernorum Theologorum doctiores (a) oſtenderunt, Philoſophos Gentiles ipſumque Platonem, ſi quid ſimile Myſteriis noſtris haberent, id ex Judæis per Ægyptios aliosque conſecutos eſſe, quod poſtea variis commentis ſuis involverunt. De ſtatu animarum poſt mortem, eum apud Judæos etiam antiquiſſimos fuiſſe pro ſtatu lugubri ac tenebroſo habitum, eorum Scripta, imo Veteris Teſtamenti loca plurima, evidenter teſtantur. De eorum autem uti & Ethnicorum ſententia præ D. Jægero conſuli meretur Windet in libello *de vita functorum ſtatu*, ubi & Ethnicos ab Iſraëlitis mutuaſſe non pauca affirmat. Ceterum quod ad me attinet, poſſum coram Deo aſſeverare, me, cum de hac purificatione ſcriberem, nullos plane antea Platonis nec Platonicorum libros legiſſe aut inſpexiſſe, neque ullos Doctorum qui de eo argumento ſcripſerunt; ita ut totum hoc Caput I. Jægerianum, originem Platonicam reclamans, planiſſime me non reſpiciat.

(a) Juſtinus. Clemens Alex. Bullus. P. Baltus &c.

IX. *De Capite II. quod è rationibus Poireti tantum quatuor attingit mireque vellicat.*

IX. Cap. II. Jægerianæ Diſſertationis hunc gerit titulum: *Argumenta Dn. Poireti pro purificatione animarum poſt mortem.* Verum meis quindecim ex argumentis lacinias tantum producit ſecundi, quarti, quinti & ſexti argumenti imperfectas, ceteris undecim omnino intactis ac firmis ab eo relictis. Adduxit etiam (pag. 19.) unum ex Oecon. pag. 445. Sed extra oleas; pertinet enim ad purificationem quæ fit in hac vita, & quod huic opponit, nihil hic ad rem proficit. Vellicavit autem quatuor illa miris omnino modis, imputando mihi non vera, recurrendo ad ſatisfactionem adulatorio ſenſu expoſitam, aſſumendo principia falſa, allegando quosdam è Patribus potius contra ſe quam aliter, ſibique etiam contradicendo, quæ poſtea ſigillatim & breviter indicabo. Tum vero tranſit ad Caput III.

X. *De Capite III. difficultatibus ſolutis op-*

X. In eo vult oſtendere, ſolutiones quas dedi ad difficultates illas ſex à me recenſitas veluti mihi oppoſitas, eſſe nullas. Recenſet quatuor: duas relinquit integras, & pro quinta, ponit argumentum meum quintum ex notionibus communibus de-

desumtum ac pro me faciens. Dormivit: atque adeo, dum vult ac debuit ostendere me male solvisse *difficultatem primam*, quæ est de timenda *desperatione*, pro hoc profert aliquid responsi quod pertinet ad argumentum illud quintum *de notionibus*, in Capite præcedente: & tunc quidem mira pandit de *octo beatitudinibus*, ex iisdem elicere gestiens animarum post hanc vitam purificationem dari nullam non minus absurde, quam si propterea primum quemvis è Scriptura locum casu arriperet, ac diceret, v. g. *In principio creavit Deus cœlum & terram:* Ergo non datur post mortem ulla animæ purificatio. Nam quæ hæc est, quæso, sua ex hisce quam elicit consecutio: „ Qui per vitam suam ac perseveranter fuerunt in *paupertate spiritus*, in *luctu*, qui *mites*, *esurientes* & *sitientes justitiam*, *misericordes*, „ *mundi corde*, *pacifici & patientes* fuerunt, *beati sunt* vel erunt: „ Ergo qui non fuerunt tales, sed tamen ante mortem serio „ supponuntur vera pœnitentia tangi, non habent opus, si tunc „ decedant, ulla purificatione? Addo & D. Jægeri doctrinam istis beatitudinibus plane esse oppositam. Nam secundum illum dici possit „ *Beati* divites spiritu, superbi, gaudiis indul„ gentes, immites, justitiam non desiderantes, immisericor„ des, impuri, contentiosi, impatientes: *nam* modò in fine „ vitæ suæ sibi persuadeant & dicant Christum esse Satisfacto„ rem suum, protinus ac statim, sine ulla mora, *eorum erit* „ *regnum cœlorum*, &c. Quod verò Christi doctrinam reddit omnino cassam atque inutilem, imo etiam falsam & absurdam. *posito, non sine confusione & absurdis.*

Nec meliores sunt ceteræ D. Jægeri oblocutiones, in quibus universis invenire licet sequentia partim assumta sibi falsa, partim falso mihi imposita, partim inter se pugnantia.

XI. Ponit ille passim velut vera totidem, falsa quibus innititur. *XI. Falsa in his asserta.*

(1.) Doctrinam de animabus post mortem purificandis, esse *heterodoxam*, *monstrosam*, *impiam*, *blasphemam*. Disp. de Purg. p. 38. 48, 49. Quæ vero falsa suppositio causa ipsi est cur & in illam purificationem & in me tam impotentibus animi sui affectibus fræna passim ita laxet, ut nullum teneat modum, immemor vel suam *Concordiæ Formulam* (a) agnovisse in *Patribus* & *Conciliis*, *(1.) Doctrinam hanc esse heterodoxam, monstrosam, impiam, blasphemam. Contra-*

(a) pag. 197. Edit. Lipf. 1654.

rium agnosci à recte sentientibus. *ciliis*, *purgationem imperfectarum animarum* vita functarum, & in Augustino, peccata *venialia concremari*. Sane Lutherum ipsum diu adhuc post Reformationem suam in hac fuisse sententia, certum est: & hucusque quivis recte sentientes moderatiores eandem inter illa quæ hæresin non faciunt, & tolerabilia sunt, annumeravere. Guil. Forbesius, Episc. Edinb. ita habet: (a) *Romanenses opinionem suam de Purgatorio punitivo - - - pro fidei articulo nec habeant ipsimet, neque aliis obtrudant. Protestantes etiam quibus ista opinio improbatur - - -* HÆRESEOS *tamen aut* IMPIETATIS *aperte eandem ne damnent. Sententiæ vero communi Græcorum, atque etiam quorundam virorum doctorum in Ecclesia Latina, de Purgatorio expiatorio* (maculas & radices peccati tollente) *- - - neutri pertinaciter obluctentur: sua enim, atque ea quidem haud exigua probabilitate minime destituitur.* Paulo ante §. 19. allegaverat idem verba sequentia Episcopi Wintoniensis in resp. ad Card. Bellarminum, Apolog. Cap. 8. p. 208. ubi de purgatorio sic infit? *Locum id habere potest inter Opiniones Scholæ, quæ non sine formidine contrarii sunt: inter fidei articulos non potest. Loco ergo suo consistat:* OPINIO SIT. Sed D. Jægero placet magis araneorum mos, qui omnia in venena & hæreses convertere gestit. Pergamus in ejus assertionibus falsis hac in materia indicandis. Ponit itaque præterea, nec sine stupenda audacia, ac totidem verbis,

(a) Considerat. Libr. 5. part. 2. Cap. 4. §. 20.

XII. (2.) *Negat nonnisi per viam angustam malique mortem viam dari ad vitam;*

XII. (2.) *Falsum est quod nulla spes relicta sit ingrediendi ad vitam nisi* PER MALI MORTEM, *per* CRUCIATUS, *per* VIAM ANGUSTAM *& spinis obsitam.* Disp. p. 28. (Nov. Edit. p. 700.) Vult igitur D. Jæger posse in vitam æternam dari ingressum per viam latam, & cum peccato adhuc vivente, nec mortuo. Quid vero est facere Deum peccati socium & non osorem, contaminare ac negare sanctitatem Dei, Deumque adeo ipsum, si hoc non est? Quid est obloqui Scripturæ, Christo, eumque facere mendacem, atque adeo peccatorem; (secundum Jægeri consequentiarum methodum)? Quid impium & blasphemum dici meretur, si non hoc D. Jægeri effatum, quod frustra ille postea fide sterili, mortua, imaginaria, ac *Latronis exempli* adulatorio abusu contegere tentat, uti mox patebit.

XIII. (3.) *ut &*

XIII. (3.) IMPURITATEM *animæ repugnare* SANCTI-

TATI

TATI DEI, &, *Neminem admitti ad* VISIONEM BEATIFICAM *qui impollutus est*; (quas NOTIONES assumsi,) dicit ille absurdissimè *desumtas esse ex* REGNO NATURÆ; me NATURALISTAM *agere*, *magnum defectum* id esse, & *neglectum* REGNI GRATIÆ, Disp. Cap. 3. pag. 23. Quasi attendere ad ea quæ Deus omnium naturæ & cordibus inscripsit, defectus esset: (pudefaciant hic Ethnici Jægerum:) imo esset idem Scripturæ ac gratiæ contemptus: & quasi hæc ipsa plus millies in Scripturis sacris, in Patribus ac in quibusvis Doctorum omnium partium libris tantum non omnibus dicta & asserta non exstarent infinitis modis! Quis hæc oculis aut memoria aut conscientia non captus negare audeat? Quid præterea?

impuritatem repugnare sanctitati Dei: Hoc esse ex regno natura.

XIV. (4.) Addit, *In* IMPURITATE *dari tamen mysticam &* ARCTISSIMAM (animæ) *cum tota Sacrosancta Trinitate* UNIONEM. Disp. p. 16. (Nov. Ed. Exam. pag. 685.) Item: *Injustissimum fore si decedentes in fide etiamsi adhuc circa finem vitæ aliquibus* MACULIS PECCATI *fuerint inquinati, prius* PURIFICANDI *essent.* Disp. p. 27. Ed. Nov. p. 699. Quis ad hæc non horreat, & vel Gentilium hac in re Theologiam istis horribilibus tenebris non præferat, quæ primas de Dei sanctitate & a peccatis separatione notitias in cordibus & Scripturis sacris impressas expungere satagunt? Et tamen horrenda hæc dogmata Satisfactione Christi obnubere imo defendere molitur.

XIV. (4.) *In impuritate dari unionem cum Deo arctissimam.*

XV. (5) *Pœnas, dolores, cruces*, non esse instrumentum vel medium aptum ad *animæ purificationem. Stolidam esse purificationem quæ per pœnas fit.* Exam. Th. Nov. Contr. XXXI. pag. 381, 382. Jæger & se, & omnes quibus adulatur, vult carere cruce atque doloribus, & sine his in vitam ingredi, quanquam tota & natura & Scriptura inde evertatur. Isto sane modo non male consulit Amori proprio. Atqui hic amor proprius, fons peccati, qui salvari non potest, sed qui debet mori si salvari velimus, aliter mori non potest quam per *contraria sua.* Amor proprius consistit, vivit, nutritur & delectatur in voluptate & sensibilitatibus gratis, in abundantia, in æstimatione sui, in grato sensu interno quem habemus cum de nobis bene sentimus, aliique de nobis, inque omni eo quod nobis proprium est. Evidentissime clarum est, hæc mori non posse, nec melius mori posse quam

XV. (5.) *Pœnas, dolores & cruces non esse medium aptum ad purificationem, licet contrarium doceat res ipsa & Scriptura.*

per sensibilitates amori proprio, ejus lætitiis, gaudiis, abundantiæ, æstimationi oppositas, ingratas, dolorosas, anxias, desolantes eum ac plane enecantes. Tota Scriptura, ac in ea Liber Jobi, Psalterium, Prophetæ, vita, mors & dogmata Christi & Apostolorum, testantur Deum elegisse veluti *instrumenta* pœnas, cruces, dolores, afflictiones quibus purificaremur: ipse (a) Christus per dolores sive passiones consummatus est. Soli (b) *filii adulteri* recusant ita tractari & *castigari: castigat* ita Deus suos *ut* sint *participes sanctitatis ipsius*. Ast, inquit, Jægerus *pœnæ ex se & natura sua nil purificant*, ut patet in *Diabolis*. Verùm agimus hic de illis qui volunt desistere, & desistunt re vera, à peccato. Ceteris nec gratia Dei, nec Sacramenta, nec Scripturæ contenta, nec Deus ipse possunt prodesse eosve purificare; non mirum si nec pœnæ iis proficiant, veluti aliis qui a peccato recedunt voluntque restitui & manere in ordine divino. Hos enim vel natura sua monent pœnæ sibi aliquid deesse, se in defectu esse, humiliant; dictitant ad fontem boni, Deum, recurrendum esse pro medela; pœnas inde esse quod illum offenderint; dolendum esse de offensa illa omnis mali causa &c. Vel sola *pœnæ* notio hæc omnia infert in subjecto intelligentia prædito quod Deum versus tendit, & ad deliciosam ejus fruitionem creatum est. Hæcne D. Jægerum ignorare potuisse, vel dissimulare debuisse!

(a) Hebr. 2. ℣. 10.
(b) Hebr. 12. ℣. 8. & 10.

XVI. *Instantiæ allatæ dissipantur. Jægeri testimonium contra se ipsum.*

XVI. Porro ille (c) instat: *Sanctitas & puritas vera est dos & qualitas supernaturalis*, NON PER POENAM, *sed per gratiam divinam collata animæ; neque ulla ratione ignis vel* ALIQUOD *aliud* INSTRUMENTUM POENÆ, *illam cœli filiam conferre potest*. Vult D. Jæger sanctitatem ad veteris sui hominis amorisque proprii saporem, quam infundat Deus cum melle in vas impurum, per canalem deauratum, & instrumenta rosis ac floribus circumdata. Infundit Deus ex gratia Spiritum sanctitatis in vasa, quæ prius purificavit manus ejus per instrumenta virgarum ac dolorum, maxime spiritualium, eaque tincta in virtute Sanguinis Filii sui, qui sanguis non operatur nisi per cruces, & ipsemet crux est & mors amarissima impuritatis. Aliter cogitare, est nescire principia Christianismi: aliter docere, est adulari atque seducere a via salutis. Inspiciantur quæso vel notissimi Kempisii

(c) Ibid. p. 382.

pisii Cap. XI. & XII. Libri sui II; vel Caput ultimum Libr. III. de vero Christianismo Joann. Arndii. Quid plura? A Jægero provoco ad Jægerum, qui in *Examine Theologiæ Mysticæ* scripsit, (*a*) *mortificationem*, *dolores*, *mortem*, esse *medicinam*, tametsi *duram* & *asperam:* hac illisque *exstingui* debere *inclinationes nostras*; & *facultatibus omnibus nostris* impuris *vim inferri:* eis *viam sterni ad vitam spiritualem & plane divinam*. *Tristitiam* (dolorem spiritualem) *peccati remedium esse*, & id quidem *secundum auream divi Chrysostomi sententiam*, atque similia in toto Capite. Nunc autem ex eodem fonte manant omnino contraria, uti videmus, & adhuc videre pergemus.

(*a*) Cap. 8. p. 169. &c.

XVII. Addo, patere ex Scripturis pœnas, dolores, adversasque quasvis sensationes, non tantum iis qui purificandi sunt, sed & jam purificatis conducere, tum per eas ut *probetur*, utrum virtutes eorum, amor, fides, ac reliquæ jam satis puræ sint & solidæ, quemadmodum Petrus diserte ostendit (1 Petr. 1. ℣. 6.) tum ut qui adhuc hic vivunt, *conserventur* per hoc ipsum a contrahendis maculis & contagio seculi. Ignorat, inquam, principia Christianismi, qui pœnarum pretium inter Christianos ignorat. Sed quid præterea paradoxi ex D. Jægero? Nempe, pro Sexto superaddit.

XVII. *Quî pœnæ & purificatis conducant.*

XVIII. (6.) *Satisfactione Christi* effici, ut *non necessaria sit ulterior satisfactio* ex nostra parte, qua scilicet officio hominum redemtorum *satisfaciamus* in pœnitentia & sanctitate persequenda. (Vid. Disp. p. 27.) Ecce fundamentum Antinomismi & Libertinismi, uti & est id quod sequitur.

XVIII. (6.) *De Satisfactione exemtoria.*

XIX. (7.) Cum nemo sine *impuritate* (ceu putat, tametsi falsum sit,) *moriatur* (p. 12.) quæ est contra *sanctitatem* (p. 23.) sine qua, & sine *cordis puritate* non videtur *Deus*, (p. 25.) requisitam illam sanctitatem esse, non internam & inhærentem, sed ab extra, per *imputationem Sanctitatis* Christi (p. 49. & Coroll. 6.) quæ est ipsa *Satisfactio* & *purgatio* requisita, modo adsit *Fides*, Jægeriana scilicet, mortua illa persuasio, destituta animâ Charitatis sive Amoris mandata Dei observantis; fides illa cui facere voluntatem Dei sit *jugum insupportabile*, contenta credere, Christum per suam sanctitatem ac Satisfactionem nos a sanctitatis studio ejusque acquirendæ necessitate exemisse. Atque

XIX. *De Fide sensu Antinomorum asserta mira cum audacia.*

hîc eousque extra orbitam vagatur noster, ut audeat imponere Deo verba pro ultimo judicio plane iis contraria quæ Christus (Matth. 7. ℣. 21.) repræsentavit, quibus noster substituit conditionem unam adulatricis suæ fidei in SATISFACTOREM, qui nos a sanctitatis vitæ debito exoneraverit & pro officii nostri neglectu solverit. Disp. p. 11. Antinomi atque Libertini pejus dicere non possent.

XX. (8.) *De loco Joann. Sanguis Christi purgat nos à peccatis, resectis quæ præcedunt.*

XX. (8.) Centies non solum *fidem* clamat ac ostentat, quæ non sit principium practicum observationis præceptorum Evangelii ac voluntatis Dei; sed & pro scuto sumit verba illa Apostoli, (a) *Sanguis Jesu Christi purgat nos ab omni peccato*, resecando verba præcedentia, *si quidem in luce ambulemus sicut ipse in luce est:* nec monendo, sanguinem Christi non prodesse nisi iis qui sunt in Christo, qui autem non amplius vivunt secundum carnem, sed secundum spiritum, & qui reguntur Spiritu Dei; ceteris eum fore majoris damnationis causam, quippe qui eum (b) *pedibus conculcaverint. Sanguinem Christi requiret Deus* AB INOBEDIENTIBUS *ipsi*, ait Polycarpus Epist. C. 2.

(a) 1 Joan. 1. ℣. 7.

(b) Hebr. 10. ℣. 29.

XXI. (9.) *Exemplum Latronis in cruce malè afferri,*

XXI. (9.) Inclamat idem, & sæpissime quidem, LATRONEM IN CRUCE; ast eo fundamento, quô ex casu vel exceptione singulari fieret regula generalis. Huic latroni innixus, modo dixit (p. 28.) *falsum esse non dari ingressum ad vitam nisi per viam angustam, ut patet, inquit, exemplo latronis:* omnino veluti si quis diceret; *Falsum est* illud Apostoli, *statutum est hominibus semel mori*; ut patet exemplo Enochi & Eliæ, qui nunquam, Lazari & aliquot aliorum, qui bis mortui sunt. Adde, observante (b) Grotio ex Josepho, vocem qua usi sunt Evangelistæ loco *latronis*, sæpe denotasse non sceleratum, cædibus in viatores grassantem, sed qui arma contra Romanos cepissent, veluti Judæorum non pauci, e Zelo Dei Judaico contra eosdem fecere quos veluti usurpatores ac tyrannos populi Dei respiciebant, e quibus forte Galilæi illi in Euangelio Luc. 13. ℣. 1. Notandum insuper maleficum illum antea Christi ejusque præceptorum notitiam, quæ nunc omnibus obvia, non habuisse; ac quam primum habuit, sese Christo, quem omnes, discipuli quoque, reliquerant, & qui nullam habebat commendabilem ad sensus speciem, totum quantum potuit cum fide ac amore

(c) Hebr. 9: ℣. 27.

(d) In Discuss. Apol. Riv. p. 154.

amore incomparabili, cum magna humilitate & patientia tradidisse; non petiisse a cruce, doloribus, ignominia in quibus erat liberari; permansisse adhuc per aliquot horas in pœnis maximis, sustinuisse terribile crurifragium, & nihil interim planxisse ac de nulla re conquestum esse quam de peccatis suis contra Deum; inque eo statu, dolorum internorum & externorum mole, exspirasse.

XXII. Quid ergo est in *hoc latronis exemplo*, unde dicere possit Jægerus, *patere ex eo, falsum esse quod ad vitam non detur ingredi nisi per mali mortem, per cruciatus, per viam angustiam ac spinis obsitam?* Libenter quærerem ex D. Jægero ejusve similibus, qui sibi tantopere de hoc *latronis exemplo* gratulantur, utrum vellent per eandem cum illo viam ad cœlum ingredi, hoc est, prius pro meritis suis castigari virgis, vel flagellis concidi; dein ad crucis patibulum duci, illicque nudi ac vivi clavis affigi, pati illic ossium comminutionem, atque eo in statu tam diu manere donec præ cruciatuum magnitudine exspirarent? An hoc non haberent pro *ingressu ad vitam per cruciatus & viam angustam?* An jam cum latrone illo adhuc componi vellent? Aut valde fallor, aut sortem & exemplum istius Latronis per talem viam ad vitam ingredientis deprecarentur atque refugerent procul & quantociùs. Admitterent quidem læti consequentiam Paradisi; sed negarent ex animo præmissas viæ & crucis antecedentis. Eant nunc illi, & adulationes sibi in posterum extundere adhuc audeant de Latronis exemplo, eidem tantopere animi ac corporis constitutione, affectu & inclinationibus dissimiles, imo & contrarii. XXII. *Imo id non facere pro Jægero, sed contra eum.*

XXIII. Tædet me plura ejusmodi à D. Jægero posita recensere, præter quæ & mihi falsa alia imputat non una, ex. gr. me *post hanc vitam facere locum conversioni.* Disp. p. 17. Secundum me, *ex inferis dari redemtionem.* Ibid. p. 21. & Coroll. 9. Me *quærere justitiam infernalem purificantem apud Diabolos, & quæ ignem & flammas olet;* Reflex. pract. secund. p. 49. quæ evidenter ex animi impotentia effundit, & contra conscientiam: annotavit enim ipsemet initio Controversiæ suæ (pag. 377.) me nihil voluisse statuere de *igne materiali, de loco* aliisque particularibus circumstantiis purificationis; sed de ea tractare in genere XXIII. *Falsa nonnulla imputata.*

tantum. Verùm nec quid dicit, ejus paulo post ipsemet memor est, sed ei contradicit. Purificationem facit formidandam & *invisam* vel *novo homini*, (Disp. p. 21.) qui tamen infinite plus dolet de peccato quam de omnibus pœnis, ei minime invisis, nedum ei eripiant *fidem*, *spem* & *charitatem*, ut cœco modo loquitur, nescius quid possit & faciat amor Dei. Alibi p. 27. dicit, per eandem me *implicari amori proprio*. Rursus alio in loco p. 43. desperationem objicit. Dimitto hoc Caput, tædiosum satis.

XXIV. *De Capite IV. quod nihil ad rem.*

XXIV. Caput ejus IV. *de apparitionibus* me plane non tangit, quippe qui, teste D. Jægero, contestatus sim me de istis atque similibus, quæ singulariora respiciunt, nihil statuere voluisse.

XXV. *De Capite V. rationibusque sententiæ Jægerianæ ibi allatis.*

XXV. Cap. V. promittit rationes quibus ostendat, *quod summa sit impuritas & Heterodoxia in hoc monstro sententiarum* de Purificatione post mortem. Eæ autem rationes desumptæ sunt è locis communibus de Satisfactione, de Justificatione, de Substitutione pro nobis, de peccatorum nostrorum expiatione a Christo facta, præter argumenta aliquot vulgaria, omnia adulatorio sensu in gratiam vitæ veteris Adami interpretata, sæpe quoque adhibita, & a me suis in locis plus satis discussa, quam ut egeant discussione nova, maxime cùm hic non agam aggressoris partes, qui Jægerianas invadam structuras; sed defensoris, qui meas contra ejus aggressiones defendam.

XXVI. *De additis Corollariis atrociter damnatoriis & falsis.*

XXVI. Sequuntur Corollaria XI. quorum duo repræsentare libet. Ita habet I. *Poiret asserens purgationem animarum post mortem, injurius est in Justitiam, Sanctitatem, & Veritatem Dei.* Ratio Jægeriani Corollarii evidens est: nam Poiret asserit *justum* & *verum* esse coram Deo, ut quivis operum suorum fructus amaros, quos hic non gustaverit, aliquando saltem postea degustet: & commaculatos non posse adhuc *Sanctissimo* Deo uniri. Corollarium VIII. est hujus modi. *Poiret asserens quod purificatus in purgatorio* (atqui nil de loco statuit) *evadat tam sanctus uti Deus ipse*, (neque hoc dixit P. tametsi dicere potuit sensu Christi Matth. 5. ℣. 48. & Joannis 1. Ep. 3. ℣. 7.) BLASPHEMUS *est: &* ATROCEM *maculam illam* BLASPHEMIÆ *non potest eluere nec in hoc neque in futuro seculo.* En Jægerum Judicem, æternùm me damnantem, neque metuentem ne Christus ipsum

eodem

eodem judicet judicio! Sed hominis condemnationes mihi perinde sunt atque ejus adulationes. In X. Coroll. tribuit mihi falso, nec sine contumelia, Jobum, Davidem, Joann. a Cruce & Weyerum a me laudatos esse *pro purgatorio*, quando (*a*) ibi tantum egi de purificatione quæ fit in hac vita, ut cuivis locum consulenti ad oculum patet. Cetera alia ejusdem sunt pretii & tenoris.

(*a*) Oec. Lib. V. Cap. 5. §. 19.

XXVII. *De Reflexionibus practicis. Mira hominis impotentia, cæcitas & securitas.*

XXVII. Claudunt Dissertationem *Reflexiones Practicæ* duæ, utraque duabus constans partibus, in quarum primis, Jægerus fontis instar erga Deum dulcem emittit aquam, quâ illum demulcet, eique imprimis, (& sibi quoque) de Satisfactione adulatorio suo modo intellecta gratulatur & adulatur.

In secundis, idem ille fons dulciculus amarissimas simul contra me maledictionis aquas eructat, hisce modis atque similibus. *Age nunc ergo*, IMPIE ET BLASPHEME POIRET, *dic satisfaciendum adhuc nobis esse. - - - dic non satisfactum pro nostra superbia.* &c. *Expende, fanatice P. quid tecum fiet quando per propria principia ob delicta tua, ob crassos &* BLASPHEMOS *errores per mille annos plectendus es - - - donec ultimum solveris quadrantem, paupercule P. quando apud inferos non habes quadrantem! O stultitiam! Ego - - -* SECURUS *exclamo, Sanguis J. C. purgat me ab omnibus peccatis! Vide, miserrime P. quam misere deceptus sis a vetula. quanta sit* STULTITIA. *quanta sit* BLASPHEMIA *in fidejussionem Christi.* &c. Quæ insipidæ næniæ utrum hominem sanum & sui compotem referant, Lectorum esto judicium. Editor novus illas præ pudore omisit. Quis autem non stupeat interim ad hominis hujus ingentem cæcitatem, imaginariam confidentiam & *securitatem*, *clamantem se* PURGATUM *esse* SANGUINE CHRISTI, ejusque SECURUM esse eo ipso momento dum omnibus cor suum videndum exhibet omni odio, ira, malo affectu, maledictis, mendaciis, contumeliis, & damnatione erga proximum suum plurimosque se & me meliores perplenum, & totum adhuc impuratum, seque in eo statu annos jam complures, quamvis ei nemo oblocutus sit, perseverare, imo & accrescere! Quis non videt inde, FIDEM illam, quam is nobis passim jactat tantopere & commendat veluti unam salutis anchoram, quæque in re salutis omne ferat punctum, suam item vi ejus possessam ac beatificam *justitiam*, *puritatem*

 sancti-

ſanctitatemque imputatam, nihil revera aliud eſſe quam *imaginariam perſuaſionem & adulatoriam ſecuritatem cordis Veteris Adami, ſe atque alios miſere decipientis?* Illuceſcat tenebris ejus & ceterorum ſolida & ſalutaris veritas!

XXVIII. (III.) *De SS. Patribus, aliisque Auctoribus bene multis qui de veritate hac teſtantur.*

XXVIII. (III.) Supereſt ut teſtimoniis demonſtrem ſententiam illam de animarum, quæ adhuc impuritatibus nonnullis contaminatæ decedunt, purificatione ulteriori, non eſſe novam neque contemnendam, quando a multis ſeculis Sanctiores atque doctiores inter Chriſtianos eam tenuerint. Indicabo tantum, non deſcribam (uno alterove excepto) locos Auctorum, imo nec locos nec Auctores omnes, ne longior ſim, ſed nonnullos tantum qui eos indicarunt.

Pius & doctus Cardinalis Bona, in Libro *divinæ Pſalmodiæ*, Cap. XIII. §. IV. indicat *Auctores* circiter octoginta *qui fidem purgatorii ritumque orandi pro defunctis aſtruunt*, a temporibus Apoſtolicis proximis incipiens, a quibus ad Auguſtinum uſque vel viginti numerat, ac pleroſque Patres: nec paucos omiſit quos *recentiores* appellat inter Scholaſticos, imo & Myſticorum plurimos, veluti Taulerum, (quem omnibus quæ Hebraice, Græce & Latine docebantur, omnibusque Scholis Lutherus præferebat,) Rusbrochium item, Harphium, Suſonem, Kempiſium omnibus dilectum, Dionyſium Carthuſianum, Fœminas quoque ſanctas, Brigittam, Hildegardim, & aliquot alias. Agnoſcit (*a*) Dallæus inter Patres, quorum alii animarum ſeparationem a loco & fruitione gloriæ cœleſtis, alii purificationem tenuerunt, Juſtinum, Irenæum, Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Lactantium, Hilarium, Baſilium, Gregorium Nazianzenum, Ambroſium, Chryſoſtomum, Hieronymum, Auguſtinum. His omnibus addit & aliquot alios Auctor Libri Germanici de *Animarum ſtatu medio*, qui creditur eſſe pius ille & eruditus *Godef. Arnoldus*, Profeſſor primum Gieſſenſis, dein Paſtor & Superintendens (Inſpector) in partibus Saxoniæ & Marchiæ Brandeburgicæ, haud ita diu vita functus, & tam probis omnibus gratus quam ingratus aliis dum viveret: In hujus libro reperiuntur inter alia quamplurimæ antiquorum & aliorum auctoritates, quas vir

(*a*) De uſu Patr. Libr. II. Cap. 4. Idem faciunt & alii inter Proteſtantes, licet id Patribus imputent in nævos.

vir stupendæ lectionis ibidem collegit. Idem vero & Card. Bona ex iis auctoribus eos denotaverunt, qui de hocce argumento data opera sive ex professo scripserint, quibus addendi sunt ille idem Germanicus Auctor, ut & Leo Allatius, de Ecclesiæ Occid. & Orientalis consensione in dogmate de Purgatorio.

XXIX. Sed omnium eorum nemo, quod sciam, ipsam rei radicem, sive fundamentum profundissimum de necessitate, causis & modis intimis purificationis illius, tam respectu Dei, quam quantum ad animam instar spiritus meri, ac sine respectu ad corpus consideratam, tractavit, ac ita tractavit, uti quidem divina Catharina Genuensis in parvulo aliquot pagellarum tractatulo, (*a*) tum, & sublimius adhuc celebris illa ac interna plane Auctrix, Dna. Gujonia, cujus libellus inter illius Gallica opuscula, Tom. II. (*b*) reperitur. Quos tractatulos qui legerunt & perceperunt, ii demum de hujus argumenti veritate solida judicare possunt perquam certissime ac nullo remanente dubio. Sine his, id quod præcipuum est non viderunt.

XXIX. *Tractatuli Catharinæ Genuensis & Dn. Gujoniæ è præcipuis.*

XXX. Restat ut unam hic atque alteram ex tot Auctoribus apponam de eorum sententia in hoc argumento testificationem, quarum primæ duæ ab iisdem fuere omissæ, quanquam omnium fermè antiquissimæ.

XXX. *Testimonia nonnulla* (1) *ex Actis* S. Perpetuæ *Martyris;*

Primam pono, ob ejus certitudinem, ipsissimum scriptum & factum Sanctæ Martyris Perpetuæ, quæ cum aliis martyribus anno Chr. 203. Carthagine passa est. Ejus Acta ex Editione Holstenii cum aliis MSS. collata edidit denuo in Actis Primorum Martyrum, P. Ruinartus. Ipsa martyr sua manu describens in carcere quæ sibi & Sociis eousque acciderant, hanc inter alia narrat divinam patefactionem. *Post dies paucos* (inquit) *dum universi oramus, subito media oratione profecta est mihi vox, & nominavi* DINOCRATEM; *& obstupui, quod nunquam mihi in mentem venisset nisi tunc. Et dolui, commemorata casus ejus. Et cognovi me statim dignam esse, & pro eo petere debere. Et cœpi pro ipso orationem facere multam, & ingemiscere ad Dominum. Continuo ipsa nocte ostensum est mihi hoc in oromate: Video Dinocratem exeuntem de*

(*a*) Hunc Germanice versum vide post Tractatum *Reinigung der Seelen*, de quo supr. §. 6.

(*b*) [In eorum Editione nova in 8vo. Tractatus est quartus.]

de loco tenebroso, ubi & complures erant, æstuantem & sitientem valde, sordido vultu, & colore pallido, & vulnus in facie ejus quod cum moreretur habuit. Hic Dinocrates fuerat frater meus carnalis, annorum septem qui per infirmitatem facie cancerata male obiit, ita ut mors ejus odio fuerit omnibus hominibus. Pro hoc ego orationem feceram; & inter me & illum grande erat diastema, (intervallum,) *ita ut uterque ad invicem accedere non possemus. Erat deinde in ipso loco ubi Dinocrates erat, piscina plena aqua, altiorem marginem habens quam erat statura pueri: & extendebat se Dinocrates quasi bibiturus. Ego dolebam, quod & piscina illa aquam habebat, & tamen propter altitudinem marginis bibiturus non esset. Et experrecta sum, & cognovi fratrem meum laborare: sed confidebam profuturam Orationem meam labori ejus, & orabam pro eo omnibus diebus quousque transivimus in carcerem Castrensem. Munere enim Castrensi eramus pugnaturi: natale tunc Getæ Cæsaris, & feci pro illo Orationem die & nocte gemens & lacrymans, ut mihi donaretur. Die autem quo in nervo mansimus ostensum est mihi hoc. Video locum illum quem videram tenebrosum, esse lucidum; & Dinocratem mundo corpore, bene vestitum, refrigerantem. Et ubi erat vulnus, video cicatricem; & piscinam illam quam retro videram summisso margine usque ad umbilicum pueri; & aquam de ea trahebat sine cessatione; & super margine phiala erat plena aqua: & accessit Dinocrates, & de ea bibere cœpit, quæ phiala non deficiebat. Et satiatus abscessit de aqua ludere more infantium gaudens, & experrecta sum. Tunc intellexi, translatum eum esse de pœna.* Hactenus Sancta illa Martyr.

XXXI. (2.) *Ex Actis* S. Theclæ: (*a*) pag. 108. Ed. Oxon.

XXXI. Edidit Græcè & Latinè Cl. Grabius in Spicilegio Patrum Seculi I. Martyrium Sanctæ Theclæ, quod circa illa tempora prima, rationibus ab eo allatis scriptum esse judicat. In eo hæc leguntur: (*a*) *Trisina recepit Theclam in domo sua; & dormierunt. Et ecce filia Trisinæ, quæ defuncta erat, visa est matri suæ, dicens: Mater, Theclam, ancillam Christi, habeto in loco meo, & pete ab ea ut oret pro me, ut transferar in locum refrigerii. Tunc Trisina plangebat dicens; Filia Falconilla, tu mihi dixisti, habes Theclam in loco meo! quapropter precor, Thecla, ora pro filia mea, ut transferatur in locum refrigerii, & ad vitam æternam. His auditis Thecla statim oravit ad Dominum, dicens, Domine*

mine Deus cœli & terræ Jesu Christe, Fili Altissimi, da ut filia ejus Falconilla vivat in æternum.

XXXII. Cyprianus ad probandum quod venia lapsis cum XXXII.
pœnitentia concessa, non det occasionem fratribus ut marty- (3) Cy-
rium declinent, neve in integritate fidei virtutisque Christianæ priani,
maneant; utitur discriminis inter eos ostendendi gratia, hisce generalibus similitudinibus ac sententiis partim è Scriptura sumtis; (*a*) *Aliud est ad veniam stare, alind ad gloriam pervenire: a-* (*a*) Epist.
liud, missum in carcerem non exire inde donec exsolvat novissimum 55. Ed.
quadrantem; aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem: a- Ox. 52.
liud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari & purgari diu Pam.
igne; aliud peccata passione purgasse: aliud denique pendere in die judicii ad sententiam Domini; aliud statim à Domino coronari. Quibus ultimis verbis ostendit se credidisse lapsos etsi in pœnitentia mortuos, sub sententia tamen Domini remanere ad diem usque judicii.

XXXIII. Basilius M. in Cap. 4. Isaiæ, super verba vers. 4. XXXIII.
Abluet Dominus sordes filiorum & filiarum Sion, & sanguinem Je- (4) Basilii
rusalem expurgabit de medio ejus in spiritu judicii & spiritu ardo- *Magni*,
ris, postquam verba Joannis de se (*b*) *baptizo* vos *in aqua ad pœ-* (*b*) Matth.
nitentiam, & de Domino, *ipse baptizabit vos in Spiritu S. & igne* 3. ℣. 11.
allegavit, addit: *Num forte sunt tres baptismatis acceptiones, expurgatio scilicet sordium; regeneratio per Spiritum; & ea quæ fit in segregationis igne probatio: sic ut illud* abluet, *pro depositione peccati accipiatur, quæ fit in hac vita; hoc autem*, in spiritu judicii & spiritu ardoris, *ad eam referatur probationem quæ per ignem fit in seculo futuro*, (post mortem.) Opus Dupinio certum, licet non ita Erasmo.

XXXIV. Chrysostomus Hom. 32. in Matthæum. (*c*) *Si mul-* XXXIV.
tæ barbaræ gentes unà cum defunctis res eorum cremare solent, quan- (5) Chry-
to æquius defuncto tuo filio tua tradere potes; non ut in cinerem re- sostomi.
digantur, sed ut gloriosum magis illum reddant? Putas eum macu- (*c*) In Cap. 9. ℣. 18.
lis inquinatum abiisse, da ipsi sua, ut illis se à maculis detergat. (καὶ εἰ μὲν ἁμαρτωλὸς ἀπῆλθεν, ἵνα τὰ ἁμαρτήματα λύσῃ.) *Putas in justitia eum decessisse, præbe ipsi tua ad mercedis & retributionis adjectionem.* Idem, Homil. 41. in I. ad Corinth. *Si peccator excessit* (è vita) - - - *quoad ejus fieri potest ei succurrere oportet, non la-*

lacrymis, sed precibus, & supplicationibus, & eleemosynis, & oblationibus. Non sunt enim hæc temere excogitata, neque frustra eorum qui excesserunt in divinis mysteriis meminimus, & pro ipsis accedimus, rogantes Agnum ibi jacentem qui peccatum mundi tulit: sed ut aliqua inde illis sit consolatio. Neque enim in vanum is qui altari adstat, dum veneranda peraguntur mysteria, clamat pro omnibus in Christo mortuis, & pro iis qui memorias celebrant pro ipsis. Nisi enim in eorum bonum (ὑπὲρ αὐτῶν) *essent commemorationes, ne dicerentur quidem. Non sunt enim res nostræ ludus scenici: absit! Sed ex Spiritus ordinatione* (πνέυματος διατάξει) *ista fiunt. Auxiliemur* (βοηθῶμεν) *igitur illis, & commemorationem eorum peragamus. Si enim Jobi filios expiabat* (ἐκάθαιρεν) *patris sacrificium, quid dubitas an nobis pro iis qui excesserunt offerentibus, iis existat aliqua consolatio? Solet enim Deus etiam aliis pro aliis gratificari,* (χαρίζεσθαι.) *- - - Ne ergo nos pigeat opem ferre decedentibus, & pro eis offerre preces; siquidem commune Orbis piaculum* (καθάρσιον) *nobis coram est. Propterea fidenter pro orbe terræ tunc rogamus, & cum Martyribus eos vocamus, cum Confessoribus, cum Sacerdotibus: etenim unum corpus omnes sumus, etiamsi sint membra membris splendidiora: & fieri potest ut* VENIAM *eis ex omni parte conciliemus,* (δυνατὸν πάντοθεν συγγνώμην αὐτοῖς συναγαγεῖν) *à precibus, à donis quæ pro iis offeruntur ab illis, qui cum ipsis vocantur.*

XXXV. (6) Augustini,

XXXV. Augustinus in Responf. ad Quæstiones Octo Dulcitii, dicit ad II. „ Toto hoc tempore quod mortem inter & „ resurrectionem ultimam extenditur, animas in locis secretis „ abditisque, ubi aut cruciabuntur quidem, aut grata pace & „ quiete fruentur, prout in hac vita bene aut male vixerint, „ detentum iri. Animas certe quæ in his locis detinentur, do„ loribus suis levari viventium pietate (*a*). „ In Epist. 99. ad Evodium idem de descensu Christi ad inferos loquens, statuit omnes demortuos ante Christi mortem illic fuisse, nec sine doloribus: Christum eò descendisse ut quosdam inde liberaret, & (inquit) *de illo quidem primo homine, patre generis humani, quod eum ibidem liberaverit, Ecclesia fere tota consentit.* Et paulo post: *Cur illo*

(*a*) [Vide & Confess. Libr. IX. Cap. 11. §. 1. de S. Monica Augustini matre, rogante filios *ut ad Domini altare ejus* (post mortem) *meminerint* & Cap. 13. toto, supplicationem Augustini pro matre defuncta.]

illo credatur venisse Salvator, nisi ut ab ejus (loci) *doloribus salvos faceret? Sed utrum omnes quos in iis invenit, an quosdam quos beneficio dignos judicavit, adhuc requiro: fuisse tamen eum apud inferos, & in eorum doloribus constitutis hoc beneficium præstitisse, non dubito.* En ab Augustino & Ecclesia creditus post mortem dolorosus status ante Christi adventum, qui haud dissimili ratione & post eum adventum permanere dici possit, tum in iis quos tunc nondum liberaverat, tum in iis qui deinceps morituri erant peccatis nonnullis adhuc contaminati. Idem de Civit. Dei Libr. 21. Cap. 24. *Facta resurrectione mortuorum non deerunt quibus post* POENAS QUAS PATIUNTUR SPIRITUS MORTUORUM, *impertiatur misericordia ut in ignem non mittantur æternum.*

XXXVI. Meretur & audiri Boëthius, Christianus Philosophus doctissimus seculi VI. is in Libr. IV. de Consolatione Philosophiæ hanc ita alloquitur. (*a*) *Sed quæso, inquam, te, nullane animarum supplicia post defunctum morte corpus relinquis? Et magna quidem, inquit; quorum alia pœnali acerbitate, alia vero purgatoria clementia exerceri puto.* XXXVI. (7) Boëthii, (*a*) Prof. 4.

XXXVII. Laudavit non semel S. Bernardum D. Jægerus, qui procul dubio illum, tametsi in aliquo puncto errare crederet, pro *fanatico*, *injurio in* Deum, *impio* & *blasphemo* traducere nollet. Audiat ergo ipsum eadem propter quæ tam honorificis titulis me cumulat, mecum sentientem, imo & magis ea determinantem quæ generalius tantum proposui. Sic ille (*b*) *Tria sunt loca quæ mortuorum animæ pro diversis meritis sortiuntur, Infernus, Purgatorium, Cœlum. In inferno impii, in purgatorio purgandi, in cœlo perfecti. - - - Qui in purgatorio sunt exspectant redemtionem, prius cruciandi aut calore ignis, aut rigore frigoris, aut alicujus gravitate doloris. - - - Vadam in istam regionem, & videbo visionem hanc grandem, quomodo pius Pater glorificandos filios in manu tentatoris relinquat, non ad occisionem, sed ad purgationem; non ad iram, sed ad misericordiam; non ad destructionem, sed ad instructionem; ut jam non sint vasa iræ ad interitum, sed vasa misericordiæ præparata ad regnum. Surgam ergo in adjutorium illis, interpellabo gemitibus, implorabo suspiriis, orationibus intercedam, satisfaciam sacrificio singulari, ut si forte videat Dominus & judicet,* XXXVII. (8) Bernardi, (*b*) De diversis Serm. 42. Edit. Mabill. p. 1177.

laborem convertat in requiem, miseriam in gloriam, verbera in coronam. His enim & hujusmodi officiis potest eorum pœnitentia resecari, finiri labor, destrui pœna. &c.

XXXVIII. (9) Tauleri & ipsius Lutheri.

XXXVIII. Taulerum, quem maximi fecere Lutherus, & innumeri adhuc inter Lutheranos probi, in eadem quoque fuisse (*) sententia minime iis dubium est qui ejus Scripta legerunt. Lutherus eum hoc de argumento alicubi laudat, imo & ipsemet annos adhuc complures post inductam Reformationem suam in eadem sententia fuit ac permansit, donec fervore sese adversariis suis Romanis opponendi abreptus, in alterum se extremum conjiceret, sed tamen ita, ut interdum videre sit eum adhuc postea non plane sententiam priorem ex mente sua delevisse. Libet nonnulla ejus ad hanc rem adducere testimonia, ad verbum è Germanico reddita.

(†) *De purgatorio firme credendum est, & scio verum esse, miseras* (armen) *animas indicibiles pœnas pati, nosque teneri eis opem ferre precibus, jejuniis, eleemosynis, & si quid præterea eo fieri possit. Quodnam autem pœnarum genus sit, & an ad satisfactionem tantum, vel etiam ad emendationem* (purificationem) *inserviant, id nescio, ac neminem satis scire dico. Quapropter hoc Deo committendum est: - - - nihil nobis injunctum est, nisi eis auxilium ferre.*

(a) VII. Part. Witt. f. 132. Vide & I. Jen. fol. 431.

Et alio in loco. (a) *Purgatorium nec negavi hucusque & adhuc teneo, uti sæpius scripsi & fassus sum, licet id neque ex Scriptura neque ex ratione possim ostendere eo modo cui contradici nequeat. Equidem in Scripturis* invenio *Christum, Abrahamum, Jacobum, Mosen, Jobum, Davidem, Ezechiam, & aliquot alios hac in vita infernum gustavisse, quem purgatorium arbitror esse: neque incredibile est aliquos defunctos simile quid pati.* TAULERUS *de eo quoque multum dicit: breviter, quantum ad me, conclusi purgatorium esse; huc autem ut alium adducam, non possum.* Postquam autem idem sententiam illam, vel potius abusus & figmenta quibus depravabatur, rejecerat, nihilominus mentem suam de ea, quantum ad rei substantiam, non ita mutatam esse testatus est deinde aliquoties, si quidem scripserit: (b) *Deum aliquibus in morte vel post mortem fidem*

(b) Tom. II. Altenb. pag. 349.

(*) Vid. Serm. in die cinerum. Latin. p. 131. ubi quinque species vel gradus purificationis recenset.

(†) Jen. Part. I. fol. 165. vid. & T. I. Altenb. p. 294.

dem dare posse, & ita eos salvare: Quis, inquit, dubitat id eum facere posse? Item: (*a*) *Imagini Christi debes conformis fieri, sive in hac vita, sive in inferis* locis. Alibi (*b*) judicat, *divitem illum epulonem* (de quo in Euangelio) *non descendisse in infernum propriè sic dictum, - - - & incertum esse utrum ille adhuc sit in tormentis de quibus Christus mentionem fecit.* Huc faciunt verba Wicelii apud G. Forbesium: (*c*) *Lutherani temperent sibi ab audaci & pertinaci negatione ac conviciorum diritate. Recolat* LUTHERUS *verba sua: Ego credo purgatorium esse, & consulo suadeoque credendum; sed neminem volo cogi.*

(*a*) Altenb. T. I. p. 297.
(*b*) Postill. Eccles. Dom. I. post. Trin.
(*c*) In Consid. Libr. V. Contr. 2. Cap. 4.

XXXIX. Hactenus ex auctoribus nonnullis, inter innumeros paucissima, unde judicare cuivis liceat, meane de purificatione sententia jure merito à D. Jægero dicta sit, NOVA *purgatio animæ post mortem, excocta in cerebro meo & Dn. Burigniæ, extracta ex fumo infernali*, legitime *rejecta ab Eminentissimo D. Jægero*, tanquam *Heterodoxa, monstrosa, in Deum injuria, impia & blasphema*, &c. uti ille asseveravit, atque eo pacto plerosque antiquos Sanctos ac optimos simul cum Luthero suo non æque solum ac me condemnavit & diffamavit, verum etiam plus quam me. Enimvero duas ego præ illis habeo ea in re prærogativas: Alteram, quod eorum maxima pars ad specialiora & determinatiora quædam non raro descenderit, quando ego in re generalius spectata me continui. Alteram, quod illi sententiam suam aperuerint quidem; rationes autem illius vel nullas addiderint, vel paucas admodum: ego vero declaraverim clarius, tum quid sentiam, tum rationes cur ita sentiendum mihi putavi, ostenderim plurimas, solutis præterea si quæ occurrebant difficultatibus. Qui sane meus agendi modus omnium maxime ingenuus & acceptus esse iis omnibus debet qui eorum, quæ ipsis cognoscenda sunt atque vel admittenda vel rejicienda, rationes ac fundamenta libenter vident prius quam de illis judicent. Atqui hoc ipsum est quod adversarium meum in furorem adversus me egisse videtur, quod & hoc ego fecerim, & ille rationum mearum partem maximam ne vellicare quidem sustinuerit, quando tamen ipsemet sequentia tenet effata, quæ judicet Lector an non dici possint horribilia, Satanæ falsa prima, Evangelicæ & Christianæ Theologiæ pestes, Antichristia-

XXXIX. *Condemnationes teterrimas Jægeri in tot Sanctos ipsumque Lutherum recidere. Quare illæ in P. præcipue vibrentur. Doctrina pestifera adversarii.*

ſtianiſmi & damnationis fundamenta ac principia, ſeductionis & adulationis peſſimæ ſemina mortifera, Sanctitatis Dei everſio & tenebrarum cum luce, Diaboli cum Deo commixtio; ac tandem cœcitatis ſummæ & corrupti cordis indicia indubitata; quæ quidem ſuſtinet ille conceptis hiſce verbis: (*a*) *Animas quæ ad Deum converſæ plene non ſunt, & in quibus adhuc* INQUINAMENTA ET IMPURITATES MORALES REPERIUNTUR, *cum Deo in* UNIONEM *venire poſſe.* IN HAC ADHUC IMPURITATE *dari myſticam &* ARCTISSIMAM *cum tota Sacroſancta Trinitate* UNIONEM. *Falſum eſſe, quod nulla ſpes relicta ſit ingredienti* (ingrediendi forte) *ad vitam, niſi per* MALI MORTEM, & *per* VIAM ANGUSTAM, cui opponit viam *credentis*, & quidem in Chriſtum *Satisfactorem.* (p. 15.) Vult ergo & docet ille, poſſe homines cum peccatis adhuc viventibus, & per viam latam, ingredi in vitam æternam: & propter hoc Chriſtum veniſſe, mortuum eſſe, & ſatisfeciſſe, ut peccata viva nec unioni cum Deo ſanctiſſimæ, nec vitæ æternæ officerent, modo crederemus Chriſtum hæc male cohærentia & oppoſita per ſatisfactionem ſuam bene conciliaſſe: hanc eſſe veram FIDEM, quæ & in via lata & cum peccatis viventibus bene conſiſtat & ſalvifica ſit.

(*a*) Diſp. p. 16. & 28. Et in Edit. 2. Exam. p. 984. & 700.

XL. *Evangelium novum, Evangelio Chriſti planè contrarium.*

XL. En Evangelium plane novum noviſſimorum horumce dierum Evangelicorum, novam fidem, novaque dogmata, ad quæ merito exclames: *O tempora periculoſa* ab Apoſtolo prædicta, & eheu, nunc impleta! (2 Tim. III. ℣. 8. & Cap. IV. ℣. 3.) O Paſtor bone, fac ut (*b*) *oves* tuæ *non audiant amplius vocem alienorum, nec ſequantur eos*: ſed potius ut *vocem tuam audiant, & ſequantur te* iis præeuntem, eaſque ſic docentem: (*c*) INTRATE PER ANGUSTAM PORTAM; *quia lata porta & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem; & multi ſunt qui intrant per eam. Quam anguſta porta, & arcta via eſt quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam? Cavete vobis à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. A fructibus* (operibus) *eorum cognoſcetis eos. Non omnis qui dicit mihi* DOMINE, DOMINE (Magiſter, Rex, Sponſor, Satisfactor & Salvator noſter,) *intrabit in regnum cœlorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei qui eſt in cœlis,*

(*b*) Joan. 10. ℣. 5. 27.

(*c*) Matth. 7. ℣. 13. &c.

lis, ipse intrabit in regnum cœlorum (in quod (*a*) *non intrabit ali-* (*a*) Apoc.
quod COINQUINATUM.) - - - Ceteris *declarabo : Nunquam* 21. ℣.27.
novi vos. DISCEDITE A ME QUI OPERAMINI INIQUITATEM. (*b*) *Beati vero qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*, fidem vivam ita habentes verbo veri Euangelii, (*c*) SINE SANCTIFICATIONE NEMO VIDEBIT DOMINUM.

(*b*) Luc. 11. ℣.28.
(*c*) Hebr. 12. ℣.14.

CAPUT IX.

De Regno Christi in terris futuro.

I. QUamvis sententia de Christi Regno in terris ante Mundi hujus finem futuro, mihi propria non sit, nec nova sit, nec ad articulos fidei pertineat; placuit tamen D. Jægero eam in me *solo* reprehendere, ac in *novæ Theologiæ* meæ *per præcipuos fidei articulos* discutiendæ *Examine* recensere in sua (*a*) Controversia XXXIV. tametsi hoc ipsum & rationi suæ & libri expresso per titulum instituto id minime conveniat. Agnoscit ipse vel ab initio, *Controversiam de millenario sancto* JAM DUDUM *fatigavisse* (ut loquitur) *Ecclesiam*: & NUNC *a non contemnendis ingeniis defendi :* tum (*b*) *subtiliorum Chiliasmum condonari posse* quamvis pro *errore* habitum : item, *facilem fore* mecum *in hoc puncto transactionem*, *si in reliquis* ad mentem suam *sanus* essem : & tamen, *solius Poireti sententiam examinare* vult, & quidem inter ea quæ *fidei articulos* respiciunt : iniquum est hoc ultimum : absurdum vero primum illud : Poiretus enim hic non solus est, nec ejus sententia Jægeriano more, hoc est cum contumeliis, falsis imputatis, & sophismatis vanis tractari potest, quin simul Antiquorum sanctissimi & recentiorum doctissimi, quorum eadem est sententia quantum ad generalem rei positionem, una cum Poireto invadantur & deturpentur. Equidem ille deinde inter illorum thesin ac meam conabitur differentiam invenire aliquam, qua ego ab illis excludar; sed nec id minus contra rationem erit quam jactatæ suæ refutationes ac invectio iniquissima quam in personam interjecit alienam, cujus diffamandæ ac maledictis onerandæ desiderio insatiabili ad impotentiam usque possidetur

I. *Male hanc litem moveri Poireto patet ex ipso J.*
(*a*) a pag. 403. ad 416.
(*b*) Jæg. p. 414.

 Theo-

Theologicus ac Euangelicus ejus animus. Iſta paucis indicare libet.

II. *Hic rem ipſam deſiderabilem & votum ſuum eſſe dicit, eandemque mox damnat.*

II. Ipſe noſter in Procœmio ſui hujus operis (pag. 6.) agnoſcit D. Spenerum fuiſſe in ea *ſententia de ſpe meliorum in epilogo mundi temporum:* additque: *Hæc ſpes fuit Optimi Viri*; NOSTRUM *vero eſt* VOTUM. *Quis autem vel* INNOCENTEM SPEM, *vel nulli noxium de* RE SUMME DESIDERABILI *votum maligno aliquo ſtylo confoderet? Aliud longe eſt craſſus Chiliaſmus, qui nullum in Codice ſacro fundamentum habet, & totum pene Syſtema veræ Theologiæ evertit, & contra quem noſter Spenerus* (neque ego minus) *ſæpe conteſtatus eſt.* Hic manifeſte videmus, *Chiliaſmum non craſſum, melioraque* in *Epilogo Mundi tempora* ſperata, eſſe D. Jægero rem ſumme deſiderabilem, nulli noxiam, eſſe ejus votum, eſſe ſpem innocentem, neque maligno ſtylo confodiendam; neque talem quæ ut Chiliaſmus craſſus fundamentum in ſacro Codice non habeat ullum: & tamen idem poſtea hoc omne quod hic conceſſit, deſtruet totum, & contrarium ſuſtinebit. Nec mora: nam vel in eadem pagina addit illico, D. Spenerum *non* SINE GRAVI ECCLESIÆ *ſuæ* MOTU *ſpem* illam *defendiſſe ardore* (Jægeri judicio) *nimio.* Hoc in eo *fragilitatem humanam* fuiſſe. Eum hic fuiſſe, ut ceteri, IDOLOLATRAM *partus ac ſententiæ ſuæ. Paſſum* eſſe hic *manes ſuos.* In ipſo deinde Libro *ultimam* hanc *Mundi periodum* appellat, grandibus literis (*a*) FANATICAM *periodum:* in hacce vero Controverſia ſua, (*b*) *febrile quoddam ſomnium*, & *in S. Scriptura non fundatam ſententiam.* Iſtane omnia convenienter ab homine ita dici ſtylo non maligno, de re ſumme deſiderabili, quæ ſit VOTUM ſuum, atque cum craſſo Chiliaſmo in Scripturis non fundato, & Chriſtianam Theologiam evertente, minime confundenda!

(*a*) Jæg. Ex. p. 214.
(*b*) p. 407.

III. *Chiliaſmum quem vocat craſſum Poireto attribui mala fide.*

III. Hic regeret mihi procul dubio D. Jægerus, ſententiam meam longe aliam eſſe ab illa quam *defendunt nunc ingenia* illa non contemnenda, quam & antiqui ſuſtinuerunt, quam appellavit ipſe *ſubtiliorem Chiliaſmum*, cum *craſſo in Scripturis non fundato* non confundendam, quam agnovit non noxiam, imo deſiderabilem atque VOTUM ſuum. Ego vero hoc nego. Utri nunc ea in re, cum de ſententia mea agitur, utri inquam credendum magis, an illi, cui in conſuetudine eſt falſa mihi atque depra-

depravata attribuere; an mihi, qui huc usque nulla spe, nullo metu humano assuevi ea quæ sentiam, solita perinde atque insolita, candide publico aperire? Legantur, si placet, quinque illa Capita Libri IV. Oeconomiæ, ab XI. ad XV. cum Præfationis parte §. V. Libro ei præfixa, ubi hoc argumentum tractavi, atque videatur, utrum quæ ibi exstant, non sint cuivis animo bono *summe desiderabilia*, innocentiam, tenebrarum ac peccati destructionem, sanctitatem, felicitatem, gloriamque divinam spirantia, cumque Scripturarum testimoniis concordantia, ne dicam cum SS. Patrum quos indicavi sententia. Non attendit ad hæc uti debuit D. Jægerus: quamvis enim indicet initio quænam tractanda susceperim, & nonnulla de his adjiciat, ne indicavit quidem meas rationes præcipuas, sed & objecit prætere veluti a me non soluta aut non tractata, quæ ibidem tamen & solvi & proposui luculenter. Dabo exempla nonnulla.

IV. Objicit ille, Sanctos hic manere cruces perpetuas quamdiu in terris erunt. (*a*) Nihil in Novo Testamento, (cur non addit Vetus?) de tranquillitate & pace dici &c. Certe clausos habuit oculos aut eum defecit memoria. Allegavi enim in dictis Capitibus & in X. plura ex utroque fœdere testimonia. Ostendi per sex primas mundi periodos, fideles Dei amicos fuisse Christi & afflictionum ejus participes ac imitatores: eos qui *in ultima mundi periodo* victuri sunt, *per multas tribulationes ingressuros in regnum cœlorum*, hoc est, in regnum Christi, in *novam Jerusalem*, quæ tunc *de cœlo descendet*. Apoc. 21. Si illis Sanctis, per multas tribulationes eo ingressis, velit (*b*) *Deus omnem lacrymam ab oculis abstergere*, *ac facere ut non sit ultra mors*, *neque luctus*, *neque clamor*, *neque dolor*, quis est, quæso, D. Jægerus, qui velit id Deo impedire, aut ejus facti rationem postulare ut ipsi det ad palatum suum; atque ei obloqui, uti facit, *Eccur Sancti in ultima mundi periodo absolvendi erunt a sequela Christi per crucem?* Cur vero tui oblitus ad te ipsum non redis examinaturus potius, *cur* tu ipse cum doceas *posse homines in vitam ingredi per aliam viam quam per mali mortem*, *per angustam viam*, *dolores ac cruces*, nunc pati non velis ut sanctæ illæ animæ, quæ per multas cruces ac tribulationes in regnum Christi ingredientur, tunc, cum mundi veteris finis erit, ac tempus sequendi Christum in glo-

IV. *Objectiones Jægeri duæ claris Scripturæ verbis in Oeconomia exhibitis contrariæ.*

(*a*) Jæg. Exam. Theol. N. p. 407.

(*b*) Apoc. 21. ℣. 4.

gloriam, liberæ ſint in poſterum a tot laboribus & doloribus ſuis ſecundum Dei promiſſum ac verbum, cujus tantopere jactas literam, vim dum negas? Contradicendi animus ſibi nuſquam conſtat.

Objicit (pag. 409.) duos tantum adventus Chriſti in Scriptura deſcribi, ultimum cum ultimo judicio plerumque conjungi, hoc cùm vita æterna in cœlis peragenda. Chriſtum & Scripturam ſilere de hoc regno ante judicium &c. Nemo pejor cœcus ac ſurdus eſt quàm qui videre & audire nolit. Non vult attendere D. Jæger neque ad Scripturas, neque ad explicationes & probationes quas ex illis adduxi.

V. *Ejusdem fraus iniquiſſima.* (*a*) Vid. Cap. XIV. §. 18. Libr. IV. Oecon.

V. Non ſibi interim temperare poteſt, quin & hic loci committat fraudem iniquiſſimam. Dixeram inter particulariora, (*a*) Sanctos in regno Chriſti multiplicandos eſſe, tametſi ſexuum diſcrimen ibi non futurum ſit: *Modum autem generationis hujus puræ & admirabilis ejusque circumſtantias hic me nolle deſcribere, ut ejus cupidi conſulant Scripta ejus, cui uni Deus hæc futuri mundi mirabilia particularius declaravit, quæ olim generalius Deus per Prophetas ſuos ſubindicaverat.* Hîc Jægerus loquens de *regno Chriſti in genere*, quod negat in Scripturis contineri, neque me ex iis id oſtendiſſe, inſinuat illico ſuis Lectoribus, me ea quæ de hoc refero, *talia* Regni *myſteria*, *etiam uſque ad particulares circumſtantias*, in ſola revelatione Dn. Burignoniæ facta fundaviſſe; unde occaſionem ſumit in eam debacchandi turpius ac maledicentius, quam Cainus unquam in Abelem facere potuit. De ea aliquid poſtea dicam. Sed miretur Lector, quid non hic poſſit homo concludere ex mera aliqua citatione de circumſtantia particulari ne a me quidem nominata.

VI. *Objectiones aliæ male fundatæ.*

VI. Cetera quæ objicit alia, oſtendunt eum tantum garrire voluiſſe, neque ad Scripturas neque ad mea dicta attendiſſe. Dicit, verbi gr. (p. 413.) *Martyres qui regnabunt*, fore, ſecundum Joannem *animas ipſorum*, quando *ſancti* ceteri *qui tunc temporis vivent*, conſtabunt *corpore & anima.* Tum addit Apoſtolicæ huic aſſertioni per deridiculum: *Mira ergo erit Reſpublica, conſtans partim ex hominibus completis, partim ex animabus, videlicet Martyrum!* Nec attendit irriſor ad verba ſequentia Apoſtoli, ℣. 5. (Cap. 20. Apoc.) *Ceteri mortuorum non revixerunt* (reviviſcent)

donec

donec consummati sint mille anni; quibus insinuatur eos Martyres ergo *ex mortuis revixisse*, proindeque eorum animas suis corporibus conjunctas iterum fuisse, atque adeo completos eosdem fuisse homines. Addit, *Patriarchas* ergo tunc *resurrecturos*: quasi vero id negatum a me esset! Subjungit de eventu Satanæ solvendi & de Gogo & Magogo congregatis; *Conciliet ista Dn. Poiret, si potest.* Legat ergo Caput XV. §. 7. & seqq. & videbit me ista conciliasse.

VII. Ut D. Jæger *coronidis loco* me ab eorum numero excludat, qui *subtiliorem Chiliasmum* tenent, dicit, (pag. 415.) me *Regnum istud millenarium plane aliis circumstantiis vestire.* Falsum inculcat; siquidem plerasque, ac quæ maxime rei substantiam tangunt retineo. Quæ vero *illæ aliæ?* Duas refert, & plane contra semetipsum. Prima est, *quod illud futurum sit in Urbe Hierosolyma qualis describitur Apoc.* 21. addit paulo post, id *sapere Judaïcum.* Non est exspectandum a D. Jægero, ut aliquid referat quale est in sua integritate. Dixi, regnum Christi futurum per totum renovatum Orbem: dixi *sedem Throni* futuram in Jerusalem: dixi de hac, (*a*) *Magnifice reparabitur*, *& foris quidem in sensu proprio*, *qualem eam Prophetæ sancti futuram pronuntiarunt*, *& S. Joannes in Apocalypsi vidit ac descripsit*; EXCEPTIS TAMEN IIS *quæ sensu proprio accepta*, *nimis forent* IMPERFECTA, *qualia sunt mensuræ*, *aliaque nimis limitata & minus realia*, *nec non* SACRIFICIA, ET MORS BESTIARUM - - - *quæ in sensum perfectum accipienda sunt*; cujus vero exempla ibidem adjeci. Quæso, hoc ne dicendum est *Judaicum sapere?* Atqui Prophetæ David, Esaias, Jeremias, Ezechiel, & ferme omnes ceteri, Joannes item, locuti sunt de instauratione & glorificatione urbis Jerusalem in ultimis temporibus, ejusque nomen futurum, DOMINUS-IBI-EST.

VII. *Perperam ab iis qui subtiliorem Chiliasmum tenent, excipi Poiretum ob assertam cum Scripturis(1) restitutionem Hierosolymæ;*

(*a*) Oecon. Libr. IV. Cap. 14. §. 12.

VIII. Concepta verba Sancti Justini Martyris hæc sunt: (*b*) *Ego*, *& si qui recte per omnia sententiæ sunt Christiani*, *& carnis resurrectionem futuram novimus*, *&* MILLE ANNOS IN HIERUSALEM *instaurata*, *exornata & dilatata*, *sicut Prophetæ Ezechiel & Esaias & alii promulgant*, *sic namque Esaias de mille istorum annorum tempore locutus est* - - : & tunc Caput 65. Esaiæ a ℣. 17. ad finem Capitis describit, ubi inter alia asseritur (℣. 23.)

VIII. Justini *testimonium:*

(*b*) Dial. cum Tryph. pag. 307. Col. Ed.

quod *Sancti liberis operam dabunt*, at *non in execrationem:* & pag. seq. *Et vir apud nos quidam, cui nomen erat Joannes, e duodecim Apostolis Christi unus, in ea quæ ipsi facta est Apocalypsi, Christo credentes nostro, annos mille Hierosolymis peracturos esse prophetavit: ac postea universalem, &, ut semel dicam, sempiternam omnium unanimiter simul resurrectionem.* En non Justini solum, sed & sui temporis *Christianorum recte per omnia sentientium* (εἴ τινές εἰσιν ὀρθογνώμονες κατὰ πάντα Χριςιανοὶ) sententiam, propter quam D. Jæger me a *Chiliasmo Patrum* tolerabili excludit!

IX. *(2.) Multiplicationem Sanctorum, quam spurcè irridet noster.*

IX. Altera exclusionis hujus ratio ipsi est, *quod multiplicationem Sanctorum in illo regno* agnoverim, ac *generationem*, ubi tamen nullum erit sexuum discrimen: & hoc ei est, *crude fanaticum.* Nec mirum: cum & tota ista *ultimi* mundi *periodus*, sit ipsi *periodus* FANATICA, millies licet in Scriptura annunciata; non minus quam hæc futuri illius temporis generatio, ut vel S. Justinus modo ex Esaia annotavit, ego vero & ex aliis (a) locis. Cum autem Christus asserat, eos qui resurgent fore (b) *sicut Angelos Dei in cælo*, hi vero non habeant discrimen sexuum, evidens est secundum Scripturas, eam debere ita fieri ut habeat in se quisque completa ejusdem principia, velut Adamus ante lapsum habuit, sine partibus illis bestialibus quas vel nominasse omnes homines summopere pudet. Spurcum hîc agit irrisorem D. Jægerus, quando mimice repræsentat formationem Evæ ex Adamo ac si *muliebria ei sint detracta*, & spurcum vocabulum distinctis literis notari curavit, & *addidit*, *quis hæc non rideret?* Tam modeste eo de subjecto (quod Jægerus in suo *judicio* sine judicio repetit (profanæ irrisionis gratia) locuta est persona illa Jægero odiosa, ut generalissimis contenta sit uti terminis: nam quæ de ovarii vase in ejus vita leguntur, cogitationes & appplicationes generaliorum sunt historiographi ad ea quæ haud ita diu is ex anatomicis specialius detecta legerat.

(a) Isa. 6. ℣. 13. Cap. 60. ℣. 21, 22. Jer. 30. ℣. 19. Vid. & Ps. 92. ℣. 15.

(b) Matth. 22. ℣. 30.

X. *Verba Christi à Clemente relata.*

X. De hac autem re cum suprà pluribus (c) actum sit, addere hic libet auctoritatum ibidem relatarum numero ex II. S. Clementis Epistola ad Corinthios verba sequentia, quæ illic ipsi Christo tribuuntur. (d) *Igitur in horas regnum Dei exspectemus in caritate & justitia: quandoquidem Dei adventus diem nescimus. Interrogatus enim a quodam ipse Dominus, quando venturum esset re-*

(c) Sup. Cap. 6. §. 9. & seqq.

(d) Cap. 12.

gnum ejus, *dixit: Cum duo erunt unum*; *& quod foris ut quod intus*, *& masculum cum fœmina neque mas neque fœmina.* Quorum primum de mutua caritate, alterum de sinceritate ibi explicatur; de tertio, perdita sunt reliqua explicationem continentia. Sed quis non conjiciat verisimiliter ea verba, *masculum cum fœmina neque mas neque fœmina*, notare, principia fertilitatis nunc separata, in unum fore tunc unita neque amplius futuram sexuum distinctionem quæ nunc est, ac post resurrectionem certo futura non est. Quis autem nunc adeo iniquus erit, ut propter duas istas, de Jerosolyma & multiplicatione Sanctorum in Regno Christi futuro, circumstantias, concludat totam meam de illo sententiam eam esse, quæ cum SS. Patrum & Doctorum sententia tolerari non possit, quasi hæc duo rei substantiam constituerent?

XI. *Indicantur SS. Patres qui Regnum hoc crediderunt.*

XI. De hoc Christi in hac terra regno ultimis temporibus futuro, si quis plures Antiquorum auctoritates videre cupiat, legat *S. Barnabæ* Apostoli, Epistolæ Caput 15. & Cotelerii Notas ei adjectas in sua Patrum Apostolicorum Editione, ubi duas habet Notarum species, quarum altera eos respicit qui tempus determinare voluerunt, quos vero falsis & male consonis sententiis abundare ostendit: altera enumerat eos è Patribus præcipuis, qui Regnum Christi millenarium in terris futurum crediderunt, quos inter, omissis *S. Herma* & *S. Justino*, de quibus egit suis in titulis, recensentur ab illo, annotatis Scriptorum locis, *S. Irenæus*, *Origenes*, *Stratonicus* Cumarum Episcopus, *Lactantius*, *S. Hilarius*, *S. Hieronymus*, *S. Augustinus*: *Gregorius Nyssenus* a Menardo additur. Legatur & Tillemontius, (*a*) Capite integro, qui modo nominatis addit, *Nepotem* Episcopum Ægyptium, *S. Victorinum*, *S. Sulpitium Severum*, ut & *Tertullianum*, item Q. *Julium Hilarionem*, auctorem anni circiter 397. his jungit *S. Athanasium* Editor Oxon: Epist. S. Barnabæ, qui & de Hebræorum traditione nonnulla asseverat. Hebræos enim non paucos in hac sententia de Regno millenario certum est fuisse, eorumque Auctores qui de ea scripserunt, indicavit D. Buddeus in sua Introductione ad Philosophiam Ebræorum §. XLI. pag. 296. & seqq. cui addi potest tota Cresc. Matheri Angli V. D. M. Dissertatio de signo Filii hominis, & secundo Messiæ Adventu.

(*a*) Memoires ou Histoire Eccles. Tom. II. Part. II. p. 243.

XII. *Locus Barnabæ Apostoli de eo.* XII. Ceterum, non possim, credo, hoc Caput aptius concludere, quam exhibito ipso Apostoli Barnabæ loco, cujus modo feci mentionem. Is sic habet in Capite 15. de Sabbato.

Fecit Deus diebus sex opera manuum suarum, & consummavit die septimo, & requievit in illo die, & sanctificavit eum. Attendite, filii, quid dicit, consummavit in sex diebus. Hoc dicit; quia consummabit Dominus Deus omnia in sex millibus annorum. Dies enim apud illum mille anni sunt. Ipse mihi testis est, dicens; Ecce (*a*) *hodiernus dies erit tanquam mille anni. Unde scire debetis, filii, quia in sex diebus, in sex millibus annorum, consummabuntur omnia. Et quid dicit, Requievit Deus die septima? Hoc est, cum venerit Filius illius, & amputabit tempus iniquitatis, & judicabit impios, & mutabit solem, & lunam, & stellas, tunc bene requiescet in die septima. Ad summam hoc dicit: Sanctificabis illum diem manibus mundis & corde puro. Quem ergo diem sanctificavit Deus, quis potest sanctificare modo nisi qui sit mundo corde? In omnibus nos erravimus. Vide ergo tunc refrigerans* (requiescens, καταπαυόμενος) *sanctificabit illum, quando nos poterimus, recipientes justam promissionem, iniquitate non amplius existente, factis vero omnibus novis a Domino, & nos tunc poterimus sanctificare, ipsimet prius sanctificati. Ad summam dicit illis;* (*b*) *Dies solennes vestros & Sabbata non sustineo. Videte quomodo dicit, non hæc* [illorum] *Sabbata mihi accepta; sed illa quæ feci: ubi postquam fecero requiescere omnia,* (ἐν ᾧ καταπάυσας τὰ πάντα,) *initium* (deinde) *diei octavæ faciam, hoc est, initium alterius mundi*, scilicet æterni & permansuri. Vid. Not. 61. Cotelerii, cujus hæc verba sunt: *Chiliastæ annos sex mille præsenti rerum statui tribuebant, septimum millenarium assignabant regno Christi cum Sanctis suis, ogdoadem æternæ beatitudini consecrabant*: quod & Menardi annotatio ibidem probat, allegato Gregorii Nysseni loco.

(*a*) Ps. 90. ℣. 4. & 2. Petr. 3. ℣. 8.

(*b*) Esa. 1. ℣. 13.

C A-

CAPUT X.

De Epistola & Judicio Examini annexis, deque Controversia mota contra Libellum Theologiæ Comparativæ.

I. HActenus ea examinavimus quæ in Examine D. Jægeri me respiciebant, excepta Controversia sua II. quam cum adversus alterum esset, usque adhuc distuli, mox de ea aliquid dicturus. Addidit Libro suo tractatulos duos, alterum in forma *Epistolæ* ad me, cujus contentis quantum ad præcipua superius (*a*) satisfeci, & potuissem statim atque illa prodiit, refutationem ejus prolixam satis publicare quam (*b*) doctissimus quidam Theologus Augustanæ Confessionis, in D. Jægeri insolentiam & puerilia sophismata indignatione motus, illico conscripserat, atque ad me, sorte illius mihi commissa transmiserat; nisi credidissem silentio meo melius posse Jægerum vel sedari, vel ad se & ad æquiora redire, quam si aliter facerem: tametsi spes partim me fefellit, idque hujusce scriptionis meæ causa extitit.

I. *De Jægeri Epistola Examini subjuncta.*

(*a*) Sup. Libr. I. Cap. 1. §. 2, & seqq.

(*b*) Ea subjicietur infra. Vide *Accessionem* C.

II. Libellus alter D. Jægeri adjectitius in titulo fert JUDICIUM SINE AFFECTU *de duobus Adversariis Joh. Lockio & P. Poireto eorumque pugna de Ratione & fide*: in re ipsa autem & in contentis fert AFFECTUM SINE JUDICIO *D. Jægeri spontanei adversarii, nescientis in quem irruat, faventis Epicureismi principiorum disseminatori, infensi in eum qui adulatoriis ac cæcis suis principiis non favet, & minime intelligentis neque rem neque verba Fidei ac Rationis de quibus agitur.* Scit ipse me non esse excellentis libri, dicti FIDES ET RATIO, auctorem, & tamen vel è titulo asserit me esse; meque contra conscientiam, ut talem toto fere libello impugnat. Ignorare non potest J. Lockium (si eum legit aut intelligit) posuisse in suo de Intellectu Libro principia plane Epicurea; rationem, quæ tamen corruptissima est, præposuisse fidei; & nihilominus fert auxilium favetque magis illi quam ei qui ejusdem errores refutat.

II. *De ejusdem Judicio in quo nec judicium, nec æquitas, nec veritas.*

III. *Turba de Fide.* III. Ait (p. 19.) Auctorem non feriisse *scopum Lockii* qui non agit de fide *justifica*, ut facit Auctor. Atqui quæstio est de fide *vera*, qua *vera*, sine respectu ad effecta, quæcunque demum sint, aut esse possint, nec ne; neque de hoc effecto, *justificatione*, plane ibi ulla est quæstio vel mentio. Pro vera autem FIDE, obtrudit nobis Jæger veluti principium, adulatoriam & futilem suam *Fidem* logicam, quam appellat *justificantem*, licet plane nesciat tum veram justificationem, tum veram fidem, tum quod sua utraque sit falsa. Tumultuatur dein veluti de re nullibi scripta, quod *Fides* dicta sit *Substantiale Dei lumen*, & tamen non videt quod ibidem (*a*) citetur locus ubi Paulus dixit, (*b*) quod *fides sit substantia*; nec meminit Davidem dixisse, (*c*) *in lumine tuo* (quod est vera fides à Deo communicata) *videbimus lumen*, sive cognoscemus te, qui verum & originale lumen es. Dixere quoque de illo lumine fidei *substantiali* antiquiores ac sanctiores; veluti Macarius, quod sit (*d*) *non solum intellectualium sensuum revelatio & illuminatio*, *sed* SUBSTANTIALIS *& subsistentis lucis* (ὑποςατικοῦ φωτὸς) *in animabus emissio*. Idem alio in loco ait, (*e*) Christum *ex ipso spiritu*, *ex* SUBSTANTIA *ipsius luminis ineffabilis*, *pingere imaginem cœlestem* in nobis, cujus *cœlestis imaginis* divinæ ac perfectæ fides pars est & character ex primariis. Sed mavult Jægerus & sui similes, fidem quæ participet de prædicamento Aristotelico accidentis & *qualitatis*, cui nomen *supernaturalis* pro larva imponit, quam illam quæ sit, ut cum divino Macario loquar, *substantialis lucis emissio* ex Deo. Alibi (*f*) contradicendi animo, postquam dixit paulo ante (p. 20.) fidem esse LUMEN, negat postea fidem esse *lucem* quæ sua *nitatur* evidentia; intelligit fidem suam logicam, assentientem enunciationi ex subjecto & prædicato constanti, ac utriusque nexui, quia de divina internaque fide, quæ sit Dei *lumen emissum*; nos invicte per se de Deo certos reddens, nihil capit. Addit, fidem esse *obscuram*, id quod verum est quantum ad ea quæ sunt in objecto particularia, non autem quantum ad generaliora, evidentiamque subjectivam de horum existentiæ veritate.

(*a*) Fid. & Rat. pag. 69.
(*b*) Hebr. 11: ℣. 1.
(*c*) Ps. 36. ℣. 10.
(*d*) De Libert. Mentis. Cap. 22.
(*e*) Homil. 30.
(*f*) pag. 27.

IV. *Item de recursu ad* IV. Alio in loco (p. 33.) appellat non sine ingenti cœcitate *Seductionem animarum*, præceptum salutare Spiritus Dei quod

est

est & in Scripturis, nempe, ut *semper recurratur ad Deum ipsum in intimo fundo nostro, ibique eum uti est in semetipso* (hoc est mere, ut bonum incomprehensibile) *esse apprehendendum eique adhærendum.* Id quod Christus appellavit; *Deum adorare in Spiritu* (in fundo cordis) *& in veritate* (uti ille est). Subjungit crassius, male *ex stolido Weigelio & aliis fanaticis supponi, quod Deus in omnium cordibus habitet* (*sit*, debuit dicere: *habitare* est bene excipi & regnare ibidem:) *hunc* esse quoque *Poireti errorem* CAPITALEM, quem supra *refutaverit.* Atqui Jægerus id dixit ipsemet, imo & *Deum esse in ipso etiam inferno*, uti vidimus (*a*) supra (Idem in Historiæ suæ Ecclesiastico-Politicæ. Tom. II. (p. 274.) Caput de *Nullibismo* concludit his verbis: *Adeo Deus non est nullibi, ut potius* UBIQUE *sit, rebus omnibus præsentissimus: contrarium statuere repugnat fidei, sanæ Rationi, ac, ut diximus, via est ad Atheismum.* Adde eundem esse unum ex illis ubiquitariis, qui Christum quod ad humanam naturam *ubique* esse dicunt; ergo & esse debet *in omnium cordibus:* quod si ibi sit quantum ad naturam humanam, secundum Jægerum, multo magis, vel saltem æque vere, quantum ad Divinitatem. Si autem Deus in nostris intimis est, an tam inconsiderati esse debemus, ut cogitationes nostras ab illo ibi præsente avertamus; & tam impii vel cœci, ut pro *seductione* habeamus collectionem illarum ad eundem?

Deum in intimis præsentem.

(*a*) Sup. Libr. I. Cap. 4. §. 3.

V. Non minus maligne quam ignorantissime Jægerus appellat (p. 42.) *sceleratissimam doctrinam*, eam qua dicitur, revelationem esse datam ut homines stupidi & somnolenti excitentur, incitenturque ad sese intra se ipsos vertendum; qua de re (uti & de ceteris plerisque) fusius (*b*) supra è Scriptura ipsa, Chrysostomo, Augustino, aliisque pluribus egimus, & diximus etiam satis ad evertendum suum hoc totum *Judicium sine judicio*, quod *Epilogo* plane maledico in sanctissimam quandam animam terminare maligne gestiit, de quo adhuc aliquid infra (*c*) dicetur. Veniam autem postulo ab illustri Auctore libri per Jægerianum libellum vellicati, quod cum judicaverit eum plane indignum esse cui aliquid reponatur, ausus sim pauca hæc annotasse, quibus videri possim me ab ejus de servando plane silentio sententia aliquantum discessisse.

V. *Maledicentia maligna.*

(*b*) Sup. dicto Cap. 4. §. 3. & §. 18. 19.

(*c*) Cap. seq. §. 28. & seqq.

VI.

VI. *De Theologia Comparativa. Auctor, occasio, scopus & argumentum ejus Libelli Jægero exosi & quare.*

VI. Supereſt ut addam aliquid de ceteris aliorum ſententiis quas, cum eorum Auctoribus placuit D. Jægero in ſuis contra me Controverſiis impugnare. Incipiam ab auctore Eximii libelli *Theologia Comparativa* dicti, quem noſter tota Controv. II. à pag. 35. ad 42. invadendum ſuſcepit, nullo plane rationis prætextu, qui vel alicujus veriſimilis æquitatis umbram minimam habere poſſit.

Auctor iſtius libelli, THEOLOGIÆ COMPARATIVÆ, qui D. Jægerum neſcivit omnino exſiſtere, forte & adhuc neſcit, Jægero itidem incognitus, Vir doctrina ſolida, ejuſque diſtincte ac clare exponendæ peritia ſingulari conſpicuus, vir integer, pius, pacificus, ſenio venerabilis, dignitate in Britannicæ Eccleſiæ partibus quas Epiſcopales vocant, quæque omnium proxime ad Auguſtanæ Confeſſioni addictos accedunt, SS. Theologiæ Doctor, muneris ſui in ea Profeſſorii officio fungens, Orationem ad Theologiæ ſtudioſos, auditores ſuos, habuerat, cujus argumentum & contenta eò collineabant, ut juvenum animos ad ea quæ in Theologia ſunt præcipua, & pietatis ac Amoris Dei eſſentialia reſpiciunt inclinaret, imprimis & præ iis quæ minus præcipua ſunt, quibus quidem ſuum etiam darent locum, ſed nec primum, nec propterea ita, uti fieri ſæpius nec uno in loco ſolet, contenderent, utrorumque pondus, differentiam, uſum & fructum perſpicue indicans. Ea Oratio cum publice edita eſſet, & varia in loca veniſſet, omnibus probis ita placuit, ut eorum hortatu ac perſuaſione in forma parvi libelli, ſub titulo *Theologiæ Comparativæ ſeu pacificæ*, debuerit & recudi, & in alias linguas converti variis in locis. Amſtelodami latine edita eſt ac præpoſita uni ex libris meis qui *Bibliotheca Myſticorum ſelecta* dicitur. Londini prodiit itidem ſub eodem titulo Anglicè ſeorſum. In Germaniam cum deveniſſet, Germanice illico comparuit ſub titulo *Gemma Theologica*. Quo ſolo apparet, quanti eum facerent, qui inter doctos pacifici atque probi erant: à quorum autem numero excepit ſe quamprimum D. Jæger, tanta cum animi vehementia, imo & maledicentia, tam in libellum ipſum quam in Auctorem ejus, ut nullum plane modum tenuerit: nec alia hujusce agendi modi occurrit ratio, niſi quod D. Jæger, ut *Controverſiarum Theologicarum Profeſſor*, in contentionis elemento degens

gens eoque vivens, vel ad ſolum tituli THEOLOGIÆ PACIFICÆ nomen horruerit, maxime cum videret, doctos atque probos viros plurimos iſtius Theologiæ eſſe admiratores, ut ipſe fatetur (pag. 35.) libroſque adeo ſuos controverſioſos, ac ei amatum contentionis elementum, relinqui ab illis atque contemni.

VII. Adhibuit autem machinas quatuor præcipuas, quibus in libellum gemmeum Auctoremque illius optimum detonaret; at omnes quidem vitreas ac falſas. Harum prima eſt hallucinatio tam ridicula, ut totum conamen ejus atque molimen inde prorſus evaneſcat, ſolumque aërem feriat. Scilicet, ſibi imaginatus eſt D. Jæger *Theologiam Abſolutam* & *Theologiam Comparatam* aut *Comparativam* eſſe duas Theologiæ ſpecies, quarum primam ille vocat Orthodoxam vel *Orthodoxiam*, quam unice laudat, ſuſtinet, commendat; alteram, veluti monſtrum aliquod ex Africa novum ac ſibi incognitum, horret, rejicit, damnat, ac tandem in fine concludit, hiſce ſuis verbis, HANC THEOLOGIAM (Comparativam) *nec puram nec* PACIFICAM *eſſe, ab impuro ſpiritu* INFERNALI *originem ducere*, *& ipſi* SPIRITUI *S. bellum indicere.*

VII. *Ejus machina quatuor. (1.) Supponit Theol. Comparativam ab Abſoluta ſpecie differre, hincque in eam invehit perabſurdè.*

Spectatum admiſſi riſum teneatis amici!

Theologia Abſoluta ac Orthodoxa, & Theologia Comparativa, eſt una eademque numero individuatim Theologia, hoc ſolum cum diſcrimine: quod una illa Theologia dicitur *Abſoluta*, quando ejus contenta conſiderantur in ſe ipſis, ſine relatione ad ſe invicem; eadem autem una numero, dicitur *Comparativa*, quando ejusdem contenta eadem conſiderantur & comparantur ad ſe invicem, & diſpicitur quænam eorum ſint primaria, principalia, maxime fundamentalia & ſubſtantialia; quænam vero ſecundaria, conſequentia, à primis pendentia, acceſſoria, & circumſtantialia; idque eo ſcopo, ut primariis illis ac eſſentialibus intellectu, affectu & praxi adhæreamus præcipuè ac propter ſe ipſa; alia vero admittamus & curemus propter prima & non ut præcipua.

VIII. Hoc inculcat atque inſinuat Auctor vel è primis ſui libelli lineis: utiturque exemplo & auctoritate Chriſti, & Prophetarum ad oſtenſionem & probationem horum duorum, nem-

XVIII. *Subſtantia Opuſculi.*

pe, I. In Lege Dei & in vera Religione ea contineri quorum nonnulla ſint primaria, à Deo præcipue injuncta & ponderoſiora; alia autem ſecundaria. II. Primaria propter ſe ſuumque pondus obſervanda eſſe indiſpenſabiliter, ut ita loquar: ſecundaria, propter primaria, & conſequenter obſervanda, nec omittenda. Idem, eandem, inquam, rerum contentarum varietatem & inter ſe differentiam, in Theologia Chriſtiana & Orthodoxa, quæ nihil aliud eſſe debet, quam Legis Dei ſive divini Verbi in Scripturis declarati Veræque Religionis complexio, ita ſe habere & obſervandum eſſe, per ſe clarum eſt. Porro, notio eſt univerſalis, indubitata, ſineque ulla in cœlis ac in terris exceptione; EX RERUM PLURIUM *bona diſpoſitione ac* ORDINE INTER SE SERVATO, CONCORDIAM *ſeu convenientiam*, *unanimitatem & pacem* SEQUI: EX EARUMDEM *non obſervato ſed* CONFUSO ORDINE, DISSONANTIAM, DIVISIONES *atque* CONTENTIONES *& ini-*

(a) Jac. 3. *micitias ſequi*, &, *ut inquit* (a) *Jacobus Apoſtolus*, *omne malum o-*
℣. 16. *pus*, quod ultimum evitandum eſſe, primum quærendum, Dei & hominum vox eſt. Obſervanda igitur eſſe illa duo, quibus alterum evitatur, alterum obtinetur. Atque hæc eſt ipſiſſima ſubſtantia, anima, ſcopus totumque argumentum opuſculi *Theologiæ Comparativæ*, cui nunc D. Jæger ſtupendum in modum malevolo contradicendi ac pugnandi affectu occœcatus, bellum indicere geſtit ſimulque declarare, *Theologiam hanc eſſe impuram, ab impuro Spiritu infernali ducentem originem, & ipſi Spiritui S. bellum indicentem.*

IX. *Quàm nulla ſit ejuſdem condemnatio atrox.*

IX. Quod ſi ita eſt, oppoſitum igitur ejus erit Jægero THEOLOGIA PURA, E PURO SPIRITU DEI ORIGINEM DUCENS. Quid autem illud oppoſitum? hoc videlicet: *Inimicitias, contentiones & diviſiones in Theologia & Religione Chriſtiana, interque Chriſtianos, retinendas eſſe & fovendas; atque ut retineantur & foveantur, minime faciendum eſſe diſcrimen inter magis & minus præcipua Theologiæ ac Religionis Chriſtianæ; ſed omnia perinde habenda eſſe, minimiſque & minus præcipuis non minus* (ſi non magis) *inſiſtendum eſſe quam primariis atque maximis, etiam Amor Dei & proximi detrimentum inde paterentur.* Hoc autem oppoſitum genuinum *Theologia illi Comparativæ*, annon potius dicendum

ſit

ſit *ab impuro Spiritu infernali originem ducere* (utor verbis adverſarii partes Theologiæ Comparativæ OPPOSITAS tenentis,) *& ipſi Spiritui S. bellum indicere*, judicet Dominus in conſcientia cujusvis, ad eum ejusque in corde teſtimonium ſincere attendentis.

X. D. autem Jægerus, ſi conſcientia illi obduruit, conſideret duo argumenta ſequentia.

X *Theologiæ Comparativæ ſoliditas: eam cum ratione improbari non poſſe.*

Quæ res eadem eſt, quantum ad ſubſtantiam, cum ipſiſſima Orthodoxia, ſive Theologia orthodoxa; ea non negligenda, ſed tenenda & laudanda eſt, teſte ipſo D. Jægero, pag. 38. Exam. Th. Nov.

Atqui Theologia Comparativa eadem eſt, quantum ad ſubſtantiam, cum Orthodoxia, ſive Theologia orthodoxa: (ſunt enim ejuſdem partes omnes eædem, ſecundum ordinem poſitæ & obſervandæ.)

Ergo Theologia Comparativa tenenda eſt & laudanda; ſecundum ipſum teſtimonium D. Jægeri.

Porro: *Quicquid oppoſitum eſt rei tenendæ & laudandæ, (maxime ſi res divina eſt, & de ſalute agitur,) illud eſt vel impium, vel procedit ex mera cæcitate.*

Atqui D. Jægeri factum & propoſitum contradicendi Theologiæ Comparativæ, OPPOSITUM *eſt rei retinendæ, & laudandæ.*

Ergo D. Jægeri propoſitum & factum illud procedit vel ex impietate vel ex cæcitate: niſi ipſe malit *ex utraque*.

Horum Syllogiſmorum vis, & periculoſus pro D. Jægero effectus, diſſolvi non poſſunt, niſi per ſolam ejus pœnitentiam veram & retractationem, quam ipſi ex animo exopto.

Animadverſa Theologiæ Comparativæ ſoliditate immota (nam tam ſolida eſt, quàm verum eſt *Deum eſſe Deum ordinis, & non confuſionis*; omniaque eum velle, maxime quæ divina ſunt, ut ſint & fiant ordine recto, & non perverſo,) ſequitur inde, nihil prorſus eidem, quantum ad ejus ſubſtantiam & ſcopum, poſſe unquam legitime objici. Si quid autem ei objici poſſit, id non ſubſtantiam ejus, ſed exempla ad eam illuſtrandam allata & in actum deducenda poterit ſolum reſpicere: puta, ſi forte pro exemplo vel applicatione, aut deſignatione partis alicujus primariæ, aliquid in medium adferretur quod tale non eſſet, ſed ad ſecundarias partes pertineret, aut nec plane ad u-

trasque pertineret: Id si commissum esset, merito posset objici ut male assumtum exemplum, manente tamen immoto Theologiæ quà debito ordine disponendæ, atque ad pacem conciliandam observandæ fundamento.

XI. *Objicit (II.) post lapsum non exigi Amorem sed Fidem, neutrum recte intelligens.*

XI. Et huc quidem pertinere videntur objectata D. Jægeri secundum & tertium: quartum autem quod ultimum est, meram esse calumniam & cavillationem, modo videbimus.

Attulerat libelli Auctor, pro divinæ Religionis essentiali ac primaria parte designanda, AMOREM DEI, utpote quem non ante lapsum tantum, sed & post lapsum ab homine ut primas ejus partes primumque officium observandum ab eo Deus exegerit, uti ex adductis Christi ipsius verbis, Matth. 22. ℣. 37. invicte patet. Quis hoc refutabit? D. Jægerus. Quomodo autem? Pro *Amore* puro & filiali quem Deus ab homine primum exegit, substituit nobis *fœdus* aliquod mercenarium & imaginarium, per cujus mercenariam observantiam homo posset *mereri* in vitam ingredi, & hanc vult fuisse viam illam primam *Amoris meritorii* ac mercenarii (quidni *amoris sui ipsius?* egregium sane amorem!) ante lapsum propositam. *Post lapsum* autem, *rem contrà se habere:* aliam esse viam quàm Amoris, (illius mercenarii,) scilicet viam *fidei*, (hujusque imaginariæ & adulatoriæ,) qua *credentes* quod Christus active & passive fecit & passus est pro nobis nostro loco & exclusive ad nos & ad ea quæ nos jure & ex officio debebamus, imputative justificamur, & ita per aliam viam, non verò per viam Amoris Dei, ne quidem mercenarii illius, in vitam ingredimur. Quas vero horridas pudendasque veteris Adami adulationes & seductiones denuo hic repræsentare atque evertere non credo necessarium, quando id supra abundanter feci in Capitibus (*a*) de Fide, de Satisfactione, de Justificatione & de Lege morali servanda, ad quæ dignabitur Lector respicere si placet. Satis est patere hinc paucis, Jægerum ista vitilitigatione sua ne quidem tangere Amorem illum verum, purum, filialem, de quo est quæstio, & quem postulat, & postulabit æternùm Deus, ubi dicit: *Amabis Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo* &c. De quo solo agitur in Theologia nostra Comparativa.

(*a*) Libri III. Capp. 2, 4, 7, 8, &c.

XII. *Techna ad-*

XII. Detegi autem hic meretur D. Jægeri illa techna, qua pro

pro argumento de Amore Dei, substituit nobis locum controversum de Justificatione, quæ ne semel quidem in toto nostro tractatulo nominata est, uti nec in aliquot Pauli Epistolis, nec in Epistolis Petri & Joannis, nec in hujus Euangelio, neque in multis piis libris, Catechismis (etiam Lutheri) & institutionibus Christianis.

versarii pro argumento de Dei Amore substituentis locum communem de Justificatione sua imaginaria.

XIII. Notandum igitur est, Scholasticos Theologos, cum incepissent res divinas suis scientificis atque Aristotelicis modis pertractare, deque iis in utramque partem disputare, eas quo aptius in hac palæstra se exercerent, partitos esse in certa Capita quæ *locos Communes* vocaverunt. In his locis locum suum Justificationi dederunt, Amori non item. Illam autem eo in loco communi, tractaverunt & depexam dederunt per alios locos logicos & pedanticos causarum, materialis, formalis, efficientis, finalis, subjectorum, adjunctorum, oppositorum atque similium, quibus effectum est ut latior eis garriendi, disputandi atque contendendi pateret area. Supervenere Schismata: atque in partibus tunc diversis & oppositis unusquisque sibi Locos Communes construxit, oppositos quantum potuit Locis Communibus aliarum partium. Hinc duplicatæ vel potius centuplicatæ contentiones, diffidia, rixæ, controversiæ, odia, & quicquid ad veram vitæ viam obscurandam idoneum est: in quibus porro labyrinthis jam vel plus annis ducentis sine alio quam majorum dissensionum ac inimicitiarum fructu deerrant atque vagantur. Hujus cum misereret viros quosdam pios atque doctos, conati sunt uti viam ad salutem tam misere intricatam & obscuratam, redderent clarius & tutius cognitam, revocando illam ad Amorem Dei & ad ea quæ cum illo connexa sunt, vel ex eo sequuntur. Et hoc ex iis quidem fecit brevissime & solidissime pius ac doctus Theologiæ Comparativæ Auctor.

XIII. *Locorum Communium origo & fructus funesti ante & post Schismata.*

XIV. Id ei invidet contentiosus D. Jægerus. Sed cum nihil adversus illum posset in aperto illo ac lucido Amoris divini campo, per astutiam conatur eum, ejusque Lectores, in obscuram & contentiosam cellam vel cavernam alicujus è locis suis communibus pertrahere, Justificationis nempe, & quidem Jægerianis modis intellectæ & adornatæ, hoc est, in rixis natæ, falsatæ ac plane tenebrosæ: quam vero ille eis objiciat, quo reti-

XIV. *Hos cum aliis evitare satagit Auctor Theol. Comparativa, frustra hinc impetitus.*

retibus suis eosdem irretiat & ad lubitum vexet. Ego vero quibusvis consulo, uti mecum totum illum Jægerianæ Justificationis locum communem suum vel per fenestras in profundum projiciant velut rem nihili, imo falsam & perniciosam quatenus in ea, dicente Jægero, *res se habet contrà* quam in prima via *Amoris divini*. Nam omnis FIDES quam ille opponit viæ Amoris primæ, nisi habeat pro *anima* & *vita* sua Amorem Dei, falsa & mortua fides est; & justificatio ei innixa, imaginaria plane ac deceptoria & falsa.

XV. *Nullitas Justificationis Jægeri, hujusque mira exclamatio:* Væ nobis si nunc Justificatio nostra esset ex Amore.

XV. Hoc possit vel stupidissimus inter homines bene satis, si velit, capere. Nam, quæso, quis est adeo demens, ut si quasdam haberet gratias aut gratificationes pretiosas, cum aliis communicandas, vel etiam rerum suarum consiliorumque sacretiora aliis aperienda, idemque illorum omnium corda nosceret, isthæc vellet cum illis communicare qui gratias illas solum desiderant & credunt, sed sine ejus amore; ac non cum iis potius, in quibus videret amoris sui principia sincera ac gradus saltem aliquot? Adeone deliraret D. Jægerus ipsemet, ut si eo in loco constitutus esset, simile quid in se suaque communicando committere vellet? Interroget animum suum de hoc unusquisque, ac utrum ipse eum qui istud faceret, pro absurdo & sibi contradicente & opposito gratiarum distributore non haberet? Et de Deo sapientissimo, secumque concordantissimo id cogitare, imo dicere ac docere audebimus, & locum dabimus horrendæ illi Exclamationi, *Væ nobis si impræsentiarum nostra justificatio esset ex charitate erga Deum!* id est, ut in terminis & plano Theologiæ Comparativæ extra cavernam loci communis rixosi maneamus; *Væ nobis si ad participationem gratiarum divinarum Deique ipsius, per viam veri ejus Amoris veniendum sit!* O vocem ingenuo homine indignam, solisque mercenariis, quin & mancipiis, dicam & Diabolis relinquendam! Imo potius, SI (a) QUIS NON AMAT DOMINUM JESUM, ANATHEMA SIT, MARANATHA! & Væ nobis si quæramus Dei beneficia, gratias & societatem participare per aliam viam quam per viam *Amoris divini!* Nam QUI NON AMAT, MANET IN MORTE, (b) inquit Amoris discipulus de non amante fratrem, ac multo magis de non amante Deum, qui vita est vera.

(a) 1 Cor. 16. ℣. 22.

(b) 1 Joan. 3. ℣. 14.

XVI.

XVI. Sed, quæso, quid causæ D. Jægero esse possit cur ita tragicè super Amoris Dei via exclamet, *Væ nobis, si justificatio nostra esset ex Amore*, quam tamen justificationem vult *esse contrà* ex fide? Scilicet hæc: (*a*) *Quis enim unquam regenitorum tam superbus fuit, ut dixerit se per omnem vitam perfecte & juxta tenorem & rigorem legis amasse Deum?* Primo, Lex Euangelii, quæ exigit a nobis ut amemus Deum & Christum, si velimus illorum beneficiis, adeoque & justificatione, & societate frui, non supponit nos antea non peccasse, sive nos antea *semper amavisse*; absurdum: supponit nos antea fuisse in ignorantia, nos amorem non exercuisse, ac proinde justissime beneficiis Dei ipsiusque societate privatos. Vult autem nos eò revocare unde decideramus, non sub conditione ut per totam vitam anteactam amaverimus; quod D. Jægeri suppositum æque absurdum est, ac si pro conditione poneret ut quod factum est, non sit factum. Præterea, Lex eadem Christi non exigit perfectionem, quæ vires illas quas offert nobis & infirmitatem nostram excedat; ut nec bonus pater ab infantulis exigit perfectionem suis viribus provectiorem, vult tamen amorem cordis sinceri, qualis infantulus re vera capax est: nec est rigor, sed teneritudo in divino illo nostro Legislatore amorisque benigno postulatore. Addo, tertio, quod si ratio D. Jægeri cur excludat amorem ut fidei locum det, bona sit, debeat per eandem rationem & excludi ipsa fides; atque exclamari, *Væ nobis si Justificatio nostra esset ex* FIDE *erga Deum! Quis enim unquam regenitorum tam superbus fuit, ut dixerit & dicere potuerit se* PER OMNEM VITAM, PERFECTE *sine vacillatione, dubitatione, imo sæpe, & incredulitate, & juxta tenorem Legis Euangelicæ credidisse &* FIDEM *habuisse erga Deum?* Itane a tanto Doctore potuisse in medium adduci talia quibus propria ipse asserta conficit ac delet!

XVI. *Causa, quam affert, exclamationis suæ absurda.*

(*a*) Jæg. Ex. p. 40.

XVII. Sed & omnium pessimum est quod viam FIDEI distinguat, separet, imo ponat *contrà esse*, ac aliam plane a via Amoris, & vicissim. Certe Apostolus (*b*) charitatem cum fide conjungit, & Amorem esse scopum & epitomen totius Scripturæ asserit ipse Christus. Si hoc est, Lex Amoris sit oportet etiam Lex fidei: & re vera ita est: Nam hoc verbum, *Ama Dominum Deum tuum &c.* in se comprehendit hominibusque injungit

XVII. *Pessimè viam Fidei à via Amoris distinguit eique opponi.*

(*b*) Ephes. 6: ℣. 23.

Cha-

Charitatem, Fidem, Spem, justitiam & omnes virtutes. Quid est AMARE DEUM *tota* MENTE *&* *toto* INTELLECTU, ut hic exigitur? Ipsissima FIDES, sive tradere Deo ejusque verbis INTELLECTUM nostrum cum affectu, persuasione & acquiescentia. Quid est FIDES Euangelica quam Christus a nobis postulat? Ipsissima amplexatio amorosa (ut ita dicam) doctrinæ Euangelicæ ejusve objectorum Patris, Filii & Spiritus S. eorumque voluntatum & operationum, quæ est ipsa divina dilectio sive Amor Dei. Atque ita tantum abest ut via Amoris alia sit ac *contra* se habeat quam via Fidei; ut eam revera includat. Omnis vera fides est Amor, & Fides quæ non est amor est larva fidei atque falsa & mortua fides.

XVIII. *Amori Justificationem & omnia tribui à Christo, Apostolis & Patribus primis.*

XVIII. Hoc autem Amore omnia Dei beneficia, remissionem peccatorum, justificationem, sanctitatem, & reliqua recipi & conservari ab amante fideli, testis est Christus, testes Apostoli, primique inter Christianos sanctiores Patres. Clara sunt verba Salvatoris, quæ nullæ enervabunt glossæ: (a) *Dico tibi; Remittuntur ei* (peccatrici) *peccata multa*, QUIA *multum* DILEXIT. Idem ait ad Discipulos: (b) *Qui* DILIGIT *me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum - - - & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Poteftne Deus ita aliquem amare ut veniat ad eum, & mansionem faciat apud eum, & tamen non adferre ei remissionem peccatorum, justificationem, omniaque beneficia salutaria? Atqui hoc *Amanti* promittitur & datur. Paulus ait, (c) se esse nullum, & omnem *fidem* nullam esse *sine charitate*, & *charitatem* esse *majorem fide & spe*. Joannes, (d) *In charitate* non *esse timorem: sed* quod *perfecta charitas foras mittat timorem:* quis ille timor? Scilicet, ne accusemur à peccatis *in judicio* Dei. Atqui hæc *timoris ejectio* est ipsa *justificatio*, quam Apostolus *Amori* perfecto adscribit.

(a) Luc. 7. ℣. 47.
(b) Joan. 14. ℣. 21, 23.
(c) 1 Cor. 13. ℣. 2, 13.
(d) 1 Joan. 4. ℣. 17, 18.

XIX. *Verba S. Clementis.*

XIX. Apponam hic S. Clementis Apostolici viri verba quædam quibus omnia charitati sive Amori tribuit. (e) *Qui charitatem habet in Christo, servet mandata Christi. Charitatis Dei vinculum quis verbis exprimere potest? Quis pulchritudinis ejus magnalia prout par est, enarrare valet? Altitudo ad quam evehit charitas, inenarrabilis est. Charitas nos Deo agglutinat:* Charitas *peccatorum multitudinem tegit*; (nonne hæc justificatio est?) *charitas omnia sufti-*

(e) I. Ep. ad Cor. 1. cap. 49. & 50.

sustinet - - - : in charitate omnes Dei electi perfecti sunt facti: sine charitate nihil Deo acceptum est : in dilectione nos Dominus sibi assumsit - - -. Videte, fratres, quod magna & admiranda sit charitas, & perfectionem ejus nulla narratio æquare possit. - - - Beati sumus, dilecti, si præcepta Domini in charitatis concordia impleverimus, ut per charitatem peccata nostra nobis remittantur: Scriptum enim est; (*) *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputabit Dominus peccatum, neque est in ore ejus dolus.* Ecce ipsissima verba quibus Paulus describit justificationem quam tribuit fidei, hic Sanctus vir, cujus nomen Paulus in libro vitæ scriptum esse dixit, ad charitatem refert, evidenti documento, Paulinam FIDEM non esse diversum quid a Charitate sive ab Amore Dei, re vera justificationem a Deo recipiente.

(*) Ps. 31. ℣. 1, 2. Rom. 4. ℣. 7, 8.

XX. Dixit Ignatius ad Ephesios, C. 9. CHARITATEM *esse* VIAM *nos referentem ad Deum*, in qua via *fides sit dux:* ad Magnesianos C. 1. & 5. *nihil charitati præferri*, &, *Characterem fidelium* esse *charitatem:* ad Smyrnæos c. 7. illos qui *contradicentes dono Dei moriuntur, reviviscere per charitatem.* Dixit Irenæus: (*a*) *Dilectionem vivificare hominem.* Dixit Augustinus: (*b*) *diffunditur Charitas in cordibus nostris,* QUA UNA *justi sunt quicunque justi sunt:* item, (*c*) charitatem inchoatam, esse justitiam inchoatam; charitatem provectam esse justitiam provectam; charitatem perfectam esse justitiam perfectam. Alio in loco, (*d*) *pietas*, CULTUS DEI (Religio) *est; nec colitur ille* NISI AMANDO. *Summa & vera Sapientia est in præcepto illo primo:* DILIGES *Dominum Deum tuum ex toto corde & ex tota anima tua: ac per hoc Sapientia est* CHARITAS DEI. Iterum alibi: (†) *Quis est cultus Dei, nisi* AMOR *ejus?* Dixit Bernardus: (‡) VITA *fidei est* CHARITAS.

XX. *Item Ignatii, Irenæi, Augustini, Bernardi;*

(*a*) Lib. 2. Cap. 45.

(*b*) de Nat. & Grat. Cap. 63.

(*c*) Ibid. Cap. 70. Vide sup. Libr. III. Cap. 10. §. 13.

(*d*) Epist. 120. ad Honor. de Gr. N. T. Cap. 18.

XXI. Dixit Lutherus: (*e*) *Per charitatem homo fit unus Spiritus cum Christo:* IDEO *participat* OMNIBUS BONIS *ejus.* Dixit D. Joh. Wolfgang. Jægerus: (*f*) *Anima nostra a Deo ceu primo principio egressa, ergo in ipsum jure* PER AMOREM REDIT.--- SOLUS AMOR *qui est Dei Opt. Max. potest animam rationa-*

XXI. *Lutheri etiam, & ipsius quoque Jægeri.*

(†) De Trin. Cap. 14. (‡) Serm. 2. in die Pasch. (*e*) In Act. apud Legat. Apost. (*f*) Exam. Theol. Myst. p. 231, 232. & p. 237, 238.

lem ponere in statum TRANQUILLUM, *quietum* (qualis est status justificationis, ac nullus antè) *&* BEATUM: & paulo post: NULLA VIRTUS MAJOR *est quam* AMOR *Divinus: hæc animam* UNIT *Sanctissimo Deo, non in* PRÆSENTI *tantum seculo, sed per* OMNES ÆTERNITATES. *Fides quidem etiam accedit supplex,--- sed* AMOR *se* PROPINQUIUS UNIT.--- *Virtus nulla est vera & Deo placens* SI CHARITATE NON TINGATUR. *Prudentia quidem Christiana necessaria est ut virtutes dirigat. Humilitas requiritur ceu basis virtutum, cui innituntur. Spes sustinet & alit patientiam in adversis, ostendendo præmia futura. Fides fiduciam habet in Deum, sed (a) sua quærit. - - - Sed* CHARITAS *Deo jungitur tanquam unico bono suo. Verbo, omnes virtutes* A CHARITATE *habent* AMABILITATEM ET PRETIUM. Et postquam locum ex Epist. 42. S. Bernardi de eadem attulit, concludit ipsusmet in hæc verba: QUODLIBET BONUM *suscipitur* PER ILLAM; *& cum illa quodlibet.*

(a) non ita, quando est pura & nuda.

XXII. *Qui verò nunc Amorem ex essentialibus Religionis expungit. Cur hæc prolixius exhibita.*

XXII. Ista omnia hactenus allegata, procul dubio vera sunt: quis dubitet post insignem hancce D. Jægeri approbationem & conclusionem? Attamen ubi doctus ac pius Auctor Theologiæ Comparativæ & Pacificæ scripsit, pag. 9, 10, 14: *Sciendum est, essentiam Religionis, sive officii quod homo Deo debet, vel Deus ab homine postulat, in quocunque sive integritatis, sive reparationis post lapsum, sive consummatæ felicitatis statu, in solo Supremi Numinis amore & dilectione sitam esse, quod nos docet Christus Matth.* 22. ℣. 37; Eumque Amorem & nunc, *in statu naturæ humanæ lapsæ ac reparandæ, primum, præcipuum ac capitale Religionis præceptum constituere, quod propter se expetitur,* & ejus *gratia* omnia alia; quod sit *finis & terminus*, ad quem omnia reliqua veluti *media, referuntur:* quæ eadem esse cum omnibus hactenus allatis, nullus est qui videre non possit: Nihilominus simulac hæc ultima vidit idem ipse modo dictus D. Jægerus, redditus suo contradicendi animo erupit in hæc verba; *Mirè in illo* FALLITUR, *& à* VIA SALUTIS ABIT *Auctor.* Unde vero hoc *mirum*, & hactenus visis, etiam D. Jægeri, testimoniis oppositum Jægeri judicium? scilicet, (pergit) quia *à statu integritatis concluditur ad statum reparationis. Differunt hi duo status.* &c. & CONTRA *se res habet in statu reparationis:* tuncque nobis *fœdus* suum

operum

operum imaginarium, cum amore suo mercenariè *meritorio*, deinde & aliud fœdus Justificationis externæ suæ ac adulatoriæ cum fide spuriâ & (utpote sine Charitatis vita) mortuâ, utrisque a vero, puro & divino Amore Dei diversis, obtrudit & opponit. Atque postquam aliqua de his verba dedit, & VÆ aliter procedentibus pronunciavit, putans se Lectorum oculos auresve ac mentes satis obtudisse, de Amore divino ejecto ex partibus primis & essentialibus Religionis, deque ejus commendatrice *Theologia Comparativa*, triumphat: & quo triumphus sit cumulatior atque ornatior, ad alias de misera illa Theologia Comparativa suoque divino Amore victorias novas per novas machinas procedit. Deprecor hic Lectorum tædium, si quod habuerint in longiori hac observatione ad alteram adversarii contra Amorem Dei sine ratione rationem. Verùm non potui, quin in gratiam omnium rerum dignissimi Amoris divini ea quæ dixi, & bene paucula pro ejus merito, adjicerem. Si qui nunc animo suo velint ex hoc ipso argumento recreationem ac refectionem vividiorem aliquam arcessere, divini Kempisii de Imitatione Christi in Libro III. totum Capitulum quintum uti legere placeat, iis suadere audeo, imo etiam atque etiam commendare.

XXIII. Quod tertio reprehendit D. Jæger in Theologia Comparativa, hoc est. Dixit illius auctor §. 17: *Porro sicut verum Dei Amorem, qui totius Religionis apex est, sola gratiosa & immediata Numinis præsentia, mentem luce & gaudio perfundens, gignere potest: ita reliqua salutis media, principium nostra natura altius & nobilius postulant.* Ad hæc ita D. Jæger (p. 41:) *Quod Autor Theol. Compar. dicit Amorem Dei, tanquam cœli Filiam, a Deo originem trahere, id verum est: sed quod addit illam* (illum AMOREM DEI) *conferri per* IMMEDIATAM DEI PRÆSENTIAM, *in eo ostendit quod* TOTA *ipsius* THEOLOGIA *ex* FANATICORUM *Schola sit deprompta. Illi enim statuunt quod Amor Dei nihil aliud sit quam ipse Deus præsens immediate in anima existens & operans.* Atque tunc in immediatas illuminationes & operationes Dei, & hinc indiscriminatim in Mysticos Scriptores, quos appellat *fanaticos*, invehitur.

XXIII. *Litem movet* (III.) *de immediata Dei præsentia, Amorem in nobis operante;*

XXIV. Atqui Amorem Dei nobiscum communicari per Deum in nobis præsentem & operantem, ipsissima est Doctrina Apostolorum

XXIV. *Contradicens Aposto-*

lis, Arndio & Augustino quem coram habebat.

lorum & sanctorum Doctorum. Dicit Paulus: (*a*) *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Joannes: (*b*) *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet. In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus & ipse in nobis; quoniam de Spiritu suo dedit nobis. Deus Charitas est; & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Augustinus: (*c*) *Dilectio igitur quæ ex Deo est, & Deus est, proprie Spiritus Sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei charitas, per quem nos tota inhabitat Trinitas. Quocirca rectissime Spiritus Sanctus, cum sit Deus, vocatur etiam donum Dei. Quod donum proprie quid nisi charitas intelligenda est?* Joh. Arndius: (*d*) *Si Deum pure & super omnia* DILEXERIMUS, *næ vero tunc multa suavissima* ALLOQUIA NOBISCUM *instituet.* Ac paulo post: *per intimam sinceramque* CHARITATEM CHRISTUM IN NOBIS LOQUENTEM *audire oportet:* Imo Augustinum & Arndium tenuisse quod Deus sit *intus* in homine etiam nondum converso, patet, quantum ad Arndium, ex illis verbis & locis quorum supra (*e*) aliquot indicavimus. Augustini verba hoc ipsum probantia, ab ipso D. Jægero relata sunt, sed male expressa & truncata, ne suam ipse videret ibi condemnationem: ita enim citavit eum tribus lineis ante hanc censuram suam: (*f*) *Quis est qui non necessum habeat ut cum Augustino exclamet: Nimis sero te amavi, dulcissime Jesu: nimis sero te amavi, amantissime Jesu.* Integra autem Augustini verba, Confessionum Libr. X. Cap. 27. hæc sunt: *Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua & tam nova; sero te amavi. Et ecce,* INTUS ERAS, *& ego foris, & ibi te quærebam; & in ista formosa quæ fecisti deformis irruebam.* MECUM ERAS, *& tecum non eram.* De operatione autem ejus immediata & interna addit; *Vocasti, & clamasti,* (operatio vocis internæ Dei) *& rupisti surditatem meam. Coruscasti, splenduisti,* (operatio illuminationis internæ) *& fugasti cæcitatem meam. Flagrasti* (operatio amoris Dei intima) *& duxi Spiritum, & anhelo tibi; gustavi, & esurio, & sitio. Tetigisti* (operatio tactus interni) *& exarsi in pacem tuam.* Annon vel unus hicce locus, quem coram habebat D. Jægerus, eum a sua hacce contumeliosa & vana objectiuncula cohibere debuisset?

(*a*) Rom. 5. ℣. 5.
(*b*) Joan. 4. ℣. 12, 13, 16.
(*c*) De Trin. Libr. 15. Cap. 18.
(*d*) Libr. 3. Cap. 15.
(*e*) Sup. Libr. I. Cap. 4. §. 23.
(*f*) Jæg. Ex. p. 40.

XXV. *Conclusiones iniquæ*

XXV. Verum infensus vocabulo *immediate*, maluit & contenta loci Augustini dissimulare, & interim in Auctorem nostrum

duo

duo iniqua concludere: alterum, inde ſequi *totam Theologiam* ejus, qui eo uſus eſt, propterea rejiciendam eſſe. Quis autem unquam tam iniquus fuit, ut propter unum aliquod erratum in aliquo Theologiæ corpore admiſſum, (ſi erratum eſt,) concludat inde TOTAM *Theologiam* illam eſſe idcirco rejectaneam? a particulari ad univerſale nullam eſſe conſequentiam, non neſciunt parvi in ſcholis tirunculi. Alterum iniquum eſt, quod vitium illud quod toti Theologiæ ob iſtud vocabulum (*immediate*) imputat, ſit *fanatiſmus*. Atque ecce, hoc pacto omnium eorum quibus hæc vox in uſu eſt Catholicorum, Reformatorum, ipſiusque etiam LUTHERI *tota Theologia ex Fanaticorum ſchola depromta* declaratur publico D. Jægeri Edicto, de quo ſane Sociniani & Pelagiani habent quod ei gratias agant! Ceterum de hocce argumento cum (*a*) ſuprà egerimus amplius, plura hic non dicimus. *dua in Auctorem Libelli.* (*a*) Sup. Libr. I. Cap. 4. §. 13. & ſeqq.

XXVI. Quartus illius in Auctorem Theologiæ Comparativæ clamoſus impetus talis eſt ad verbum: (*b*) *denique quando dicit, quod propter irregenitos Deus introduxerit* CRASSUM *&* CORPOREUM *informandi* MODUM *per Scripta Prophetarum & Apoſtolorum, imo per ipſam vitam Chriſti, in eo totum ſuum* VENENUM FANATICUM *effundit: quod adeo non facit ad vulnera diſſidiorum curanda, quantum non valet peſtis ad curandam febrem.* Addit. *Et quæſo, quanta* PROTERVIA, *quanta* IMPUDENTIA, *quantum* SCELUS *eſt ſtatuere,* VERBUM DIVINUM *quod eſt* SPIRITUS ET VITA, *modum eſſe* CRASSUM *&* CORPOREUM *vocandi homines? Imo, quanta* BLASPHEMIA *eſt de Verbo Euangelii, quod eſt* POTENTIA DEI *ad ſalutem,* CONCEPTUS IPSE DIVINUS *ab æterno formatus* IN MENTE DIVINA, *loquela Spiritus S. ſanctiſſima, tam* BARBARE *ſentire?* Concludit: *ab impuro Spiritu* INFERNALI *originem ducere & ipſi Spiritui S. bellum indicere Theologiam hanc Comparativam atque Pacificam.* XXVI. (IV.) *Falſa & immitis cenſura in eundem, cui aliud ſubjectum aliumque ſenſum ſupponit. Quàm ea ſit nulla.* (*b*) Jæg. Exam. p. 41.

Certe ſiquid hic ſceleris ſubeſt, id totum ineſſe poſſit in hac falſa ac immiti cenſura ac ſententia D. Jægeri. Supponit ille Auctori pietate inſigni ac doctrina venerando aliud ſubjectum, aliumque ſenſum a ſuo diverſum, tametſi ejus verus ſenſus idem ipſe ſit quem Jægerus alio in loco explicavit, & pro ſuo appro-

bavit. Omnis ejus clamor ex verbis CRASSUS MODUS ET CORPOREUS ſpeciem ſumit, quaſi ſcelus eſſet illis uti in rebus ſalutis: quanquam nemo neſcit, Deum in iiſdem adhibuiſſe ſigna & media ejuſdem generis: quæ utique *corporea* erant atque materialia & *craſſa*. Imo, quod multo plus eſt, adhibuit Deus ad maximum ſalutis noſtræ opus, *medium craſſum* & *externum corporis* mortalis quod aſſumſit, quin & medium *ligneum* ac *probroſum patibuli* ſive crucis ſuæ, uti & elementa *craſſa & corporea* pro Sacramentis ac mediis gratiæ: ipſeque D. Jæger alicubi Circumciſionis Sacramentum, quod Scriptura nomine venerando *Sigilli juſtitiæ fidei* appellavit, vocat (*a*) *ritum ignobilem*, *ritum pene erubeſcendum & pudendum*, quod ſane multo abjectius eſt, quam ſi modus docendi per literas vel ſonos, dicatur *craſſus & corporeus docendi modus*. Sed ipſa Auctoris, quem accuſat, verba audiamus plenius.

(*a*) Syſt. Dogm. & Polem. Part. I. p. 602.

XXVII. *Verba Auctoris referuntur, conſimilia dictis ab ipſo Jægero.*

XXVII. Ea ſic habent: (*b*) *Quoniam internæ Spiritus Sancti manifeſtationes mentem poſtulant tranquillam & quietam* (quod & docet (*c*) Arndius,) *& placida, lenis ac ſummiſſa Spiritus S.* VOX *in imo cordis docens ac monens* (ut aſſerit idem) *vix ac ne vix quidem ab homine irregenito percipi poteſt, ob perſtrepentium paſſionum ac cupiditatum tumultum*; MODUS DOCENDI CRASSUS ET CORPOREUS, *qui per* SENSUS EXTERNOS *ad mentem penetrat*, IN SUBSIDIUM *vocandus fuit*. Quod ſubſidium externum ſubjungit eſſe vel *viſionem*, vel *voces* ſive ſonos, vel *ſigna*, ſive literas, externa utique *corporea* & *craſſa media* evidenter diſtincta ab interna Spiritus S. manifeſtatione atque *voce*, ſive, ut D. Jægeri verbis utar, à *loquela Spiritus S. ſanctiſſima*, à *conceptu ſive ſenſu divino formato in mente divina*, a *Verbo divino* quod eſt *ſpiritus*, *& vita*, *& potentia Dei*. Ipſe D. Jæger hæc ita diſtinxit paulo infra (p. 58. & 59.) hiſce verbis: *Tria ſunt quæ* IN VERBO DEI *concipere poſſumus. Aliquando enim ſumitur pro illo* EXTERNO ACCIDENTE *quod eſt* SCRIPTIO ET RELATIO IN CHARTAS. *Hoc* ACCIDENS *dicere Deum* (vel conceptum divinum in mente divina, Spiritum, vitam &c.) *eſt res per ſe abſurda: quis enim characteres, literas, ſyllabas, iſtos ductus chartis per atramentum impreſſos, Deum* (mentem, conceptum, vim & potentiam Dei) *diceret*, *aut quis iſtis*

(*b*) Theol. Comp. §. 18.
(*c*) De Ver. Chriſt. Libr. 2. Cap. XXXIV. & in eo C. 7. §. 2. pag. 699. Edit. Lipſ. 1704.

istis literis, *ut* TALIBUS, VIM *quandam &* EFFICACIAM *regenerationis tribueret? Alterum quod in Verbo Dei est*, *est* SENSUS *ejus.* - - - *Tertium*, *efficacia ejus & vis divina.* Item. (p. 60.) *Ista*, (*scriptio*, *literæ*, *syllabæ*, *characteres*,) *non sunt nisi sensus divini* VEHICULA, *ut ad aures primum nostras*, *deinde ad mentem deferatur:* quæ ut VEHICULA utique INEFFICACIA *sunt.* Quod D. Jægero hic est *externum accidens*, vehiculum distinctum à *vi & efficacia*, imo à conceptu divino, à Verbo quod est Spiritus & vita; id ipsum est Auctori nostro *subsidium*, *externus*, *crassus & corporeus modus*, distinctus a *voce Spiritus Sancti*, *sive* a doctrina ipsa vel à *conceptu divino*, a Verbo Dei quod est Spiritus & vita, ut agnoscit D. Jæger.

XXVIII. Quæro nunc à D. Jægero, quid diceret si quis ex ejus verbis in illum ita insurgeret: *Et quæso*, *quanta protervia*, *quanta impudentia*, *imo quantum scelus est*, *statuere Verbum divinum*, *quod est Spiritus & vita*, EXTERNUM ESSE ACCIDENS, *esse vehiculum inefficax*, *cui absurdum sit* VIM *quandam &* EFFICACIAM *regenerationis tribuere? Imo quanta blasphemia est*, *de Verbo Evangelii*, *quod est potentia Dei ad salutem*, *conceptus ipse divinus*, *loquela Spiritus Sancti sanctissima*, *tam barbare sentire*, uti facit D. Jæger? Quid inquam ad hæc diceret ille? Fulminaret, ac vociferaretur, confundi maligne ab objectatore ea quæ distinxerat ille manifestissime, scilicet, ex una parte Verbum Dei quod est efficacia & vis divina, ex altera, accidens externum, vehiculum, scriptionem & relationem in chartas per atramentum. De hocce ultimo demum se dixisse, quod sit *absurdum* talibus vim quandam & *efficaciam* tribuere; non autem de Verbo Dei quod est efficacia, Spiritus & vita. Calumniatorem itaque mutare subjecta, substituere alterum pro altero, & tribuere alteri quod de altero dictum fuit. Agnoscat hic seipsum D. Jægerus suumque agendi modum erga Theologiæ Comparativæ Auctorem. Hic *Spiritus S. vocem*, sive, Spiritum S. qua loquentem, *docentem* & operantem, distinxit conceptis verbis a *subsidiis* & *modis externis corporeis & crassis* quibus sensus externi feriuntur, quales sunt, præter literas in chartis atramento scriptas, motus aëris ore factus, & auribus exceptus, vel motus in cerebro excitati, quos nemo nescit esse corporeos

XXVIII. *Falsitas criminationum atrocissimarum contra clara verba Auctoris hinc formatarum,*

&

& crassos: dixit autem eos à Spiritu Dei adhiberi in *subsidium* & *modos*, per quorum adminiculum suam is doctrinam, gratiam & vim communicet, quemadmodum & D. Jæger negare nequit, quin ad hoc etiam adhibeatur id quod appellavit *externum accidens*, *vehiculum*, *scriptionem* & *relationem in chartas*, &c. Et nihilominus hæc ei confundit D. Jægerus; & quæ ab illo de *subsidiis modisque* ad docendum adhibitis dicta erant, ea nempe esse *corporea*, *externa* & *crassa*, hæc imputat dicta esse de *Verbo divino quod est spiritus & vita*, *de Verbo quod est potentia Dei*, *quod est conceptus ipse divinus ab æterno formatus in mente divina:* imputat, inquam, hæc pio ac innocenti Theologo, qui ei nunquam nocuit, neque eum novit, in *proterviam*, in *impudentiam*, in *scelus*, in *blasphemiam*, in *barbariem*, in *originem infernalem*, in *bellum Deo indictum :* imputat publicatis ac mansuris chartis; & atrocem ac contumeliosam hanc calumniam & criminationem, hominum ultimo indignissimam, recoquit, apponit, inculcat, nec sine insultatione novisque contumeliis non uno in loco, nec uno in libro.

XXIX. *Aliarumque calumniarum passim repetitarum.*

XXIX. Infra, pag. 147. arguit me, de *ingenti injuria in Dei conceptum & Verbum Evangelii* ea de causa quod *Theologiam Comparativam* excellentissimum semel Scriptum dixerim, *quod* tamen, Jægeriano judicio, *prodigiosum errorem commisit & scandalo ansam præbuit*, Jægerianæ scilicet malignitati. Addidit infra, in suo *Judicio*, & hanc novam falsitatem, scilicet, per sceleratissimam illam doctrinam Theologiæ Comparativæ tradi quod *Scriptura sacra sit* TANTUM *pro irregenitis*, quam calumniam cum novis contumeliis repetit aliquoties in suo Theologiæ Mysticæ Examine, vel à Præfatione, uti & pag. 23 & 24, *impiissime* dictum id dicens, & *impurum ac putidum fanatismum*, *veræque fidei & Religionis pestem* ei adjungens. Equidem *vix ac ne vix quidem ab hominibus* IRREGENITIS *posse vocem Spiritus Dei in imo cordis monentem ac docentem percipi*, atque ut converterentur, modum docendi per sensus externos in subsidium vocandum fuisse, dictum est: sed quod hic docendi modus sit TANTUM pro illis, illud *tantum*, exclusivum, fidelitati pennæ Jægerianæ, & animi ejus benevolentiæ acceptum referendum est. Nam & ipsi regeniti ex Verbo Dei prolato vel scripto re-

recreantur & proficere possunt, &, *dies*, ut ait Propheta, *diei eloquitur sermonem.* Ps. 19. ℣. 3.

XXX. Ceterum mira res est quod adversarii, ut eos quibus male volunt reddant odiosos, eousque sint sui immemores ut illis imputent modo hoc, modo contrarium, & quæ simul subsistere non possunt. D. Jægerus sexcenties nobis objecit & exprobravit, *interna* nos velle omnia, *internum* Deum & Christum, *internum* verbum, *interna* alloquia &c. bene ergo: fixus maneat in sua hac accusatione. Non ita noster. Mox immemor ejus, & memor tantum affectus sui quoquo modo nos impugnandi ac publice diffamandi, transit ad oppositum, atque tunc nos accusat, quod *Verbum divinum quod est Spiritus & vita, & potentia Dei, & conceptus ipse divinus ab æterno formatus in mente divina*, faciamus *corporeum, crassum & externum.* Posterior hæc accusatio destruit priorem, & prior posteriorem, nec quid relinquitur pro conclusione nisi D. Jægerum pugnare & clamare sola voluntate sine intellectu.

XXX. *Mira Jægeri impugnandi libido opposita objicientis. De ejusdem Zelo pro Verbo divino.*

Ridiculum pene est, nisi potius miserandum, quod sese hic adeo ardentem præbeat quasi *Verbum divinum* maxime ei esset cordi, proque eo tuendo totus Zelo cœlesti æstuaret; quando tamen Verbum illud Dei, quod est verbum amoris & pacis, verbum veritatis & sanctitatis, verbum jubens amare proximos, non falsum dicere, non calumniari nec maledicere, & similia ejusdem contenta ipsemet re vera rejicit, contemnit, pedibus conculcat, & uno verbo, pro *jugo insupportabili* se habere passim ostendit, uti vidimus, eheu, plus satis hactenus.

CAPUT XI.

De iis quæ in scriptis suis passim interspersit Jægerus contra alios, v. g. Taulerum, Theresiam, Weyerum, Boëmium, Gujoniam & A. Burignoniam.

I. NOn satis fuisset D. Jægero Controversiam suam XXI. quam supra (a) examinavimus atque refutavimus, falsis, calumniis & maledictis adversus piæ ac sanctæ Virginis Burigno-

I. *Capitis hujus occasio & subjectum.*

(a) Sup. Libr. III. Cap. 5. §. 15. & seqq.

gnoniæ doctrinam, vitam & mores replevisse, & Controversiarum suarum & Judicii sui de Lockiana pugna Epilogum, similibus floribus, imo & fragrantioribus coronare gestiisset. Et eos quidem in fimetum redactos dudum, sinerem in putredine sua evanuisse, nisi novus Editor Jægeriani libri de eo ac contentis ejus distractis, mirificè probatis, certatim laudatis, ad alteram editionem sollicitatis mirum in modum gloriaretur: quanquam enim ea in jactantia hyperbolicam vanitatem subesse non dubitem, non tamen me latet non paucos dari, qui sive malignitate mentis, sive luminis verioris defectu, sive credulitate nimia affecti Jægerianis chartis atque clamoribus dant locum & ipsi, & mentes alias forte innocuas eò alliciunt & inficiunt. Qua de causa operæ pretium esse duco, aliquot exemplis in hocce Capite palam facere, quî D. Jægero in consuetudine sit eos quibus non bene vult, coloribus atris ac falsis depingere, & calumniis interspersis denigrare. Exempla desumam ex hoc suo libro, & aliis in quibus me impugnare voluit.

II. (1.) Taulerum *Luthero, Arndio aliisque laudatissimum quam amarè condemnet J.*

II. *Taulero*, quem tanti fecêre Lutherus, Melanchthon, Arndius, & innumeri adhuc alii inter Lutheranos probi; de quo Lutherus testatus est, (*a*) *se nullibi doctrinam puriorem, salubriorem, magisque cum Evangelio concordantem invenisse*, imo Taulerum ipsi talem esse (*b*) *qualem a seculo Apostolico vix natum esse Scriptorem arbitretur*; quem Arndius passim, præsertim in Libris de Vero Christianismo commendat, quem (*c*) *Virum Sanctum & Spiritu Dei plenum dicit*, (*d*) *virum item illuminatissimum*, virum cujus *tota Theologia sicut & Scriptura sacra quanta quanta, cor hominis spectat, hominem interiorem animæque fundum & ipsa cordis penetralia respicit*; huic inquam tali viro (ut alibi tetigimus (*e*)) adscribit Dn. Jægerus (*f*) *fanatismum*, (*g*) *amentiam*, (*h*) *stolidissimam vanitatem & superbiam atque arrogantiam Luciferianam*, (*i*) *doctrinam pestiferam*, & *idololatriam*, quia scilicet Christum ut in Eucharistia præsentem adoravit: quasi vero Christus *idolum* esset; aut quasi non esset, ubicunque præsens est, sive per trans-

(*a*) Epist. ad Spalat. 23. T. I. (*b*) Epist. ad Tract. Gochii. *Vide plura in Præf. D. Speneri in Opera Taul. Germanicè ab eo edita.* (*c*) De Ver. Christ. Libr. I. Cap. 39. (*d*) Ib. Libr. III. C. I. (*e*) Libr. I. Cap. V. §. 5. (*f*) Exam. Theol. Myst. C. 17. p. 79. (*g*) Ibid. C. 23. p. 98. (*h*) Disp. VII. §. 19. 21. (*i*) Ex. Th. Myst. p. 112.

transsubstantiationem sive per consubstantiationem, adoratione dignissimus, quam proinde ipsi denegare non minus absurdum est, quàm si cum in terris esset, ideo non fuisset adorandus quia *in*, *cum*, *& sub* vestibus aliquibus erat.

III. Præterea *Rusbrochium*, virum Taulero adhuc excellentiorem, de quo Jægerus vel eadem vel non meliora passim disseminat.

III. *Ut & Rusbrochium.*

IV. S. *Theresiam*, quam tantum non totus orbis scit fuisse a nativitate ad mortem usque Virginem purissimam, de qua Vitæ ejus Scriptor, R. P. Ribera hæc illius verba refert: (*a*) *Ex naturali indole semper ab iis quæ inhonesta sunt abhorrui*; nec non quod ea in re se hac de causa accusaverit, quod nempe *majorem habuerit timorem ne sui honoris quam Dei jacturam aliquam faceret:* qui item de eadem asserit, se certo scire, quod cum aliquando quædam ex virginibus ejus religiosis eam, jam tum grandævam, consuleret de nonnulla re tentationes inhonestas respiciente, Sancta illa responderit: *Hoc non intelligo*; *Deus enim eam mihi præstitit gratiam, ut per totam vitam nihili in istiusmodi rebus mihi fuerim conscia:* qui addit, *hanc singularem gratiam a Deo illi fuisse præstitam, ut puritatem corporis ac animæ conservaverit, quò posthac immortalem virginitatis coronam reciperet:* quæ ipsamet quoque ad P. Alvarez, qui ipsi a Confessionibus sacris erat, scripsit, (*b*) *in suam mentem nunquam venisse quicquam quod non esset purissimum atque castissimum:* cujus porro vita ac Scripta cœlestia mentem plane cœlestem ac divinam sapiunt omnia: hanc, inquam, adeo admirandam ac sanctam Virginem non pudor est Jægero dicere ac publicare, (*c*) *quod in tempore juventutis insigne fuerit* PROSTIBULUM. Atque ut illustris socii auctoritatem secum habeat, ait, *Dn. Cancellarium L.* OSIANDRUM (Prædecessorem suum, & Arndii calumniatorem, quem tantum non in numero Martyrum (*d*) in cœlo collocat,) *solitum fuisse eandem propterea* HISPANIÆ GLYCERIUM *appellare:* dignam tali judice sententiam! dignum D. Jægeri imitatione exemplum.

IV. (2.) *De* S. Theresia *quid publicare audeat, & quo auctore.*

(*a*) Rib. de Vit. Theres. L. 1. C. 8.

(*b*) S. Theres. Epist. 19.

(*c*) Dissert. de Enthus. §. 14. quam & reposuit in Exam. Th. Mystic. p. 355.

V. Cui vero uti pondus addat ejusdem valoris, post paginas aliquot adjicit: (*e*) *S. Theresia magna odia evomuit contra nostros*

V. *Num illa odia evo-*

(*d*) In Epist. Examini Th. N. subnexa p. 11.
(*e*) Ibid. §. 28. & in Ex. Th. M. p. 371.

muerit in Reformatores.

(*a*) In Vita sua ab ipsa scripta, Cap. 32.

primos reformatores. Imo contra: magnam charitatem habuit & preces fudit pro iis qui dicebantur ei in erroribus & in schismate contra Ecclesiam insurrexisse: En ejus verba ipsissima: (*a*) *Dolorem inde patior quod considerem tot Lutheranos, quos baptisma membra Ecclesiæ reddiderat, se misere perditum ire: affectusque meus pro eorum salute tam vehemens est, ut si plures haberem vitas, minime dubitem quin illas omnes libentissime funderem, si vel una ex illis anima à pœnis illis* (inferni) *horribilibus ita liberari posset.* Hoccine est contra quosquam magna odia evomere? O utinam D. Jæger non aliis odiis in adversarios suos animaretur!

VI. (3.) *Quid de* Weyero. *Quis & qualis ille fuerit, & num quid ediderit.*

(*b*) Hist. Eccl. & Polit. Tom. I. Seculi Decimi septimi Decennio IV. L. 3. C. 16. p. 534.

(*c*) Hist. dicto loco. p. 534.

VI. *Matthæum Weyerum*, pium ac sanctum virum, non fuit satis D. Jægero in litigiosis suis Scriptis hinc inde falsis atque contumeliis infamare, intrusit & illum eodem scopo in suam decimi septimi seculi (*b*) Historiam, qui tamen non ad hoc sed ad præcedens pertinebat seculum. Color maledicendi ei fuit, *fanatismo totam pene Europam nunc infici*, cujus e *promachis* & *Patriarchis* illum, & quidem solum, recenset: tametsi privatus vir & quietus vixerit, tantum non omnibus incognitus, nihil movens, nullos quærens, nulla habens conventicula; nulla segregatione, nulla specie, nullis factis aut dictis se distinguens; non tantum Enthusiastis atque fanaticis non favens, sed & praxin & principia habens eis e diametro opposita, scilicet, ad alios non attendere, sui solius & conscientiæ in conspectu Dei inspectorem & observatorem esse, credere nos esse ceteris deteriores, silere, & Dei opus in nobis patienter ferre. Quo factum est, ut illis qui inspirationes jactant, hucusque fuerit, aliis plane incognitus, aliis contemtus, solis iis paucis charus qui interni hominis sui curam curæ aliorum, viamque angustam latæ viæ præferunt. Dicit D. Jæger, (*c*) illum *anno 1579. in Belgio suas stultitias* [1 Cor. 2. ℣. 14.] *prælo in lingua Belgica commisisse*, qui tamen, ut prima editio bis indicat, jam mortuus erat anno 1560. viginti pene annos antè, nec vivus syllabam emisit in publicum. Nonnulla quidem ex ejus dictis & literis excerpta ac ordine alphabetico sub quibusdam titulis disposita prodierant anno 1563. sine loci nomine; sed integra *Effata* ac *Epistolæ* 44. anno demum 1579. Vianæ lucem viderunt. In quibus cùm *Scripturas sacras* sæpius commendet ac magnifaciat, ex libris præterea aliis *Theologiam*

giam Germanicam & Libros Kempisii *de Imitatione Christi* quibusvis ceteris præferat, quid de sana ejus in fundo doctrina & Orthodoxia sentiendum sit, facile judicari potest.

VII. Ipsi autem imputat Jæger septem, (multiplicationis gratia) articulis, monstrosum dogma unum, cujus contrarium in ejus Scriptis inest. Illud est, *Hominem*, & per eum *creaturas* & *animantia*, quibus usus est, *in Dei* SUBSTANTIALEM VITAM *atque* ESSENTIAM *ita redire* (*a quo emanarunt omnia*) *ut amplius* NON SIT CREATURA. Contrà, scribit Weyer Epist. 26: *Supernaturalis homo in perfecta sua sphæra* (sive cum omni eo quod comprehendit) *ad æternam revertitur vitam*, *manens æternum in Deo*, VERÙM UT CREATURA, *quæ in Deo glorificata est*. Color falsò imputatis fuit, quod alicubi dixerit, (*a*) *omni creaturæ ad suam originem*, *id est in Deum*, *redeundum esse*, *idque fieri per hominem in recta via consistentem*, id est, ut adjicit, *bene utentem creaturis*, & eas referentem ad obsequium ac gloriam Dei, quod est reducere omnia ad suam originem. item quod dixerit: (*b*) *hominem non posse uniri cum Deo* (in quo nobilitatur) *sine corruptione* (sive morte sui ipsius. Joan. 12. ℣. 24. & 1. Cor. 15. ℣. 36.) *quemadmodum creaturæ quæ sunt usui homini* (in cibis) *non uniuntur cum ipso sine sui corruptione*. En totum Weyeri crimen horrendum & *ex multis ejus erroribus* (scilicet) *excerptum* ac selectum, unde D. Jægerus vult *ut vel ex his constet quàm* PRODIGIOSUS *sit ille auctor* IN REBUS FIDEI! Atque ut erroris hujus socium habeat, hanc eandem chimæram, de homine & creaturis ita in Deum redeuntibus ut non sint amplius creaturæ, sed Dei essentia, mihi quoque ibidem dignatur cum encomio *stultitiæ* tribuere, licet de ea ne per somnium quidem unquam cogitaverim; nec per principia mea, (*Essentiam Dei esse perfectissimam, immutabilem*, *cui nihil possit accedere: substantias nullas in nihilum redigi: animalium morti ac comestioni sine lapsu non futurum fuisse locum*, &c.) de hoc Jægeriano figmento cogitare potui. Color autem quem huc adhibuit e tribus (*c*) Oeconomiæ lineolis, absurdus est: ibi enim neque de creaturis, neque de hominibus earumve substantia agitur, sed de uno *Dei lumine* quod in animæ purificatione *derivatum*, licet modo triplici operetur, ejus tamen *operationes divinæ in* UNITATEM *refluunt*

VII. *De monstroso dogmate eidem imputato, ut & Poireto, contra clara utriusque verba.*

(*a*) Effat. Libr. 2. Cap. 3.

(*b*) Ibid. L. 3. C. 2.

(*c*) Tom. II. Lat. pag. 440.

fluunt (vel, ut in Gallico) *uniuntur in Deo*, *a quo derivatæ sunt.* Quid hoc ad substantiam creaturæ in Dei essentiam & substantiam redituram in eamque mutandam, vel in Deo annihilandam? Ubi hic intellectus D. Jægeri?

VIII. *Causa odii Jægeriani.* VIII. Solus re vera affectus eum hic commovit hac una de causa. Laudavi Weyerum. Weyerus autem verbis, scriptis & exemplo practico ostendit, animæ veram purificationem & justificationem fieri per REALEM IN NOBIS AC INTERNAM COMMUNICATIONEM passionum ac virtutis sanguinis & mortis Christi, quibus non sine ingentibus doloribus radices peccati vel profundissimæ in nobis arescant & emoriantur, ut Spiritui Resurrectionis Christi, ipsique Deo IN NOBIS omnia obtenturo, deinceps sit locus. quæ autem omnia D. Jægero pestis & venenum sunt, a quibus idcirco omnes per viri divini infamiam & impositas calumnias deterrere tentat. Equidem de Weyero, ante D. Jægerum, nemo, quod sciam, adhuc maledixerat: Sed siquem unquam, talem certe merebatur divinus vir adversarium, quo de ejus pretio apud omnes qui D. Jægerum norunt, constaret certius.

XI. (4) *De* J. Boëmio. *Quo in hunc sit animo J. & in Spenerum quod Boëmium non damnaverit.* IX. Quo idem sit erga JACOBUM BOËMIUM præditus animo, produnt passim omnia fere ejus Scripta, imputatis pessimis atque maledictis adversus illum decorata: nec id ei satis erat, nisi etiam illorum omnium substantiam in utroque Historiæ suæ Ecclesiastico-Politicæ Tomo repetiisset. In horum (*a*) primo, contra boni Historici requisitum, tam impotentem adversus illum illico affectum denudat, ut ipsum primis in lineis appellet, (p. 16.) *noctis istum filium*, *& fastuosæ obscuritatis parentem:* & ubi quædam tum falsa, tum non intellecta narravit, depravavit, irrisit, detestatus est, indignatur nonnullos esse (*b*) *qui magnis præsunt officiis & populum ex ambone docent*, quibus Boëmiana illa Scripta in pretio sunt: *qui etiam consulti quid de Boëmio sentirent ejusque Scriptis*, *multa laudarunt*, *alia dixerunt se non intelligere*, *atque adeo judicium de iis ferre non posse.* Quem hic intelligat, tametsi non nominatum, indicavit & nominavit in sui *Examinis Theologiæ Novæ* procemio, celeberrimum D. SPENERUM, ibi quidem licet *plene* propterea *non excusatum*, *vindicatum* tamen *ab impuritate fanatica*; hic vero, in Historia,

(*a*) pag. 15. &c.
(*b*) Ibid. p. 17.

dictum

dictum ab Historiographo *Virum in Theologia non sanum*, & *Enthusiastico spiritu afflatum.* Addit enim D. Jæger verbis suis modo relatis sequentia: *Sane hoc non est* SANI IN THEOLOGIA VIRI *judicium*, *sed* ENTHUSIASTICO *spiritu afflati.* Habent D. SPENERI cultores ejus à D. JÆGERO encomium publicum.

X. In Historiæ ejusdem Tomo II. (*c*) integrum Caput inseruit hocce cum titulo: *Henrici Mori celeberrimi Philosophi & Theologi Angli de Jacobo Boëmio judicium sistitur*, *cum perpetua Epicrisi.* Totum illud Caput ad verbum repetitum est ex suo *Examine Theologiæ Mysticæ* a pag. 401. ad 443. fertque ibi hunc titulum: *De Jac. Boëmio Judicium H. Mori Phil. & Theol. Celeb. Angli*, *cum* JUDICIO *in utrumque Jo. Wolfg. Jægeri*, *Cancell. Tubing. Præpos. Eccles. & Prof. Theol. Primarii.* Neutiquam ab re alienum erat, ut huic *Examini* suum, qualecunque sit, insereret judicium: sed quod idem inter *historica* reponat cum eminenti titulo JUDICIUM NOSTRUM, id neque ab historico postulatur, neque eum decet, nisi simul pro affectuum suorum *historico* haberi velit, qualis quidem in hoc articulo re vera est, sed eo minus credendus, quo magis suos affectus exprimit ac refert.

X. *Judicium Jægeri de H. Mori in Boëmium judicio.*

(*a*) Part. I. p. 245.

XI. Quomodo autem in hoc judicio se gesserit Judex, operæ pretium est ut obiter animadvertamus. Primo quidem fateri debet, & fatetur non semel, se minime intelligere materiam, sive Scripta, ex quibus de viro illo, J. B. judicaturus est. Deinde, nil oculis suis videns, appellat testes, quorum recenset aliquot ac simul ita removet, ut solum *H. Morum*, ut qui *media via incedat*, velit admittere, quo audito, judicis fungatur officio. Et rem quidem totam sequentem in modum peragit.

XI. *Qua ratione judicis officio hic fungatur J.*

1) Quicquid testis (H. Morus) pro J. Boëmio adfert favorabile, atque ita clarum & evincens, ut inde maxima ex parte hic commendabilis reddatur, ad id claudit aurem Judex, omniaque ejusmodi in totum supprimit.

2) Quicquid idem testis profert minus favorabile quidem, sed tamen quod in meliorem partem sumendum esse insinuat & ostendit, id Judex noster audit quidem, sed rejicit quoque, imo testem ipsum (Morum) injuria *exæstuationis* (*a*) *Enthusiasticæ*, ipsiusque *stultitiæ*, afficit palam. 3) Si

(*b*) Exam. Th. Myst. in judicio, p. 431. 435.

3) Si quid autem refert testis minus favorabile, ac veluti defectum quem dissimulare nolit, sed nec aggravare; id non tantum assumit noster, ac ex eo infert sententiam condemnantem; sed & quantum potest, testimonio etiam falsato, vel falsè adducto, aggravat, & cum maledictis ad infernum usque & diabolos detrudit. Horum dabo omnium exempla postquam de testimoniis H. Mori nonnulla observavero.

XII. *De Mori testimoniis. Ejus censuras de theoreticis Boëmii falli posse:*

XII. H. Mori testimonia de rebus claris, moralibus, practicis, quæ cor afficiunt & convincunt, patet a nullo probo, qui ea potest inspicere, videre, atque in semet ipso evidenter sentire & experiri, patet, inquam, a nemine rejici posse.

Ea autem quæ sunt de rebus theoreticis ac speculativis, obscure expressis ac non bene intellectis, patet esse pro dubiis habenda, ac nihil tuti ex iis pronunciari posse.

XIII. *Ut patet tum ex parte librorum hujus auctoris ejusque versionis Anglicæ;*

XIII. Non unæ sunt rationes quæ Mori censuris, ac quæ iis nituntur judiciis vim & pondus demunt, tum ex parte librorum Auctoris, eorumque Anglicæ interpretationis, tum ex consideratione generali atque speciali Cl. Henrici Mori constitutionis.

(I.) Liber Boëmii, Aurora dictus, ex quo fere uno omnia Morus decerpsit, quæ veluti minus sibi vera videntur quæque recenset, primus Liber Auctoris fuit, sibi soli dudum pro memoria scriptus, cum res illas adhuc nondum bene digessisset, nec exprimere sciret; quod ipsemet alicubi fatetur; scilicet (a) *esse in suo illo primo libro locos aliquot qui melius exprimi possent: conceptum siquidem suum eo tempore nondum in eo ortum* (vel natum aut maturum adhuc) *fuisse.* Notandum præterea in genere, eos qui in divina Contemplatione veluti extra se sunt, omnia sibi ostensa vivide quidem beneque videre: sed cum ad se redeunt, & ad usum rationis ac imaginationis, quas debent adhibere ut ostensa exprimant sibi aut aliis hominibus, quando nec loquendi scientes sunt, nec novis plane rebus vocabula apta & facta reperiunt; tunc non mirum esse, si aliquid humani vel male enunciati hic interveniret. Certe simile quid fassi sunt de se vel illuminatissimi ac sanctissimi quique Auctores, nosterque alicubi, si bene memini, Boëmius quoque. Hoc autem ad res mere speculativas & non necessarias restringunt, nec ad eas quæ ad salutem requiruntur, extenderunt unquam.

(a) Epist. 8. §. 61.

(II.)

(II.) Non ipſos Germanos Boëmii libros conſuluit Morus, ſed eorum Anglicam interpretationem, quæ tamen, ſalvâ licet interpretis bona fide, in rebus arduis & ei obſcuris erronea eſſe potuit, & interdum fuit, uti ſupra (*a*) oſtendimus, adducto inſigni & momentoſo loco quem Morus (*b*) veluti ex Boëmio his verbis (Anglicæ verſionis procul dubio) retulit: *Cœlum & terra, & quicquid ſupra cœlos eſt ſimul ſumta*, TOTUS DEUS EST: quando tamen in originali idiomate Germanico exſtat: *Cœlum, terra, & quicquid in eis eſt, & ſupra cœlos eſt*, CORPUS DEI *eſt*.

(*a*) Sup. Libr. III. Cap. 6. §. 17.

(*b*) Phil. Teut. cenſur. §. 11.

XIV. *Tum ex parte Mori.*

XIV. (III.) Objecta ſupranaturalia & extraordinaria, etiam corporea, ſed ante peccatum angelorum, item & hominis, glorioſa & incorrupta, de quibus agit Boëmius, mentem H. Mori non ita affecerant, neque ea facultates ſibi reſpondentes, ac in nobis jam plane ſopitas, pulſaverant aut excitaverant, neque in iiſdem ſenſationes congruas & notiones eorum proprias excitaverant; adeoque locutiones de iis intelligere non poterat: quod ei cum multis commune eſt.

(IV.) Et cum Rationis in eo activitas, ſicut & in omnibus hominibus, de corruptione participaret, fieri non potuit quin quando locutionibus iſtis ſubſtituere voluit proprii ſui conceptus ideas, erroneas ſubſtitueret.

(V.) Idque eo magis quod in illo ſupereſſent adhuc reliquiæ notionum ac præjudiciorum ex recepto & amato ei olim Carteſianiſmo nonnullæ, plures autem ex adoptata ei deinde Cabbala non ſatis ab omni figmento Judaico repurgata, quæ ſane ei in cauſa fuit cur Boëmii ſententiam, de *propagatione animarum* ex traduce, inter errores numeraret (§. 21. p. 539.) quas ex Cabbala vult Morus omnes olim fuiſſe ſimul ante corpora noſtra creatas & præexiſtentes, imo etiam lapſas (p. 552. §. 30.) Poſſem & hic oſtendere non pauca eſſe in ejus erratorum Boëmianorum Catalogo, quæ probabilius vera ſunt, quam erronea. Sed ſufficiat nunc annotare in Moro vel omnes vel aliquas ex modo enumeratis cauſis, ut credamus Boëmium ab illo in ſuo erratorum Catalogo non bene fuiſſe intellectum, tametſi hancce Boëmium ab accuſationibus defendendi rationem D. Jæger ſummopere videatur improbare, dum ait: (*c*) *Meræ præſtigiæ* INFERNALES

(*c*) Ex. Th. Myſt. in Judicio. p. 410.

LES *ſunt cum falſa* (ſic vult) *talia dogmata per hoc defenduntur* (imo, judicari non permittuntur) *quod non intelligantur*. Scilicet, *artes cœleſtes* Jægero fuerint *judicare & condemnare, non intellecta*. Addit pro imputatione ſua de *infernalibus præſtigiis* defendenda; *Spiritus S. eſt Spiritus lucis & veritatis, qui intelligi vult*. Atqui nec ſemper, nec a quibusvis, nec ab ullis improbis. (Dan. 12. ℣. 10.) Quot & quanta non ſunt in Scripturis S. nondum intellecta? Ceterum difficultates pleræque, quas Morus pro erratis numerat, & Jægerus ex illo, ſolutæ ſunt, multæque aliæ, in Reſponſione M. *Jo: Matthæi* (ſive *Zimmermanni*) pii ac docti inter Lutheranos Theologi, ad Librum D. *Holtzhauſii*, qui eas pluresque ceteras contra Boëmium objecerat. Liber is prodiit Francofurti & Lipſiæ, Anno 1698. neque id ignorare D. Jægerus uti nec ſcire Morus potuit.

(VI.) Addo ipſum Morum in Reſponſionibus ſuis ad Quæſtionem IV. (a pag. 546. ad 554.) conatum eſſe ut plurima quæ ipſi viſa ſunt in J. B. erronea vel incommoda, ad ſenſum veriſimilem ac non incommodum reduceret; quibus autem omnibus eique agendi rationi clauſit oculos D. Jægerus in relatione ſua, inque illo ſuo JUDICIO NOSTRO ei paſſim interſerto.

XV. *Ejus judicia & teſtimonia de Boëmio ceu errante à J. atrociſſimè aggravari;*

XV. Dabo nunc exempla judiciorum Judicis noſtri, quæ teſtimonia & mentem atque judicia H. Mori ſupprimunt, rejiciunt, & aggravant. ab ultimis hiſce incipiam.

H. Morus in Reſponſione ad Quæſtionem 2. amici ſui (pag. 540. in Jæg. Jud. p. 411.) rotunde dicit, nec excuſat aut diſſimulat, Jac. Boëmium in hoc (uti putat Morus) *erraviſſe* quod tam confidenter ſe ipſum inſpiratum autumet cùm (ſecundum ipſum) re vera non ſit. Non jam dicam, confundi haud recte a Moro *inſpirationem*, quæ vim & impulſum divinum ad agendum vel loquendum ſignificat, cum *Ecſtaſi* vel *Contemplatione paſſiva* & extraordinaria, quæ ultima proprie Boëmii fuit, & quam habere potuit ſine inſpiratione propriè ſic dicta. Sed hoc notabo: a Moro errorem Jac. Boëmio ut ſe inſpiratum vel in contemplationem elevatum credenti, non tribui niſi *in rebus ſpeculationis*, ſive contemplationis *Philoſophicæ*, ſalva *Religionis* FIDE & *Moralitate*, ſalvo etiam (§. 5.) (*a*) *corde bene probo ac ſincero*, imo & *angores Regenerationis experto, & ad novam nativitatem promoto*, licet

(*a*) Hæc & plura alia a D. Jægero ſuppreſſa ſunt.

licet non ad eum gradum, qui omnem errorem in ſpeculationibus ſive contemplationibus Philoſophicis excluderet. D. Jæger Judex judicat, contra hancce Mori teſtis ſui mentem ac depoſitionem, Boëmium *non niſi per ſummam impoſturam jactaviſſe divinam illuminationem* (in ſuo JUDICIO NOSTRO ad Quæſt. I. p. 408.) *ſuperbia intumuiſſe*, (ad Q. 2.) *mendacem* eſſe: *impia & blaſphema dogmata originis diabolicæ habere*, *fumum* INFERNALEM *ſapientiæ: hominem* eſſe *faſtuoſum & hypocritam:* (Jud. ad Quæſt. 3.) LETHALI *animæ morbo cum* MALITIA *ſubtiliſſima*, *erroribus* VITAM FIDEI *tollentibus*, & INFERNALI *arrogantia eum laboraſſe* (Jud. ad Quæſt. 5.) quibus ſane nihil pejus, non dicam a ſedato, uti oporteret, Judice; ſed nec a contumelioſo hoſte infenſiſſimo dici potuiſſet. Adde eundem, ut ſuum gravaret judicium, Moro teſti ſuppoſuiſſe falſum teſtimonium, referens (pag. 407.) hæc verba ac ſi Mori eſſent: *In ceteris* FIDEI ARTICULIS *non minus ingentes ſunt errores*: quorum contraria Morus ſcripſit, uti vidimus.

XVI. H. Morus id quod à Boëmio dictum putat, Deum eſſe corporeum, leniturus, ait (ad Quæſt. IV. pag. 551.) Id *candide interpretatum*, non de *pura divinitate*, ſed de *exteriori ejus partu* (hoc eſt, de mundo corporeo &c.) intelligendum eſſe. Hoc vero rejicit Judex Jæger pronuncians, *Hæc magis tenebricoſa ſunt quam Boëmiana.* Tum ſupprimit loca quæ Morus paulo ante (§. 15, 16, 17, pag. 549. & ſeq. ſuæ Cenſuræ) adduxit ex ipſis Boëmii Scriptis (*a*) quibus conſtat ejus veriſſimam ſententiam fuiſſe, Deum non eſſe corporeum, Mundum non eſſe Deum, ſed *Domicilium* Dei: Deum *nullas tenebras in ſe habere*, ſed eſſe *lucidum gaudium: Deum Patrem in ſe ipſo eſſe lucidam, claram, ſplendidamque Æternitatem; Patris* PROPRIETATEM NON ESSE TENEBRAS, *ſed lucidam, claram ac liberam Æternitatem, quæ voluntatem habet ad Naturam.* Sed hæc ad ſequentem articulum de ſuppreſſis ab eo pertinent. XVI. *Quæ leniendi cauſa adduntur ab eo rejici.*

XVII. Quantum ergo ad ea quæ plane ſupprimit D. Jægerus H. Mori de Boëmio teſtimonia favorabilia, operæ pretium erit, præter modo dicta, tum generalia tum ſpecialia, addere nonnulla horum exempla explicatiora. Ita de eo Morus propriis ver- XVII. *Plane vero ſupprimi egregia Mori encomia de J. B. ejusque Scriptis.*

(*a*) Ex B. Aurora Cap. 26. §. 63, 64. De Tripl. vit. C. 2. §. 75. & Cap. 5. §. 29.

(a) In præfat. Cens. §. 5. pag. 532.

verbis: (a) §. 5. *Quantum ad eos qui aut abominantur* Jacobum Behmen *ceu* DIABOLICUM, *vel tanquam vanum vilemque Scriptorem contemnunt; ex ignorantia id proficisci oportet, tum Scriptorum, tum vitæ hominis. Spiritus enim qui in Scriptis illius se prodit tantum quidem abest ut diabolicus sit, ut sit* APPRIME CHRISTIANUS: *cum nihil crebrius inculcetur quam humilitas, mansuetudo ac dilectio fraterna, quam perfecta summissio voluntati divinæ, integraque nostri ipsorum renunciatio, & derelictio hujus mundi, vanitatumque vitæ præsentis, in plena spe infallibilium illorum gaudiorum, quorum participes erimus cum animabus sanctis atque Angelis in Paradiso. quibus quidem de rebus is scribit* SENSU ACRIORI AC PENETRANTIORI, *quam quilibet fere alius, quem tibi legere contigerit. quæ plane* OMNIA *manifesto* OPPOSITA *sunt regno rebusque Diaboli.*

§. 6. *Quibus omnibus addas* (pergit) *quanquam ad internam margaritam quærendam hortator erat vehementissimus*, CHRISTUM IN NOBIS, SPEM GLORIÆ, *adeo ut symbolum illius esset*, SALUS NOSTRA IN VITA JESU CHRISTI IN NOBIS; *nemo tamen est, qui majori cum reverentia & affectione de persona* CHRISTI EXTERNI *loquitur, quam ille, nemo qui apertius officia illius personalia agnoscit, qui virtuti & efficaciæ Sacramentorum plus attribuit, expressiusve urget necessitatem celebrandi cœnam Dominicam usque ad finem seculorum; & postremo, qui planius profitetur literalem Resurrectionem, adventumque personalem Servatoris die novissimo ad judicandos vivos atque mortuos. Adeo ut, quantum ego video, quicquid peccaverit J. B., purus putus est* INNOCUUS *error, neque cum illo omnino malo consilio dolove, nedum Diabolico conjunctus.*

§. 7. *Videtur autem non sine providentia suscitatus ad pungendos & stimulandos* CHRISTIANOS PUTATITIOS, *qui* CHRISTUM TANTUM EXTERNUM *volunt, nihilque curant quam parum vitæ spiritusque habeant* INTUS: *Uti etiam ad reducendos Familistas, qui Enthusiasmo tam facile percelluntur. - - - qui, perinde atque Quackeri, nunc magis inexcusabiles sunt.* &c.

Addit §. 8. *Et denique si consideremus quam* DEVOTUS *atque raptuosus esset J. B. & quam* ADMIRANDIS DONIS *instructus, qui tamen Ecclesiæ erectionem nunquam affectavit, populive congregatio-*

gationem in privata conventicula; sed diligenter & ordinate publico Ministerio adhærebat in loco ubi vixit, admodum MANSUETE PACIFICEQUE *se gerens erga Superintendentem loci, etiam tum cum admodum inciviliter & injuriose ab eo tractatus erat; hoc egregium admodum potest esse exemplum adversus omnes ætatis nostræ schismaticos, qui adeo nihil pensi habent separare se ab Ecclesia, & ex propriorum donorum opinione, si non & mundani alicujus commodi gratia, populum ad se congregare* &c. - - - *Quod plane contrarium est praxi hujus* PACIFICI AC DEMISSI CHRISTIANI J. B. *quem, ut spero, abunde jam, Lector, persuasus es, Spiritu Diabolico nequaquam fuisse, sed imputationem esse aut* EX MALITIA, *aut ex* IGNORANTIA *profectam, quoties tam* INDIGNIS *aspergitur* CONTUMELIIS.

XVIII. Subjungit deinde Morus hæcce confirmandi gratia (§. 20. 21.) quædam de *ejus morte*, cujus ille horam prædixit, quam præcessere Angelici concentus, quam his consummavit verbis, NUNC HINC IN PARADISUM ABEO. Tum ostendit quàm fuerit *ob cordis sui* PERFECTIONEM DILECTUS *cœlestibus & invisibilibus potestatibus, ob multas providentias* NOTABILIS *Orbi, &* MIRACULUM *quasi apud bonos multos & intelligentes viros.* - - - Ipsum *attraxisse* MULTOS *ad seriam morum suorum* REFORMATIONEM, *studiumque assequendi illud quo nihil necesse est quemquam excidere nisi ipse velit, Qui* SPIRITUS *est* VITÆ *in* NOVA NATIVITATE. XVIII. *Ut & de ejus vita & morte.*

XIX. Post quæ Morus ad Amici sui Quæstiones quinque de Boëmio respondet, in quibus Responsis D. Jæger, qua Historicus & Judex, non tantum multa, eaque Boëmio favorabilia, supprimit; sed & in ipsis quæstionibus verba immutat, addit, demit prout affectus suus eum impellit. Ex. gr. In quæst. 5. apud Morum pag. 536. De J. B. quæritur, quî Deus potuerit permittere ut *tam innocua & Christiana anima*, & (pag. 555.) *tam seria & sincera* potuerit prolabi &c. D. Jæger, qui Boëmio *imposturam, superbiam, blasphemias, hypocrisin, malitiam, blasphema & lethalia dogmata, errores infernales vitam fidei tollentes* imputare volebat, sustulit ex ea Quæstione V. verba illa *tam innocua, tam seria & sincera anima*, quibus Boëmius indicabatur, quæque criminationibus Jægerianis omnem plane locum tollunt. XIX. *Alia suppressa vel immutata à Judice nostro.*

 Vel

Vel à I. Quæstione, quæ ita est apud Morum, *An J. B. revera & infallibiliter inspiratus esset?* mutavit terminos, & intrusit IMMEDIATAM *illuminationem*, sibi exosam, ut insinuaret a Moro, negative respondente, negari Deum IMMEDIATE operari & illuminare nunc temporis: quod tamen Morus nunquam in mente habuit ut negaret.

XX. *Quid Morus in J. B. Scriptis se invenisse testetur.*

XX. Ante Responsionem ad Quæst. primam, hæc dicit Morus de J. B. *Equidem fateor me animo haud parum averso fuisse à legendo tam obscurum authorem. Verum moralium* DIVINORUMQUE ELOQUIORUM VENÆ DIVITES, *quæ subinde apud ipsum occurrebant, adeo mirum in modum recreabant, animumque rapiebant meum, ut fastidium à quo tantopere mihi metui, in meram versum sit voluptatem ac oblectationem. Tam* SINCERUS, TAM SIMPLEX INNOCUUSQUE SPIRITUS *est in illius Scriptis, & qui* TAM EFFICACITER AD MAXIME NECESSARIA CHRISTIANITATIS OFFICIA *moveat, tamque fortiter ac vehementer animum feriat, aut se ipsum cum* TAM SALUBRI *ac nativa* SUAVITATE *insinuet, ut jam plane mirari desinam homines, quorum eximias ingenii dotes par pietatis amor ac virtutis comitatur, etiam ad religiosam quandam trahi adhærentiam &* REVERENTIAM *Scriptorum* HUJUS SANCTI VIRI, *non sine valida suspicione aliquod* HUMANO MAJUS *subesse, ac aliquando fortean non sine aliqua præsumtione omnia infallibiliter esse inspirata, præsertim cum ipse author tam frequenter ac confidenter affirmet se ex tali omnino principio scripsisse. Atque equidem fateor me existimare, nullum in homine fuisse malum dolum; sed ex animo dixisse quod sentiebat.*

H. Morus deinde, postquam multis ad hanc & ceteras amici sui de Boëmio quæstiones respondit, conclusione omnia claudit, in qua, ubi de Boëmii progressu in *Regeneratione* & *in Mysteriis Spiritus vitæ in nova nativitate* aliquid dixit, subjungit; *Quæ Regeneratio magis realis perfectio est hominis, quam vel summa infallibilis inspiratio. Ac proinde* SCRIPTA JACOBI BOËMII MIHI *profecto sat magni videntur, quod tametsi haud ita accurati sunt in exterioribus speculationibus duces, tam* UTILIA *tamen sunt atque commoda ad promovendum opus* REGENERATIONIS, AD EXTINGUENDAM SUPERBIAM, *Oppressionem, Avaritiam,*

ritiam, omneque sui desiderium, & ad deducendam Animam in LIBERAM LUCEM DIVINI AMORIS, *quo particeps fiat Divinæ Naturæ, seque oblectare possit & convivari in cœlesti communione Sanctorum Angelorum. Quod Privilegium est, quod sublimissimorum Philosophorum Theorematum cognitioni longe est præferendum.* - - - SPONDERE AUSIM, *eum minime in animo habuisse* ANTIQUAM FIDEM APOSTOLICAM *ulla ex parte subruere: sed tantum opinatus est, magis accuratam profundamque rerum manifestationem sibi fuisse communicatam.*

Hactenus satis ex H. Moro. Quæ autem omnia, & his similia silentio supprimere, fidelis historici & æqui Judicis esse existimavit D. Jægerus, ac ita fecit: ex quo uno quid de ejus Historiarum & Judiciorum, valore sit judicandum, Lectorum esto judicium, simul admiratio quî ille hisce visis, ut Boëmium condemnaret ac diffamaret ad H. Morum provocare ausus sit.

XXI. Rationes veræ quæ eum in hunc agnum innocuum J. B. reddidere adeo infensum, hæ sunt. J. Boëmius docuit nostram puritatem, justificationem, adoptionem in Dei filios, non fieri per externam aliquam imputationem ac fidem imaginariæ cognitionis, assensionis & fiduciæ; sed per abnegationem nostri, traditionem in mortem Christi, inque Dei voluntatem, perque Spiritus Dei intra nos operationem, ac Christi inhabitationem. Noluit præterea omnes eos damnare qui extra cœtum Ecclesiæ suæ, imo vel inter Ethnicos vivebant. Corruptum quoque Ecclesiæ non-Romanæ sive Lutheranæ Clerum, appellavit *novum Antichristum*, veteri Antichristo non meliorem, & intolerabilem, quique si ei potestas adesset, devastaret probos ac simpliciores.

XXI. *Causæ quare in J. B. adeo infensi sint adulatores Theologi.*

XXII. En quædam ejusdem in Epistola (*a*) ad Amicum verba. *Christianum & fraternum in modum tibi candido & sincero animo dico ac notum facio, quod in nostra, quam putamus, Religione, ubi continue inter sese ob literam rixantur & calumniantur, simus adhuc in media Babele, licet sese jactent ex ea exiisse, & veram Religionem habere: quod autem in suo pretio relinquo. Sed quantum mihi in Domino Deo meo notum est, pro pretioso quod Deus mihi concessit talento, dico tibi, eos purpuream Christi chlamydem in sanguine ejus intinctam assumsisse pro tegmine, quo Antichristianum propriæ voluntatis*

XXII. Quid J. B. *de fide & satisfactione adulatoria ac Lutheranorum corruptione senserit.*

(*a*) J. B. Epist. 31.

tatis filium contegerunt; ac ſpurio illi anti-Chriſtiano filio colorem alienum induxerunt; eidem quam optimè adulantur, eum Chriſti paſſionibus, Merito & Morte obtegunt; eum conſolantur quod Chriſtus pro eo ſolverit, reſtare tantum ut & ſeipſum conſoletur ex Merito Chriſti, illudque tanquam Satisfactionem in fide accipiat. Atque ita nos ad imputatam ab extra juſtitiam ablegant. - - - Tota meretur legi admirabilis Epiſtola, imo & omnes divini Viri reliquæ. Hæc autem D. Jægero ac quibusvis adulatoribus mera peſtis ſunt: iram autem eis auget, vel, ſi vis, contabeſcunt, quod videant illum virum ejuſque Scripta a probiſſimis majoris fieri quam ſui ſimilium copioſiſſima volumina. Hinc clamores illi; hinc illa in virum immiſericordia implacabilis.

XXIII. (5.) *De odio & perſecutionibus in* Weigelium, *aliosque.*

XXIII. Quin ſimili de cauſa in *Weigelium* ſævierint, (cui in pretio erant Theologia Germanica, Taulerus, & Kempiſius, quorum ope etiam ad Deum eſt converſus,) dubitari vix poteſt per ea quæ dudum annotarunt non pauci, & nuper exhibitis rei documentis Celeb. Gothofr. Arnoldus, D. Jægero propter hæc atque ſimilia mirè odioſus. Sed quid immenſo huic de perſecutionibus eorum mari pernavigando me exponam? Quis eſt vere bonus, tantisper donis ſuis lucens, quem illi non perſecuti ſint? Arndium ipſum, cui D. Jæger ſimulate nunc adulatur, à non ſolo Anteceſſore ſuo laceratum fuiſſe, & adhuc ſimile quid a non unis pati, ipſe non ignorat.

XXIV. (6.) *De Dna.* Gujonia, *Jægerique in eam animo.*

XXIV. Sed, quod mirabilius adhuc eſt, non contenti iis obſiſtere, eos lacerare qui iis in oculos incurrebant, conferunt ſe ad exteros, quærunt & inter alienos ſi qui ſint quos, leonum inſtar, poſſint devorare: quærunt eadem de cauſa, & inter peregrinas mulieres ac etiam virgines: & ſi quas invenerint quæ circa interna & practica fuerint occupatæ, eaque ſola nobis commendaverint neceſſaria, in has quoque non minus hoſtiliter quam vecorditer invadere minime dubitant. Ex quarum numero nupera fuit illuſtris illa Domina *Gujonia*, perſecutionibus inter ſuos celebris, cujus vix nonnulla opuſcula conſpexerat D. Jæger, cùm protinus Diſputationibus ſuis antimyſticis, Examine Theologiæ Myſticæ & neſcio quibus aliis Scriptis in illam irrueret, ſuam malevolentiam ſolam ibi ſine ulla intelligentia prodens.

XXV. Nam cùm illa in Explicatione Cantici, Cap. I. ℣. 1. initio, unionem animæ noſtræ cum Deo in eam quæ *potentiarum* eſt, & quæ ipſius fundi & *ſubſtantiæ* animæ eſt, diviſiſſet, illam, quæ potentiarum eſt ad aliquam trium in Divinitate *perſonarum* in potentias actionem retuliſſet, & *unionem perſonalem* appellaſſet; alteram autem ad Deum ipſum cum ſubſtantia animæ unitum relatam, dixiſſet *unionem ſubſtantialem*, eamque altera aſſeruiſſet eſſe *arctiorem*; objicit contra hæc D. Jæger, (*a*) *Eutychianum* eſſe *perſonalem* ac hypoſtaticam *unionem duarum naturarum in Chriſto* minus arctam ſtatuere quam aliam. Egregie ad rem! Cùm illa objectionem recenſet de humanitate Chriſti tunc non reſpicienda, hanc objectionem ille in dogma ei interpretatur, nec videt contrarium exſtare in ipſo (*b*) opere. Ubi eadem illam unionem *mixturam* animæ cum Deo nominat, Jægerus quaſi ad impura cogitationem ſuam convertens, clamat id *piis auribus* eſſe *horridum*; nullibi hoc legi; & *captum fœminæ* hæc excedere præſumit, dum ipſemet hic nihil omnino capit, neſcius aut certe oblitus antiquos ac recentes ſpiritualium rerum Scriptores ſolere hic uti, tum comparatione unius aquæ guttulæ quæ Oceano reddita, cum eo intime miſcetur; tum ipſa maxime *mixturæ* voce, quod & S. Macarius vel decies in ſuis divinis (*c*) Homiliis fecit, & Chriſtus ipſe eam unionem (*d*) adhuc ſignificantius & profundius expreſſit, uti & (*e*) Paulus Apoſtolus. Denique ut eandem in argumento *de Oratione paſſiva* reprehendat, ex illius libello, *Moien court*, (Modus brevis orandi,) citat Capitis primi lineas aliquot quas additione vocis *paſſivæ* & aliquot aliarum falſat & pervertit: ita enim textum refert Gallice, & Latine vertit: (*f*) *Omnes ſumus vocati ad Orationem* PASSIVAM - - - *hæc Oratio non eſt* MEDITATIO, (*ſeu Oratio* ACTIVA,) *ſed* CONTEMPLATIO PASSIVA. Verba hæc *paſſivam*, *contemplatio paſſiva*, meditatio *activa*, falſum ſunt D. Jægeri additamentum, & nullibi comparent, imo nec in ipſa quam ille poſt aliquot dein annos fecit libelli illius latina verſione. Illa quidem dixit NON OMNES *poſſe meditari*; docet tamen Capite ſequenti eos qui id ante non poterant, quî facilius dein, & ſimpliciori modo quam vulgo fit, meditari poſſint, quod vero *activum* eſt.

XXV. *Specimen oppoſitionum ejus contra eam, cujus verba vel non capit vel falſo torquet.*

(*a*) Ex Th. Myſt. p. 107. & ſeq.

(*b*) Explic. in Cantic. Cap. I. §. 1. p. 352. Edit. 353. Edit. in 12.

(*c*) Vid. Hom. 1, 4, 10, 12, 18, 24, 32, 44.

(*d*) Joan. 17. ℣. 21, 23.

(*e*) 1 Cor. 6. ℣. 17.

(*f*) Jæg. Ex. Th. M. p. 205.

XXVI. *Nec alia via uti substitutum ejus, Auctorem Gyonismi confutati.*

XXVI. Id autem non mediocriter stupendum est, quod cum post annos aliquot D. Jæger, libellum illum de Oratione impugnaturus, eundem in sermonem latinum convertisset, atque anno 1715. *Tubingæ* curasset imprimi cum hocce titulo, *Tractatus Mysticus celeberrimæ in Gallia fæminæ de Gyon*, *cum animadversionibus perpetuis Joh. Wolffg. Jægeri SS. Theol. D. Cancellarii Tubingensis & generalis Superintendentis*, & tamen eum deficeret animus ad *notas* promissas excogitandum, quæ etiam ibi nullæ comparent; illum nihilominus impugnandi & perturbandi voluntas ac vehementia eò redegerit, ut aliquem alium quæreret & substitueret qui pro se hoc munere fungeretur. Et invenit quidem. Nam duos post annos, prodiit *Altorfii* (1717.) eadem Jægeri *latina versio*, sed ducentis contorsionibus aucta sub hoc titulo, *Gyonismus confutatus*, *hoc est*, *ducentæ excussiones Theologiæ Neo-mysticæ Mad. de Gyon* &c. Auctor, Theologiæ D. & Superintendens ibidem, in Præfatione innuit, se eò *invitatum esse à Celeberrimo quodam Eberhardinæ* (Tubingensis) *Academiæ Theologo*, qui dubio procul D. Jægerus est, ac cui minime displicere potuit sui substituti illa qua usus est libellum excutiendi ratio, quâ si D. Jægerum pervertendi modo non superavit, adæquavit certe, uti vel è prima ejus nota apparet, in qua ORATIONEM CORDIS, quam Domina illa commendat, ei imponit illam orationem esse qua *ex homine Deum fieri*, *& essentiam ipsius* (hominis) *penitus absorberi aut annihilari existimatur*; adeoque istam Orationem *non modo facere peccatum*, *sed & ipsam fieri peccatum*. Quâ omnium primâ & capitali calumniâ ut ceteræ ducentæ magna ex parte innituntur, sic nec melioris notæ sunt. Idem in nota 4. pro *verbis* D. Gujoniæ, quæ *alibi*, ut ait, *habeat*, hæc citat: *Oratio quam addiscere debemus*, *non est meditatio* (*seu oratio activa*) *sed contemplatio passiva*, *per quam omnes animæ facultates sensusque tum interni*, *tum externi*, *ligantur*. Nemo falsarius crassiori minerva unquam imponere potuit. Nam neque hæc sunt verba illius matronæ, & sua sententia illis plane est opposita. Equidem is quasi pro cautione, D. Jægerum allegat, addens, *Vid. Dn. Jæger. Exam. Theol. Myst. p. 205.* Sed vidimus modo quam in illo falsa sint priora hæcce verba: posteriora autem, scilicet *per quam ligantur omnes animæ facul-*

ta-

tates sensusque &c. neque apud D. Jægerum comparent, & sunt D. *Excussoris* liberale additamentum. Atque hinc discant lectores, si placet, utrumque *ex ungue leonem* cognoscere.

XXVII. Ceterum, ex quo prodierunt nuper sanctæ illius haud ita diu defunctæ viduæ nobilis *Opusculorum* libri duo, *Commentariorum in Vetus Test.* libri duodecim, *in Novum T.* octo, *Discursuum spiritualium* duo, *Epistolarum* quatuor, *Emblematum* unus, (præter *Justificationes*, *Carmina*, & *Vitam* (*a*), quæ adhuc exspectantur,) tutius ac facilius quibusvis erit, qui de ea ejusque sensu judicare volent, Scripta sua potius ea de re consulere quam ullos Jægeros vel ejus substitutos, aut ei similes. Neque tunc sine admiratione videbunt, si boni sint, nihil purius, nihil sanctius, nihil profundius ac simul sublimius se huc usque reperisse, quam divina lumina quæ in illis abunde inveniri sunt: proindeque non mirum esse, si qui tenebrarum spiritu reguntur, sese totos iisdem opponant.

XXVII. *Scripta ejus Matronæ ex quibus ex ea judicandum.*

XXVIII. Verum enim vero ex omnibus illis quos hucusque aggressus est D. Jæger, nullus est in quem adeo exarserit, adeo impotenter omnes animi sui impetus exercuerit, uti quidem in defunctam dudum piissimam illam Virginem Antoniam ei incognitam. Non fuit satis homini eam passim in corpore sui *Examinis* impetiisse, nisi & in sui hujus libri, & in libelli de argumento Lockiano circa fidem & Rationem Epilogo, veluti in summa contineri voluisset quicquid falsi, mali & iniqui in ejus doctrinam, mores, & (mirare vecordiam) in ejus formam sive speciem vultus externam excogitare potuisset, vel ipsa, si viveret, furens calumnia.

XXVIII. (7) *In* A. Burignon. *quantopere furat noster.*

XXIX. Non repetam quæ alibi dixit & supra (*b*) vidimus. Circa finem libri adversus me, illa audit conviciatori (*c*) *mulier à natura ipsa signata, ad monstrositatem usque deformis, arrogans, crudelis, immisericors, contemtrix tabularum divinarum, & nova monstra* (Regnum Christi in terris) *in Theologiam introducens.* In Epilogo sui Libelli de Lockiana sententia, cum legisset illustris ac docti Viri, de cujus opere *judicium* suum ferebat, hoc de Scriptis Antoniæ testimonium, *Canalem, per quem limpidissimam aquam*

XXIX. *Convicia ejus vetera novis cumulata, & qua occasione.*

(*b*) Suprà Libr. III. Cap. V. §. 15. &c.

(*c*) Jæg. Exam Th. N. p. 411.

(*a*) [*Vita* & *Justificationes* nunc dum hæc prælo committuntur itidem jam editæ comparent: Carmina vero propediem Deo favente sequentur.]

aquam in animam suam sitientem deduxerit Dominus, esse imprimis divina Virginis ANTONIÆ BURIGNONIÆ *Scripta, quæ tantum divini luminis thesaurum in se continent, ut quicunque voluerit facere voluntatem ejus qui olim Christum, & nunc ejus fidelem famulam, ne dicam Sponsam, misit, facillime cogniturus sit de doctrina utrum ex Deo sit, an vero ipsa à se locuta sit & scripserit;* cum inquam hæc legisset, nec cetera, quæ adhuc instantiora sunt, referre sustineret, quasi sui non amplius compos erupit in hæc verba: (*a*) *Hæc est detestanda Conclusio Animadversoris, in qua* CHRISTUM *&* BURIGNONIAM *inter se comparat, æternam Sapientiam & stupidissimam ignorantiam, veritatem essentialem & falsitatem monstrosam, cujus saltem aliqua exempla producemus.* Tum apponit objectata decem partim aliquoties recocta, partim falsata, ac calumniis ipsi ordinariis condita, quæ autem omnia novis *mulieris abominandæ & monstrosissimæ, melancholicæ & fastuosæ muliercul æ,* & *vagabundæ* titulis coronat. An hæc vocem Christiani hominis, imo Evangelici Ecclesiarum Evangelicarum Doctoris ac Pastoris primarii, cui charitas in corde, mansuetudo in agendo, lenitas in loquendo character primarius esse debet, referant; an potius Caini in Abelem furentis clamores; id quibusvis bonis relinquo judicandum.

(*a*) Jæg. Judicium sine aff. p. 53.

XXX. *Mira audacia hominis, personæ sibi ignotæ deformitatem monstrosam aliaque affingentis.*

XXX. Sed miror audaciam hominis alienæ personæ quam neque vidit neque ex iis qui eam noverant cognoscit, formam, speciem, mores describere audentis; miror supinitatem, si aliquos sibi horum ignaro ac hosti referenti credituros putet; mirabor eorum stoliditatem, si qui ipsi ea in re fidem adhibeant. Neque minus stupendum est, ab homine cujus vultus Historiæ suæ Ecclesiasticæ præfixus speciem refert potius torvi ac iracundi militis, quam mansueti Pastoris vel Theologi, objici deformitatem ignotæ faciei, re vera minime deformi, sed bene compositæ, gratæ, ingenuæ, amabili, benignique aspectûs & simul gravis ac venerabilis, uti vel discere poterat ex ejus, quæ alicubi extat, (*b*) descriptione; vel conjicere ex aliqua (*c*) ejus Epistola, vel videre ex ejus imagine, non quidem illa fictitia & deformi quam in Germania excogitavit nescio quis chalcographus solius lucri gratia, quæque in vultu, vestitu, ornamentisque ceteris non magis Antoniæ similis est, quam vel ipsi Romano Ponti-

(*b*) A. B. Vit. Contin. Cap. 34. §. 3.
(*c*) Tomb. de la f. Theol. Part. 4. Lettr. 13. §. 15.

Pontifici, ſed ex ea quæ hic in Belgio excuſa eſt e delineatione a me exhibita, quam hic adjungi poſſe cuperem pro ut apponere lubet verſiculos ſex quibus eadem tabula ornata eſt, Gallice quidem ibi legendos, ſed hic, ab amico latine redditos, quod ejus vitæ totius ſummam contineant, dignos qui referantur. Illi ſic habent, ad oram imaginis infimam.

(*a*) *Primis ab annis quos diu quæſiveram*
In Chriſtianis Chriſtianos, affatim
Scriptisque moribusque pingens, utque vix
Abuſus, error, culpa, tanti nominis
Umbram reliquerit arguens; furentibus
Cunctis, pericula mille, mille opprobria
Experta, Chriſti in ſorte ſortem habui meam.

XXXI. Quantum ad cetera vitia & reliqua eidem a D. Jægero imputata, minime dubito quin æquiores quotquot erunt Lectores, qui ea perſpexerint quæ ſuperius (*b*) ad Controverſiam noſtri XXI. diximus, quique ex allatis paſſim exemplis quantum fidei D. Jægero irato, convicianti, ſimulque de aliis in quos invehitur quævis referenti, credendum ſit viderint, pro certo habeant, plane veriſſimum eſſe & indubitatum id, quod ejus aſſertis atque contumeliis oppoſitum eſt; ita ut pro impacta ab eo *arrogantia*, animi manſuetudinem & humilitatem; pro *crudelitate*, charitatem quæ millies vitam pro unius animæ ſalute profudiſſet; pro *immiſericordia* tantam commiſerationem ut curas, actiones, bona omnia pro miſerorum levamine impenderit. Sed Jægero noſtro forte quisquis non facit latam ad cœlos viam, non adulatur, ſed peccato & maligne peccantibus obſiſtit fortiter, nec peccandi materiam, nec ſolatium iis, ſed comminationes divinas proponit, is crudelis & immiſericors ei habetur, qui erga probos ipſemet *immiſericors* eſt, erga ceteros magnus adulator.

XXXI. *De ceteris quibus eam denigrat titulis quid ſentiendum.*

(*a*) Sup. Libr. III. Cap. V. §. 15. & ſeqq.

Rrrr 3 XXXII.

(*a*) Eadem ſic Gallice exprimuntur:
Je cherchai des Chrétiens dès que Dieu me fit naitre;
Je vécus, j'écrivis, montrant comme on doit l'être,
Et convaincant les faux d'erreurs, de maux, d'abus;
Tous m'en ont voulu mal, tous m'en ont diffamée;
Par tout ils m'ont à mort perſecutée:
Devois-je attendre autre ſort que JESUS?

XXXII. *De impactis Scripturarum contemtu, ignorantia & melancholia; item vagabundæ appellatione.* (a) *Lux in Ten.* P. II. Ep. 13. §. 6. *Tumulus Theol. falſ.* P. I. Epiſt. 9. §. 7. &c. (b) *Vocatio Dei* Ep. 53. §. 7. *Lapis Lydius* §. 4. 177. 199. 295. &c.

XXXII. Pro *Scripturarum contemtu* dudum publicavit illa (a) *unum quod in mundo reſtat bonum, id eſſe, quod Scripturæ ſacræ adhuc in eo exſtent integræ:* ſeque, ſi quid eis ſcripſiſſet oppoſitum, (b) velle id indictum, imo id execrari. *Contemptores Scripturarum* ſunt, non qui eas non legunt quia per puritatem mentis earum Spiritu, aut, ut cum Auguſtino loquar, *fide, ſpe & charitate præditi, non indigent Scripturis:* Sed illi, qui in Scripturarum litera carnali ſtudio acquiſita ſuperbientes, violant Amorem Dei & proximi, ac Scripturarum præcepta pro *jugo inſupportabili* habent, ſeque ab eo liberatos arbitrantur. Felix eſſet D. Jæger ſi vel unum veræ lucis radiolum haberet ejus, cui *ſtupidiſſimam ignorantiam* audet objicere: Tunc enim videret, ut ut ſe uſque adhuc crediderit ſubtilem, ſcientem, illuminatum eousque etiam ut aliis faſtuoſe ſatis inſultet, ſuum tamen intellectum in rebus divinis, imo & naturalibus, maximis ignorantiæ tenebris adhuc obſitum ita eſſe ut earum nullam ſolide intelligat.

Abſurde quoque *melancholiam* carpit in perſona, cui in vultu continua regnabat lætitia, prout in corde continuus lætitiæ fons, Domini Spiritus; quam ego mediis in perſecutionibus ſuis atque periculis (quibus non ſemel adfui) triſtem nunquam vel attonitam vidi. Vera tamen eſt (quod rarum) ultima D. Jægeri facta ei objectio, quod ſcilicet *vagabunda* fuerit, ſed id in infamiam cedit perſecutoribus illius, qui, maxime Eccleſiaſtæ, ubicunque eſſet, tam ardenter & continue vel ad mortem de loco in locum illam, etiam inter Lutheranos, perſecuti ſunt, ut vix, ſicut Chriſtus, (c) *inveniret ubi caput ſuum reclinaret;* & melius ei fuiſſet ſi cum illis, (d) *quibus dignus non erat mundus*, fuiſſet *in ſolitudinibus errans, in montibus & ſpeluncis & cavernis terræ*, prout ejus vitæ hiſtoria abunde teſtatur, nec ſine lacrymis meminiſſe hic poſſum.

(c) Matth. 8. ℣. 20. (d) Hebr. 11: ℣. 38.

XXXIII. *De accuſatione SS. Trinitatis negatæ contra clara ejus verba.*

XXXIII. Non neceſſe eſt ad articulos illos decem, a D. Jægero magis excogitatos & falſatos quam relatos, dicere quicquam præter illa quæ ſuperius (e) de eorum præcipuis diximus. Quia tamen eorum primus eſt trita illa de tribus Perſonis in Deo negatis calumnia, addam hic locum ex Epiſtola A. B. ad Sleſwicen-

(e) Lib. 3. Cap. 5. §. 15. & ſeqq. Libr. 4. C. 2. §. 12. & ſeqq. C. 6. §. 6, 7, 9. C. 8. per tot, C. 9. §. 9.

wicensem Superintendentem D. Niemannum, qui sic habet e Gallico ad verbum redditus: (*a*) *Credo firmiter unum solum Deum in tribus Personis, veluti ab infantia mea credidi: etenim Catholici hanc fidem suos liberos docent, iisque in mente imprimunt veluti fidei articulum. Quî ergo possibile esset ut negarem Sanctissimam Trinitatem, quam re vera magis quàm ullus alius honoro?* Et in alia ad eundem: (*b*) *Quantum ad me, credo de ea* (SS. Trinitate) *quicquid ejus est coram Deo; ac temerarium illum duco, qui de eadem velit disputare. Melius est discere quid nos docuit Jesus Christus, quàm altissima de Trinitate scire mysteria.* (*c*) *Optime scio quid de eo Mysterio Catholici credant, neque in hoc quicquam reperio quod iis quæ sentio contrarium sit.* Adderem libenter & Epistolam quæ hujus & totius ejusdem doctrinæ summam continet: sed ne sim longior: monebo Lectorem eam tribus in locis (*d*) reperiendam esse, claudamque hoc Caput illustris Viri testimonio, quod coram oculis erat D. Jægero cum diceret, *Hæc est detestanda Conclusio Animadversoris;* illius tamen Conclusionis maximam partem supprimeret, quæ hæc est: (*e*) *Quicunque sincera hac intentione, cognitam scilicet Dei voluntatem re ipsâ exsequendi, libero item tranquilloque animo illa Scripta legerit, huic spondeo, & confidenter ac sincere coram facie Domini spondeo, fore ut mecum confiteatur, nihil posse dici aut expressius, aut clarius, aut diductius, aut fortius; aut quod præsentem Christianismi statum verius & vividius repræsentet; aut bonum a malo, verum a falso, essentiale ab accessorio in omnibus Sectis tam dilucide secernat; aut Diaboli magnam potestatem in filios incredulitatis & in elementa hujus mundi, astutissimas etiam, quas bonæ voluntatis hominibus struit insidias, manifestius ostendat; aut amorem proprium omnibus suis latebris excutiat accuratius; aut profundissima vitæ spiritualis secreta adeo feliciter & plene referet, & adversus omnes seductiones præmuniat; aut denique ad comparandam Christianam prudentiam, in his ultimis temporibus adeo necessariam, magis aptum, quam in excellentissimis illis*

Testimonium de eadem illustre à J. partim suppressum.

(*a*) Testim. Verit. Part. II. Ep. 25. p. 199.

(*b*) Ibid. Ep. 27. p. 223.

(*e*) Fid. & Rat. Coll. §. 436.

(*c*) Vid. de Imit. Chr. Libr. I. Cap. 1. *Quid prodest tibi alta de Trinitate disputare, si careas humilitate* (quam Christus docuit) *unde displiceas Trinitati?*

(*d*) *Videatur* Lux in ten. P. I. Epist. 15. *quæ & exstat* in Irenico Univ. Tom. II. Libr. de Erudit. p. 453. *Nec non* in Virtutum Christ. Insinuatione facili ubi est Epist. 1.

illis Scriptis (Virginis Antoniæ Burignoniæ) *factum est. Quæ omnia expertus ipse testor.*

XXXV. *Quare ille adeo contrà debacchetur. Summa doctrinæ, Antoniæ.*

XXXV. Hactenus doctissimi ac illustris Viri testimonium, quod adeo detestatur D. Jægerus; neque id mirum: Siquidem eo commendantur Scripta & Auctrix, quæ testantur hominum opera, mala esse; eos in tenebris & morte jacere, terrena sapere, mundum, & quæ in mundo sunt, & sua quærere, speculationibus interim vanis ac adulationibus meris nutriri per Magistros ultimorum temporum, speciem pietatis, externum cultum ac Verbum habentium, literam nempe Scripturæ de qua inter se bella & odia gerunt internecina, quando vim pietatis, cultum Dei internum in spiritu & veritate abnegaverunt. Aliam viam, si salvari velint, esse ineundam. Christum unum audiendum ejusque doctrinam, quæ quidem exigit, cor nostrum & actus nostros a nobis & a mundo & mundanis rebus, hominibus, vanis speculationibus retrahere, dare illa & nos totos Christo ac Deo in spiritu plane infantili, nil desiderando nisi ei placere & obedire, atque ea tantum scire quæ ille a nobis facienda exigit ut ei placeamus: hoc si fecerimus, illum tantum nobis luminis & cognitionis daturum per Spiritum suum, ut ducamur per eum in omnem veritatem necessariam, utilem ad ejus gloriam, & tandem abundantissimam, qua qui præditi erunt, non amplius habebunt opus uti ab aliis hominibus doceantur, ipsi docti a Deo. Quæ autem cum D. Jægeri via non congruentia, sumsit ille sibi per diffamationem Scriptorum, quibus hæc inculcantur, oppugnanda esse ac plane eliminanda. Sed *Dominus dissipabit consilium gentium; consilium autem Domini in æternum manebit.* Ps. 33. ℣. 10, 11.

VINDICIARUM INNOCENTIÆ ET VERITATIS ACCESSIONES.

A. *Epiſtola* D. Jægeri *privata* ad Auctorem Vindiciarum.

B. Auctoris Vindiciarum ad Literas præcedentes *Reſponſio*.

C. Ad D. Jægeri *Epiſtolam* Examini Theologiæ, quam vocat, Novæ adjectam *Reſponſoriæ Anonymi*.

D. Reſponſum Auctoris ad Amicum de *nullitate difficultatum* ab Adverſariis ſuis objectatarum.

E. Operis *Oeconomiæ Divinæ* conſpectus, ſummam & ſeriem contentorum exhibens.

F. Elenchus *Controverſiarum*, quas in *Examine Theologiæ* quam vocat *novæ* movit D. Jægerus; adjectis locis Vindiciarum, ubi ad ſingulas reſpondetur.

ACCESSIONES VINDICIARUM.

ACCESSIO A.

Quæ est Epistola D. Jægeri privata ad Auctorem Vindiciarum;

Qua oppositionum suarum sinceritatem contestatus, tria potissimum postulata exponit.

Salutem à Sospitatore nostro Jesu Christo.

AUdivi, Vir Celeberrime, ex varia relatione, quod ingentes contra me iras conceperis ex Examine Theologiæ tuæ, & inprimis, quod me passim traducas, quasi nec verba nec mentem tuam intellexerim, adeoque quod non tuam sed alienam & forte in meo cerebro excoctam, vel figuratam Theologiam examinaverim.

Verum enim vero, Vir Celeberrime, adeo abstinui ab omni fictione, ut nil nisi verba tua, & quidem non in abruptis periodis, sed in toto contextu recitaverim. Adeò ut nonnulli id reprehendant, quod nimis copiosus & liberalis in verborum tuorum enarratione fuerim. Unde si ostendere poteris, quod sinistros sensus tibi affinxerim, publicè & coram facie Ecclesiæ Christianæ tibi deprecabor. Sed vide, Vir Optime, ne te ipsum prostituas. Non erit tibi tam facile, ut opinaris, verba & mentem tuam negare. Nam dum scripsisti, simul omnibus lectoribus tuis Jus concessisti, temet judicandi, ex ore tuo, & ex ore seu verbis, sententiam ferendi de mente tua. Sunt enim voces externæ legitima indicia sensus in animo latentis. Quod si negares omnibus tuis libris & verbis fidem omnem ipsemet detraheres. Quis enim tali viro crederet, qui verba aliter vellet intellecta, quam ut commune inter mortales institutum fert.

Accedit, quod pro tua Magistra ipse laudes, & in cælum usque evehas M. de Bourrignion. Item quod inter illuminatissimos habeas Jacobum Böhmium, Weierum, & alios. Unde iterum validissimum lectoribus tuis argumentum præbuisti, quo in loco tu reponendus sis, & qua ratione aut sensu verba tua sint intelligenda. Discipulus genuinus sapit magistrum.

Quare, Vir Celeberrime, si talis es, qualis vis videri, hoc est, qui omnes affectus malignos humanos exuit, qui se ipsum abnegavit, in summa sui derelictione & sancto *Abandon* stat; imò qui vestigia Salvatoris exprimere satagit quæ 1 Petr. 2. 21, 22, 23. in compendio pulcherrimo leguntur, quæso *iras tuas exue.* Præbe mihi exemplum, ut tandem discam, in Bourrignonia ejusque primario Discipulo Poireto non inania virtutum & verborum SPECTRA, sed Rem ac substantiam in Christo fuisse. Dabis autem exemplum in eo, si Causam fidei arduam, hoc est Doctrinalia Divina ita tractabis, quemadmodum coram tremendo Tribunali Divino, id defendere poteris. Fucus hic omnis, & retentio mentalis, seu tegumentum conceptuum suorum, abominatio est coram Deo.

Denique peto, ut mihi libertatem concedas te ex Verbis tuis judicandi: Ego parilem tibi non concedo tantum, sed & offero sponte. Vale & in Deo lætus vive, id enim tibi apprecatur ex animo

JÆGER D. C.

Tubingæ d. 24. Nov. 1709.

ACCESSIO B.

Quæ est

Auctoris Vindiciarum ad Literas præcedentes & ad tria postulata in iis exhibita Responsio.

Lucem ac Charitatem divinam!

PRivatas literas, Celeberrime Vir, minime ab eo exspectabam qui me antea ex abrupto multoties publicè adortus est & adhuc continuat, Incivilis tamen essem si iis, tribusque etiam quæsi-

quæsitis, non darem responsum: Petis enim (1) ut ingentes iras, quas tibi, ut ais, retulerunt aliqui me contra te concepisse, exuam prout Christianum decet, prolato loco 1 Petr. 2. ℣. 23. (2) Deinde ut tibi liceat me ex verbis meis judicare, quod jus id omnibus concessum sit ex quo aliquod Scriptum publice emissum est: Ac tandem (3) ut divina doctrinalia ita tractem quemadmodum coram Tribunali Divino id defendere potero. Quibus ita paucis respondeo.

In loco Petri, quem profers, assignas igitur mihi partes ejus *qui maledicebatur & patiebatur*, tibique adeo partes illius vel illorum qui maledicebant atque minabantur. Et sane res ita est: ego enim aliquot abhinc annis in publicis Scriptis tuis, in publicis item ac privatis collegiis vel sexcenties à te veluti *Impostor*, *furiosus fanaticus*, *sceleratus*, *blasphemus*, aliisque nescio quot *impiis* & *infernalibus* criminibus ac erroribus obnoxius, maledictus sum. Quod vero propterea ingentes adversus te iras conceperim, fefellerunt te, Domine mi, si qui tibi illud retulerint. Passus sum omnia ista, per Dei gratiam, secundum Apostoli exhortationem: commisi omnia Deo juste judicanti: ea condonavi tibi; & ut Deus condonaret, eum rogavi, qui idem mihi concessit animi pacem & tranquillitatem, imo & gaudium ad quod Salvator eos excitavit qui probris ob illum adficiuntur. Vel solum silentium meum id intelligenti videtur satis indicare: neque enim nescis ipsemet, iratâ mente nihil impatientius esse, nihil loquacius. Quantum ad alteras illas partes, maledicentium nempe, quas voluisti tuas esse, tua profecto interest serio dispicere utrum illæ deceant non dico Christianum Doctorem Theologum, sed vel simpliciorem Christianum, vel etiam simplicem hominem, qui cum teneatur amorem erga proximum in se & in aliis excitare & fovere, odium ac execrationem ejusdem in animis omnium, imo & in cordibus eorum qui plebem docturi sunt, intrudere satagit, quantum potest, omnes Charitatis leges à Paulo (1 Cor. 13.) descriptas, ipsumque adeo Dei Verbum, quod alioqui tantopere jactat, re vera flocci faciens. Certe quanquam maledicenti condonavi quantum ad me, remanet tamen ejus in Deum offensa coram eo, remanet odium in omnium cordibus quod implantavit, utrumque adhuc delen-

 dum.

dum. Nihil prodesse potuit illis de quibus Petrus in loco adducto, quod maledicentium partes sustinuerint, donec compuncti, pœnitentiam egerunt, ac ardentissima charitate fuerunt postea animati. Act. 2. ℣. 37. &c.

Alterius postulati tui, Celeberrime Jægere, *ex verbis me meis judicandi*, ejusque fundamentorum, scil. illud *jus Lectoribus omnibus concessum* esse ab eo qui aliquid emittat, teque *nihil nisi verba mea, & quidem non in abruptis periodis recitavisse* &c. miror te ejus non animadvertere debilem fallaciam. Namque si qui sint Lectores vel animo iniquiore aut contumelioso, si vel assuetis vel juratis etiam præjudiciis sint constricti, si ea sint mentis constitutione ut res de quibus agitur neque locum in animis suis justum, neque conceptum in iisdem possint habere integrum, æquum ne esset tales veluti legitimos rerum propositarum judices agnoscere? Nihil sane frequentius occurrit inter homines, etiam saniores, quam ut qualibet in re certos requirant, recusent alios certæ constitutionis judices, arbitros, lectores. Actum agerem si quosnam admittam, quosnam vero recusem, hic tibi significarem privatim qui publice id sæpius in Scriptis meis, & vel in solo Irenico, imo in ipsis Præfationis illius lineis quibus te adeo offensum putasti, declaraverim, & jure quidem merito: dudum enim expertus sum, & vidit Orbis, quales habuerit Lectores ac Judices vel inter vestrates Theologos, Hamburgenses & Lubecenses, innocuus de Educatione libellus meus. Alia silebo exempla, quippe in utroque de Eruditione volumine affatim reperienda. Postulabo à te, Conspicue Vir, oppido æquius quippiam, ut nempe permittas, imo & commendes omnibus qui nostris de litibus sunt judicaturi, libros ipsos meos, eosque integros uti perlegant attente ac candide, illosque tunc cum tuis omnibus conferant, quo suis ipsimet videre possint oculis utrum forte ea quæ (copiose tibi, re ipsa parcissime rarissimeque) verbis meis, recitasti, sint vel non sint male inde abrupta, mutilata, falsata, prave interpretata, iniquis consequentiis gravata, per incredibiles calumnias imputata, impotentibus animi affectibus & contumeliis horrificata, aptis ineptisve rationibus impugnata, suppressis locis quibus verus sensus non semel evidentiùs explicatur, vindicatur, defenditur, ac præ-

prætermissa ipsarum rerum digniorum solida & clara substantia. Simile postulo de Auctoribus a me quidem laudatis, a te vero è contrario improbatis. Non ignoras postulatum istiusmodi meum, ut pars utraque ipsa plene audiatur, in quovis Tribunali non iniquo locum reperire: & tamen diceris, dum apud discipulos, apud lectores, apud omnes sinistra adversum me judicia sollicitas, eosdem revocare a lectione librorum meorum, sic ut auditorum tuorum plerique, & forte universi, ne pictam quidem syllabam in illis inspexerint: quin & Librum, *Fides & Ratio*, mei tanquam Editoris præferentem nomen, simulque Pelagianorum ac Socinianorum principiis præcipue oppositum, vestra in urbe & prohiberi & fisco addici fama publica diceris curavisse, postquam tamen adversus eundem sinistra quælibet publicavisti. Ex quo agendi modo promtum erit æquis quibusvis arbitris colligere, objectata tua, vel te conscio, veritatis reique ipsius conspectum sustinere non posse.

Quid per tertium postulatum, Celeberrime vir, intendas, non recte percipio. Nam si ad ea quæ scripsi respectum habeas, id extra tempus est. Sed forte vis ita explorare utrum aliquid contra tot insultus tuos defendendi mei gratia vel scribam nunc, vel scripturus sim nec ne. qua de re nihil certi habeo dicere. Monent me amicorum plurimi, monet animus pacis & quietis amans, monet conscientia impietatum ac scelerum impactorum innocens, & veritatum salutarium commendatarum conscia mens, monet denique exemplum Christi e Petro a te allatum & mihi commendatum, uti reponam nihil: tum quod librorum meorum lectio diluendis omnibus objectatis, (quorum pleraque coccysmi sunt sexcenties recantati) satis sit vel sola; tum quod ætatis jam provectioris reliquum continua inter bella & jurgia mihi transigendum esset si quibusvis qui vanam sibi famam vanosque plausus ex calumniandi libidine & illata aliis infamia quotidie venantur, respondendum esset. Quicquid autem ea in re possit forte evenire, testari hic possum interim, me & nihil olim voluisse, & nihil in posterum velle scribere (si quid scripsero) quam quod coram Deo, judice incorrupto, approbari possit: credo enim firmiter eum unicuique redditurum *inhærenter* secundum inhærentia sua cujusque cogitata & acta: quando contra, si qui sibi imaginarentur, eos

qui

qui ſunt inhærenter maledici & calumniatores, poſſe tamen coram Tribunali Dei declarari benedicentes ac veraces per *imputationem* veracitatis alterius extra ſe, modo id ſciant ſibi perſuadere, iis nullum male & agendi & dicendi timorem poſſe incuti a conſideratione Tribunalis divini, per ſe evidens eſt. Miſereatur Deus omnium qui quærunt eum in animi ſinceritate, tibique, Celeberrime Vir, ut quo cepit modo, eo finiatur Epiſtola, infundat divinam lucem ſuam atque Charitatem, ut coram eo bene agas ac bene valeas nunc & in æternum. Quod tibi exoptat ſincera mente

P. POIRET.

Rhenoburgi. 19. Decemb. 1709.

P. S.

Poſtquam literas meas ſcripſeram, & ex parte clauſeram, renunciatum eſt mihi alicunde, id quod ibi ſcriptum eſt de Libro *Fides & Ratio* ſollicitatione tua Tubingæ prohibito ac fiſco addicto, minime ſic ſe habere. Relatum mihi id re vera fuit: attamen ſi res aliter habet, quod hic ea de re ſcriptum eſt, non ſcriptum volo, nihil magis in votis habens usque adhuc quam ut falſum ſit, per te deterreri a librorum lectione, ſit autem verum eo invitari quotquot de iis judicaturi ſunt: ne alioqui ex publicata ac commendata illorum impugnatione ſimul cum eorumdem legendorum diſſuaſione, id quod dixi a cordato quovis concludatur, Objectata nempe conſpectum rei ipſius ſuſtinere neutiquam poſſe.

A C-

ACCESSIO C.

Ad D. Jægeri Epistolam Examini Theologiæ, quam vocat, Novæ adjectam RESPONSORIÆ (*) ANONYMI;

Quibus demonstratur

Quam nihil in ea Epistola sit vel solidæ ratiocinationis vel honesti candoris.

Vir Celeberrime.

I. LEctâ illâ tuâ, quam in Poiretum scripsisti, Epistolâ, stupui profectò ingentem tuam præsumptionem dicam an audaces tuas & monstrosas fallacias? dubius siquidem Lector prudens hæret cui horum palmam tribuat, cùm arrogantia supercíliosa & elumbis procaxque cavillatio de principatu in literis tuis certare videantur. Subiit tamen incerto cogitare superbiâ turgidum non posse non in varios gravissimosque errores incidere, Spiritu Dei fallere nescio testante elatorum cogitationes à divina sapientia disturbari (Lucæ 1: 51.) ut, dum irati veritatem ignominiâ afficere allaborant, sibimet ipsi malè cohærentibus sophisticationibus & spurcâ calumniandi ac quidvis fingendi libidine, apud æquiores rerum arbitros contemtum pariant. Hinc qui nimiâ sui æstimatione inflati sunt, à cœlesti veritate etiam mente corrupti pronunciantur (1. Timoth. 6: 4, 5.) & eò turpiores se dare solent, quò major cumulus reliquis vitiis gravissimis, accessione avaritiæ, quæ Pietatis & Orthodoxiæ nomen turpi lucrandi cupidini prætexit & quæstui accommodat, adjicitur; quale quid & de te, qui conversationem tuam tuosque mores propius nôrunt, asseverantes audivi. Nolo tamen ex aliorum relatione erga te agere, sed ex ipsissimis tuæ Epistolæ verbis docebo quantâ arrogantiâ turgeas & in quas elumbes cavillationes frivolasque fallacias à primogenito superbiæ partu impotenti irâ te adigi passus, quàmque tui usque adeo oblitus sis ut profun-

1. Epistola Jægeri character duplex.

(*) [*Vide quæ de harum tum contentis tum stylo jam dudum testatus sit Auctor Vindiciarum, infra in* Accessione D. n. 1.

dam rerum Theologicarum & principiorum Religionis à te professæ ignorantiam propalare non veritus fueris.

2. *Officia ibidem jactata.* 2. Initium Epistolæ mox tuam sapit arrogantiam, quippe in quo varia jactas officia tibi equidem commissa, ast non eo, quo deceret, modo curata. Nam, ut alia taceam, Epistola tua, veritati, ut mox demonstrabitur, inimica, candoris expers, bonæ fidei contraria, ratione solidâ destituta, cavillationis & fallaciæ plena, probat te ad nihil minus quàm ad tuendam veritatem, & sobriè pertractandas solidéque decidendas controversias aptum paratumque esse, quamvis eum in finem Cancellariatûs & Professionis Controversiarum dignitatem tibi collatam ipse dicas.

3. *Admonitionis impatientia.* 3. Arrogantiæ etiam indicium certissimum est, summa ex Epistolâ tuâ elucens modestæ admonitionis impatientia. Poiretus etenim, à te licèt indignissimis modis per Theses tuas Cyclicas & Dissertationes contra illum editas aliaque Scripta lacessitus, pauca tantummodo, nec tuo expresso nomine, reposuit, illisque unicum solùm acerbiusculum verbulum immiscuit, *Theses*, quas tu *Cyclicas* dixeras, (*a*) *Cyclopias* nominando; & tu summâ te injuriâ indignissimè affectum putas, de *scommatibus* in te conjectis, de *allatratione rabidâ*, de *bili intemperante æstusque effervescentiâ*, *petulantiâ maleferiatâ* quiritaris; quasi verò tibi alios pro libidine maledictis ultrò provocare & cumulare fas jusque, & contrà, piaculum esset te asperiori quadam voculâ tetigisse. Relege, quæso, hîc repetenda Præfationis Poiretianæ ad te spectantia verba sequentia: (*b*) *Meum illud propositum non putavi ob rei ipsius substantiam, ob principii, scopi modique tractationis bonitatem ullis probis ingratum ac rejiciendum fore etiamsi in ejus executione nonnulla, (quæ hominum sors est,) præter intentionem meam peccavissem, hoc est, quamvis è summo Principio quædam particularia deduxissem, quæ tamen ex eo minimè fluerent, aut quædam ad eundem redeundi adhibuissem media in quibus mediis defectus nonnulli essent, aut quorum naturam minùs vere explicavissem: hæc enim ob scopi & usus bonitatem forent vel toleranda in spiritu charitatis, vel rationibus evidentioribus dedocenda in spiritu lenitatis Christianæ; non autem protinus anathemate ferienda, venenata, horrida, infernalia, nefanda, & tetris nescio quibus nominibus proclamanda, quemadmodum nuper de propositionibus nonnullis merè theoreti-*

(*a*) Imo, nec id dixit directe Poiretus: sed quod tu melius dixisses Cyclopias quam Cyclicas.

(*b*) De Erud. Sol. Vol. II. Præfat. pag. **. verso.

reticis ac saluti nostræ nec essentialibus nec necessariis ex Oeconomiæ Libro primo, idque perperam plerumque, elicitis, fecit per Theses *quas vocat* Cyclicas, (*melius dixisset Cyclopias*,) *non nemo, qui in Academia Germaniæ non plane incelebri Cathedram* (*utinam non genium*) *illius occupat qui olim optimos piissimi J. Arndii* de Vero Christianismo *libros calumniis & maledictis opprimere conatus fuerat.* Lectis hisce perpensisque & collatis quæ in Scriptis tuis contra Poiretum evomuisti, si equidem tantulum incorrupti judicii superest, judica, utri vestrûm, tibine an Poireto, melius conveniant verba tua pathetica hæcce: *Scommata sunt ulcera animi tui, quæ ne in funestam gangrænam abeant, seriò tuum erit prospicere, ne animæ tuæ noceant.* Judicent, si ipse cæcutis, alii; & tibi quàm maximè necessariam esse admonitionis hujus observationem decernent.

4. Insigne humilitatis mansuetudinisque Christianæ, Ecclesiæ etiam Præposito per quam dignum, scilicet, specimen edidisti circa finem Epistolæ tuæ, charitatem mitem Poireto sub conditione, *si mitiori calamo de veritatibus Christianis in posterum tecum agere ipsi animus esset*, benignè admodum & liberaliter offerens & spondens. Ergone, si aliquis paulo immitiùs ac acerbius, re verâ, vel opinione tuâ, tecum ageret, ipsi *charitatem* & mansuetudinem denegare, opprobria vicissim & maledicta ingerere licebit? Siccine te imprudentem prodere oportuit tibi Doctrinam inflatorum Pharisæorum, antiquitus dicentium, (Matth. 5: 43.) *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*, magis arrisisse, quam præcepta humilis & mansueti Domini Jesu Christi contrarium suadentis, imo imperantis, & maledictis benedictionem reponendam docentis (l. c. ỷ. 44)? Nempe major es quàm qui tenearis mandato Christi & monito Apostoli dicentis: *Servum Domini oportet mansuetum esse* AD OMNES, *docibilem*, PATIENTEM, CUM MODESTIA CORRIPIENTEM &c. (2. Timoth. 2: 24, 25.) Non abs re igitur Poiretum accusaturus, te ipsum effrænæ licentiæ damnas, in Epistola tua disertè scribens: *Eandem licentiam*, quâ videlicet tu usurus esses, Poiretum sibi in alios sumsisse. Fateris propterea, quicquid de Poireto sit, te licenter in illum agere velle; nec, vel Christi verbis astringi te passurum ad æquitatem & mansuetudinem mitem humilemque.

4. *Mansuetudinis Christianæ repudiatio.*

5. *Non probata Lectori audacter obtrusa.*

5. Inter plura arrogantiæ tuæ documenta extat etiam Dictatoria, quam tibi arrogas, Tyrannis obtrudendi Lectoribus credenda, quæ nullo argumento probas, ratus scilicet quæ dicis, eo quod à te dicta sint, jam jam plenam mereri fidem. Clamas, non probas, Poiretum in alios *licentiâ* usum esse, dirissimas *in Ecclesiam calumnias evomuisse*, *vivum Dei verbum deseruisse*, se ex Bourignoniæ *lacunis* haud pauca sumsisse confessum esse; Böhmium, Weyerum, Leadeam & Bourignoniam sibi invicem contradixisse. Clamas hæc, & id genus alia, non probas; hocque tuo audaci agendi modo cæcam tuis dictis fidem adhibendam non obscure desideras, quod sanè intolerandæ arrogantiæ est, quâ excæcatus eos *mente carere* pronuncias, qui sententiæ tuæ nulla probatione munitæ assurgere, & in Böhmio, Weyero, Burignoniâ, Leadeâ pugnantia tradi, affirmanti tibi credere nolunt. An te infallibilem putas, qui de gravissimis rebus, sine teste, sine argumento, sine instrumento vera dixisse existimari debeas? Certè seculum nostrum Dei gratiâ majori prudentiæ & experientiæ lumine collustratum est, quàm ut ejusmodi superbiæ & sophistices auso se decipi patiatur.

6. *Invidia ob veritatis ordinate à P. exposita approbationem.*

6. Nec ineptè quis inter signa ambitionis tuæ retulerit invidiæ plenum metum quo perculsus es observatâ frequenti hinc inde veritatis à Poireto ordinatius propositæ approbatione. Post varios enim prætextus, quibus causas exacerbati in Poiretum animi & stricti in eundem calami palliare conatus es, tandem *ingenuè*, ut ipse dicis, *fateris*, *tantas vires jam accepisse Poireti doctrinam*, *ut necessariò obex ponendus fuerit*. Ussit animum approbatio quà Poireti de Veritate doctrinam exceptam vidit mens invida & æmula, cui vel invitæ & ringenti concinna veritatis à Poireto propositæ connexio & concatenatio illuxit; verita est, ne ineptè consutis falsò sic dictæ Orthodoxiæ à Jægero & sui similibus jactatæ & venditatæ centonibus, (in quibus quadrata rotundis sunt mixta) veritas aptè inter se cohærens & ex suis principiis ordinatim demonstrata præferretur. Hinc ne vilesceret illorum qui hucusque soli acutum vidisse visi sunt sibi aliisque, auctoritas, calumniis & sophisticationibus veritas accuratius tradita, exosa reddenda fuit, & quantum pote, sequendum consilium Pharisaicum Joann. 11: 47, 48.

7. Scri-

7. Scribis etiam te, transeundo per *præcipuas lineas maleferiatæ Præfationis* Poiretianæ (quam alteri de Eruditione solida &c. Tomo præfixit,) ostensurum Poiretum *dirissimas in Ecclesiam* Lutheranam *calumnias evomuisse*, VANOSQUE de eâdem *triumphos ducere* voluisse, cùm tamen Poiretus, in illa sua præfatione, Ecclesiæ Lutheranæ ne verbulo quidem meminit; & quæ tu ex illâ præfatione refellenda suscepisti non Lutheranam Ecclesiam, sed tuam personam tuosque agendi contra Poiretum modos tangunt & respiciunt, uti & ipse fateris. An igitur in te tota Lutherana læditur Ecclesia? Isne tu es, in cujus verba juravit, & cujus facta pro suis defendenda agnoscere debet tota Lutherana Ecclesia, quia, dum in te dicitur, vociferaris calumnias in Ecclesiam Lutheranam conjectas esse? Prius probandum tibi fuisset te ob veritatem à totâ Lutheranâ Ecclesiâ probatam à Poireto impetitum esse, quàm clamares in te ipsam totam esse læsam Lutheranam Ecclesiam: Quia verò id non probasti, neque etiam, quod deinde evincetur, probare unquam poteris, ridiculæ sanè arrogantiæ est te pro totâ Ecclesia Lutherana venditare. Invaluit tamen ex longo tempore superbissima confusio quâ unum alterumve membrum, vel etiam carcinoma Ecclesiæ & Ministerii, se pro ipsâ Ecclesia & pro Ministerio ipso haberi colique voluit; & exprobratis sibi suis vitiis turpitudinibusque, in Ecclesiam ipsam totam universumque Ministerium sacrum calumnias sparsas esse nugari ausum est.

7. Imputatio calumniæ in Ecclesiam Lutheranam. dicta.

8. Missâ verò arrogantiâ tuâ accedam ad indicandas quasdam cavillationes sophisticationesque tuas, quarum larga in Epistola tua extat seges. Scribis, Poiretum *officii tui obligationem* tibi *maligne admodum interpretatum esse*, quia hic conquestus est te, cùm errores, quos ejus Scriptis inesse putaveras, spiritu lenitatis tolerare, aut evidentibus rationibus dedocere debuisses, protinus eos anathemate feriisse, *venenatos*, *horridos*, *infernales*, *nefandos*, *& tetris nescio quibus nominibus proclamasse*, & sic contra Propositiones *Theoreticas* & *saluti nostræ* nec *essentiales nec necessarias* ex *Oeconomiæ* suæ *libro primo*, idque PERPERAM PLERUMQUE *elicitas* Thesibus *Cyclicis*, quas *melius Cyclopias*, sive sævas *dixisses* & crudeles, insurrexisse. Dic, quæso, quâ ratione ex hac Poireti querelâ concludere potuisti eum officii tui obligationem *malignè* interpretatum esse? In se-

8. Cavillationes variæ (1) de fugillata officii obligatione.

 quen-

quentibus patebit vera esse quæ de te tuoque adversus se disputandi modo Poiretus dixit; ast ad eadem neutiquam *officio tuo* tenebaris. An ad officium Præpositi Ecclesiæ, Cancellarii Universitatis, Professoris Theologi pertinet ex aliorum Scriptis *perperam* Propositiones, quas modo Cyclopio, barbaro, sævo oppugnet, elicere, sine moderatione & spiritu lenitatis *protinus* eas diris quibusque nominibus proclamare, evidentioribus rationibus, quem errare putas, dedocere nolle, sed statim *anathemate* ferire &c. Hæc talia de te Poiretus conquestus est, non ut obligationem *officii tui malignè interpretaretur*, sed ut doceret te ratione officii ad omnia alia obligari; quippe cùm Scriptura doceat Præpositum Ecclesiæ & Theologum pium debere esse *διδακτικὸν* equidem, ast *ἄμαχον* mansuetum, cum *modestiâ* corripientem eos etiam qui *resistunt* veritati. (1. Timoth. 3 : 3. 2 Timoth. 2 : 24, 25.) Tu verò nihilominus dicis officii tui obligationem *maligna* interpretatione traductam esse: Quis non legitima consecutione inde conficeret, ex tuâ sententiâ Doctorum tui similium ejusquemodi Orthodoxiæ Præsidum officium esse, audacter calumniari, insulsè cavillari, insipidasque sophisticationes amaro maledictorum affatim ingestorum sale condire velle, aliorum verba in sensum à mente Auctoris alienissimum torquere? Bellos hujusmodi Theologos, qui ad talia, quæ de te conquestus est Poiretus, se *obligatione officii obstrictos* putant, vividioribus coloribus in Cunæi Oratione, in Poireti illo libro, cujus tu Præfationem exagitas, sive Tomo II. *de Eruditione Solida* p. 227. & seqq. citatâ & excerptâ depictos videre poteris. I nunc, &, dum malè officio tuo functum esse moneris, clama *obligationem officii* tui ipsam sugillatam esse.

6. (2.) *In Enthusiasmi accusatione, ob illuminationis internæ necessitatem assertam.*

9. Accusas Poiretum Enthusiasmi noxii & Fanatismi insani, futili verò & sophistico planè argumento. Nam quia Poiretus necessitatem & præstantiam internæ ipso Spiritu Sancto perficiendæ illuminationis hinc inde asseruit, idcirco tu infers ab eo vivum Dei Verbum desertum fuisse, illum vocem Dei in sacro Codice resonantem sequi desiisse, revelationemque Scripturæ contrariam asseruisse & jactasse. Quæ autem consequentia ex assertione internæ illuminationis ad rejectionem Verbi externè proponendi concludere velle! Nostine vulgarem Canonem: Unius

posi-

positio non est alterius negatio? Poiretus utique illuminationem internam ipso Spiritu Sancto peragendam ursit & commendavit; simul tamen præstantiam & ordinatam necessitatem Verbi scripti inculcavit, multotiesque protestatus est, quicquid contrarietur Scripturæ sacræ & Verbo revelato non pro illuminatione divinâ, sed pro deceptione Diabolica habendum esse, id quod & Burignonia affirmavit.

10. Lege & expende tantummodo quæ Poiretus inter alia Tomo I. *Eruditionis Solidæ* (a) p. 297, 298. de Scripturâ scripsit, & videbis quantopere illius præstantiam & relucentem ex eâ omnibusque omnium temporum & conditionum hominibus prospicientem sapientiam extulerit. Consideranti attentius totum XIV. Tomi (b) quarti in Oeconomia Poireti Caput, apparebit hunc scripturam distractis & stupidis per peccatum hominibus ordinariè necessariam judicasse. Ipse Poiretus fassus est evidentis Fanatismi & mali noxiique Enthusiasmi esse, si in alicujus se pro divinitus inspirato & acto venditantis Scriptis aut vitâ ulla imaginationis molimini innixa, aut maligni spiritûs charactere imbuta, aut *doctrinæ & vitæ in Euangelio inculcatis contraria occurrant.* Tomo II. *Eruditionis Solidæ* p. 572. Ex quibus omnibus sole clariùs patet illum nequaquam, assertâ internâ revelatione &

10. *Eam non nisi per calumniam moveri contra Poiretum.*

(b) in Edit. Latin. est Liber III.

(a) Verba P. dicto loco sic habent: *Revera nulli sunt omnino libri in quorum methodo & descriptione tam profunde sese insinuaverit & expanderit divina Sapientia atque SS. Scripturarum volumina, à quibus Sapientia illa summa abesse minime poterat quando Deus eas non hominum uni aut alteri, imo neque omnibus unius temporis, sed omnibus omni tempore voluit prodesse, uti ex ipsismet Scripturis patescit. Voluit, inquam, Deus primo, ut quilibet in illis reperire posset quicquid ad solidum suum bonum atque progressum pro eo in quo est statu possit desiderari. Voluit deinde ut & totus aliquis populus eo tempore vivens, pro statu in quo erat proficeret ex illis quæ tunc temporis vel dici vel scribi sinebat. Voluit denique ut in his ipsis quæ vel uni homini, vel uni populo aut coetui unius temporis dicta videbantur, invenire possent homines sequentium temporis periodorum ad finem usque seculi documenta & testimonia de omni eo quod ipsos respiciebat, quodque sibi è re esset scire & efficere intus & foris, speciatim & generatim, imo & quodcunque Deus usque eo operaturus esset. Quæ sane omnia neutiquam ab industria illius, nisi summæ Sapientiæ, perfici poterant. Sola enim Dei Sapientia ut uniuscujusque ac omnium hominum atque temporum dispositiones & vias habet perspectas, itemque opera quæ Deus erga illos diversis temporibus ad finem usque seculi & consummationem omnium operaturus est; sic etiam eadem sola possit unâ eademque oratione dictâ vel scriptâ, eaque vel typico modo, vel magis proprio expressa, tot sensus diversos significare, quot hominum atque temporum diversitas omnino requirebat.* &c.

& illuminatione, Scripturæ præſtantiam & uſum extenuare au principium quoddam fidei, Scripturæ contrarium ſtatuminare verbique externè adhibendi interventum ab operandâ ſalute noſtrâ, internaque illuminatione excludere voluiſſe. Turpe & ſummè calumnioſum eſt tale quid ipſi objectaſſe, poſtquam calumnias ejusmodi toties explicatione mentis ſuæ retudit, & in II. *de Eruditione* Tomo, cujus tu Præfationem ſugillas p. 210. diſertis verbis docuit quàm nugatoriè ſibi quámque falsò objiceretur, ſe ab operatione Dei internâ & illuminante, Verbum ſive Scripturam Dei excluſiſſe. Si quæ Poiretus ipſe de Fanatiſmo & Enthuſiasmo malo conſignavit, obiter tantùm conſiderare voluiſſes, meritò te pudere debuiſſet elumbe hoc ſcomma in eum vibrare.

11. *Ut & contra A. Burignoniam.*

11. Burignonia ſanè, quam tu in tradendo Enthuſiasmo & Fanatismo Poireti Magiſtram, ob aſſertam & ab ipſâ internæ illuminationis neceſſitatem, putas, fortiter admodum in omnes, qui obtentu internæ illuminationis Scripturam vilipendunt eique contraria docent aguntve invecta eſt. Imò monet ſua ipſius dicta & facta ad Scripturam exigenda &, niſi huic conſentanea ſint, ut erronea & mala rejicienda eſſe. Hæc enim ſunt ejus in primâ Epiſtolâ Partis primæ Luminis in tenebris verba: „ Suſpectum „ habete quicquid vobis à parte Dei dixerim, ſi obſervetis mo„ res & actiones meas moribus actionibusque Chriſti non con„ formes *meamque doctrinam Scripturæ ſacræ non planè convenien-„ tem eſſe.* „

Solum ab illâ editum contra Quackeros Monitum diſpellendis de Enthuſiaſmo malo illi imputato calumniis ſufficit, ex quo quædam ad rem præſentem apprimè facientia excerpſiſſe & adduxiſſe juvabit. §. 267. hæc extant: „ Quid ad hæc ſuperbi „ Quackeri dicent? qui ſanctiores ſe putant, quàm quibus Sa„ cramentis utendum, templum frequentandum, concio audien„ da vel ipſa legenda ſit Scriptura, quippe quam æquè ac Sacra„ menta contemnunt? Nonne meritò dicitur illos ipſo Jeſu ſan„ ctiores videri velle? Horrendum hoc piaculum eſt, quod re„ cogitans paveo, ſiquidem nemo Domini noſtri Jeſu Chriſti „ perfectionem unquam attigit, quam verò Quackeri ſuperaſſe „ ſibi perſuadent ſpernendo Sacramenta, cultumque divinum exter-

„ externum, imò sacram Scripturam ipsam, aliisque contem-
„ tum horum inculcando, crepantes, literam occidere, spiritum
„ verò vivificare; quo Scripturæ dicto pessimè abutuntur ad sta-
„ tuminandum errores suos & ad palliandum arrogantiam, re verâ
„ neque literam neque spiritum in operibus mentibusque suis ha-
„ bentes. Si enim quid sit verus spiritus intelligerent, procul
„ dubio homines ad legendas Scripturas & ad obeunda pia & à
„ Deo ordinata exercitia incitarent &c. &c. §. 271. Sequen-
„ tem in modum scribit: Media illuminationis sunt lex Mosis
„ & Euangelium Christi, quibus omni tempore homines lumen
„ Dei, olim creatis animabus à Deo inspiratum recuperarunt.
„ His nisi homines docti & instructi fuissent, nemo unquam
„ illud lumen rursum consecutus esset, omnibus in spississimâ ex
„ peccato ortâ caligine natis; hinc infantibus legem Verbum-
„ que Dei proponere & exponere *oportet*, quia aliàs non salva-
„ rentur. Necessariò infantibus Lex Dei prælegenda aut incul-
„ canda est: hoc ni fieret, infantes sanè in ignorantiâ agendo-
„ rum & omittendorum consenescerent. Et licèt Quackeri præ-
„ tendant Scripturam rejecturi, literam occidere; certum ta-
„ men est, nisi eam legissent audivissentve, æquè brutos, ac
„ animalia quæque futuros esse. Verum equidem est, inquit
„ Bourignonia §. 270. Omnes homines in mundum venientes,
„ lumen quoddam secum afferre; simul tamen itidem verum est
„ lumen, quod in creatione homines à Deo acceperunt, adeo
„ per Adami peccatum esse obscuratum, ut non sentiatur neque
„ operetur, nisi excitatio doctrinæ & exercitatio virtutis prius
„ accesserit &c. &c. „

Quis, quæso, talia dicentes, credentes, profitentes malis Enthusiastis ac Fanaticis jure annumeret? Quis prudentum non videt Poireto, ut Burignoniæ amico, Enthusiasmi mali crimen cavillatoriè intentari à Jægero, & quàm vitiosissimè hunc ex assertâ internæ illuminationis necessitate argumentari ad rejectionem Scripturæ, & ad libertatem huic contraria, sub titulo internæ revelationis, spargendi? Nisi ipse sibi oculos obstringere voluisset Jægerus, facillimè pervidere potuisset Poiretum asserendo internam Spiritus S. illuminationem & revelationem, docuisse velle: Spiritum Sanctum interiùs eadem operari, & re

Vvvv verâ

verâ ſentienda præbere, quæ Scriptura & Verbum revelatum exterius docet, promittit, efficaciter monitionibus & hortationibus inculcat, ut junctim internâ externâque operatione ſalus hominum promoveatur, Deo tamen intus operante plurimum faciente hominesque propriè & proximè ſe ipſo beante.

12. *Eandem in totam Ecclesiam Lutheranam ejusque Doctores, & in Lutherum ipsum, resilire.*

12. Si hæc docuiſſe, Enthuſiaſtam & Fanaticum malum conſtituit, præcipui Doctores Lutheranæ Eccleſiæ ejus criminis rei erunt, imò tota Eccleſia eodem involuta dicenda eſt. Tota enim Lutheranorum Eccleſia ſæpius in publicis ſupplicationibus, quas Græco Litaniæ vocabulo nominant, canit: Domine *des*, quæſumus, *tuum Spiritum tuamque vim ad Verbum! Deinen Geiſt und kraft zum Worte geben!* Confitetur igitur jungi debere Verbum externè reſonans, Spiritumque divinum vi ſuâ interna commoventem. Erasmus Brochmandus, celebris inter Lutheranos Theologus, (*a*) in primo Syſtematis ſui de S. Scripturis agente Articulo, hujusque Capite III. Quæſt. 3. p. m. 36. Photinianorum ſive Socinianorum eſſe pronunciat, neceſſitatem peculiaris & *internæ* Spiritûs S. revelationis negare, aſſerereque quod Scriptura, tanquam Dei Verbum, planè apta & potens ſit, citra peculiarem Spiritûs S. illuminationem, ad ingenerandum homini fidem & Deo obediendi ſtudium. Verba ejus hæc ſunt: „ Ut „ Scriptura ſacra cum fructu & ſalutari profectu legatur & au- „ diatur, an *peculiari* & *interna* Spiritûs S. *revelatione* opus ſit? „ Quod negant Photiniani. Sed negant contra diſerta Scriptu- „ rarum tum dicta, tum exempla. Dicta ſi requiris, hæc pro- „ ducimus Joan. 6: 44, 45. 2. Cor. 3: 5. Phil. 2: 13. 1. Cor. „ 3: 6, 7. 2 Cor. 4: 6. Epheſ. 1: 17, 18, 19, 20. - - - Quæ „ & ejusmodi generis alia dicta Scripturarum manifeſto docent, „ requiri ad ſalutarem Verbi divini ſive lectionem ſive auditio- „ nem *peculiarem* DEI IPSIUS OPERATIONEM. Adjicit verò etiam deinde medium Spiritûs S. eſſe Verbum, ne ſcilicet quis ſibi ſub operatione Dei internâ quidvis, & Scripturæ contraria, imaginetur.

(*a*) Conferatur omnino J. Gerhardus in Loco de Scriptura S. No. 431. & ſeqq. p. m. Edit. in folio 172. & ſeqq.

B. Arndius, cujus tu tantam æſtimationem verbis Epiſtolæ tuæ præ te fers, fortiter admodum internam Spiritûs S. revelationem firmavit. Capite II. Libri II. de Vero Chriſtianiſmo p. m. 291. Editionis Latinæ Francofurtenſis Anni 1658. „ Sex-

„ tum

„ tum, inquit, fundamentum est TESTIMONIUM SPIRI-
„ TÛS S. INTERNUM, qui in te adspirat & suspirat justi-
„ tiam. - - Hic SPIRITUS sine intermissione conscientiam
„ tuam impellit, identidem te objurgans, peccata tua ob ocu-
„ los tibi constituens, ad pœnitentiam te instigans, intus & in
„ corde te vocans, convincens te, nihilque non faciens & sa-
„ tagens ut te à peccatis abstineat & convertat. Cujus tanta
„ vis est, ut occultari non possit. Quippe hic Christi testis nun-
„ quam in te tacet, cogerisque illum INTUS AUDIRE, LI-
„ CÈT AURES OBSTRUXERIS. Quodsi animum inducas
„ nolle illum intelligere, PATI tamen & sentire ipsum coge-
„ ris. Unde efficitur hoc internum testimonium adeò omni ex-
„ ceptione majus esse, adeoque firmum, vivum & efficax, ut
„ nolens volens credere debeas velle Deum te salvari. „ Con-
fer sis ἐπιγραφὴν Capitis XV. in Libro III de V. C. Arndii & in-
venies sequentia: „ *Christum æternum Verbum Patris in fidelium*
„ *cordibus opus suum perficere, per* INTERNAS SUGGESTIO-
„ NES ET INSPIRATIONES. „ Omitto cætera brevitatis
studio, omnibus considerandum relinquens quàm jejuna, mise-
ra, contradictoria, imò ridicula futura sit Testimonii interni
Spiritus S. à Lutheranis communiter asserti expositio, nisi in-
ternam, realem, peculiarem ejus in anima operationem & re-
velationem concesserint.

Speneri *Theosophia filiorum Dei*, nubem de internâ Spiritûs S. operatione & illuminatione deponentium testium Jægero sistet. Lutherano autem Jægero unus Lutherus omnium instar procul dubio erit. Hujus hac de re confessiones Jægerus in Tomo I. Poireti *de Eruditione Solida*. p. 541, 542. Tomique II. p. 193, 194. legere potuisset, debuisset. Adjiciam ibidem citatis alia quædam æquè notabilia ac expressa ejusdem testimonia. Tomo III. Altenburgensi Scriptorum Lutheri. p. m. 646, b. hæc habentur: „ Nos Verbum loquimur prædicamusque, ast nisi ipse
„ (Dominus Jesus) corda tangit, Spiritum largitur, fidem in
„ nobis excitat, nos consolatur & confirmat, actum sanè de no-
„ bis est. Eodem Tomo p. m. 260. a. „ Verbi prædicatio ni-
„ hil prodest, nisi ipse intus in corde Deus doceat. „ Tomo
„ Altenburgensi V. p. m. 493. a. „ Audito & percepto Verbo oran-

„ dus Deus est, qui IPSE Magister sit & in doctrina veram notitiam „ intelligentiamque donet, INTERIUS etiam corda DOCEAT: „

Eadem item in Formulâ Concordiæ Lutheranorum reperiuntur, in cujus solidâ Repetitione sub Titulo de libero Arbitrio No. II. dicitur: „ Nisi Dominus ipse Doctoris & præceptoris „ officio fungatur, nihil eorum quæ ipsi grata, nobis autem & „ aliis salutaria sunt, discemus. „ Et eodem Titulo Epitomes No. tertio scriptum extat: „ Verbo Dei prædicato adest Spi- „ ritus S. præsens, & corda hominum aperit ut Verbo diligen- „ ter attendant & convertantur, quemadmodum de Purpurariâ „ illa Lydiâ in Actis Apostolorum legimus. Hoc verò univer- „ sum solâ gratiâ & virtute Spiritus S. efficitur, hujus unius & „ solius est opus hominis conversio. Si enim Spiritûs S. gratia „ absit, nostrum velle & currere, nostrum plantare, seminare, „ rigare, prorsus frustranea sunt: si videlicet ille incrementum „ non largiatur. „ Provocatur in illis Formulæ Concordiæ locis ad Lutheri præsertim in Libro de Servo Arbitrio expressam sententiam, ubi Lutherus haud procul à fine scribit: „ Jam illud, „ ubi Christus Joannis VI. dicit: Nemo venit ad me nisi Pater „ meus traxerit eum, quid relinquit de libero Arbitrio? Dicit „ enim, ut quis audiat & discat ab ipso Patre opus esse; tum „ omnes oportere à Deo doctos esse. Hîc sanè non solùm opera „ & studia liberi arbitrii docet esse inania, *sed ipsum etiam Ver-* „ *bum Euangelii* (de quo agitur eo loco) *frustra audiri*, *nisi* IN- „ TUS *loquatur*, *doceat*, *trahat* IPSEMET *Pater*. - - Quia „ Deus ostendit non solùm unum, sed omnia bona sua, tum ip- „ sum etiam Filium, nec tamen ullus homo sequitur, *nisi intus* „ *Pater aliud ostendat & aliter trahat*. Ibi alius tractus est, quàm „ is qui foris fit: ibi ostenditur Christus per illuminationem „ Spiritûs, quâ rapitur homo dulcissimo ad Christum raptu, & „ patitur loquentem potiùs Doctorem & trahentem Deum, „ quàm ipse quærat & currat &c. &c. „

Joannes Bugenhagius Pomeranus in suis super Euangelia Summulis Festo Pentecostes scribere non dubitavit: „ Consola- „ tor Spiritus DOCET, NON EXTERNA PRÆDICATIO, „ quæ tantum ministra Spiritûs est. „

13. *Illuminatio* 13. His perlectis desinat jam Poireto ob probatam huic internæ

ternæ revelationis necessitatem & præstantiam Enthusiasmi ac Fanatismi dicam scribere Jægerus: sin verò adducta & explicata ipsi nondum satisfecerint, illeque in posterum malitiosum sophistam non agere, sed boni Disputatoris officio fungi voluerit, agedum sententiam Poireti plenam cum ejus argumentis, præsertim prouti Tomo IV. (a) C. 7, 8. Oeconomiæ Poiretianæ proposita legitur, candidè producat, & ordine singula ejus membra argumentaque excutiat & refellat, siquidem poterit. Certus autem sum fore ut æternum probare nequeat Poiretum reum esse Enthusiasmi mali, etiam ut ille in Lutheranorum Libris Symbolicis depingitur, dum Parte III. Articulorum Schmalcaldicorum Articulo IIX. dicitur Enthusiastas esse spiritûs, qui jactitant se ante Verbum & sine Verbo Spiritum habere, & ideo Scripturam, sive vocale Verbum, judicant, flectunt & reflectunt pro libito, ut faciebat Monetarius &c. &c. Nec est cur multum exaggeret Jægerus, Poiretum de *immediatâ* Spiritûs S. illuminatione docuisse, nam satis ex dictis & ex omni Poireti doctrinâ patet eum hoc vocabulo non interventionem Verbi planè exclusisse, sed tantum cavere voluisse ne quis putaret Spiritum S. ita mediis conversionis uti, ut ipse essentiâ & vi suâ vivâ animas hominum non tangat; id quod contra Scripturam & naturam Dei est, quod etiam prolixius deduxit Germanus quidam Theologus Lutheranus, Daniel Schneider, in Tractatu Germanico Gissæ Hassorum (b) nuper impresso, cui nomen fecit: Modestum integrumque Schwenkfeldii Examen, solidaque Augustanæ Confessionis Defensio, (*Unpartheyische Prüfung Schwenckfelds und gründliche Vertheydigung der Augsb. Confession.*) Quid quod & Lutherus (c) ipse de *immediatâ* Spiritus S. operatione internâ ad Scripturam intelligendam necessariâ in Explicatione Cantici Mariani *Magnificat* dicti disseruit.

Spiritus S. immediata quo sensu rectè à Poireto asseratur.

(a) Ed. Lat. Libr. III.

(b) A°. 1708. pag. 49. &c.

(c) Vide & allata ex eodem suprà Libr. I. Vindic. §. 14. p. 228. 229.

14. Accedo nunc ad aliam tuam, Jægere, cavillationem, quâ scribere audes Poiretum corruptionem homini naturali inhærentem intimam ac omnimodam negasse, quia laudatus Poiretus hinc inde in scriptis suis affirmavit, Deum adhuc residere in animabus hominum. Saltem hujus cavillationis pudere debuisset Jægerum, nisi arrogantiâ excæcatus aut omnes homines præter se pro peponibus & fungis, omni sensu communi destitutis

14. (3) *In imputata negatione corruptionis innatæ contra doctrinam expressissimam Poireti.*

tutis habuisset, aut se tantæ auctoritatis credidisset, cui omnes, absque ulteriori examine cæca fide, assensuri essent. Vix assequi possum fando & cogitando audacissimam Jægeri impudentiam Poireto omnibus ferme paginis imò lineis innatam hominibus omnibus corruptionem inculcanti & exaggeranti, Pelagianam hujus corruptionis negationem tribuentis. Ut ausum hoc plusquàm sophisticum in apricum protrahatur, Poireti de corruptione humanâ peccatum primum secutâ & omnibus naturaliter connatâ doctrinam ipsissimis ejus verbis subjiciam. In secundo Poireti de *Eruditione Solida*, cujus Præfationem Jægerus adortus est, Tomo p. 417. hic articulus confessionis fidei Poiretianæ extat: „ *Natura hominis, inde à lapsu Adami, verè est fundus corruptionis infinitæ, unde nec ipse Deus ullam vel minimam boni micam elicere posset, nisi eandem in eum prius infunderet per misericordiam suam*; cui si homo resistat, natura ejus corrupta, pro impiâ conditione in quam lapsa est, nihil aliud poterit fabricare quàm omnis generis peccata, errata tenebrosa atque angentia, ac tandem consummatam ipsam æternam damnationem.“ Postquam Poiretus Tomo I. *de Solidâ Eruditione* p. 30. quartam hanc veræ Methodi inveniendi Verum legem adduxit: „ Agnoscendum esse cuique se corruptum esse, atque in eo statu veritatis acquirendæ incapacem, &c. “ quot sequentes implet paginas exaggeratione hujus totum hominem & omnes ejus vires pervagatæ corruptionis?

(*a*) Ed Lat. Libr. VI.

Tomo VII. (*a*) Oeconomiæ Capite III. §. 6. graviter admodum Poiretus corruptionem hominis considerandam proponit monetque. „ Iterum, inquit, dico nec unquam satis dicere possum nec Lector satis expendere (utinam oculi nostri satis essent acuti, corque nostrum satis sensibile ad probè intelligendum & sentiendum dicenda & expendenda hac de re) quod post peccatum omnes homines, quatenus ex Adamo peccatore descendunt, & antequam Spiritu Christi regenerantur, pulcris hujusmodi ad vitam æternam dispositionibus gaudeant, videlicet quod (1) sint socii, amici imò mancipia Diaboli, qui eos arctissimè comitatur, illorumque libertatem, spiritum, corda, affectus, imaginationem, sensum, motum, actiones, verba sibi tradita regit & gubernat; (2.) quod, etiamsi

„ tiamsi Satanas in eos quotidie magis corrumpendos non age-
„ ret, cor & desiderium eorum ex se fundus infernalis sit &
„ abyssus unde nil nisi abominatio fætorque evaporet, unde nul-
„ la cogitatio, quæ non sit Diabolica, nullus motus, qui non
„ sit perversus, pessimus & Deo exosus, provenire queat.
„ Nam cor humanum omnino æterna fœtoris est scaturigo,
„ omni tempore flammas impuras & infernales protrudens donec
„ à Dei gratiâ malitiosum illud cor interficiatur, & loco ejus
„ novum principium, novusque spiritus reponatur. "

Porrò Poiretus docet per Lapsum omnia planè bona in homine eversa ac extincta, nihilque omnino ex imagine divina reliquum mansisse, quicquid verò boni in hominibus deprehendatur, non ex ejus naturâ, sed ex merito Christi & partâ illo reparationis gratiâ esse, quâ de re ipsum loquentem audivisse juvat. Oeconomiæ (a) Tomo IV. C.VII. §. 9. „ Dico, inquit, (a) Libr. III. Edit. Lat.
„ omnem hominem inde à nativitate sua Legem Dei in se habe-
„ re. - - - Unde hoc? Effectusne naturæ corruptæ, lapsæ,
„ perversæ in Adamo est? Aliquidne reliquiarum, quas putant,
„ imaginis divinæ post Lapsum superstitum erit? Minimè: Ex
„ lapsu hominis nequaquam tantus thesaurus tamque pretiosus
„ reliquus est. Omne quod post Lapsum (docet l. c. §. 1.) in ani-
„ mabus corporibusque nostris, usque ad minimam boni & realitatis
„ scintillam, deprehenditur, quo ex statu infernali exemti vi-
„ demur, gratiæ divinæ, merito ac mediatione Christi acqui-
„ sitæ, in solidum acceptum ferendum est. Quævis bona cogi-
„ tatio, quivis bonus motus, omne gaudium, omnis ordo,
„ omnis animi pax, sanitas, nutrimentum, potus, verbo: quic-
„ quid non infernus nobis est, Jesu Christo debetur, qui por-
„ tat omnia verbo virtutis suæ. Quapropter & S. Paulus hor-
„ tatur ut in omnibus quæ facimus, gratias Patri in Jesu
„ Christo agamus, cùm sine hujus benedictione & gratiâ cun-
„ cta nobis infernus essent. "

15. Cùm hæc ita à Poireto inculcata sint, ut homines sibi humiliter diffidentes in omnibus auxilium Dei ardentioribus precibus sibi deposcerent nec quocunque bono superbirent, quâ fronte tu, Jægere, de Poireto scribis hunc corruptionem hominis negasse aut extenuasse, & aliquid boni homini quâ corruptus 15. *Lutheranos Doctores hic parum sibi constare.*

ruptus est & consideratur, tribuisse? Ubi candor, quem veræ fidei characterem laudas? Quâ fide præditus es, candoris (quod deinceps latiùs probabitur) expers? Consultius fuisset tibi si propria curasses, & communem Lutheranorum hac in parte doctrinam à contradictione & errore contra acutiores censores vindicare instituisses. Mox enim fervidè urgent hominem naturalem & extra gratiam reparationis consideratum nihil, nihil planè quocunque modo ad sui conversionem conferre facereve, nec ulla ratione se ad eam præparare posse: mox contrà docent, in homine naturali, non ex reparationis gratiâ, sed ex creationis dono, „ inesse reliquias quasdam Imaginis divinæ eum in fi-„ nem ut (quæ Gerhardi, pii alias, docti & laboriosi inter Lutheranos Theologi, in Articulo de Imagine divinâ, circa finem Capitis IX. p. m. 121. Edit. in folio, verba sunt) essent „ testimonia de naturæ nostræ, qualis à Deo condita olim fuit, „ præstantiâ, ut ex illis misericordiam Dei erga nos indignissi-„ mos peccatores discamus, atque in tabulis cordis nostri, vi-„ vis reliquiarum istarum literis, Dei bonitatem expressam le-„ gamus: Ut notitiæ illæ adhuc reliquæ sint rectrices exter-„ næ disciplinæ, quâ velut παιδαγωγίᾳ quadam Deus utitur ad „ instaurationem imaginis suæ in nobis per Christum: ut im-„ probi redderentur ἀναπολόγητοι, dum veritatem in injustitia „ detinent, Rom. 1: 20. eamque in mendacium commutant. „ ℣. 25. " Hucusque Gerhardus.

Nonne potiori jure, quàm quo tu in Poiretum irruisti, de Lutheranis dici posset eos suâ de reliquiis imaginis divinæ doctrinâ, corruptionem hominis naturalis elevare & homini naturali boni quidpiam asserere? Nonne satius ac Scripturæ & veritati convenientius esset, quæ de reliquiis imaginis divinæ dicuntur, omnia ad Gratiam Prævenientem, Scholis Lutheranorum aliàs probatam, referre; gratiamque operosam in genere cum Luthero per mobilem, operosum, vivum Spiritum Dei definire, quo facto cessabit omne, quod cavillatione tuâ Lectoribus objicere tentasti, glaucoma, ac si Poiretus corruptionem hominum negasset, asserendo in omnibus non ex naturæ bonitate, sed ex reparationis gratiâ, Deum operari ejusque Spiritum.

16. Dico

16. Dico Poiretum asseruisse Deum ejusque Spiritum modo indicato *operari* in hominibus; nam quod tu de propositâ ab ipso *habitatione* & *residentiâ* Dei in hominibus affers, non ita crudè ac simpliciter per Poiretum affirmatum est, utpote qui prolixè docuit, quæ quantaque inter generalem Dei in omnibus operationem, specialemque generali impulsui divino obsecundantibus obtingentem inhabitationem strictè sic dictam, differentia existat, quâ de re ejus Oeconomiam Tomo IV. (*a*) Cap. VII. §. 13. si placet, evolvere poteris, meliusque considerare dicta Scripturæ, quæ probandæ à se propositæ veritati adduxit, quam ipsi probatam non usque adeo indignatus esses, si videre voluisses eandem & B. placuisse Arndio, ut & hac in parte hunc inter & Poiretum pugnam vanâ & puerili quadam impudentia nequicquam fingas. Nam Arndius, ut suprà verba ejus retulimus ex Libri de Ver. Christian. II. Cap. 2. affirmavit internam Spiritus S. vocationem & invitis ac repugnantibus insonantem, eosque ad pœnitentiæ exercitia impellentem. Evolve Poireti Præfationem Apologeticam (*b*), & in Partis specialioris Membro III. numeroque hujus 13. hæc invenies sequentia: „ Post Lapsum Adæ Deus in hominis corde rursum accendit principia „ cognitionis & amoris divini, stimulos, sensus, motus & impulsus internos æquè ac externos, quibus eum ut sese dedat „ amori divino seque ab illo lumineque ejus incoli patiatur, per- „ movere allaboret. Hæc lex Dei interna, internaque vocatio „ est, in omnibus omnium hominum animis vi meritorum & „ intercessionis Jesu Christi perstrepens. " Nonne hæc Poireti verba eadem sunt, quæ Arndium suprà locutum audivimus? Qui idem Libri III. C. 15. ex Scriptura, Taulerum secutus, probat, Verbum æternum in homine intimè præsens esse, & indesinenter, etiam non statim auscultantibus loqui. Verba Arndii hæc sunt: „ Sciendum est Verbum æternum homini adeò „ propinquum esse intus ac in fundo nostro, ut non ipse ho- „ mo, suaque natura & cogitatio, non denique quodcunque „ dici aut excogitari potest, intimior, familiarior & penitior „ illi sit. Atque hoc æternum Verbum loquitur indesinenter in „ homine, qui tamen propter diabolicam cordis cæcitatem, „ ipsum non audit. Nam Diabolus hominem surdum facit per

16. *Quo sensu Deus in omnibus habitare dicatur à Poireto & Arndio.*

(*a*) Lib. III. Edit. Lat.

(*b*) Ea Vitæ A. B. præfixa est. pag. 131. Edit. Gallicæ.

„ suas inspirationes, amorem mundi & mundanorum: tentans „ eum hodieque, haud aliter quàm olim Evam, per ea omnia „ quæ novit naturæ nostræ allubescere, velut per facultates, „ honores, amicitias, naturam propriam, amorem & favorem „ creaturarum & infinita alia per quæ imaginationem nostram „ commovet & occupat. &c. &c. " Longè plura hujus generis in Arndio, qui sæpe, ut Poiretus, prævaricatores ad scrutanda corda sua exhortatus est, extant, quæ lubens sciensque brevitatis causâ prætereo.

17. (4) *De nonnullorum qui litera Evangelii carent salute speratâ.*

17. Quod dicis Poiretum statuere non opus esse ullo Verbi divini auditu, quia ille de quibusdam, licet literam Euangelii ignoraverint, bene sperare jussit; id iterum argumentum cavillationis tuæ omni solidâ ratiocinatione destitutæ est. Quæ enim consecutio? Quidam literam Evangelii ignorantes salvantur, ergò nemini ullo Verbi divini auditu opus est? Salutem quibusdam verbum externum planè non habentibus Poiretus asseruit; hinc tu conficis, eum velle id nec eis opus esse, quibus Deus illud largiri necessarium duxit, gratioseque constituit. Næ tu mirè cæcutis præ irâ & contradicendi studio immodico, qui non videas argumentatione tuâ à te propria vineta cædi! Lutherani tui infantibus etiam non baptizatis salutem in Christo obtingere credunt & profitentur, qui tamen infantes literam Evangelii neque sciverunt, neque per ætatem scire potuerunt, prouti iidem Lutherani etiam agnoscunt: Hac igitur suâ sententiâ, secundum tuam argumentandi methodum, statuunt, Non opus esse ULLO verbi divini auditu etiam iis, qui illud habent, facultateque audiendi & percipiendi gaudent.

18. *Non deesse inter Lutheranos qui de salute infantum Gentilium bene sperant.*

18. Quod de Gentilibus sine notitiâ literæ Evangelii salvatis adjicis, tibi non usque adeo mirum in Poireto videri debuisset, cùm Theologus inter Lutheranos celeberrimus J. A. Scherzerus in sui Systematis Loco VII. §. 2. p. m. 169, 170. de salute infantum gentilium bene sperandum esse cordatè & clarè conclusit, licet illi nihil de Sacramentis, neque de literâ Evangelii quicquam sciverint. Verba ejus ita habent: „ Quod omnes Gentilium infantes promiscuè sint damnati ut asseramus, prohi„ bent infinita Dei misericordia, universalis Dei voluntas sal„ vandi homines nisi obicem ponant, meritum Christi univer-

„ sale,

„ sale, Domini manus extraordinarie quoque salvandi non ab-
„ breviata, & preces Ecclesiæ ex mandato Apostoli (1. Timoth.
„ 2: 1.) pro omnibus omnino hominibus fusæ, & in universali
„ merito Christi l. c. ℣. 3. & seqq. fundatæ. Quæ frustra esse,
„ quis nisi temerè dixerit? Durum certè esset infantem genti-
„ lem absolutè damnare, eo quod non curaverit se ipsum bapti-
„ zari, quod tamen in ipsius potestate non fuit. Contemtus igi-
„ tur Sacramenti, quippe qui in eis locum non habet, eos
„ damnare nequit. Proinde nec cum B. Meisnero Anthropol.
„ Decad. 1. Disput. VII. Quæst. 2. p. 215. dubitamus, nec
„ cum Papistis eos planè damnamus; sed optimè de ipsis spera-
„ mus. Si enim Pater ille οἰκτιρμῶν ἐλεήμονι ὀφθαλμῷ respexit in-
„ fantes Ninivitarum, ne perderet eos morte primâ, quanto
„ magis parcet illis & custodiet à morte æternâ? Ita accuratè
„ ex Jonæ 4: 2. infert B. Dannhauerus Hodosophiæ fol. 1001.
„ seqq. Interim non ex absoluto aliquo decreto, nec extra Chri-
„ stum, nec sine fide salvantur, quotquot etiam extra Eccle-
„ siam salvantur. Nemo enim sine fide Deo placere potest (Ebr:
„ 11. 6.); nec abbreviata est manus Domini, ut extraordinariè
„ fidem in eis accendere non possit. „ Hactenus Scherzerus,
cui consentit Dannhauerus cum aliis.

19. In confesso igitur est inter Lutheranos talia profitentes, notitiam externæ literæ & historiæ Euangelii absolutè necessariam non esse, nec ejus ignorantiam simpliciter aliquos damnare. Hinc consequitur, Gentiles adultos omnes, eò quod tali ignorantiâ laboraverint, damnationi neutiquam necessariò accenseri posse aut debere. Cæterum pro possibilitate salutis quorundam adultorum eadem militant argumenta, quæ Scherzerus probandæ infantum saluti adhibuit, infinita nempe Dei misericordia, universalis Dei voluntas salvandi omnes homines, meritum Christi universale &c. Ac procul dubio in multorum adultorum potestate æquè non fuit Verbum externum sibi accersere atque non fuit in potestate multorum infantum Baptismum sibi procurare. Contemtus igitur Verbi, quippe qui in eis omnibus non fuit, eos damnare nequit. Nam licet plurimos illorum contemturos fuisse Verbum, si datum esset, non abs re suspicatus fueris, de omnibus tamen eo carentibus idem malitiæ affirmare nimis du-

19. Quorum rationes etiam pro possibilitate salutis adultorum quorundam valent.

rum imò temerarium eſſet. Chriſtus certè non fruſtra, (Matth. 8: 11, 12.) *Dico autem vobis*, inquit, *quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac & Jacob in regno cœlorum. Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Cùm verò filii regni, qui Verbum habent, ſint; qui hiſce, niſi qui illo carent, opponi poſſunt?

20. *Neque tamen inde ſequi quenquam ſalvari extra Chriſtum.*

20. Nulla enim cauſa eſt cur objicias, hac doctrinâ contra expreſſam Scripturæ literam ſtatui quosdam extra Chriſtum ſalvari poſſe; nam Scherzerus jam monuit hoc ex aſſertâ quibusdam Gentilium ſalute non ſequi, utpote quibus, quam conſequuntur, ſalus etiam omnino in Chriſto, & vi meritorum ejus, ac operatione parti nobis per illum Spiritûs S. obtingit. Tua enim mera confuſio eſt, hiſtoriam de Chriſto & Chriſtum, cum Spiritu ſuo ſuisque operationibus, pro uno eodemque habere, & ruinoſo huic fundamento ratiocinia non cohærentia inædificare. Salus æterna quibusdam extra hiſtoriam de Chriſto, hujusque notitiam, obtingere poteſt, imò re verâ v. g. ex confeſſione Lutheranâ, infantibus non baptizatis & gentilibus contingit: nulli tamen extra Chriſtum ipſum, extra ejus meritum, ac ſuam Spiritûsque ſui operationem. Hinc Poiretum ſupra audivimus monentem, quicquid boni homini inſit, illud omne ex merito & interceſſione Chriſti eſſe, qui extraordinariâ Spiritus S. operatione, accedente creaturarum libro, tales in animâ diſpoſitiones excitare poteſt, quibus efformandis Verbum externum, ubi eſt, inſervire debet, videlicet averſionem à mundo, & confidentem ac amoroſi deſiderii plenam converſionem ad Deum benignum & miſericordem; ſiquidem Gerhardus Lutheranus, ut ſuprà relatum, ſcribere non veritus eſt, Miſericordiam Dei, cujus cognitio ad ingenerandam fiduciam, in adultis ſaltem, neceſſaria eſt, quamque Euangelium clariſſimè explicat, etiam ex reliquiis, quas vocat, imaginis divinæ homini illuceſcere. Ubicunque autem, quocunque tandem medio & modo producta, mundum averſata confidensque fames ſitisque juſtitiæ adfuerit, ibi Deus ſe in Chriſto non poteſt non ut bonum ſummum ſummè ſatians manifeſtare (Matth. 5: 6. confer Act. 10: 35.); ac talibus hominibus vel in hoc vel in altero mundo etiam hiſtoria de Chriſto revelabitur. Pone tamen Poiretum, illosque qui

cum eo sentiunt, hac in parte errasse; iccirco neutiquam tam acerbè tumultuandum erit. Quid enim officiet propriæ beatitudini de alienâ ex charitatis consilio paulo benignius judicasse sperasseque? præsertim ubi prærogativa illorum, qui Verbum externè habent, gratè agnoscitur, usùsque illius pius ad sinceriorem ac fervidiorem pietatem, sub comminatione duplicis aliàs subeundæ damnationis, seriò inculcatur.

21. Adamata tibi, Jægere, confusio rerum uti naturâ diversarum, ita ratione probè distinguendarum, alia in Epistola tua sophismata, præter hactenus considerata, produxit. Eò pertinet querela tua in Poiretum effusa, quasi ille Filium Dei ex Adamo nondum lapso gloriosam humanitatem sibi assumsisse, ac in ejus animâ ex secuto lapsu gravissimos dolores profundamque tristitiam sensisse, statimque quâ Deus & Homo pro lapsis hominibus apud Patrem intercessisse, ac ei sic ita satisfecisse, hinc etiam hac ratione *Agnum ab origine mundi occisum* Apocal. 13:8. esse docendo, Christum ipsum unicum salutis Auctorem è medio sustulisset, totumque de eo agentem fidei & doctrinæ articulum, imo omnem Christianismi praxin evertisset. Hac verò querelâ inani & cavillatoriâ supersedere potuisses, modo cogitasses 1) Doctrinam de Christo, Christumque ipsum, 2) complexum scitu de eo necessariorum, ac particulares quasdam [notitias] de quibusdam statûs sui circumstantiis, 3) Scripturæ ipsius compaginem, & hujus vel illius sectæ aut Doctoris systema, diversa omnino esse. Doceas, quæso, evidentibus argumentis, (quia dixisse non sufficit,) Poireti opinionem de assumtâ à Filio Dei in Paradiso gloriosâ humanitate Christum salutis auctorem tollere è medio. Quî è medio sublatus dici potest, de quo aliquid affirmatur? Quæ alias de Christo agnoscuntur & creduntur generatim, opinione Poireti de particulari quadam circumstantiâ nequaquam evertuntur neganturve. Scriptura Filium Dei ex amore nostri veram, essentialem, nostræ, excepto peccato, similem humanitatem assumsisse in genere credere jubet; idem Poiretus credit aliosque docet, etiamsi in speciali temporis circumstantiâ peculiarem sententiam foveat, & in Paradiso jam assumtum doceat, quod alii demum quatuor mille annos post à Filio Dei ascitum credunt. Diversæ sunt Chronologorum de tem-

21. (5.) *De sententia assumta à Christo humanitatis in Paradiso. Eam Christum non tollere.*

tempore assumtæ ex Maria μορφῆς δούλου sententiæ, an iccirco ipsi huic ἐνανθρωπήσει essentialique ejus veritati aliquid decedit? Minimè. Sic nec Poireti de tempore assumtæ à Filio Dei humanitatis peculiaris opinio, assumtionem ipsam assumtumve lædit, aut in dubium vocat. Imò idem Poiretus omnia quæ Scriptura de κενώσει Christi, de ascitâ μορφῇ δούλου ac σχήματι σαρκὸς ἁμαρτίας tradit, amplectitur, ac, suo quidem aliorum etiam judicio, accuratius, quàm alii explicat, prouti in ejus Oeconomiæ Tomo V. (a) C. 2. seqq. videre licet.

(a) Libr. IV. Edit. Lat.

22. *Et praxi Christianismi nullatenus officere;*

22. Nec perspicere possum quid aut quomodo ea Poireti sententia praxi Christianismi officiat aut officere possit. Tota enim praxis Christianismi eò redit, ut homines gravitatem peccati pœnitentes agnoscant, magnitudinemque divinæ charitatis ac misericordiæ stupeant, Christique in merito, intercessione ac satisfactione omnem suam spem collocantes sincerâ & corda ab impuris cupidinibus purgante fide se ad Deum convertant, in posterum non sibi, sed Redemptori suo, Christo, & ad hujus exemplum victuri. Huic Christianismi praxi quid derogat Poireti peculiaris sententia? Nonne homines ad acerbiorem de peccatis dolorem commoventur, dum audiunt ex ipsis Jesu Christo jam à tempore lapsûs gravissimos obvenisse dolores animæ? Nonne fiducia & gratus amor magis accenditur & augetur, dum ostenditur hominibus Jesum mox post Lapsum pro eis intercessisse, Deumque ad gratiam flexisse, &, licet quâ humanitatem in μορφῇ Θεοῦ esset, tamen sponte se demisisse, ac in utero Mariæ μορφὴν δούλου superinduisse, inque hoc statu talia passum esse quæ eò acerbiora fuerunt humanitati ejus, quò magis illa antea omnibus aliis assueta in glorioso suo statu erat? Nonne hominibus quàm efficacissimè proponitur, quomodo, dum gloria divina promovenda, salusve proximi juvanda id requirit, abnegatis propriis commodis, honoribus, delectationibus, molestiam, ignominiam, ærumnas subire debeant, ubi audiunt Jesum Christum, Patris & nostri gratiâ, gloriosissimam, suavissimam, dulcissimam Humanitatis suæ conditionem alacriter abjecisse ad tempus, saccumque mortalitatis dolorosæ, ignominiosæ, laboriosæ induisse? Hæc doctrina totum fidei Christianæ systema in ipsis Scripturis nullatenus invertit, quamvis malè cohærenti quorundam conceptui ac scriptioni de

rebus

rebus divinis contrarietur, qui coactâ & distortâ veritatum ipsis quâ corticem ut plurimum tantummodo cognitarum, propositione, expositione, ordinatione vel potius confusione, Atheisticis ingeniis omnem veritatem ipsam rejiciendi ansam præbent.

23. Licet ea Poireti opinio praxi Christianismi apprimè quam proficua sit, non tamen ipse illam pro tali habet quæ ab omnibus recipienda, & sine quâ nulla vera Christianismi praxis futura sit. Nam Poiretus Oeconomiæ suæ (a) Tom. IV. C. 5. §. 8. ita scribit: „ Quibus persuasum non est illum, qui à Scriptu- „ ra Filius hominis, secundus Adam dicitur tunc, cùm homo „ labebatur, jam jam quâ humanitatem suam extitisse; id est, „ Verbum divinum, sive Dei Filium tunc nondum humanita- „ tem sibi junxisse; possunt, quæ deinceps de eo ac jam tunc „ humanitati re verâ unito dicentur, interpretari *sensu retroacti-* „ *vo*, qui emergit quando efficacia alicujus rei ipsam rei existen- „ tiam antevertens consideratur, quod fit cùm nos ad aliquid, „ respectu alicujus rei nondum existentis, certò tamen futuræ, „ permoveri patimur: nec Deo insolens, sed potiùs admodum „ frequens est, innumera futura ut jam actu præsentia respice- „ re. „ Sic Poiretus Lectoribus libertatem adoptandi aut repudiandi hanc suam peculiarem opinionem reliquit, monens tantummodo, ut homines memori mente tenerent merita humanitatis Christi etiam antè apud Deum valuisse quàm ea, ad illorum sententiam, ab illius Divinitate sit assumta, quò omnia ante Incarnationem Filii in Maria humano generi exhibita beneficia, Christo accepta grato animo referrentur; siquidem etiam iis, qui humanitatem Filii Dei mox ab initio mundi extitisse non credunt, ita, ac si re verâ extitisset, de ejus meritis cogitandum est ad praxin fidei dirigendam, veritatemque dicti Apocal. 13: 8. quali quali modo conservandam: quo ipso etiam magis patescit quàm nihil huic praxi persuasio de reali existentia humanitatis in Filio Dei ante lapsum, deroget.

23. *Imò nec à Poireto ut ab omnibus recipiendam urgeri.*

(a) Libr. III. Edit. Latin.

24. Ex dictis autem alia Jægeri cavillatio retundi potest, quâ illi, quia Poiretus suam hanc sententiam divinæ Scripturæ conformem, eatenusque divinam esse duxit, nugari libuit sequentia: „ Tu Dn. Poiret quia hanc sententiam pro planè divina habes, quamvis eam *tantùm* ex fœmina delirante hauseris, (Bu- „ rigno-

24. *Aliæ sophisticationes de eadem sententia retunduntur.*

„ rignoniam putat,) quàm infelix es si in talem Servatorem cre„ dis, qui purus est partus mulieris ambitiosæ delirantis, & tan„ tùm non phreneticæ! quàm vanè in illo spem tuam in praxi „ ponis, qui ex maleferiato cerebro ortum ducit, &c. &c! „ Mira hæc & nigerrimâ teterrimâque falsitate mixta sophisticatio est. Persuadere hominibus niteris quasi Poiretus tanti faceret suam de assumtâ à Filio Dei mox ex Adamo humanitate gloriosâ opinionem, ut in Christo *hoc modo considerato* solummodo omnem suam spem collocare velit; cùm tamen tu ipse, Jægere, paulò ante refers Poiretum hanc suam opinionem inter Propositiones Theoreticas saluti nostræ nec essentiales nec necessarias repositam voluisse, quemadmodum etiam verba ejus superiùs recitata docent, illum ex hac opinione neque salutem, neque praxin Christianorum & Christianismi suspendisse; potiùs monstrasse quod & quomodo utraque in iis, qui aliter persuasi sunt, esse possit. Poiretus igitur spem suam in Christo, præcisè sæpius dictâ ratione considerato, propriè collocare noluit; spes ejus non in circumstantiâ temporis, sed in veritate & merito ac satisfactione re verâ, quocunque demum tempore assumtæ à Filio Dei humanitatis nixa requiescit: hinc firmo stat talo, etiamsi in istâ circumstantiâ temporis & modalitatis cujusdam errasset. Quia Discipuli Christi (Lucæ 24: 13--26. collat. Matth. 16: 21, 22, 23. Lucæ 18: 34.) ex crassâ admodum ignorantiâ & in circumstantiis sanè gravissimis de Christo, deque modo præstandæ per eum redemptionis &c. secus, ac veritati consonum erat, opinabantur, ideone in vero Christo spem suam amplius collocatam non habebant, sed in Christo, qui stolidæ ignorantiæ, crassæ pigritiæ partus erat, toti miserandum in modum decepti, recumbebant suâ fiduciâ?

Ubi etiam legisti in Scriptis Poireti, se hanc suam de assumtæ à Filio Dei humanitatis tempore sententiam *tantùm* hausisse ex Burignonia? Poiretus quidem candidè aperit, fateor, Burignoniam ei ad agnoscendam hanc veritatem suo indicio præluxisse, sive facem prætulisse; ast insimul prolixè docet quot quantisque *Scripturæ* argumentis de ejus soliditate persuasus sit, & in amplectendâ illâ confirmatus. Evolve (*a*) Tomum III. Oeconomiæ Poiretianæ Caput XI. §. 16. & invenies hæc Poireti

(*a*) Edit. Lat. Libr. II.

reti verba: „ Proprio marte ad cognitionem harum veritatum „ non penetrassem, nisi lumina à Deo Sanctis quibusdam suis „ communicata mihi OCCASIONEM dedissent: libenter per„ sonam citarem quandam cujus mihi Scripta introductionis lo„ co ad penetrandum in principia solidissima cujusvis rei, fue„ runt, (Burignoniam putat); ast *solis Scripturæ testimoniis inhæ„ rebo quibus clarè ostenditur* sententiam hanc planè divinæ certi„ tudinis esse. „ Profert deinde Scripturæ dicta in quibus Christus toties Filius hominis dicitur, in quibus de viso Deo à facie ad faciem, de eodem à tergo conspecto (cùm facies splendidior, quàm cujus fulgorem acies oculorum mortalium ferre possit, existat,) de Christo ut primogenito omnium fratrum, agitur; & exponit quàm jejuna quámque distorta ejusmodi dictorum expositio non possit non esse, nisi hypothesis illa, quam tu in Poireto inficetâ cavillatione exagitas, assumatur. Oeconomiæ (a) Tomo IV. Cap. XVI. §. 3. seqq. plura Poiretus ex Scripturâ suæ opinionis argumenta profert: tu vero de his omnibus, quippe illis refellendis impar magis mutus quàm piscis, impudenter asseris Poiretum hanc opinionem ex Burignoniâ *tantùm* audiisse & accepisse, & à solidis ratiociniis vacuus nimbum convitiorum pessimorum & amarissimorum in Burignoniam civisse delectaris, eam delirantem, ambitiosam, tantùm non phreneticam vocitando.

(a) Lib. III. Ed. Lat.

25. Credo Jægerum recreatum non-neminis sententiâ illâ: *Qui semel verecundiæ limites transgressus fuerit, eum gnaviter impudentem esse oportet*; suo eam ipsius exemplo illustrandam sibi studiosè sumsisse. Etenim nisi frontem suam contra omnem pudorem egregiè indurasset, nunquam obsoleta scommata in Burignoniam, post editam à Poireto pro eâdem & operibus ejus præfixam Apologiam, repetere ausus fuisset, quippe cùm in istâ Apologiâ, sive Præfatione Apologeticâ, solidè demonstratum sit, quantâ cum injuriâ & quàm nulla cum verisimilitudine convitia talia in eam congerantur. Ab istis recoquendis te vel pro ipsâ in Libris de *Eruditione Solidâ*, quorum tu Præfationem alteram excutiendam elegisti, dicta, & locis in Indice ejus, litera B. sub voce *Burignonia* citatis legenda absterrere debuissent, si mens non planè læva fuisset. Ast tu, quasi nihil horum unquam prolatum sit, rancidis in illam opprobriis inveheris. Op-

25. *Uti & convicia in A. Burignoniam congesta.*

tarem ſanè ut tibi, me præſente, omnia illa in defenſionem Burignoniæ ſcripta prælegerentur, quò experirer an adhuc erubeſcere poſſis, cauſæ enim mihi ſunt non leves verendi ne res deſperata omnisque à te pudor exutus ſit. Scias interim velim, te non injuſtè ab amatoribus Scriptorum Burignoniorum pro indurato & malitioſo calumniatore haberi, donec argumentis ſolidis plenè probaveris omnia, quæ locis citatis in excuſationem & defenſionem ſæpius laudatæ Virginis contra calumnias tuarum ſimiles adducta ſunt, nullò fundamento niti, teque idcirco meritò inveteratis contra illam accuſationibus inſiſtere potuiſſe. Moneo verò, rumpantur ut ilia Momo, maximam Scriptorum ejus partem, in idioma Anglicanum tranſlatam, typis expreſſam extare, & cum illis Apologiam Burignoniæ, quæ & Belgicè verſa extat, publicatam eſſe; auctorque tibi, Jægere, ſum ac ſuaſor, ut & hanc Apologiam prius conſulas, omniaque ejus ſtabiliendæ innocentiæ Burignoniæ allata fundamenta, ſi vales, prius evertas, quàm in eâ convitiis proſcindendâ pergere inſtituas.

26. (6.) *De prætenſo diſſenſu Poireti ab Arndio in explicanda natura Fidei.*

26. Sophiſticè etiam ac cavillatoriè à poſitione unius ad negationem alterius argutaris, quando Poiretum accuſas eum longè aliter ac Arndius de fide docuiſſe. „ Arndius, inquis, de fi-„ de dicit, quod nitatur gratiâ & veritate Dei Patris & in me-„ rito ac ſatisfactione Chriſti. Tu contradicis, & Libr. V. p. „ 405. ais, fidem in Patrem eſſe tantum tyronum & incipien-„ tium, cùm Pater ipſe ſit ens deſideriosum; fidem verò in Fi-„ lium eſſe progredientium, quia Filius ſit principium illuminans, „ cùm etiam tenebras in Patre depellat; tertiumque gradum „ fidei eumque perfectiſſimum eſſe Spiritum S. qui ipſe ſit fides „ pacifica & dominans, & eorum in quibus Spiritus S. conti-„ nenter habitet. „ Hoc modo ſcribit Jægerus, verba & mentem Poireti ſcilicet relaturus; plusquàm veteratorio autem aſtu omnia confundendo, pervertendo, truncando turpiſſimè animos legentium fallit, fallereque ſtudet. Nam de depellendis per Deum Filium in Deo Patre tenebris argutatur, quaſi Poiretus fidem deſcribens dixiſſet: Filium eſſe principium illuminans, *cùm etiam tenebras in Patre depellat*; licet Poiretus de depellendis in Patre per Filium tenebris, loco quem Jægerus citat, ne verbulum quoddam, ſyllabamve protulerit. Talia verò in illo

loco

loco à Poireto fidem describente dicta fuisse Jægerus ideo fingit, ut omnibus ipsum Poiretum blasphemiæ in Deum Patrem crimen designasse, tenebras scilicet per Filium depellendas ei tribuendo, indirecto saltem persuadeat. Nisi atroci hac calumniâ Poiretum callidè onerare Jægero animus fuisset, verba mentemque Poireti candidius, incorruptius, plenius & minùs confusè repræsentasset. Poiretus siquidem loco per Jægerum citato fidei naturam & proprietates exponens, nihil planè, ut jam jam monui, de depellendis in Deo Patre tenebris habet.

27. Poiretus nusquam in suis Scriptis asseruit tenebras quasdam in Patre reapse extitisse: quæ autem Poiretus de concipiendo per abstractionem mentis charactere Personali Patris Scripturæ conformia philosophatus est, & ex quibus Jægerus calumniandi materiam arripuit, (*a*) Tomo II. Oeconomiæ C. 14. de Creatione §. 3. seqq. legenda extant, &, quantum huc spectant, sequentia sunt:

27. *Calumnia impacta de tenebris in Deo Patre verbis Poireti clarissimis refellitur.*

(*a*) Libr. I. Edit. Lat.

„ Ut distinctius specialiusque character Patris à charactere Filii & Spiritûs S. diversus innotescat, agedum concipiamus Patrem, quasi solus & absque Filio & Spiritu S. esset, sic enim intimus characteris sui, siquidem solus existeret, status apparebit. *Impossibilis equidem est Patris solius à Filio & Spiritu S. separati existentia, abstractione tamen mentis uti possumus*, quæ nisi enucleatius cognoscendo Deo inserviret, uti tamen omnino inservit, saltem animæ nostræ ad imaginem Dei creatæ expositionem juvaret. *Extra controversiam enim est in Divinitate Patrem, Filium & Spiritum S. ab invicem separari non posse.* - - - Consideremus igitur Patrem quasi solus existeret per abstractionem, *absit autem cogitare Patrem re verâ sub illâ formâ, quam abstractio mentalis sistit, unquam existere:* Solummodo fingendum quod, si Pater per impossibile solus existeret, ejus character talis futurus esset, qualem in abstractâ ejus quasi à Filio & Spiritu S. separati consideratione deprehendimus. Iterum dico non esse cur quisquam offendatur ejusmodi abstractâ Patris consideratione, quippe quæ aliàs in aliis rebus perquam familiaris & frequens sit &c. Quo statu futurus igitur esset Pater si à Filio Spirituque S. separatus existeret? Quid futurum esset de cogitatione vivacissimâ, activissimâ,

 „ vigo-

„ vigorosissimâ, si ea sui ipsius clarâ & luminosâ Ideâ, splen„ didâ imagine & repræsentatione vitæ, facultatum, actionum, „ virium & potentiarum suarum, id est, si Pater Filio, qui „ Scripturâ dictitante, imago Patris est luminosissima, omni„ no careret; (*a*) si eadem cogitatio, id est, Pater, Acquies„ centiâ in se ipsâ, amore sui suorumque bonorum, id est, Spi„ ritu S. destituta esset? Talis cogitatio in hoc statu procul om„ ni dubio tenebrosa & confusa nen posset non esse, sensuque „ violento & molesto, utpote requie & charitate infinitâ ca„ rens, inquietaretur inter dolores, afflictiones, tormenta, „ nauseasque. Talis emergit naturaliter character Patris, qui „ vitâ infinitè activâ & potenti gaudet, si ab illo Filius & Spi„ ritus S. separetur, illeque absque his abstractè consideretur.

„ Evidenter tamen patet Patrem hac formâ & à reliquis Per„ sonis, Filio scilicet & Spiritu S., separatum existere non pos„ se. Etenim qualis Deus, ejuscemodi principium tenebrarum, „ confusionum & dolorum infinitorum futurus esset? Id sanè in „ Deo re vera esse nequit! Qui igitur (quod Sociniani, in quos „ deinceps solide agit Poiretus, faciunt) omnem Divinitatem „ solo Patre, exclusis Filio & Spiritu S. absolvi putant, re ve„ râ illam destruunt sive negant, (*b*) Patrique suum lumen & „ gaudium denegantes, illum principium tenebrarum dolorum„ que infinitorum (*c*) faciunt: Qui porro Filium negant Pa„ trem ipsum dehonestant imò negant, ut verbis Scripturæ „ (Joann. 5: 23. 1 Joann. 2: 23) utar. „ Hucusque ipsum Poiretum solidè, circumspectè, reverenter, profundè de tantis rebus loquentem audivimus, cujus verbis Jægeri callida calumniandi libido satis retusa erit. Poireto sane eo gratiæ agendæ fuissent

(*a*) Pater, qua Deus simpliciter, est lumen: qua valens esse Pater, gignere Filium lumen, si eo luminoso Filio careres, careret desiderium ejus paternum lumine nato & cupito. Desiderium paternum cupiens lumen, & tamen (per abstractionem consideratum) destitutum lumine cupito, perinde est ac tenebrosum. Aliter: in Patre terminus à quo (desiderium Filii luminosi) sine termino ad quem (sine adeptione Filii luminosi ac luminis nati) est terminus luce destitutus.

(*b*) Supponendum est, ex Scriptura, quam admittunt, Deum velle habere Filium in quo acquiescat. Matth. 3: 17.

(*c*) Si nempe cupiens habere Objectum natum in quo perfectissime & deliciosissime acquiescat, (quod non potest non esse objectum æque perfectum ac Deus,) eo tamen destituitur.

sent quàm maximæ, quod characteres in Divinitate Personales dictos, de quibus aliàs vacuis sine mente sonis multum hinc inde disceptatum fuerat, perspicuè exposuerit, & Scripturis conformiter docuerit, quomodo Pater desiderio sui ipsius (in Filio exprimendi) æternùm teneatur, æternúmque imaginem sui in Filio producat, atque ex Filio & Patre æternùm gaudium reciprocum in Spiritu S. procedat, quæ omnia in Poireto ipso, & præprimis etiam in ejus *de Deo*, *animâ & malo* conscriptis Libris, prolixiùs deducta videri poterunt, ubi insimul inculcavit quàm essentialiter cuncta in Deo fiant, ne quis objicere posset Poiretum ex Trinitate modos quosdam accidentales tantummodo facere. Pro gratiâ autem Jægerus Poireto opprobia ingerit, huncque mutilâ, confusâ, perversâ & corruptâ suorum verborum & dogmatum allegatione omnibus exosum reddere conatur.

28. Propterea etiam reliqua, præter excussa hucusque, in proposita à Jægero Poireti de fide sententiâ, distorta & commixta apparent, &, uti Poiretus sollicitè monuit, quæ de fidei actu, quæ de fidei objecto, quæ de utriusque conjunctione intelligenda sint distinctim, licet quandoque iisdem phrasibus exprimantur, Jægerus cuncta in unum redegit chaos, ut ridicula & absurda videatur Poireti doctrina. Nam Poiretus (*a*) Tomo VI. Oeconomiæ. C. 4. §. 2. scribit sequentem in modum: „ Plures in pertractanda fide conveniunt res diversæ rationis & „ considerationis, exempli gratiâ, *Facultas* seu subjectum Fidei, „ *Actus* Fidei, *Objectum* Fidei, hujus *objecti Actus*, *unioque actuum* „ subjecti & objecti, sive ex horum actuum conjunctione & „ concursu resultans in homine illuminatio. Hinc mille milleque „ de fide pronunciatæ res, mox ad hoc, mox ad aliud ex recensitis, diverso sensu referendæ sunt. Hæc iterum monenda „ necessarium duxi, ne eadem continuè repetere quavis occasione cogar: Quilibet hîc dicta singulis specialioribus casibus, quâ decet ratione ipse applicabit. Exempli gratiâ, quando dicitur *Fidem esse ipsum Deum*, de OBJECTO fidei, quod „ illud nempe Deus ipse sit, ea phrasis erit exponenda: quando affirmatur, *fidem mori & extingui*, id de actibus fidei, horumque unione cum Deo ejusque operationibus intelligendum venit, &c. " Jægerus nihilominus, quasi nihil horum

28. *Quæ. P. in fide explicanda solicitè distinxerat, ea à J. perperam confundi.*

(*a*) Libr. V. Edit. Latin.

 à

à Poireto monitum esset, omnia confundit; & postquam in describendâ, ad mentem scilicet Poireti, fide, ab actibus facultatis fidei incepit, de desiderio fidei loquens, mox ad resultantem ex conjunctione subjecti & objecti fidei, illuminationem pergit, de collustratione fidelium per Christum verba faciens; ac tandem cum expositione objecti fidei finit, adjiciens, ipsum Spiritum S. Poireto summum fidei gradum esse; quasi verò Poiretus fidem descripturus, modo per Jægerum repræsentato quadrata rotundis miscuisset!

29. *Verba Poireti de Fide, huc spectantia.*

29. Non possum abs me impetrare, quin ipsa Poireti verba, quorum sensum & summam Jægerus retulisse videri vult, consideranda Lectoribus subjiciam, quò sophistica Jægeri ars meliùs innotescat. „ Fides, ait Poiretus Oeconomiæ (a) Tomo „ VI. C. 4. §. 66. est traditio fiducialis veraque desiderii, „ mentis cordisque nostri ac libertatis Deo facta, cui traditio- „ ni inseparabili nexu conjuncta est intima Dei præsentia desi- „ derium nostrum animantis, mentem illuminantis, cor tran- „ quillantis, omnesque animæ nostræ motus ad arbitrium Ma- „ jestatis suæ impellentis & flectentis. " Nonne hæc Poiretiana fidei descriptio eadem, quâ sensum, est, quæ Arndius, (cui tamen, si Jægero fides habenda, Poiretus hac in parte adversatur,) dedit Libri III. de Ver. Christian. C. 2. mox ab initio scribens: „ Veræ & vivæ fidei proprietas est Deo ex toto corde adhære- „ re, omnem suam fiduciam in illo ponere, se totum illi de- „ dicare, illius misericordiæ se resignare, cum illo se unire, „ in illo solo acquiescere, & internum suum Sabbatum celebra- „ re, nihil illo potius habere, nihil præter illum optare, nihil „ appetere. - - - Per hanc fidem, quæ soli Deo cor pandit & „ vacuefacit, optima pars eligitur, Deus cor possidet, in eo ha- „ bitat Christus cum S. S. Trinitate, quæ est utique pars illa „ optima, beatitudo inquam & vita sempiterna, hæc fides li- „ bero motu & spiritu omnia operante Deo in hominibus ad „ suum beneplacitum, facit, hoc est Deo se permittit, qui „ omnia ex gratiâ in nobis operatur. "

(a) Libr. V. Ed. Lat.

30. *Verba ejusdem de Fide diversis mo-*

30. Pergit autem Poiretus l. c. fidem, quatenus SS. Trinitatem secundùm cujusque Personæ characterem respicit, delineaturus hunc in modum loquendo: „ Credo in Deum Patrem,

„ id

„ id est, renuncio omnibus propriis & specialioribus cupiditatibus, omnemque desiderandi facultatem desiderio infinito & essentiali Divinitatis, Deo Patri trado, qui se mihi jungat ut ejus ope lumen Filii & pacem Spiritus S. dignis divina Majestate modis desiderare queam.

dis quamlibet Divinitatis personam respiciente; quæ vindicantur.

„ Credo in Deum Filium, id est, mentem meam vacuefactam Lumini Verbi æterni trado, quod me tenebris meis liberet, & incomprehensibili ac ineffabili, rationem & sensum superante modo collustret, prouti sacram suam humanitatem collustravit & gubernavit &c. &c.

„ Credo in Spiritum S. id est fundum cordis mei requiei & acquiescentiæ avidum trado omnis pacis & acquiescentiæ principio, quod in Divinitate est, Spiritui nempe S. qui se mecum uniens acquiescentiam Deo gratam operetur, atque suo in desiderium lumenque Divinitatis refluxu me ad Deum & in Deum propius usque adigat cum omnibus in me existentibus præprimis cum mea libertate. " §. 67. addit Poiretus: „ Notandum veræ fidei diversos status gradusque esse, qui omnes tamen commodè ad tria sequentia genera referri poterunt: Primus gradus & status est, Fides desiderans, quæ incipientium est & peculiari modo Deum Patrem respicit: secundus est Fides illuminans, hæc progredientium est & singulari ratione ad Deum Filium spectat: Tertius est Fides pacifica & dominans, quæ perfectorum est quos Spiritus S. habitualiter incolit. " Ex hactenus relatis fidelissimè Poireti verbis & institutâ eorundem cum relationibus Jægeri collatione, judicet æquus Lector de hujus viri mente fallaci, impudenti & cavillatoriâ.

31. Ignorantiam etiam ejus affectatam arguit, quod dicit quæ Poiretus de Fide diversis modis quamlibet Divinitatis Personam respiciente protulit, erronea & in Scripturis non fundata, ab ipso etiam Arndio rejecta esse. Aliter certè pronunciasset dummodo intellexisset aut intelligere voluisset, quid sibi velit axioma Theologicum in scholis etiam Lutheranorum resonans: (videatur Gerhardus LL. Theol. loco de tribus Elohim Cap. II. §. 39. p. m. 94, a. Scherzerus Systematis loco II. §. 29. p. m. 80.) „ Opera ad extra, quale quid & Fides nostra est, „ ita

31. Fidem in Verbo & gratiâ Dei inque Christi merito recumbere, non negat Poiretus.

„ ita esse tribus Personis communia, ut tamen ordo & *cujusque* „ *Personæ proprietas servetur*, atque relatè, quo scilicet ordine „ Personæ agant, vel ratione manifestationis, seu quo in opere „ quælibet se præ aliis manifestaverit, spectata (etiamsi inchoa- „ tivè & operativè communia sint; tamen) quoad modum o- „ perandi, denominativè, appropriativè, œconomicè & ter- „ minativè distincta existant; id est, uni Personarum hoc, al- „ teri alio modo & respectu, competant & accepta ferenda „ sint." Vi hujus axiomatis Fides, commune utique Trinitatis opus, singulis etiam Personis, pro peculiari cujusque charactere & operandi modo, singulari ratione adscribendum venit, Fideique erit uti totam Trinitatem generatim, sic quamlibet Personam pro speciali ejus manifestatione & charactere, speciatim apprehendere ac quærere. Pater autem, ut amorose desiderans Filium in Scripturis (v. g. Matth. 3 : 17.) sistitur, hinc &, quâ peculiarem hanc suam proprietatem, in condenda fide peculiariter operabitur ac se manifestabit desiderium Filii sui confidens in hominibus accendendo, quapropter etiam Joann. 6: 35, 44, fides ut tractus Patris describitur, & toto contextu ostenditur istum tractum Patris, nil nisi famem sitimque spiritualem, hoc est, vehemens obtinendi Jesu desiderium esse. Filius vel in uno libro N. T. plusquam sexcentis locis ut Lumen proponitur, eique illuminatio hominum appropriativè adscribitur; nonne & sic propriâ ratione circa fidem hominis occupabitur, & fide nostrâ, ut Lumen, quærendus erit. Quis nescit inprimis Spiritui S. pacem & acquiescentiam, hujusque in fidelibus operationem tribui? an aliter ac in Scripturis extat, in fide gignendâ & ornandâ efficax erit? annon fides, ut speciali hoc à Scripturis modo depingitur, eum respicere, quærere, eique specialiter se tradere debet? Totus Arndius exscribendus esset, si omnia stabiliendæ huic veritati inservientia hic congerere vellem: Lectores igitur ad ipsum remitto, satis habens indicasse quàm nihil intelligat in gravissimâ hac materia, aut quàm sinistrè dissimulet intellecta Jægerus, ut Poireto ægrè faciat.

Fallit etiam Lectores dum illis persuadere vult Poiretum negasse, quæ Arndius de Fide *in Verbo & gratia Dei & merito Christi* recumbente docuit. Nam hæc etiam Poiretus, licet non omnia

omnia in uno loco, confessus est & inculcavit. Evolvat Jægerus Indicem libri, cujus Præfationem oppugnavit & in ejus literâ F. reperiet hoc Lemma: *Fides nititur morte & satisfactione Christi* p. 73. In ipso Libro p. 26. scribitur à Poireto: „ Principium Fidei est credere videlicet & confidere iis, quæ nobis Deus de divinis, ut minimè adhuc visis ac comprehensis, enarravit, dum interim exspectabimus & desiderabimus ut & oculos mentis aperiat & divinum concedat lumen, ut ea, cùm ipsi libuerit, clariùs perspiciamus. &c. &c." Vides igitur Jægere, Poiretum æquè, ac Arndius fecit, docuisse fidem Verbo Dei, meritoque Christi niti: in fumum igitur, tuo magno cum pudore, abit & hæc tua hactenus excussa fallaciæ plena cavillatio.

32. Novum Sophistices tuæ specimen est, quando tu, quæ Arndius de *Baptismo* ritè & ad ordinem à Deo præscriptum usurpato & accepto disseruit, atque quæ Poiretus de hypocritico ejus abusu, quo quis operi, quod vocant, operato Baptismi aquæ salutem adscribere non dubitat, monenda duxit, opponis, quasi Poiretus Arndio hac in re contradixisset, cùm tamen uterque diversissimâ de Baptismo ratione dixerit, ad contradictionem autem requiratur ut de iisdem rebus, eodem respectu ab aliis alia dicantur & contraria. Cedo, quæso, locum ex Arndio, Jægere, ubi dixerit: Baptismum aquæ solum & per se ullam utilitatem afferre, ac quenquam servare. Nullum, certissimè scio, monstrare poteris, siquidem Arndius hoc neque voluit, neque, etiam ut Lutheranus, potuit crudo hoc modo docere. Nam in Catechismo Lutheranorum, & quidem ad quæstionem in Articulo de Baptismo tertiam, quâ inquiritur, quî aqua tam magnas res efficere, salvare videlicet, à morte liberare &c. queat, respondetur: „ Aqua certè tantas res non efficit. Sed Verbum Dei quod in & cum aqua est, & *Fides, quæ Verbo Dei aquæ addito credit.*" En! Jægere, Catechismus tuus te docere potest Baptismum aquæ solum & per se, id est, nulla accedente ex parte suscipientis fide verâ & non fucatâ, nihil cuiquam prodesse. Idem latius explicat Catechismus Lutheri major, in cujus expositione Baptismi hæc habentur: „ Citra fidem nihil prodest Baptismus. - - - Ubicunque fides

32. (7) *De Baptismo. Eum solum sine fide nil prodesse cum Poireto docent ipsi Lutherani ex Libris suis Symbolicis.*

„ fœcunda fructibus viget, hîc Baptiſmus non tantùm inanem „ ſignificationem repræſentat, ſed mortificandæ carnis opera „ conjuncta habet. " (Nam antea dixerat: „ Hæ duæ res, in „ aquam mergi, & iterum emergere, virtutem & opus Baptiſ„ mi ſignificant, quæ non ſunt alia, quàm veteris Adami mor„ tificatio, & poſtea novi hominis reſurrectio. Quæ duo per „ omnem vitam indeſinenter exercenda ſunt, ita ut Chriſtiani „ vita nihil aliud ſit, quàm quotidianus Baptiſmus, ſemel qui„ dem inceptus, ſed qui ſemper exercendus ſit. Ita enim fieri „ neceſſe eſt, ut ſubinde veteris Adami ſordes repurgentur at„ que eluantur, quò novi hominis nitor & forma prodeat. „ Quid autem eſt vetus homo? hoc ſcilicet quod ſumus ira„ cundi, immites, invidi, luxurioſi, avari, pigri, ſuperbi, in„ creduli, breviter omnibus vitiis contaminati, & in quibus „ naturâ nihil ineſt boni. Jam in Chriſti regnum delati, hiſce „ vitiis quotidie decreſcendum eſt, ut ſubinde magis atque „ magis mitiores, liberaliores, patientiores, manſuetiores fia„ mus, ſemper aliquid avaritiæ, odio, invidentiæ, ſuperbiæ, „ atque id genus vitiis detrahentes &c.) *Porrò autem abſente fi„ de nudum & inefficax ſignum tantummodo permanet.* " Numquid clarioribus & efficacioribus, quàm adductis Lutheri verbis, dici potuiſſet, Baptismum aquæ ſolum & per ſe, id eſt, non accedente fide verâ, nihil prodeſſe?

Quod autem Poiretus dicendo: Baptiſmum *ſolum & per ſe* nihil prodeſſe, indicare voluerit, eum *non accedente fide* nihil prodeſſe, ſole clariùs ex ejus verbis patefit. Nam ita loquitur: „ (*a*) Baptiſmum ſolum & per ſe nihil ſalutariter prodeſſe ne„ que ſalvare, extra controverſiam eſt; quandoquidem eo u„ tentes *mali* nihil exinde juvantur &c." Docere igitur ipſi animus eſt, malis hominibus & veram fidem reſpuentibus Baptiſmum ſolum & per ſe, id eſt, nullâ accedente ſuſcipientis eum fide, æquè non prodeſſe ſalutariter atque non profuit Simoni Mago Act. 8. Hanc Poireti aſſertionem tanti æſtimârunt olim Lutherani, ut ei contrariam, quâ Baptiſmus ſolus & per ſe, ex opere, uti loquuntur, operato, non accedente bono motu utentis, proficuus ſalutariter ducitur, atro carbone notaverint, interque fanaticos ac maximè noxios errores retulerint, Auguſtanâ

(*a*) Oecon. Div. Lib. IV. c. 5. §. 15.

stanâ Confessione & hujus Apologiâ testantibus. In illâ enim extant Articulo XIII. hæc verba: „ Damnant illos qui docent, „ quod Sacramenta ex opere operato justificent, nec docent „ fidem requiri in usu Sacramentorum: " In hac autem se- „ quentia reperiuntur: „ Hîc damnamus totum populum Scho- „ lasticorum Doctorum, qui docent quod Sacramenta non po- „ nenti obicem conferant gratiam ex opere operato, *sine bono* „ *motu mentis*. Hæc simpliciter Judaica opinio est, sentire, quod „ per Cæremoniam justificemur sine bono motu cordis, id est, „ sine fide. Et tamen hæc *impia* & *perniciosa* opinio magna au- „ ctoritate docetur. - - - Paulus reclamat & negat Abraha- „ mum justificatum esse circumcisione, (in cujus locum & jus Baptismum successisse Lutherani credunt, & ideo de hoc idem quod de illa dicitur, statuere tenentur;) sed circumcisionem „ esse signum propositum ad exercendam fidem. Ita nos doce- „ mus, quod in usu Sacramentorum fides debeat accedere, „ quæ credat illis promissionibus & accipiat res promissas, quæ „ ibi in Sacramento offeruntur. - - - Quantum autem in Ec- „ clesiâ abusum pepererit illa *Fanatica* opinio de opere operato „ sine bono motu utentis, nemo verbis consequi potest. - - Nec „ ulla litera ex veteribus Scriptoribus proferri potest, quæ pa- „ trocinetur hac in re Scholasticis. Imò contrarium ait Augu- „ stinus, quod fides Sacramenti, non Sacramentum justificet. „ & nota est Pauli sententia: Corde creditur ad justitiam &c. „ &c. "

33. Hisce publicis Lutheranorum Professionibus, (ad quarum mentem Poiretus planè docuit in verbis à te taxatis,) B. Arndius consona omnino protulit multis in locis quorum quædam producam. Libri I. C. 8. de Ver. Christian. scribit: „ I „ nunc, & quotidie vel decem conciones audi, & singulis men- „ sibus confitere atque communica. Frustra enim, frustra ista „ sunt omnia, & remissione peccatorum indigna; quia cor pœ- „ nitens, contritum & fidele, quodque hujus medicinæ capax „ sit, non adfers. Sunt certè Sacramenta & Verbum Dei re- „ media & pharmaca potentissima; sed non nisi apud hos, quos „ ex intimis sensibus peccavisse pœnitet, & qui assiduo fideli- „ que gemitu vitæ prioris ac veteris rationem detestantur." Li-

33. Arndio & hîc cum Poireto benè convenire.

„ bri II. C. 4. de Ver. Christian. Quod si dixeris, (pergit Arn-
„ dius,) te in Christum tinctum esse, habere Dei Verbum re-
„ purgatum, audire illud, accipere venerabile Cœnæ Sacra-
„ mentum, tum omnes Christianæ Fidei articulos credere &
„ confiteri: proindeque abesse non posse quin omnia tua opera
„ Deo placeant & salvandus sis, (sic enim plerique omnes ho-
„ die censent, istis modo dictis justitiam nostram circumscri-
„ bentes,) sanè non negaverim te rectè argumentari, sed illud
„ interim juxta cogitandum, an cor cum dictis congruat. *Abs-*
„ *que hoc enim omnia meræ nugæ sunt & hypocrisis.* " Nonne his-ce suis effatis Arndius cum Poireto docuit, Baptismum, & omnia in universum Sacramenta sola & per se, id est, nullo accedente utentium bono motu cordis veræque fidei, nihil salutariter prodesse? Cur tu autem, Jægere, contradictionem Arndium inter & Poiretum etiam hoc in puncto finxisti? Turpe sanè est tanto, quantus tibi videris, & ab aliis, ostentatione officiorum tuorum haberi vis, Magistro & columini Orthodoxiæ in Lutherano Israële, salubrem Lutheranorum, de nullo Sacramentorum per se, id est, non accedente fide, usu salubri, doctrinam nescivisse, aut oblitum esse, tamque atrociter in unum ex optimis Lutheranorum peccasse. Nam dum dicis Poiretum docendo: Baptismum per se solum, sive absque fide utentis, salubriter non prodesse, B. Arndio contradixisse, Lectores incautiores non possunt non opinari Arndium è contrario statuisse, Baptismum per se solum, nullâ accedente suscipientis fide, salubriter prodesse, & ex opere operato, quod vocat Augustana Confessio, salvare. Sic tu, Jægere, Arndium in suspicionem defensæ talis doctrinæ, quam tui Libri Symbolici impiam, Judaicam, perniciosam, fanaticam pronunciant, addusis, ut jam tuis de te exclamandum meritò sit verbis: *Quid tetrius de piissimo Arndio Theologo & Practico laudatissimo dici potest!* Ipse verò videris annon consecutione sat legitimâ fautor impiæ, Judaicæ, perniciosæ, fanaticæ opinionis pronunciandus sis, cùm Poireti sententiam de nullo usu Baptismi sine fide suscepti rejiciendo, contrariam adoptes opinionem, quam impiè fanaticam Libri tui symbolici apertè judicant.

Poiretus aliàs de Baptismo cum fide & cordis dispositione, qua-

qualem Deus requirit, suscepto & legitimè usurpato æquè magnifica, ac Arndius, fateri nullus dubitat, quemadmodum ex Scriptis ejus cuilibet patebit legenti. Nam Cæremonias ab hominibus bono consilio inventas in pio, fideli & pœnitente usu sine realitate fructuque haud esse multis ostendit, multò igitur magis confitetur Sacramentis à Christo institutis & ad ejus præscriptum fideliter celebratis ac susceptis maximam adesse utilitatem.

34. Quod denique de tempore suscipiendi Baptismi assuis, Jægere, partim tanti non est, partim longè aliter, quàm tu dicis, à Poireto propositum fuit. Poiretus equidem omnino in sententia eorum est, qui Pædobaptismum in primitivâ Ecclesiâ non obtinuisse, & sequentibus temporibus demum, non optimo cum consilio, introductum esse opinantur; (cujus sententiæ multi inter Protestantes fuerunt & adhuc sunt, neutiquam tamen propterea hæreseos legitimè damnati, jureve damnandi:) Nequaquam tamen asseruit cum Anabaptistis, quod, tamen Jægerus aliis persuadere de eo nititur, Baptismum inpræsentiarum infantibus administrari non posse, aut non debere; quin potius contrarium inculcat & Oeconomiæ (a) Tomo V. C. 5. §. 28, 29. disertè statuit, Deum nunc Pædobaptismum velle & adprobare, taxatque hinc inde Anabaptistarum contrariam opinionem & praxin, ut sapientiæ tolerantiæque inimicam. Iccirco Arndio & Poireto in re ipsa, baptizandos nempe esse infantes nunc temporis, convenit, licet idem illud non iisdem argumentis & iisdem ex causis adstruant, quæ verò in quibusdam circumstantiis discrepantia, consensum illorum in maxime essentialibus Christianismi amicissimum non elevat, multo minus tollit.

34. *Uti & circa Pædobaptismum quod ad rem ipsam.*

(a) Libr. IV. Ed. Lat.

35. Tu quidem, Jægere, jactas Arndium inter & Poiretum de Satisfactione Christi exemtoriâ pugnam esse contradictoriam; dicisque hanc Satisfactionem Arndium pro summo animæ suæ solatio habuisse, pro divinâ doctrinâ, pro medullâ Euangelii, illamque summo zelo suis inculcasse auditoribus; Poiretum autem eandem ut carnalem opinionem à veteri Adamo & carne inventam, multaque animarum millia miserè & perpetuò perdentem, traduxisse, ejusque Doctores, consequenter Arndium ipsum, seductionis pessimæ accusasse. Ast nihil horum, quæ tu contra Poiretum profers, Jægere, verum est, sed iterum veteratoria

35. (8.) *De Satisfactionis Christi abusu.*

Sophistices maleferiatæ fallacia apparebit, adductis Poireti Arndiique propriis verbis & sententiis invicem conferendis. Nam quæ Poiretus de carnali & Scripturæ contrario conceptu & abusu satisfactionis Christi, quem sibi peccatorum pessimi fingunt, ac quo se perdunt, retulit, tu ab illo in satisfactionem ad Scripturæ sensum per Arndium explicatam, & in salubrem ac ad mandatum Dei ordinatam applicationem ejus per Arndium itidem inculcatam, dicta esse fingis.

36. *Quæ sit ficta illa Satisfactio exemtoria quam P. rejicit.* (a) Libr. IV. Ed. Lat.

36. Poiretus Oeconomiæ (a) Tomo V. C. 3. §. 11, 12, 13. indicavit, qualem ab hominibus contra Scripturæ universæ constantes asseverationes fictam Christi satisfactionem exemtoriam, rejectam velit ut carnalem, & multa millia animarum perdentem; „ *talem videlicet quâ se homines ab officio agendæ per Dei gra-* „ *tiam pœnitentiæ & mutandæ in melius vitæ, fideique non fucatæ ab* „ *exercitio* EXEMTOS *& liberos*; nihilominus tamen, licet strenuè in peccando pergant, beatissimos putant. „ Hanc in corruptorum hominum cerebro carnalissimo natam Christi satisfactionem *exemtoriam* rejicit & damnat Poiretus, Lectoremque, loco Oeconomiæ suæ modo citato, ad Præfationem Apologeticam Burignoniæ Scriptis præfixam remittit, ut exinde clariùs discat & convincatur à Poireto nullam aliam, præterquam imaginariam & carnalem illam Christi satisfactionem exemtoriam, vi cujus homines se ab agendâ seriò pœnitentiâ *eximunt*, improbatam esse. In istâ autem Præfatione, & quidem in ejus specialioris Partis Puncto III. N° 14, 15. Poiretus mentem suam explicat hoc modo: „ Homines gratiam Dei admittere & ad offi- „ cium fidelitatis atque obedientiæ redire non poterant, nisi si „ (1) corda, affectus, occupationesque voluntatis à peccato „ (2) peccandique occasionibus avertere, abstrahere & revoca- „ re, atque (3) propter fragilitatem humanam amaritudines vi- „ tiorum fructusque sive pœnas eorundem accessorias gustare & „ perpeti volebant. De prima harum conditionum Scriptura „ verba faciens, peccatum sive veterem hominem cruci affi- „ gere, enecare, purgationem à peccatis exercere, illa ex- „ piare, ab iis se lavare, vim sibi facere, sibi mori jubet. Al- „ teram delineatura dicit, homines sibi ipsis renunciare & mun-

„ do,

„ do, abstinenter vivere, ex omnibus quantum pote, minimo „ contentos esse, ac necessitatibus vitæ tantùm inservire debere. „ Tertia, Scripturâ sacrâ indicante, est crucem tollere, pati, „ animadversiones Dei, & pœnas sive castigationem peccato „ convenientem, multùm tamen mitigatam, patienter subire. „ Omnia hæc & justissima & hominibus utilissima sunt; Justi- „ tiam & benignitatem Numinis decet, homines eis modis à „ peccatis purgare, & contra eadem munire. - - - *Injustum*, „ *impossibile*, *absurdum & impium est ab hisce*, *quantum satis est*, „ *efficiendis ac præstandis* SE EXIMERE *& oneri*, *quod nobis ju-* „ *re ferendum est*, *se subducere*, *omniaque hæc in alium conjicere* „ *velle*, *qui vices nostras subeat*, *ut ipsi nihil horum agamus*, *cunctis* „ *scilicet liberati & exemti*. - - - Injustum sive contra Dei justi- „ tiam, impossibile sive contra potentiam Dei, impium sive „ contra bonitatem Dei, absurdum sive contra Dei veritatem „ esset, *si Jesus Christus ita satisfecisset pro hominibus ut eos exi-* „ *meret & liberaret ab officio justissimè debito* satisfaciendi & coo- „ perandi justo, veraci & benevolo Dei desiderio, (suprà rela- „ tas pœnitentiæ conditiones scilicet præscribenti.) *Talis satis-* „ *factio substitutoria & exemtoria*, *quæ homines à præstandis condi-* „ *tionibus ad obtinendam & recipiendam gratiam suam præscriptis li-* „ *beret*, cùm contra veritatem & bonitatem & justitiam Dei, „ imò contra ejus quoque potentiam sit, everteretur sanè eâ affir- „ matâ totum Euangelium omnisque vera Dei cognitio. Con- „ tra hanc, inquit Poiretus porro Oeconomiæ, (*a*) Tomo VI. „ C. 8. §. 39. Diabolicam exonerationem sive exemptionem „ antea dixi & docui Jesum Christum nihil fecisse, passum me- „ ritumque esse, ut veterem hominem amore proprio anima- „ tum onere quodam levaret & eximeret; sed omnia ut ad eum „ subigendum & enecandum nos induceret. „

(*a*) Libr. V. Ed. Latin.

37. Vides jam clarissimè, Jægere, qualem satisfactionem exemtoriam Poiretus seriò & severè rejecit, nempe, quod supra dixi, diabolicam illam & in peccatorum cerebro natam, quâ carnales & securi peccatores se ab officio pœnitendi & se per vivam & veram fidem, gratiâ divinâ opitulante, ad Deum convertendi exemtos somniant. Arndione Poiretus diabolicam, id est instigante Diabolo fictam satisfactionem exemtoriam rejiciens & improbans

37. *Eandem ab Arndio non minus rejici.*

probans contradixit? Arndiusne ſatisfactionem exemtoriam, quæ homines ab agenda pœnitentia eximeret & à crucifigenda carne & enecando veteri homine liberaret, qualem Poiretus negavit, affirmare ſuſtinuit? Rogo te, per Deum immortalem, Jægere, an, quo in loco, quibus verbis talis ſatisfactio, qualem Poiretus inficiatus eſt, ab Arndio propugnata ſit? Abſit hoc cogitare! Arndius nunquam & nusquam hanc ſatisfactionem ſtatuit, ubique & ſemper oppugnavit eâdem mente imò iisdem ferè verbis, quâ & quibus Poiretus illam adortus eſt. Accipe Arndii hac de cauſâ ipſiſſima verba quædam, nam omnia adducere nimis longum foret. Libri I. de Verò Chriſtianismo Capiti octavo hoc præfixit Arndius ſummarium: „ Sine pœnitentiâ neminem poſſe ſi„ bi Chriſti meritum vendicare. „ Quid hæc aliud dicunt quam quod nullum meritum, nulla ſatisfactio Chriſti homines ab agendâ pœnitentiâ eximens ac liberans? In ipſo Capite, " Nihil, „ inquit B. Arndius, aliud eſt pœnitentia quàm per veram con„ tritionem doloremque peccatis mori, perque fidem remiſſio„ nem illorum obtinere, & juſtitiæ vivere in Chriſto; adeò ut „ in verâ pœnitentiâ præcedat neceſſariò ſeria divinaque con„ tritio cor dirumpens, carnemque crucifigens. *Quod niſi fiat,* „ *tum profectò meritum Chriſti nec hilum nobis prodeſt.* „ Poiretus „ dixit, nullum meritum, nulla ſatisfactio eſt pro illis, qui pœnitentiâ carneque crucifigendâ ſuperſedere cupiunt. Pergit Arndius: „ Iterum ergo, iterumque ad animum hoc revocetur, „ invitaviſſe quidem Chriſtum peccatores, ſed ad pœnitentiam: „ quia nimirum pretioſiſſimi ſanguinis, mortis ac meriti Chriſti cor „ pœnitens, contritum, anxium & fidele ſolum & tantùm capax „ ſit. - - - Neque enim poſſibile eſt ei peccata remitti, qui non „ dolet ſe peccaſſe, & qui adhuc peccare gaudet: tum verò ni„ hil ſtultius, nihilque magis præpoſterum eſt, quàm peccata „ tibi velle condonari, à quibus abſiſtere in animum non indu„ cas, aut Chriſti meritum ſibi aſſerere, ac interim in peccatis „ volutari, quæ Chriſto mortem conſciverint, &c. „

Eadem Arndius habet aliis ſuorum de Ver. Chriſtian. Librorum locis. Libri I. C. 21. „ Merito Chriſti, inquit, frui citra „ pœnitentiam nemo poteſt ſibi aſſerere: Deus peccatorum obli„ viſci, nec deinceps amplius ad animum revocare vult, ſimul

„ ac

„ ac modò peccator ad ipsum se converterit, (ut testatur Ezech.
„ 18: 21, 22. Esaiæ 1: 16.) hanc conversionem ceu conditio-
„ nem sine quâ non gravissimè populo commendans. Velut di-
„ cat: Vos qui peccata ex pacto promissoque condonari vobis
„ postulatis, agite, si vultis meque in jus vocate. Equidem re-
„ missionem peccatorum vobis promisisse non nego, verùm haud
„ aliter, quàm si vos priùs pœnitentiam egeritis. „ Libri I. C.
37. „ Unde sequitur si nobis anteactæ vitæ peccata remitti &
„ condonari postulamus, desistendum esse à peccatis, agendam
„ pœnitentiam, credendum in Christum: quod nisi facimus,
„ tum verò retinemus omnia prioris vitæ peccata, luendaque
„ illa sunt nobis in omnem æternitatem, nullâ spe expiatio-
„ nis. - - - Ex quo datur intelligere, quàm necessaria res sit
„ pœnitentia & vitæ in rationem meliorem commutatio! Quan-
„ quam enim Christus pro peccatis nostris mortuus est, luens
„ illa incomparabili sanguinis sui pretio, nos tamen meritum
„ istud non participamus, adeoque nihil nobis ipsum prodest,
„ nisi pœnitentiam agamus. Et utcunque singulis propter me-
„ ritum Christi omnium suorum delictorum venia sit promissa,
„ ea tamen ad incredulos & impœnitentes nihil pertinet; sed
„ ad illos duntaxat, qui vitam suam emendant; cùm æquissi-
„ mum sit ea peccata non remitti, quæ fugere in animum non
„ inducimus; sed ea duntaxat, quæ aliquando commisisse *ex*
„ *intimis sensibus* doleamus.

38. Poiretus quàm nulla sit satisfactio exemtoria ab agendâ pœnitentiâ liberans, efficaciter ostensurus, meritum Christi eoque partam gratiam divinam confert medicamento, quod, licet magnis sumtibus laboribusque à Medico paratum sit, nihil tamen prodest ægro, nisi istud hic assumere, se ab insalubri cibo abstinere, & præscriptas à Medico vivendi regulas sequi voluerit. „ Postquam, inquit Poiretus, Puncto III. N°. 18. in Præ-
„ fationis Apologeticæ Burignonianis Operibus præfixæ Parte
„ specialiori, Medicus quisquam bona medicamina summis cona-
„ tibus desideravit, quæsivit, obtinuit, præparavit, ægroto-
„ que propinavit, id sanè non eo fine fecit ut ægrotum ab offi-
„ cio eadem deglutiendi iisque conformiter agendi, semet pur-
„ gandi, temperanter vivendi, à noxiis se abstinendi & peri-

38. *Meritum Christi gratiaque eo parta medidicamento comparata à Poireto;*

„ culosa declinandi liberaret eximeretque ; è contrario autem „ licentiam appetitui in omnibus obsecundandi tribueret : Diligentia Medici potius ægrotum ad sumendum, ut ut amara „ fuerint, medicamina, ad vitam & diætam ad regulas artis „ compositam, ad abstinentiam à rebus noxiis & periculosis „ quamvis maximè desideratis & gratis inductum vult. Hisce „ omnibus se sub obtentu quod Medicus ex parte suâ officio „ suo satisfecerit, sanando morbo necessaria acquisiverit, subducere velle, perinde est ac Medico illudere, medicamina ejus „ ridere, illumque & hæc rejicere: talisque ægrotus dignus est, „ qui morbis & morti conficiendus & abripiendus relinquatur. „ Oportet igitur ægrotum & ex suâ parte officio suo *satisfacere:* „ nec ab ipso, satisfactionis nomine, requiritur ut medicamina „ acquirat, paret, mereatur, sibi offerat ipse ; sed ut ab alio „ acquisitis & oblatis legitimè utatur, ad Medici præscriptum se „ in omnibus gerens. „

39. *Itemque ab Arndio.*

39. Hisce Poiretianis ex asse consona tradit B. Arndius & Libri I. de Vero Christian. C. 8. ait: „ Etenim cùm Christus „ nostrarum animarum Medicum se profiteatur, unicaque & verissima peccatorum nostrorum medicina sit sacrosanctus illius „ sanguis; nulla autem quamvis pretiosissima medicina ægro salutem afferre possit qui à noxiis & efficaciam medicamenti „ retundentibus sibi non vult temperare; illud sanè relinquitur, „ Christi sanguinem & mortem nihil prodesse his, qui à peccatis abfistere animum non inducunt. Unde B. Paulus Galat. 5: „ 21. ait : *Quicunque talia opera carnis agunt, regnum Dei non* „ *consequentur*, neque Christum participabunt. „

Idem Arndius ejusdem Libri C. 34. pergit: „ Quemadmodum, inquiens, Medicus ægro dicit, cave hæc facias, si „ mori non vis ; nam vires & efficaciam medicinarum impedis, „ quò minùs sanitati restituaris : Ita Jesus Christus, verus animarum nostrarum Medicus, inquit : Mi fili, induc quæso „ animum pœnitentiam agere & à peccatis tuis, illâ superbiâ, „ avaritiâ, concupiscentiâ carnis, irâ, vindicta &c. desistere, „ aut certo certius morieris, nec panacea meriti mei tibi quicquam proderit, cùm illam impedias, quò minùs in te vires „ suas exercere & ad frugem pervenire possit. Equidem propter

hanc

„ hanc ipsam causam Apostolis meis præcepi pœnitentiam ante „ omnia prædicare, & ego peccatores ad pœnitentiam vocavi, „ quia impœnitens cor meritum meum non possit participare. „ Quam orationem animarum nostrarum Medici cùm æger audit, „ puta à peccatis absistendum aut pereundum esse, sanè abesse „ non potest quin, accedente ad complicatam animi sui notionem „ Verbo Dei, hoc ita se habere intelligat. - - - Nostrum ergo „ est, ægrorum more, Medici consiliis & præceptis morem ge- „ rere. Sicut autem ille initio morbum, quo conflictetur æger, „ significat, ita Deus peccata nostra patefacit; sicut ille quæ fu- „ gienda sunt ægro, ut medicina vires suas possit exerere, ita „ Deus, quæ declinanda sint, nobis indicat, ne medicina pre- „ tiosissimi sanguinis sui frustra sit &c. &c. „

40. Sole meridiano clarius jam patere puto nullam inter Arndium & Poiretum pugnam, sed ab utroque fictam ab hominibus carnalibus satisfactionem exemtoriam, quæ homines ab agendâ pœnitentiâ seriâ immunes præstet, eodem zelo rejectam esse, tantumque abest ut Poiretus Arndium pro deceptore habuerit, ut potius Arndius æquè ac Poiretus pro empæctis & deceptoribus duxerit omnes, quibus satisfactionem exemtoriam à Poireto explosam asserere volupe est. Ubi enim Arndius Libri I. C. 42. de Ver. Christian. repetiisset pœnitentiam prius esse agendam, quàm meritum & satisfactio Christi consolationi solidæ esse queat, adjicit monitum hoc: „ Quæ cùm ita sint, monendus „ mihi es, ne nunc hominum, quibus omnia alia videntur, fa- „ tua & frivola moreris judicia: Illudque tibi persuadeas, istos „ empæctas, genus hominum cæcum esse, & quod juxta cum „ ignarissimis naturæ suæ miseriam agnoscat, tum quod Adam „ & Christus ac quo modo ille in nobis mori, Christus autem „ vivere debeat, ne per somnium quidem aliquando viderit aut „ intellexerit &c. „

40. *Satisfactionis* illius *fictitiæ assertores ab utroque pro deceptoribus haberi.*

41. Ex dictis consequitur qua fide tu, Jægere, satisfactionem exemtoriam, qualem Poiretus repudiavit & Arndius improbavit, *medullam Euangelii* dixeris. Medulla equidem Euangelii, ast non Euangelii Christi, sed noviter illius à Diabolo excogitati est, in quod gravis ille inter Lutheranos Theologus Rostochiensis, *Paulus Tarnovius* peculiari oratione justâ ex indi-

41. *Euangelium novum à Tarnovio & Luthero dudum explosum.*

gnatione calamum ſtrinxit, Novumque Euangelium definivit *perſuaſionem à Diabolo ſuggeſtam, quâ homines, ut ut ſemper in vitiis perſeverent, ſalutem ob quales quales externas obſervationes opinionesque de merito & ſatisfactione Chriſti, certò ſibi promittunt.* Hujus novi Euangelii diabolici *medulla* eſt, ſatisfactio exemtoria Arndio & Poireto exoſa, & qui ex iſto novo Euangelio novus, id eſt fictus, proponitur Chriſtus, de quo Lutherus more ſuo, graviter & vehementer in Libro de Conciliis Tom. VII. Alt. p. m. 272. ſequentia ſcripſit: „ Ille Chriſtus nusquam & nihil eſt, qui pro „ peccatoribus poſt peccatorum remiſſionem à vitiis deſiſtere, „ novamque vitam amplecti nolentibus, mortuus ſit. - - - Cùm „ tamen Chriſtus non ſolam gratiam, ſed inſimul donum etiam „ Spiritûs S., abſtinentiam à peccatis æquè ac eorundem remiſ- „ ſionem acquiſiverit. Quisquis igitur à peccando deſiſtere no- „ luerit, ſed in malâ ſuâ habitudine perſeverare ſecum conſti- „ tuerit, ille alium Chriſtum ab *Antinomis* habeat neceſſe eſt: „ verus Chriſtus non adeſt, licèt omnes Angeli nihil niſi Chri- „ ſtum iterum iterumque ingeminarent, & miſer homo non „ poteſt non cum *novo ſuo Chriſto* damnari." Vide ergò, Jægere, cùm Euangelicus dici admodum geſtias, ne novi hujus à Diabolo excogitati & novum in fanatico cerebro natum Chriſtum promittentis Euangelii Doctor & Profeſſor ſis in tuam eorumque, qui te audiunt & ſequuntur, æternam perniciem. Deſiſte etiam in poſterum Arndio affingere quaſi ſatisfactionem exemtoriam, qualis à Poireto eliminata fuit, inculcaſſet, & homines intuitu ſatisfactionis Chriſti à pœnitentiâ exemtos ſtatuiſſet: quid enim, ut iterum tuis in te utar verbis, tetrius de piiſſimo Theologo & practico laudatiſſimo dici, quid mordacius & ſceleratius fingi poteſt?

42. *Quo ſenſu Satisfactio Chriſti vere ſit exemtoria; ex ſententia Arndii & Poireti.*

42. Caſtiùs longè Arndius de ſatisfactione Chriſti exemtoria locutus eſt, monſtravitque, homines utique, non equidem ab agenda pœnitentiâ, attamen à perpetiendis aliàs ſub irâ Dei pœnis æternis & temporalibus, ſatisfactione Chriſti, per veram & pœnitentem fidem excipiendâ, exemtos eſſe. Idem ſummo ſtudio Poiretus urſit, & ſatisfactionis exemtoriæ Scripturis conſonæ naturam, neceſſitatem, præſtantiam, veritatem, contra eam negantes Socinianos, accuratè, ſolidè, magnificè, ſeverè propugnavit.

Egre-

Egregia hac de re extant in Oeconomiæ Tomi IV. (a) C. 4. & 5. ubi inter alia C. 4. §. 20. scribit: „ Peccator *à pœna peccati æternâ & completâ liberari & eximi poterit omnino per meritum intercessoris substitutum*, qui misericordiam divinam commoveat, cujus justitiæ tamen integrum manet pœnas castigatorias, erudientes, emundantes, mortificantes, & à delictis futuris præservantes infligere, quantum scilicet opus erit &c. &c. C. 5. §. 8. Θεάνθρωπος Jesus Christus *Liberator* noster est. Sacra ejus humanitas, quâ corpus & animam se obtulit, ut Divinitatem ad misericordiam commoveret, pro omissis nostris officiis *satisfaceret*, veniam demeritorum nostrorum mereretur, gratiamque & quicquid ad restaurandum hominem opus, acquireret. Divinitas verò intercessione & *infinito Christi*, (quippe cujus humanitas Divinitati ejus unita & hinc tanti meriti erat §. 9.) *merito* flecti se passa est ad elargiendum & annuendum omnia ab ipso hominum in gratiam postulata, " Hisce Poiretus ad antiquam Theologorum regulam: *Humana natura in Christo passa est, Divina addidit valorem*; mentem suam de satisfactione Christi explicuit, & Oeconomiæ (b) Tomi V. C. 3. §. 9. clarè eadem repetiit: „ Dicimus, inquiens, Jesum Christum Divinitati personaliter unitum *meritis suis infinitis Justitiæ Dei* SATISFACIENTIBUS gratiam & veniam omnibus hominibus impetrasse. "

(a) Libr. III. Ed. Lat.

(b) Libr. IV. Ed. Lat.

Tantæ perspicuitatis atque efficaciæ sunt, quæ in Poireti Præfatione Apologeticâ Scriptis Burignoniæ præfixâ, Puncto III. n. 9, 10. Partis specialioris de hoc articulo extant, ut ea non possim non superioribus adjicere. „ Jesus Christus, inquit, Θεάνθρωπος coram Deo apparuit, & se medium homines inter Deumque stitit, pro illis intercessit, exauditus est propter dignitatem Personæ Deo æqualis, cui Deus quicquam denegare neque poterat neque volebat. Exinde patescit quomodo *Jesus Christus* SOLUS *meritus sit & satisfecerit*. Satisfecit sive, si ita loqui liceat, quantum satis est intercessionis ac officii adhibuit ad impetrandum hominibus gratiam & veniam. *Solus salutem hominum promeruit*. Hoc modo nullus præter eum quicquam meritus est aut satisfecit. Impossibile est aliquem hoc respectu aliter ac per solam intercessionem, sola merita

„ & ſatisfactionem Chriſti ſalvari. Omnis gratia divina per ipſum & intuitu ipſius nobis datur. Absque ejus interceſſione, „ meritis, ac ſatisfactione ſi fuiſſet, totum humanum genus „ irreparabiliter periiſſet. " Nec cauſa eſt cur triceris, Jægere, quod Poiretus quandoque de ſatisfactione ab hominibus præſtandâ egerit, quandoquidem ille tam apertè Oeconomiæ Tomo V. (*a*) C. 3. §. 13. expoſuit, „ ſe hac locutione nihil aliud „ niſi debitum agendæ pœnitentiæ & veræ fidei OFFICIUM „ indicatum voluiſſe ", quâ notione idem *ſatisfactionis* vocabulum ipſe adhibuit Arndius Capiti XII. Partis II. Libri ſui IV: de Ver. Chriſtian. hoc lemma præfigens: *Quâ ratione homo tantopere Deo obligatus poſſit* SATISFACERE.

(*a*) Libr. IV. Ed. Lat.

43\. (9) *De imputatione meritorum Chriſti. Et hic Arndium cum Poireto amiciſſime conſpirare.*

43\. Non contentus, Jægere, Sophiſticen tuam in pervertendo Poireti de *ſatisfactione* dogmate exercuiſſe, illam etiam in diſtorquendâ ejus de *Imputatione* meritorum Chriſti & Juſtificatione hominis doctrinâ experiri ſtatuiſti, omnes cavillationis nervos intendens, quò ſpeciem pugnæ Arndium inter & Poiretum exſculperes, irrito tamen rurſus conatu; nam & in hoc articulo, quâ rem ipſam, Arndius & Poiretus usque adeò amicè conſpirant, ut tu contrarium perſuadere utriusque verba vel per tranſennam aſpicienti nunquam poſſis. Poiretus Imputationem meritorum Chriſti ad Scripturam, ut ſanctiſſimam & graviſſimam veritatem, amplexus & confeſſus eſt; aſt Scripturæ ac ſaluti hominum è diametro contrariam, erroneamque de eâdem imaginationem horruit & execratus eſt: utrumque fecit B. Arndius. Audiamus, ut veritas innoteſcat, utriusque verba.

44\. *Imputatio fictitia à Poireto rejecta.*

44\. Poiretus fictam contra Scripturas imputationem declaravit, quando homines prætextu & obtentu ejus internam peccati exſtirpationem negligere, & ſibi imaginari auderent, ſe imputatâ alterius illorum vice functi puritate puros, Dei & cœleſtium bonorum reapſe capaces, ac in actuali ſtatu beatitudinis eſſe, etiamſi impuras cupiditates in ſe foverent, ac operari ſinerent. Imputatio quæ in fraudem internæ & externæ Sanctificationis & purificationis, ſevere & ſub comminatione æterni exitii mandatæ, & quotidie promovendæ, (videatur 2 Cor. 6:16,17,18. 7:1. Hebræor. 12: 14. Apocal. 21:27.) conficta eſt, ea imputatio à Poireto merito improbata fuit. In eam Oeco-

Oeconomiæ Tomi IV. (a) C. 17. §. 14. dicit: „ Quæro, u- (a) Libr. III. Ed. Lat.
„ trum malum in homine re verâ existens ab ipso separari &
„ extingui alterius substitutione, & puritatis alienæ imputatio-
„ ne; ac non potius subjective, realiter, intus ex propriâ eo
„ commaculatâ personâ avelli debeat? Nonne prius affirmare
„ absurdum, impossibile & contradictorium quid asseruisse esset?
„ Tenebris & vitiis non reapse in subjecto aliquo enectis ac tan-
„ dem eradicatis, omnis, quæcunque tandem esset, imputatio
„ efficere non potest, quin istud subjectum non inhærenter con-
„ spurcatum, impurum, peccaminosum, & sic, (vi videlicet
„ dictorum modò allegatorum,) ad fruendum Deo incapax sit.
„ Quicunque aliquem, (obtentu nempe imputationis justitiæ
„ & innocentiæ Christi,) obligatione immolandi & interficien-
„ di internum malum levare vellet, eundem certo certius salu-
„ te æternâ fraudaret, & in æternum exitium adduceret. "
Paulo post §. 16. l. c. pergit Poiretus. „ Multa, (ajens) cum
„ curâ & tenerrimâ cum affectione fovendo vigori veteris Ada-
„ mi hujusque vitæ conservandæ incumbi solet, nec capitur
„ crediturve illum, intus in nobis operante & Sacrificatoris &
„ Sacrificii Jesu Christi virtute, mactandum, operationibus-
„ que Jesu per lumen suum & fidei motûs sacrificium suum in
„ nobis perficere & firmare conantis obsecundandum esse. Con-
„ trà homines opinantur, Fidem speculatione & persuasione
„ fanaticâ, (qualem supra Libri Lutheranorum Symbolici in
iis, qui se externis rebus nullo intus bono cordis motu, sive
veræ fidei fundo, existente, justificandos putant, notaverunt,)
„ absolvi, vi cujus reapse se Deo offerre & malum in se macta-
„ re neutiquam necesse, sed credendum sit alium id hominum
„ vice præstasse, & ejus in hac parte laboribus *per imputatio-*
„ *nem* fruendum esse. Hæc profectò abominatio quædam de-
„ solationis est, quâ animarum sanctuaria Deo exosa redduntur
„ ac funditus evertuntur. Nam hoc modo tenebræ æternùm
„ in nobis vivant & vigeant oportet, quippe lumine Jesu Chri-
„ sti corda nostra pulsantis non realiter ac reapse intus dispulsæ
„ ac interfectæ. "

Quis non videt imputationem fictam & internæ purgationi inimicam, pœnitentiæque continuis exercitiis adversam, quâ

Christi merita homines sibi exterius arrogare volunt, ipsi verò Christo interius verâ fide se unire negligunt, peccatis inhærentibus pleni, omni virtute Christi cassi persistunt, à Poireto tantùm improbatam fuisse, cujus mentem Jægerus vel ex Libro eo, cui præfixam Præfationem adortus est, addiscere debuisset; ita enim p. 100. illius Libri (secundi scilicet *de Eruditione Solidâ* Tomi) Poiretus ait: „ Imputata justitia, quia non est pro illis „ qui operantur iniquitatem & committunt mendacium ac injustitiam, ideo non simpliciter, sed magna cum cautelâ est „ hominibus promittenda. Si quis à falso, à malis, à vanis, à „ se ipso suique regimine se averterit, seque dein totum cum „ omnibus facultatibus Christo tradiderit, hunc Christus receptum inhabitat, seque totum sic ei donat, ut totus Christus „ fiat ejus; lumina, motûs, regimen, propensiones Christi „ fiant ejus; tum omnia quoque cetera quæ Christus est & „ habet atque ab eo sunt indivulsa, sine ulla exceptione fiunt „ ejus. Et talem decet de justitiâ Christi imputatâ, deque omnibus Christi imputatis, gloriari ac persuaderi, siquidem hujus imputationis fundamentum sit ipse *Christus intus in nobis* „ *realiter ac inhærenter possessus, vivens, regens, operans, communicansque etiam quæcunque egit, meruit, possidet, & quicquid* „ *ipse est.* At extra hoc fundamentum veræ & inhærentis possessionis Christi ejusque Spiritûs, imaginari sibi imputationem „ justitiæ Christi nobis fieri, damnabilis est fallacia cordis, se „ ipsum & alios, ex amore proprio & adulatorio éque Satanæ „ instinctu, decipientis & ad inferos deducentis. Imputatio „ MERE externa, (Poiretus vult dicere imputationem meritis Christi extra hominem existentibus eo modo nitentem, quo omnis interna pœnitentia fidelis unioque cum Christo securè negligitur,) chimæra est omnium absurdissima & exitiosissima. „ Imputatio donatio est: donatio, præsertim si ab omnipotente Deo est, est infusio realissima Spiritus S. (Conferatur ad „ Titum 3: 5, 6, 7. omnino,) virtutumque efficacium Jesu „ Christi in cor hominis sese vera fide Salvatori tradentis. Verum amor proprius abhorret à Spiritu & virtutibus Christi, „ vult autem *tantùm* carere doloribus & pœnis peccatum sequentibus: Et hoc absurdùm privilegium, (id est imaginariam

riam licentiam peccatis constanter inhærendi, nec tamen pœnas eorum sentiendi, sed non interveniente seriâ pœnitentiâ hujusque exercitio æternis gaudiis fruendi,) appellat *justitiam*
„ *imputatam* ac imputandam sibi, amori proprio, inhærenter
„ injusto nebuloni quoad vixerit, ac in fine vitæ nescio qua vi
„ magicâ in probum ac virtute præditum mutando, imò im-
„ putativè justificando, ac etiam sanè eodem modo salvando,
„ inhærenter dum damnabitur in æternùm. *Consulatur*, pergit
„ Poiretus l. c. p. 101., *hac de materiâ* DIVINUS ILLE
„ ARNDIUS *de Vero Christianismo Libro II. & III.* & impri-
„ mantur cordibus nostris hæc verba Joannis 1 Epist. 3:7. *Fi-*
„ *lioli, nemo vos decipiat; ille justus est, qui facit quod justum est,*
„ *quemadmodum ipse Christus justus est.* "

45. Tu, Jægere, ipse Poireto judicii acumen tribuis singulare, nec eum pro plumbeo habes: omni autem judicio destitueretur, & plusquàm plumbeus esset, si Arndium, etiam in materiâ de Imputatione justitiæ Christi, pro divino Doctore habuisset, & ad hujus libros cùm primis in hoc puncto Lectores suos amandasset; hic verò Arndius in hac re contraria planè Poireto & talia docuisset, quæ Poiretus, ut veteris Adami inventa meritò oppugnanda judicat? An usque adeo stupidus est Poiretus ut in mentem Arndii penetrare nequiverit? Quis tibi obiter Poiretum ex Scriptis suis noscens, hoc credet? Utri vestrum magis fidendum erit? Propriæne Poireti confessioni Arndium vel in doctrinâ de Imputatione pro *divino* Doctore habenti, & doctrinam hanc ejus summopere ac magnificè probanti, aliis etiam commendanti; an tuæ relationi, & accusationi, *Arndium* propter suam de Imputatione doctrinam à Poireto, (contraria scilicet docente,) *virulentis conviciis proscissum & traductum* esse causanti, plus fidei habendum erit, præsertim ubi tu, Jægere, jam multoties fallaciæ & cavillationis manifestus fueris? Præjudicio autem hoc te non amplius premam: rem ipsam aggrediar, & docebo adducendis ipsius Arndii verbis, hunc à Poireto in materiâ de Imputatione non dissentire, sed cum eodem amicissimè conspirare, contrariamque tuam assertionem nihil veritatis in se habere.

45. Eundem Arndii doctrinam ea de re summopere laudasse, nedum ei contrarietur.

46. Poiretus inculcavit errorem pestilentem esse, si quis Im-

46. Imputatio-

nem pœnitentiæ & sanctificationi contrariam ab Arndio perinde ut à P. rejici.

putationem, quâ ab agendâ pœnitentiâ & suscipiendâ corda sanctificante fide liberetur & impunè in peccatis pergere possit, sibi fingeret. Idem Arndius statuit. Audiamus hujus verba. Summam totius VIII. Capitis in Libro primo de Vero Christianismo his expressit verbis. „ Sine verâ pœnitentiâ, (quam in ipso Capite idem dicit esse, ac per veram contritionem doloremque peccatis mori, perque fidem remissionem illorum obtinere, & justitiæ in Christo vivere,) neminem posse Christum „ & illius meritum sibi vindicare. " Nonne Arndius his dicere voluit: sine verâ pœnitentiâ homines frustra sibi imaginariâ imputatione blandiri? Queritur deinde in textu Capitis ipsius sequentem in modum: „ Sunt non pauci, quos etsi per omnem „ vitam peccavisse nunquam seriò pœnituerit, nec hilum ab i- „ râ suâ, ab avaritiâ, superbiâ, odio, invidiâ, hypocrisi & „ injustitiâ remiserint, quin potius magnis auctibus in illis pec- „ catis profecerint; audent tamen, QUÆ EST IPSORUM „ CÆCA ET DEPLORANDA IMPUDENTIA, remissio- „ nem peccatorum poscere, & meritum Christi sibi imputare, „ (*zurechnen*, id est, de imputatione illius gloriari.) Hi tales „ magno suo malo SIBIMET VERBA DEDERUNT, per- „ suasi à propriâ stultitiâ, esse se bonos Christianos, quia ni- „ mirum SCIANT AC CREDANT Christum pro ipsorum „ peccatis mortuum esse, & hoc medio se salvandos CONFI- „ DANT. Infelicem verò te & miserrimis modis fascinatum „ Pseudochristianum! Neque enim verbum Dei docet hac ra- „ tione, (id est, vi antecedentium, merâ externâ imputatione, sine interna veræ fidei pœnitentia,) vitam æternam obtineri, „ neque ullus Prophetarum aut Apostolorum ita est aliquando „ concionatus. Hæc verò, hæc illorum unanimis est sententia: „ Tu qui peccata tibi condonari postulas, priùs pœnitentiam „ age, ABSISTE à PECCATIS, & aliquando peccasse ex a- „ nimo & serio dolens, in Christum crede.

Libri I. C. 16. Arndius ait: „ Illud etiam atque etiam vobis „ persuadete, VOBIS UT VERE CONVERSIS & SERIO „ POENITENTIBUS, CHRISTI JESU MERITUM EF- „ FICACITER IMPUTARI, nævosque vestros illius perfe- „ ctissimam obedientiam occultare: HIC INQUAM MODUS,

HÆC-

„ HÆCQUE RATIO LEGITIMA IMPUTATIONIS ME-
„ RITI CHRISTI EST, cùm quotidie pœnitentia agitur &
„ *semper* à lapsu resurgitur. Quod cùm non faciant impœniten-
„ tes, carni suæ quidlibet indulgentes, & sub peccato regnan-
„ te constituti, nec proinde hi tales meritum Christi sibi pos-
„ sunt asserere. Nam SANGUIS CHRISTI PEDIBUS CON-
„ CULCATUS, MEDICINA ESSE NON POTEST." Libro I. C. 34. addit Arndius hucusque dictis porrò hæcce: „ Neque
„ enim, ne erremus, ad impios & verbi Dei contemtores im-
„ putatio pertinet, nec Christus nisi in pœnitentibus operatur.
„ &c. &c. "

47. Poiretus ursit, non satis esse externâ meritorum Christi imputatione tantum deliciari, sed intus insuper Christum verâ fide recipi oportere, & tunc demum quemlibet imputatione omnium, quæ Christus habet, egit & passus est, salubriter gloriari posse si intus Christum & Spiritum ejus efficaciter operantem possideat. Idem Arndius tantum non omnibus paginis, in primis Secundi & Tertii, ad quos etiam Poiretus appellavit, Librorum de Vero Christianismo adstruxit; ac non solummodo necessitatem unionis nostri cum Christo, si salvi esse & imputatione meritorum ac justitiæ ejus proficuè frui voluerimus; sed etiam ordinem ad eam perveniendi, pœnitentiam videlicet & fidem seriam, enixè commendavit, indiciaque unionis re verâ factæ, sensum internum operationum divinarum, & verè bona opera externa, perspicuè explicuit. Audiamus rursum verba ejus necessitatem unionis nostri cum Jesu intimæ, si verè meritorum & justitiæ suæ imputatione frui & gaudere placet, adstruentia. Libri II. Capite III. de imputatione meriti Christi & justificatione hominis docens vehementer urget unionem nostri fidelem cum Christo, siquidem omnia ejus nostra futura volumus. „ Sicut Pater noster cœlestis misericordissimus
„ ABYSSUM (inquit Arndius) SALUTIS NOSTRÆ ET JU-
„ STITIÆ in abysso suæ misericordiæ, in charitate perpetuâ,
„ in Filio suo charissimo, & denique in amabilissimo paternoque
„ suo corde collocavit; ita eandem FUNDAVIT IN PRO-
„ FUNDO CORDIS NOSTRI, INQUE PENITISSIMO ET ALTISSIMO ANIMÆ FUNDO, ut per novam LUCEM

47. Idem cum Poireto solam externam imputationem sine Christo intus vivente nullam esse docet.

„ & VIRTUTEM divinæ fidei, quam in nobis ipſe PER SPIRITUM S. accendit, ſola Chriſti juſtitia apprehendatur, & gratuito per eandem fidem imputetur doneturque, absque ullo reſpectu operum antecedentium vel conſequentium. Ac primò quidem, *quò* hac ratione HOMINEM AB INTRA ET EX IMIS ANIMÆ RECESSIBUS JUSTIFICET, QUEMADMODUM IDEM IN PENITISSIMIS ANIMÆ VIRIBUS FUNDITUS à SATANA INFECTUS DEPRAVATUSQUE EST. Secundò juſtitiam noſtram ex ſolâ fide proficiſci oportet, quia hanc Deus OPERATUR, & ut conſequenter juſtitia noſtra ſit ſolius Dei opus, non hominum externa & hypocritica actio, inſtar juſtitiæ Phariſaicæ, quæ externam tantùm ſpeciem habebat. - - - Quartò, ut Chriſti juſtitia per fidem noſtra efficeretur: quo ſanè conſilio fidem illam in cordibus noſtris accendit per Verbum ſuum & Spiritum S. ut per ipſum ineffabilem iſtum theſaurum participemus. Nam ſi dicas, (ait Arndius Libri III. C. 1.) & credas Chriſtum eſſe tuam juſtitiam, vitam & beatitudinem, etſi rectè te ſentire non inficiabor, (ex 1. Cor. 1: 13. *Act.* 4: 12.) illud tamen juxta tibi curandum monebo, *ut* CHRISTUM IN TE *habeas*, *hoc eſt*, *ab intra per fidem illum apprehendas*, tuumque facias, quoad perſonam & officium. Etenim ſi Chriſtus tuus eſt, ſequitur omnia tua eſſe quæ ſunt Dei. - - - Atque hoc pacto theſaurum tuum INTUS & INTRA te, NON EXTRA TE habere oportet, juxta illud Chriſti Lucæ 17: 21. *Ecce, regnum Dei intra vos eſt*, hoc eſt, Rom. 14: 17. *juſtitia, pax & gaudium in Spiritu S.* „

„ Fides (dicit porro Arndius Libri III. C. 3.) vera & ſalvifica Chriſtum Filium Dei cum omnibus gratiæ theſauris apprehendit (λαμβάνει,) præcipuè verò reconciliationem cum Deo, remiſſionem peccatorum, Spiritum S., omnia quæ Dei ſunt & vitam ſempiternam. Atqui hanc fidem qui habet, ei conſequenter mors, Diabolus, infernus ac mundus nocere nihil poſſunt, quia Chriſtum IN SE HABET, qui eſt juſtitia contra peccatum &c. &c. *Fides*, (dixerat Arndius, Libri I. C. 21.) *Chriſtum apprehendit*, inque illo & per illum Deum agnoſcit - - - *quo pacto* MIHI eſt DEUS omnipotens, MIHI

„ HI misericors, MIHI *æterna justitia per remissionem peccatorum*, MIHI item æterna veritas & sapientia. - - - *Christus justitia immutabilis.* 1. Cor. 1: 30. Atque hæc est vera Dei cognitio, quæ in fide consistit; nec mera scientia est, sed hilaris, viva & efficax fiducia, per quam Dei omnipotentiæ radios & INFLUXUS efficaciter suaviterque IN ME experior, sic ut ab illo me teneri & ferri, in illo vivere, moveri & esse me sentiam; divitias bonitatis in me palpem ac teneam &c. „

48. Hucusque Arndium percepimus docentem Imputatione meritorum Christi neminem, nisi qui & Christo ipsi intimè uniri vult & reapse unitur, salubriter frui posse, quamobrem Arndius etiam sollicitè Libro de Vero Christianismo secundo prolixè de ordine ad hanc unionem perveniendi, id est, de verâ pœnitentia, & non fucatâ corda purgante fide, ac de signis unionis, de sanctâ & ad Christi exemplum compositâ vitâ disseruit. Aliis piis inter Lutheranos Theologos eadem mens fuit, ex quibus suprà jam laudatus *Brochmandus* in Articulo de Justificatione Capitis I. Sectione II. p. m. 180. a. „ Cavendum autem hîc est, „ inquit, quàm diligentissimè, ne putemus, quod à justitiâ illa Christi, quæ nobis imputatur, non nisi EXTERNA quadam denominatione justi simus. Etenim nos, qui justitiam Christi fide fecimus nostram, INTIMIUS cum Christo quàm cum nobismet ipsis juncti sumus. Nota est γνώμη D. Pauli ad Galat. 2: 20. *Non vivo amplius ego; sed vivit in me Christus.* Quæ etiam Jesu Christi in homine per fidem habitatio non est otiosa; sed quàm maximè operosa, teste ipso Christo his verbis: *Ego sum vitis, vos palmites: Is qui manet* IN ME ET IN QUO EGO MANEO, HIC FERT FRUCTUM MULTUM: *Nam sine me nihil potestis facere.* " Et hæc de Imputatione Justitiæ Christi dicta sunto.

48. *Cum Arndio conspirant alii inter Lutheranos Doctores pii.*

Michael Neander, vir, judice Labbeo Jesuita, doctus, ast λυθερομανῶν, sive insano Lutheri amore percitus, in Theologiâ suâ Christianâ sub Titulo: *de Justificationis Mysterio*, hæc habet p. m. 453, 454, 455. " In Justificatione donum spectatur, hoc „ est, Christus, & applicatio seu fides apprehendens Christum, „ qui Christus adeò notus est, ut ne quidem Papæ & Diabolis

„ sit absconditus. Sed applicatio doni adeò est ignota multis, ut „ etiam optimi Scriptores & Doctores Theologi, quod dictum „ est, paucissimis exceptis, de eâ prorsus nihil intelligant, quod „ Lutherus per animam suam jurando non dubitavit affirmare. „ Nam ea est vera fides Christi, & in Christum, per quam „ membra efficimur corporis ejus, caro de carne & ossa de ossi- „ bus ejus, CHRISTO IN NOBIS vivente & nobis IN IPSO. „ Vivit autem & operatur, quomodo Θεοκίνητος Lutherus scri- „ bit, non modo efficacissimè, sed realiter, essentialiter & præ- „ senter, NON EXTRA ME positus, sed IN ME EXISTENS, „ vivens, operans & loquens, & omnia faciens; non existens „ speculative in nobis, realiter verò in cœlis, quomodo aliqui „ vanè & impiè speculantur & opinantur. Oportet namque, „ quomodo iterum Theander Lutherus docet, fidem & Christum „ omnino conjungi. Oportet nos simpliciter in cœlo versari; „ & CHRISTI ESSE *&* *vivere* in nobis & operari & omnia „ facere debet. Non operatur extra me positus Deus talia: in „ me debet esse, moveri, vivere & loqui mecum. " Hactenus „ Neander.

49. Monitum Lutheri ejusque sociorum de Imputatione meritorum Christi cautè proponenda.

49. Plus satis demonstratum jam puto à Poireto non aliam, quam quæ ab Arndio & aliis Lutheranorum piis Doctoribus rejicitur, rejectam esse imputationem imaginariam, quâ homines etiam pessimi sibi salutarem imputatæ Justitiæ Christi fructum promittunt, licet omnem pœnitentiam & unionem cum Christo refugiant & declinent, semper peccatis & sibi victuri.

Dum autem Poiretus loco suprà relato monuit, cautè proponendum esse dogma de Imputatione meritorum Christi, quid aliud fecit, quàm quod ante eum egerunt Lutherus & socii, Visitatores Ecclesiarum Saxonicarum, qui in sua Pastorum instructione, (quæ extat Tomo IV. Altenburgensi Scriptorum Lutheri p. 391,) seriò adhortantur hoc modo: " In doctrinâ hanc „ labem inter alia reperimus, quod etiamsi quidam de fide justi- „ ficante doceant, tamen non satis ostendatur quâ ratione ad fi- „ dem perveniendum sit, omnibus fermè partem Christianæ „ doctrinæ omittentibus, sine quâ tamen natura & essentia fidei „ intelligi nequeat. Christus etenim Lucæ 24. *pœnitentiam &* „ *remissionem peccatorum* simul prædicare jussit. Multi autem

„ mul-

„ multum hoc tempore de remissione peccatorum, parumque „ aut planè nihil de pœnitentia dicunt, cùm tamen sine pœni- „ tentia nulla peccatorum remissio sit, nec remissio peccatorum „ absque pœnitentia intelligi queat. Homines etiam prædicata „ remissione peccatorum, non verò inculcatâ pœnitentiâ, opi- „ nantur se jam jam peccatorum remissionem adeptos esse; quo „ ipso securi ac infrugiferi redduntur, erroreque & peccato in- „ quinantur omnibus præcedentibus erroribus & peccatis longè „ graviori, ut omnino iccirco verendum sit ne, quæ Christi est „ Matthæi 12: 45. prædictio, *novissima pejora evadant prioribus*. „ Propterea docuimus monuimusque Pastores ut, quod muneris „ sui ratio exigit, totum Euangelium, nequaquam verò UNAM „ TANTÙM EJUS PARTEM OMISSA ALTERA, proponant. Deus si- „ quidem verbo suo nihil neque addendum neque demendum vult „ Deut. 4: 2. Nostri temporis concionatores Pontificem, quia „ multa Verbo divino addidit, non immeritô taxant: Qui verò „ pœnitentiam non docent, magnam partem Scripturæ tollunt „ & auferunt; ac interea de licentiâ vescendi carnibus & id ge- „ nus aliis levioribus, (de quibus suo tempore ad repellendum „ tyrannidem & conservandum libertatem Christianam etiam di- „ ci posset,) perorant; quid hoc aliud est quàm, quemadmo- „ dum Christus (Matth. 23: 24.) loqui amat, *culicem percolasse* „ *& camelos deglutiisse?* Hinc monuimus ut diligenter & sæpius „ homines ad pœnitentiam adhortarentur, & ad seriò de pec- „ catis dolendum, reverendumque Dei judicium; ne maxima & „ summè necessaria pars Doctrinæ de pœnitentiâ omittatur; siqui- „ dem Joannes & Christus Pharisæos propter hypocrisin acrius re- „ prehendunt quàm vulgum peccatorum. Eodem modo Pastores „ in plebe communi graviora vitia castigare, ac, ubi ficta fuca- „ taque sanctitas jactatur, multo severius ad pœnitentiam im- „ pellere decet. „ Huc usque Lutherus cum Collegis Visitatoribus.

50. Ceterum uti Poiretus cum Arndio aliisque Lutheranorum Imputationem erroneam hujusque abusum noxium repressit, ita cum iisdem Scripturam sequentibus *Imputationem veram*, sanctam, divinitus revelatam & datam, nec non justificationem hominis, candidè, piè & solidè adstruxit, ut in rei essentiâ nulla differentia sit, licet Poiretus vocabula quædam accuratius exposuisse, & rem

50. *Imputationem veram & sanctam, hominisque per eam Justificatio-*

nem à Poireto solide adstrui.

rem ipsam meliori ordine digessisse, non tam sibi quàm quidem aliis videatur. Quod Arndius & alii Lutheranorum Justificationis nomine exprimunt, fundatam scilicet in Christi merito & Dei gratiâ, Non-imputationem peccati & Imputationem Justitiæ & satisfactionis Christi, sanctissimè & cordatè asseverat probatque. Oeconomiæ Tomo IV. (*a*) C. 7. §. 1--6. inter gratiæ per Christum partæ genera refert; primùm quod Deus propter Filii sui meritum & intercessionem peccata hominum dissimulare, id est, non imputare, sed, perinde ac si jam toti puri essent, suo Spiritu ad eos accedere velit malum in eis destructurus, quò summis deinceps bonis frui, & reapse beati existere possint. Oeconomiæ Tomo VI. (*b*) C. 8. prolixissimè distinctissimeque mentem suam de Justificatione, de Non-imputatione peccati & Imputatione Justitiæ & meritorum Christi exposuit, unde, quantum satis erit, expromam.

(*a*) Libr. III. Ed. Lat.

(*b*) Libr. V. Ed. Lat.

In laudati Capitis §. 6. & 7. docetur, quod quando homines coram judicio divino accusantur, & omni gratiâ ac bono indigni arguuntur, Deus propter imputatam Christi justitiam peccatum iis non imputet, sed eos eatenus absolvat ut dignos quibus offerantur bona sua æterna, suâque fruitione hominem ea recipientem beantia pronunciet. §. 15. asserit homini per oblatam Dei gratiam ad veram fidem, hujusque vi ad Deum converso, Justitiam Christi imputari, peccata reliqua non-imputari; potius his dissimulatis majorem gradum ac mensuram gratiæ ad ea magis magisque expellenda ac eradicanda donari. „ Deus in gratiam Filii sui Jesu Christi (inquit Poiretus) cujus sui Filii „ intercessiones & officia ad promerendam homini veniam in- „ terposita non potest non ratihabere, utpote meriti plena, „ hominem, peccatis olim commissis & infirmitatibus ad huc „ insitis non obstantibus, æquè capacem gratiæ & salutis ac „ si vel planè non peccasset, vel ipse, post commissa pecca- „ ta, ex sua parte satisfactionem merito intercessioni per Chri- „ stum factæ æqualem obtulisset, pronunciare dignatur. Sic „ vides, (pergit Poiretus,) Imputationem meriti & justitiæ „ Christi & in hoc puncto:" Hanc meriti & justitiæ Christi imputationem, & non-imputationem peccati, Poiretus necessariam ducit quousque aliquid peccati in hominibus adhuc exstirpandi

pandi ſupereſt; imò tradit, vel ſanctiſſimos hominum, ubi ad ſummum, qui quidem in hac vitâ obtineri poteſt, pervenerint puritatis & pietatis gradum, imputatione meritorum & juſtitiæ Chriſti usque adeò egere, ut absque hac imputatione ac juſtificatione verâ pace animi frui nequeant, nullâ illorum, licet maxima & ſinceriſſima ſit, probitate ad tranquillandam conſcientiam ſufficiente.

„ Datur, (ait Poiretus l. c. §. 35--38,) alia adhuc juſtificationis „ ſpecies, ſive ſummus juſtificationis gradus. Ad quos ſpectat, illi „ neutiquam injuſti, nec tales quos Diabolus accuſare poſſet; ſed „ omnino juſti & puri, nihilo minus tamen, non tam à Deo aut „ Diabolo, quàm à propriâ conſcientiâ usque adeò turbati ſunt „ accuſatione quadam, ut, niſi quo repelli poſſit iſta accuſatio in„ venirent, nunquam requiem conſequi valerent. Sancti enim a„ more Dei & juſtitiæ ejus pleni, ſecum reputantes quàm infinitis „ à Deo cumulati fuerint beneficiis; ex juſtitiæ zelo officiis divi„ nis in ſe collatis paria à ſe reddita vehementer optant, quia „ hoc juſtiſſimum eſſe ducunt. Interea in ſe nihil reperiunt quod „ aliquâ ex parte infinita, æterna, & incomprehenſibilia dona „ à Deo accepta æquaret. Horrenda inæqualitas inter ſua offi„ cia Deique munera ipſis apparet, (videatur Lucæ 17: 10.,) „ virtutesque ſuas minutias quasdam eſſe exiſtimant. Excruciat „ eos quod ſe indigniſſimos divinis beneficiis, attamen iis cumu„ latos videant. - - - In primis urit animum eorum recordatio „ olim commiſſorum delictorum à ſe debito modo non expiato„ rum, cùm ne milleſimam quidem partem pœnæ in ingratos „ erga Deum beneficentiſſimum meritò ſtatuendæ luerint. Jeſus „ Chriſtus autem benignè eis hac anxietate preſſis ſubvenit. Sen„ tentiam, quam in ſe tulerunt ipſi, confirmat ſuo equidem „ calculo, ac concedit illos ſat cauſæ in ſe ipſis habere cur pu„ dore ſuffundantur & inquietentur: Inſimul tamen addit quod, „ cùm ipſe in illis ſit, omnia ſua merita & facta etiam illorum „ exiſtant, quippe à perſonâ ſuâ inſeparabilia, - - - ut poſſint, „ quæ Chriſti merita & bona ſunt, ſua ducere, ac hoc modo „ Deo offerre. Id eſt quod ipſis pacem ac conſolationem affert „ plenam. *En igitur veram & ſanctam meritorum ac ſatisfactionis* „ *Jeſu Chriſti imputationem & applicationem!* „ exclamat tandem

„ Poiretus, cujus verba & sententiam hactenus percepimus.

Ex quibus per se claret quàm falsa sit Jægeri cavillatio, Poiretum Justificationem per Imputationem negasse; hujus assertores, ac inter illos speciatim B. Arndium, virulentis convitiis traduxisse audacter fingens: In Jægerum potius retorquenda est hæc accusatio; nam ille B. Arndium sat virulenter convitiatus est dum eum in suspicionem adduxit ac si rejectam à Poireto fictam Imputationem, quâ homines sibi, ob alienam Christi justitiam in suâ ipsorum propriâ injustitiâ sine pœnitendi studio consilioque pergendi licentiam tribuunt, asseruisset. Tertio igitur tuis ex te verbis quærendum est, Jægere; *Quid tetrius de piissimo Theologo & practico laudatissimo, quid mordacius & sceleratius dici fingive potest?*

51. *Justificationem Poireti declarativam -- nihil planè tribuere hominis merito.*

51. Ceterum candidè fateor Poiretum statuisse vocabulo *justificationis* non solùm Imputationem Justitiæ Christi & non-imputationem peccati, verùm etiam *declarationem divinam verè ac inhærenter per gratiam & meritum Christi justos pro talibus in suo judicio & in horum piorum conscientiâ pronunciantem.*

Hoc ipso verò asserto Imputationi & Non-imputationi nihil derogatum, neque justitiæ in hominibus à Dei Spiritu propter Christum effectæ quicquam meriti adscriptum, aut eâ præditos ad nitendum propriâ justitiâ coram Deo inductos voluit. Audivimus enim modò ex eo, vel justissimos se suâ per Spiritum Dei donatâ sincerissimâ pietate tranquillare non posse; sed in sanctè sibi imputatâ justitiâ Christi demum quietem & solatium plenum invenire. Et quod ad *meritum* hominum attinet, quoties non docuit, ac (præsertim (*a*) in *Cogitationibus Rationalibus de Deo, anima & malo*, ni me memoria fallit, nam liber ipse hæc scribenti jam ad manus non est,) demonstravit, homines operibus suis, quamvis sanctissimis, propriè nullo modo quicquam coram Deo mereri, ut hac in materiâ castior ipsis Lutheranis docuerit, in quorum Apologiâ Augustanæ Confessionis, sub Titulo *De dilectione & impletione Legis*, in Responsionibus ad Argumenta extant hæc non usque adeò accurata verba:

(*a*) Vid. Libr. III. Cap. XIII. §. XXVIII. cum Not. 18.

„ *Concedimus* OPERA VERÈ ESSE MERITORIA, *non re-*
„ *missionis peccatorum & Justificationis*; - - - *sed aliorum* PRÆ-
„ MIORUM *corporalium &* SPIRITUALIUM, *quæ redduntur*
„ *tum in hac vitâ, tum* POST HANC VITAM. (Formulæ Con-

„ cordiæ

cordiæ Anno 1580. Lipsiæ apud Johannem Steinmann in IVto. impressæ p. m. 121.) Si talia Poiretus protulisset, Vah! quibus clamoribus impetitus non fuisset! Credo etiam Lutheranos horum verborum puduisse; nam eadem in Editione Lipsiensi *Formulæ Concordiæ* Anno 1654. in 8vo. *sumptibus Viduæ Gothofredi Grossi & Hæredum Bartholomæi Voigtii* impressæ, non invenio; sed cum multis aliis, licet aliàs *invariatam Augustanam Confessionem* tantopere crepent, erasa, variata & mutata deprehendo.

Poiretus sanè in *Oeconomiæ* suæ *Tomo* IV. (a) C. 17. §. 19. clarè & præcisè hominibus omnem vim propriè quid apud Deum merendi derogavit, & soli Servatori nostro Jesu Christo asseruit. „ Dantur, inquit, in Sacrificio Christi diversæ qualitates, quarum aliæ cum hominibus communicari possunt, aliæ non item; quapropter curandum est, ne caro probè distinguenda pessimè confundat. - - - Exempli gratiâ, est in sacrificio Christi MERITUM infinitum, & MORTIFICATIO seu oblatio sui ipsius; nam Jesus se ipsum offerendo, infinitè meruit. Primum autem horum ab homine præstari non posse, id est, hominem MERERI, nedum infinitè mereri, NON VALERE, OMNI CARET DUBIO & extra controversiam est. „

(a) Libr. III. Ed. Lat.

52. Quapropter Poiretus nullum hominibus meritum tribuit asserendo: *Verè per gratiam Christi justos à Deo pro talibus declarari*; & hac declarativâ Justificatione affirmatâ Arndio nequaquam virulenter contradixit. Hic siquidem rem ipsam negare non potuit; sed illum concedere oportuit, à Deo homines pro talibus, quales re verâ sunt, haberi. Disertis verbis id concessit Brochmandus in Systemate suo, & quidem in Articuli *de Justificatione* Capitis II. Quæstione 12, ad interrogationem: *An bona opera vim habeant coram Deo justificandi?* inter alia ita respondens: „ De eo non movemus litem adversariis, an opera bona, „ in fide verâ à renatis facta, & à Spiritu Dei vocata ἔργα ἐν „ Θεῷ εἰργασμένα Joann. 3: 21. honorentur à Deo nomine justitiæ; & an, qui talia opera edunt, quatenus talia edunt, judicio Dei censeantur justi? Hoc enim si negaremus Scripturæ impudenter contradiceremus; Deut. 6. 25. Esaiæ 58: 7, 8. „ 2. Corinth. 9: 9. Lucæ 1: 6. 1 Joann. 3: 7. *Filioli, nemo vos seducat; qui exercet justitiam justus est.* Nec in eo volvitur

52. *Eandem non contradicere Arndio; à Brochmando verò disertis verbis concedi.*

„ quæstionis cardo : An Deus justificet, hoc est, justum cen-
„ seat & pronunciet causam bonam, rectam, justam? Hoc enim
„ qui negaret, & Deo laudem justitiæ derogaret, & Scripturæ
„ S. protervè obloqueretur. Psalm. 7: 9. 18: 21. 35: 24. 1 Sam.
„ 26: 23. Rom. 2: 9, 10. *Non negatur, quin homo ex operibus bo-*
„ *nis, tanquam certis fidei veræ notis & indubitatis signis,* JUSTI-
„ FICETUR. Hæc enim assertio totidem verbis tradita est à
„ Jacobo C. 2: 21. Quo in loco justificari ex operibus idem
„ esse, quod censeri & declarari justum ex operibus, tanquam
„ certis vivæ fidei notis, manifestum est è contextu. „ Hacte-
nus Brochmandus, cujus verbis Poiretus abundè contra crimi-
nationes, Jægere, tuas justificatur. Nam Poireto justificari ex operibus & inhærente sanctitate idem est, quod Brochmandus Scripturæ conforme, nec sine protervâ ejus impugnatione negandum censuit, videlicet, ex operibus & vivâ fide contra Diabolum injustæ hypocriseos, (Jobi 1: 6--12. 2: 1--9. Apocal. 12: 9--11.) accusantem à Deo justum censeri & pronunciari.

53. *Cum de re constet, de verbo inaniter litigari. Contradictio Formulæ Concordiæ & Confessionis Augustanæ.*

53. Pios internè à Deo ipso certos fieri se hujus filios, &, abnegatâ mundi corruptione & cupiditate, divinæ naturæ participes factos, & re verâ hæredes vitæ esse, quis negabit Lutheranorum prudentium & intelligentium quid Paulus sibi velit suis Rom. 8: 16. extantibus verbis: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei?* Quantum autem peccatum scilicet est, hanc intra hominem pronunciatam de hujus statu à Spiritu S. sententiam *Justificationis* nomine indigitasse! Brochmandus asseruit hominem inhærenter justum pro tali declarari, & eatenus ex inhærente justitiâ justificari; quid refert utrum res hæc intra vel extra hominem à Deo peragi dicatur, cùm in se certa sit & utrobique fiat? Te omnino, Jægere, si Libris tuis Symbolicis morem gerere, &, quod majus est, Scripturæ obsequi, quàm affectibus indulgere maluisses, decuisset, à captandis verbis & inani λογομαχίᾳ abstinere, & rem ipsam sobriè tractare ac spectare. Nam Apologia Augustanæ Confessionis de Dilectione & impletione Legis, in Responsione ad Argumenta adversariorum Formulæ Concordiæ p. m. 120. docet, in talibus inanem de vocabulo λογομαχίαν movendam haud esse; sed spectandum, unde piæ mentes certam spem salutis concipere debeant: Utrum

Utrum bona opera pacare possint conscientiam? Utrum judicio divino opponenda sunt ad vitam æternam consequendam? Poiretus, juxta cum Scripturâ & hanc sequentibus Lutheranis, uti fideliter relatum est, asseruit, pias mentes spem salutis ex Dei gratiâ in Christo solidè concipere, bonis operibus conscientiam pacare non posse; sed, omnibus etiam factis, indigere ad pacandam conscientiam imputatione meritorum Christi, suaque opera nunquam judicio Dei opponere, nec de merito suo gloriari debere aut valere: Hæc cùm Poiretus solidissimè adstruxerit, & in re ipsâ cum Lutheranis piis consentiat, cur tantas de vocabulo excitas turbas, Jægere? Præstitisset de accuratiùs efferendis tuis cogitationibus sollicitè dispexisse, rigidior enim verborum inter Lutheranos censor vix feret, quæ de fide justificante in imputatione satisfactionis Christi & in remissione peccatorum consistente, dixisti.

Ni sponte cæcutire voluisses, facillimo negotio mentem Poireti sanam in puncto de Justificatione perspicere potuisses, & animadvertere, sibi perinde esse, quibus quisque tandem verbis utatur, modo rem ipsam scitu necessariam teneat. Propositum siquidem fuit Poireto ex toto Scripturarum complexu ostendere & demonstrare, uti imputationem meritorum Christi, ita internam, Dei in Christo gratiâ efficiendam purgationem, sanctificationem, & fidelem frugiferamque cum Christo unionem veram & realem, æquè necessariam esse; cum hoc ædificium salutis sit illi, tanquam unico ejus fundamento, superstruendum (Eph. 2:20, 21, 22. 2 Corinth. 6: 14--18. 2 Corinth. 7: 1. &c.) Hinc porrò intulit Poiretus, neminem imputatione justitiæ juvari salubriter, nisi qui Christum ipsum in mentem fide purgatam recipiat; & non minus, omnium peccatorum eradicationem internam, quò tandem Deus omnia in omnibus esse, & hominem plenè beare possit, necessariò requiri, quàm continuam, quousque aliquid ex peccato in homine reliquum est, Non-imputationem peccati in Imputatione meriti Christi radicatam; siquidem sine ea *imputatione* & non imputatione homo æternum mancipium peccati & Diaboli futurus fuisset, & extra gratiam omnem: sine *sanctificatione* verò intimâ Deum videre idem non poterit: ita ut pari passu ambulent oportet imputatio & sanctificatio. Sin tamen tibi tanta de verbis cura sedisset, domi tibi affatim suppetiissent quæ digereres com-

poneresque, mi Jægere. Nosti enim quoties objectum *Formulæ Concordiæ* sit, eam in Articulo *de Justificatione*, quod usum & expositionem vocabulorum attinet, *Augustanæ Confessioni* & hujus *Apologiæ* contradixisse: siquidem in his vocabulum Justificationis sensu Augustini, (ad quem etiam, & præsertim ad ejus de Spiritu & literâ Librum provocant, (a)*suspicionem noviter excogitatæ expositionis dictorum de Justificatione Paulinorum ut à se amoliantur*,) adhibetur, in notione internæ mutationis, regenerationis & sanctificationis, (qualem sensum ab Augustino Justificationis vocabulo datum fuisse, magnus inter Lutheranos, nec immeritò, Chemnitius in sua de lectione Patrum Oratione fatetur;) illa autem, *Formula* nempe *Concordiæ*, inter errores damnandos ejuscemodi sensum & usum vocabuli Augustinianum retulit, quo de illius auso, jam olim Theologi Rostochienses, (testantibus Davidis Chytræi Epistolis,) graviter conquesti sunt. Sed hæc obiter & ὡς ἐν παρόδῳ!

(a) Videatur Articulus XX. Augustanæ Confessionis, & imprimis exemplar Germanicum.

54. *Mala Fides.* (1) *in allatis de P. fatente, se luminibus A. B. adjutum fuisse.*

54. Jam ad paulò diductius ostendendum me confero, quàm parum aut nihil honesti candoris Epistolæ tuæ insit, & omnia è contrario invisâ & malefidâ impudentis & imponentis falaciæ, ne quid gravius dicam, copiâ scateant, quod etiamsi ex antecedentibus attentiori liquere potuerit, tamen specialioribus quibusdam exemplis manifestius reddam. Nam suprà patuit quàm nugaciter & quàm falso, Jægere, asserueris Poiretum Arndio in gravissimis rebus contradixisse, *virulentis cum conviitiis insultasse*, hoc vel illud, cujus contrarium docuit, tradidisse &c. Sic porrò contra honestum candorem & bonam fidem est dum scribis, Poiretum apertè professum esse se è fœtidis fanaticæ Fœminæ, Burignoniæ lacunis haud pauca desumsisse: quasi verò Poiretus alicubi affirmasset se Bourignoniæ simpliciter cæcam in omnibus fidem addixisse, & cuncta ab illâ dicta, solùm quia ab istâ dicta essent, amplexum esse! Quo in loco autem Poiretus ea, quæ tu de eo refers, & eo quo refers modo, dixit ac professus est? Fateor Poiretum gratè confessum Burignoniam sibi suis Luminibus occasioni multa accuratius cognoscendi fuisse, Deumque eâ quasi instrumento ad se erudiendum usum esse; id tamen dicere non idem est ac profiteri quæ tu à Poireto apertèdicta fingis. Cæterum nescio quâ de causâ usque

adeò impotenter Burignoniæ maledictis & convitiis insultes, cùm ista in nullo te lædere potuit. Quia variis persecutionibus huc illuc pulsa fuit, tu eam vagabundam dicis: an igitur Apostoli etiam vagabundi fuerunt, ad instructionem Christi persecutionis tempore ex una in aliam fugientes urbem (Matth. 10:23)? Cur tibi in Poireto tam insolitum & multis opprobriis sarcasticè exagitandum videtur, quod Mulieris luminibus ad proficiendum in veritatis cognitione humilis uti voluerit? Nonne Apollo, homo in Scripturis potens & facundus, se à Priscillâ æque ac ab Aquilâ instrui passus est (Actorum 18:24. seqq.)? Vide annon Zelus imprudens & partialis te agitet! Poiretum corripis eò, quod mulieris informationem non aspernatus sit; sed quæ illa bona & Scripturis convenientia tradidit, in suos usus converterit: ARNDIUM laudas, Libros ejus de *Vero Christianismo* cum elogio probas, iisque à juventute delectatum te esse jactas, licet ipse Arndius haud pauca à muliere, quam tu, si non magis, saltem æque ac Burignoniam fanaticam & deliram pronunciabis, accepta suis de Vero Christianismo Libris inseruerit.

55. Nempe B. Arndius non dubitavit è Scriptis & Vitâ Fœminæ devotæ, *Angelæ* scilicet *de Fulginio*, perquàm multa seligere, iisdemque alterum suum de Vero Christianismo Librum ornare. Vitam & Scripta seu doctrinam hujus Angelæ de Fulginio Poiretus sub Titulo *Theologiæ Crucis* (*la Theologie de la Croix*) edidit linguâ Gallicâ: hujus Editionis citabo paginas, (*a*) quas evolvere, & cum iis, ex Arndii secundo de Ver. Christian. Libro etiam notatis locis, conferre, ac deinceps videre poteris quàm planè non iniquum neque sibi ignominiosum duxerit Arndius, quæ bona sunt etiam in Muliere eligere & probare. Hunc in finem confer ex

55. *B. Arndium non dubitasse ex scriptis feminæ suis multa inserere.*

Edit. Lat. Angelæ.	*Gall. Theologiâ Crucis.*	*Arndii II. Libro de Vero Christianismo.*
Cap. 57, 58, 59.	Pag. 26 - 45. - - -	Caput XIII.
Cap. 61. - -	Pag. 50 - 55. - - -	Cap. XIV.
Idem Cap. 61.	Pag. 59 - 75. - - -	Cap. XIIX.
Cap. 62. - -	Pag. 102 - 113. - - -	Cap. XX.

Cap.

(*a*) Superadditæ nunc sunt Editionis Latinæ Coloniensis anni 1601. *Capitum* Vitæ *Angelæ de Fulginio* Citationes.

Edit. Lat. Angela.	*Gall. Theologiâ Crucis.*	*Arndii II. Libro de Vero Christianismo.*
Cap. 63. - -	Pag. 116 - - 125. - -	Cap. XXI. XXII.
Cap. 64. & Cap. 65.	Pag. 129, 130-134. 139, 158, 159. -	Cap. XXIV.
Cap. 66 & 68.	Pag. 166, 167, 392. - -	Cap. XXV.
Cap. 20. - -	Pag. 260 - - 264. - -	Cap. XXVII.
Cap. 57. - -	Pag. 22 - - 26. - -	Cap. XXIIX.
Cap. 21. - -	Pag. 266 - - 267. - -	Cap. XXX.
Cap. 22. - -	Pag. 268 - - 271. - -	Cap. XXXI.
Cap. 23. - -	Pag. 272 - - 274. - -	Cap. XXXII. XXXIII.

56. *In exaggeratione eorum quæ de Osiandri contra Arndium actitatis scripsit.*

56. Neutiquam bonæ fidei, sed contra eandem honestumque candorem est dum, quæ Poiretus de virulenter per OSIANDRUM oppugnato ARNDIO scripsit, exaggeras; nec tamen indicas, quibus Auctoribus Poiretus hæc de Osiandri in Arndium actionibus didicerit, ut scilicet Poiretus (*a*) solus pro severo Osiandri censore habeatur à legentibus tuam Epistolam. Annon in Libro Poiretiano, cujus Præfationem Epistola tua aggressa est, in Tomo II. *de Eruditione Solida* &c. p. 181. seqq. legisti, Poiretum suæ de Osiandri factis scientiæ Auctorem laudare WERDENHAGII JCti. celeberrimi Librum VI. C. 4. Quæst. 14. *Synopsis de Republicâ.* Credo me bonâ tuâ cum gratiâ, Jægere, dicere posse, (saltem spero Lectores omnes quæ dicturus sum approbaturos,) JOANNEM AFFELMANNUM, Theologum Lutheranorum Rostochiensem, auctoritate tibi parem esse. Hic Affelmannus autem, referente Werdenhagio & ex hoc repetente l. c. Poireto, longè aliud, atque quidem tuum est, de Osiandri contra Arndium actitatis tulit judicium. Nam tu dicis, Osiandrum Arndii *quasdam* (*b*) *phrases bonâ*

(*a*) Imo Poiretus non sponte sua, sed clamosis adversariorum Jægeri similium calumniis contra Librum suum *de Educatione liberorum* eò compulsus est, ut ad Libri sui tutamen, ostenderet insigni exemplo vel optimos probissimorum Auctorum libros fuisse calumniis impetitos, ac tantum non obrutos, ab aliis ejusdem Religionis auctoribus non parum conspicuis. Erat autem L. Osiander (adversarius ille Arndii) suo tempore non celebris tantum, sed & D. Jægeri Prædecessor in officiis Academicis & Ecclesiasticis Cancellariatus, Professoratus Theologici &c.

(*b*) Imo res ipsosque libros. Audi, præter sequentes, & Micrælium Histor. Eccles. Libr. III. Sect. 11. *Non uno modo libri ejus* (Arndii) *lectores affecerunt, aliis, ut*

nâ intentione acriter perstrinxisse pio ex Zelo. An verò *pius Zelus* cum *mendaciis*, *superbiâ*, *impietate*, *criminibus falsi* consistere in uno subjecto poterit? Nam horum vitiorum reum Osiandrum in pugnâ contra Arndium factum esse asseverat Affelmannus sequentibus verbis: „ Optimum ARNDIUM ab O-„ SIANDRO exceptum judico *pessimè*; pacificum, *schismatice*; veracem, *mendacissimè*; humilem, *superbè*; & ut verbo „ dicam, pium *impiè*. Quis non miretur insulsas & elumbes „ Osiandri consequentias? Quis non *crimina falsi?* Quis non e-„ jusdem commatis alia peristragula, quæ ubique prominent ut „ in Æsopi asino auriculæ? Candori, modestiæ, doctrinæ piæ „ jam ante Osiander nuntium remisit in certamine cum Gissen-„ sibus. Mirum ergò non est, in eristico scripto contra Arn-„ dium vix ulla candoris, modestiæ & piæ doctrinæ reperiri „ vestigia &c. &c. " En tuum, Jægere *pium Zelum*, quem Osiandro asseris, vivis depictum coloribus Affelmanni judicio! quod ejus judicium verisimilius redditur iis quæ alii (*a*) pii viri, VARENIUS, BRELERUS, DILGERUS &c. pro Arndio scripserunt. Tantumne ergo peccatum est, quando Poiretus facto huic innixus, scripsit: (*b*) Osiandrum *Libros Arndii calumniis ac maledictis opprimere conatum esse?* Ideone tam muliebriter convitiari te oportebat? Siccine Poiretus *in cineres Osiandri* tam enormiter *peccavit* ut *tantum non Martyrem* læserit? Invidebo Osiandro neutiquam salutem: lætor, si verum est quæ Arnoldus (*c*) refert, eum de commissis in Arndium pœnitenter doluisse; simul tamen moneo multum requiri, si quis pro *Martyre* vero haberi debeat: in quem sensum Arndius graviter scripsit Libri I. C. 35. de Vero Christianismo.

Tu interim Osiandri bonam malamve causam non bene

(*b*) Imo, Osiandri nomen ibidem silentio involvit; utut alibi (pag. 182.) totum Affelmanni judicium expressit.

(*c*) loco modò citato. p.458.

ut L. Osiandro, eos in opinionum suspectarum patrocinium suspectantibus & PLURIMA IMPROBANTIBUS. Sed totam historiam omnesque ea in re actores videsis apud Cl. Arnoldum, Histor. Eccles. Tom. II. Libr. 17. Cap. 6. num. 8. & seq. Edit. Germanicæ pag. 457. &c.

(*a*) In Editione Lipsiensi anni 1704. Libri Arndii de Vero Christianismo, interspersæ sunt & *J. G.* DORSCHÆI, Theologi Argentinensis & dein Rostochiensis celeberrimi notæ adversus Osiandri objectata; è quibus notis, quamvis *quæ in accusatorem paullo vehementius dicta erant*, omissa sint, patet tamen interdum vel *Satanicarum calumniarum* reum in iis declaratum fuisse à Dorschæo Osiandrum. *vid. pag.* 1024.

præterea defendisti; siquidem minus candidæ tuæ de Poireti in Osiandrum lato judicio relationi etiam multum sophistices tuæ aspersisti, insinuans quasi Poiretus suam doctrinam ex solâ *intentione* docentis dijudicari voluisset: cum tamen ille in Præfatione sua (*a*) *bonam intentionem*, *media legitima*, *modumque* iis utendi *rectum* simul conjunxerit.

(*a*) Verba ejus vide suprà ad num. 3. in marg.

(3) *In imputatione blasphemiarum contra Christum.*

57. Et id malam, honesto candori planè contrariam fidem, & exosam fallaciam olet, quod tu, Jægere, de effusis à Poireto *blasphemiis in Christum*, quasi hic ab illo re verâ pro *peccatore defectibus moralibus* coinquinato habitus esset, ex illius Scriptis distortè allegatis dolosè architectatus es. Cur non sententiam Poireti, cum suis restrictionibus atque ex Scripturâ desumtis probationibus ac explicationibus integram retulisti? Videlicet quia vidisti tunc nullum prætextum Poiretum calumniandi & exagitandi inde futurum: hunc autem ut obtineres, minus candidè sententiam Poireti truncare, & explicationibus nec non restrictionibus spoliatam adducere, & defectum tuis cavillationibus & invectivis inanibus pensare constituisti. Nam Poiretus dixit, Jesum Christum, quem Scriptura toties nostri causâ tentatum omni modo asserit, tentationibus non tantùm externè, sed etiam internè se peti permisisse, ita tamen ut, quamvis tentationes intus & exterius senserit, nihilominus in summâ ac immaculatâ puritate, procul omni peccato fuerit & perstiterit, puritasque ejus & omnium peccatorum expers sanctitas, omnis generis tentationibus frustra apud eum intus & exterius adhibitis magis inclaruerint. Hæc est expressissima Poireti mens, quam quilibet ex Tomi V. (*b*) Oeconomiæ C. II. §. 3. seqq. discere & perspicere potest. Poiretus cum Scripturâ Hebr. 4: 15. protestatus est, se nullum vel tantulum tantùm peccatum re verâ in Christo fuisse firmiter credere & asserere, licèt cum eâdem Scriptura affirmet Christum Jesum tentatum per omnia esse: tu autem, Jægere, audacissimè fingis, & publicè scribis, *Poiretum ex Christo peccatorem fecisse*, id est, in Christo re verâ peccatum fuisse, blasphemè statuisse. Ubi candor, ubi pudor honestus? Cujus candoris etiam oblitus es verba Poireti de conditione assumptæ à Christo μορφῆς δούλυ mutilatè & distortè citans, ut fucum Lectoribus in fraudem Poireti faceres; quam fraudem quia legen-

(*b*) In Editione Latinâ Libr. IV. Voluminis II. vid. & ibid. pagg. 56. 57. 59. 67. 68. & 74.

legentes Poireti Scripta nullo negotio ipsi statim detegere possunt, multis hic describere haud opus est.

58. Malæ & honestum candorem periculosè lædentis fidei specimen est & illa tua, Jægere, accusatio, quâ dicis, à Poireto Arndii sententiæ de reliquis in RENATO imperfectionibus & imbecillitatibus contradictum, & talem VERE REGENERATI statum assertum fuisse, qui ab omni imbecillitatis & imperfectionis labe planè plenéque sit immunis. Nuda tamen ipsius Poireti hic citanda verba te falsi adeò manifestè convincent, ut quicquam addere iis haud necesse fuerit. Poiretus Tomo VI. (*a*) Oeconomiæ C. 9. §. 39. hæc habet: „ (*b*) Si „ vocabulo *perfecte*, (dum à nobis dictum est regeneratos per- „ fectè mandata Dei exequi posse,) rationem præceptis Dei „ obsequendi tam spiritualem & sublimem quis expressam vo- „ luerit, *quæ nihil in quoquam fragilitatem humanæ nostræ naturæ* „ *redoleat, quæ continue, sine remissione, sine nubilis, sine vicis-* „ *situdine iisdem amoris actualis & non interrupti sensibus, contem-* „ *plationibus & ardoribus vigeat more sanctorum fragili & mortali* „ *corpore non onustorum Angelorum*; is sciat mihi nunquam in „ mentem venisse asserere quod regenerati in hac terrâ manda- „ ta divina tali modo perfectè implere possent aut deberent. „ Deus id, quippe cùm possibile non sit, ab iis non exigit. „ Hujus generis perfecti nusquam, nisi in cœlo, reperiuntur, „ ut stultus sit oporteat, qui taliter perfectam mandatorum di- „ vinorum observationem & impletionem sibi in hac vitâ arro- „ gare auderet. Sensu hactenus explicato optima sanctorum o- „ pera redolent fragilitatem humanam; fragilitatem inquam „ humanæ naturæ, non sorditiem peccati: nam quam habuis- „ sent, naturâ nostrâ non corruptâ, continuationem æqualem, „ lucem, intensionem, amplitudinem, perfectionem omnium „ circumstantiarum, eadem iis non adest, nobis, quà naturam „ & corpus nostrum, corruptis, obscuratis, misere gravatis. "

58. (4) *In accusatione de imperfectionibus renatorum negatis;*

(*a*) Volum. II. Libr. V. Ed. Lat.

Hisce hactenus adductis, Poiretus sane confessus est in VERE REGENERATIS sanctissimis non summi gradûs, sive

 om-

(*b*) Notandum est, ibi agi non de iis qui adhuc sunt in via ad regenerationem, sed de iis qui regenerationem plenam adepti jam sunt, quales admodum pauci reperiuntur: neque etiam negari hosce peccare ex ignorantia; sed scienter non peccant, nisi hoc ipso velint è statu suo excidere.

omnimodam ac omni imperfectione & imbecillitate carentem perfectionem esse, esseve posse. Ne verò quis de imperfectionibus & fragilitatibus sanctorum dicta ad carnalem libertatem trahat, prudenter adjecit ibidem §. 40. sequentia: „ Notandum „ præterea est, ne quoddam corruptioni suffugium detur, san„ ctos longè aliter respectu fragilitatum suarum agere atque qui„ dem vetus Adam agere amat. Hic enim fragilitates amat, „ desiderat, iis repertis gaudet, illis ad eximendum se ab ac„ curatiori sanctitatis studio, sibi perquàm gravi, uti delecta„ tus: Illi contrà, eas neque quærunt, neque diligunt, ne„ que sibi iisdem placent, neque iis, nisi inevitabili necessitate „ cogente cedunt: illas maximum & gravissimum, sub quo „ gemunt, onus existimant; hoc plenæ felicitati obstare agno„ scunt, mortem, quâ ab hisce fragilitatis vinculis plenè libe„ rentur, anhelant. " Hæc Poiretus, quibus firmandis deinde 2 Corinth. 5:4. ac ex Thomæ à Kempis de Imitatione Christi Libro I. Caput XXII. adducit.

59. (5) *Et de calumniis in Ecclesiam Lutheranam effusis.*

59. Ad candoris expertes fallacias tuas, Jægere, etiam pertinet, quando de Poireto refers, illum *Lutheranæ* insultasse *Ecclesiæ*, *vanos de eâ triumphos ducere* voluisse: *calumnias dirissimas in eam evomuisse.* Hanc tuam accusationem rursus ne verbulo quidem probas; sed tibi, more tuo egregiè æquo, accusasse sufficit: nullum ex Libris Poireti citasti locum ex quo veritas accusationis tuæ innotesceret, scis enim in conscientiâ nullum exstare: tuum igitur cerebrum criminationem vagam loco loci alicujus Poiretiani subjicit. Nonne in Libro Poiretiano, cujus Præfatio tibi sudes in oculis est, legisti plus uno in loco, Poiretum confessum esse, multos bonos in cœtu Lutherano hinc inde esse? Evolve & relege p. 230, 231. &c. Item pag. 289. it. 335. 337. &c. Nonne vel isto tantùm in Libro doctrinam suam sanam & Scripturæ conformem, quâ potiora & essentialiora etiam capita authoritate Lutheri & Doctorum Lutheranorum κατ' ἄνθρωπον munivit, & sic reapse testatus est, summam Veritatis etiam in Lutheranis superesse, quamvis plurimi illorum eandem, proh dolor! experientiâ testante, & ipsis inter illos cordatioribus fatentibus, neque amplectantur, neque sequantur? Tu, Jægere, tu omnino tuæ Ecclesiæ Lutheranæ scriptâ tuâ

in

in Poiretum Epistolâ fœdam, quantum in te, affricuisti maculam. Nam quæ Poiretus in Pelagianam *internum* Dei auxilium negantem opinionem, in fictas de imputatione omnem pœnitentiam tollente, & de justificatione inhærenter in malitiâ persistentibus proficuâ sententias, & de id genus aliis erroribus pestilentissimis dixit, in ipsam Ecclesiam Lutheranam, & in præcipua illius Lumina, verbi gratiâ, in Arndium, dicta interpretaris. Nonne hac tuâ agendi ratione omnes, qui Lutheranæ Ecclesiæ dogmata non penitius nôrunt, credere tantùm non coëgisti, eam rejectos à Poireto errores virulentos fovere? quis enim te, tantum, quantum tuapse opinione es, Ecclesiæ Lutheranæ Lumen, Cancellarium, Præpositum, Professorem, sententiam Lutheranæ Ecclesiæ vel non tenere, vel irâ & aliis affectibus abreptum, quæ probares aut rejiceres nescire suspicaretur?

60. Tuum igitur erit, mi Jægere, curare quâ solidâ ratione hanc maculam rursus ab Ecclesia Lutheranâ abstergas; &, quod ad Poiretum attinet, sponsionem tuam exsolvas, quâ publicam *coram facie Ecclesiæ deprecationem* promisisti, si probari posset à te vel *unam propositionem* Poireto tributam, *non ex* hujus doctrinæ *principiis intrinsecis* legitimâ consecutione *elicitam*; sed *affectu* malevolo perperam formatam esse: Videbis enim & palpabis multas Propositiones Poireto objectas tanquam suas, à te fictas esse contra bonam fidem, honestum candorem, cavillatione audacissimâ. Non est igitur cur Poiretus principiis suis valedicat: tu potius monendus ut sophisticæ maleferiatæ & affectibus inordinatis plenissimè nuntium mittas. Si hoc facere nolueris, satius foret, si officiis tuis valediceres maturè, atque ea deponeres; tum infelices & monstrosi partûs cavillationis turgidæ, quorum te tandem pudere oportebit, quibus Ecclesiæ Lutheranæ maculam inuris, & juventutis te fortè audientis animos pessimè corrumpis, non essent amplius metuendi. Ex charitate te, Jægere, monendum suscepi, misertus tui & publici. Fac ex monitis bono animo datis salubriter proficias. Sin more tibi hactenus usitato vel in Poiretum pergere, vel in has meas responsorias insurgere libuerit; scito id neque animæ tuæ salutare, neque famæ tuæ honestum fore: occasionem tantummodo dabis malas

60. *Conclusio.*

 tuas

tuas artes & animum corruptum clarius manifestandi & agnoscendi. Quæ probare nequis, candidè propone; argumenta adjice adversæ & tuæ partis omnia; illa ordine solve, hæc firma; & bonus Disputator habeberis, abjectis impotentis Sophistæ tandem auctori infelicibus ac in ejus dedecus vergentibus technis.

Spero cæterum fore ut hæ responsoriæ, si in te optatum finem non consequantur, aliis tamen multipliciter, Deo benedicente, proficuæ & utiles sint. Lectores etenim videbunt, quàm periculosum sit relationi eorum, qui Orthodoxiam quàm maximè crepant, & impotentibus convitiis zelum pro veritate contra errorem præ se ferunt, simpliciter fidere; & contrà, quam necessarium sit sententias, de quarum bonitate aut vitio judicandum venit, ex ipso earum auctore petere. Ostensis etiam præteritæ tuæ Sophistices fallaciis & argutiis, Lectores admodum contra futuras, si talibus te porrò prostituere, justo Dei judicio permittente, eligeres, præmuniti erunt; quoque magis oppugnatur veritas, eò prolixior datur ansa eam firmandi, explicandi, promovendi ac repetendi. Huic ut & tu, Jægere, colla tandem submittas, & ad ejus præscriptum animum turbulentis & noxiis quibusque affectibus expurges, iterum iterumque te obtestor, Deumque supplex oro, & te valere jubeo!

Apoc. XXII. 11, 12.

Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc: qui justus est, justificetur adhuc: & Sanctus, sanctificetur adhuc. Ecce, venio cito; & merces mea mecum est, REDDERE UNICUIQUE SECUNDUM OPERA SUA.

A C-

ACCESSIO D.

seu

Responsum Auctoris ad Amicum,

De nullitate difficultatum ab Adversariis suis objectatarum.

Amicissime ac in Christo dilecte Domine,

1. EO tempore quo ad varios amicos iter instituere me oportet, redduntur mihi literæ tuæ quibus me mones de edenda forte citius *Anonymi Apologetica* pro me *Epistola* contra eam quam Tubingæ ante biennium ad me & contra me scripsit D. Jægerus, ut quamprimum vobis significem si quid circa eam dicendum habeam. Testor in eis me nunc esse temporis circumstantiis, ut prorsus opportunitate destituar Scriptum illud, ante sesquiannum circiter à me visum, relegendi. Suggerit tantum mihi generalius memoria, contenta ejusdem, quantum ad substantialia, cum mente mea concordare, multisque præterea egregiis ad hominem argumentis ac auctoritatibus, quæ me latuerant, confirmata esse. Optem solum, ut si qua veritatis, indigne ac sine pudore ab adversario aggressore læsæ vehementius Anonymo expressisset Zelus vivacior, vel indignatio apertior, licet duriora ex æquo meritus sit accusator ac conviciator immodicus, eadem sic temperentur, ut à Spiritu Christianismi minime discedant, quo facilius experimentum capiamus promissæ ab adversario deprecationis & candidioris agendi rationis, si de male admissis convincatur moderato calamo: quamvis hîc de eo vereor ne cor proprium sibi ipsi ignotum, sibi quoque imponat splendide.

1. *De Epistola præcedenti.*

2. Ad alterum monitum tuum, vehementer optari ab amicorum optimis ut *aliquid adversariis recentioribus opponam*, quod alioqui *illorum calumniæ atroces & studiosis & amatoribus veritatis multum officiant*; nihil aliud, nunc quidem, reponere possum, quam quod non semel amicis idem postulantibus, imo & ipsi Dn. Jægero respondi, nempe videri mihi, ut & amicorum numero non

2. *Solam Librorum Auctoris lectionem iis contra Adversarios tum veteres*

tum novos tuendis sufficere. non minimo; sufficere pro omni responso solam librorum meorum, quos ipsos adversarii vel non legerunt, vel eorum quæ legerunt, obliti sunt, attentam lectionem: ex qua quippe vel sufficienter satis & firmiter roboratur sensus meus, si sensus meus ab adversariis impugnatus est; vel ipsimet, quando, (quod maxime ab illis fit,) sensus non meos, sed calumnias prorsus contrarias mihi adfricarunt, evidenter e solo conspectu possunt falsi convinci.

Et hujus quidem rei experimentum non unum videre est in iis quæ mihi olim objecere auctores tum Bibliothecæ universalis, tum Epistolarum pastoralium, Hamburgenses præterea Ecclesiastæ, Parrhasius aliquis, & haud ita pridem D. Titius; quibus omnibus vel strophas vel calumnias objicientibus, ita respondi, ut in responsis ostenderim solam librorum meorum lectionem fuisse satis mentibus æquis atque attentis, ut inde appareret tum vis vera atque firmior sensus mei frustra impetiti, tum falsorum oppositorum absurditas, licet etiam nihil præterea addidissem, quod gratis quasi & veluti superpondium addidisse videor.

Quando vero nunc insurgunt novi ejusdem animi adversarii, Jægeri, Neumanni, Thomasii etiam, ac non pauci quoque diariorum, novellarum Reipublicæ literariæ, & similium libellorum auctores minutuli; quando præterea probabile est eorum plurimos, qui ægre ferent sibi ostendi in libris meis se in falsa eruditione jacere, se in vanum de veritate, de Christianismo, deque futura salute gloriari, adversum me quoque in dies magis magisque se oppositturos; quis, quæso, mihi ejus consilii esset auctor, ut omnibus & singulis perpetuos coccysmos sine fine repetentibus, singula concinnando responsa tempus ac vires ætatis provectioris consumerem, ubi ex ipsis editis libris meis Lectores bonæ mentis possunt ea haurire quibus solide tranquillari possint, ac de veritate plane persuaderi? Certissimus enim sum, & experientia plurium id mihi confirmavit, probas quasque mentes si sine præjudiciis & cum attentione in conspectu Dei mea Scripta legerint, in conscientia sua, non obstantibus inimicorum strepitibus, testimonium laturas de veritate divina atque solida in iis ita a me proposita, ut quisquis eam amplecti re ipsa

non volue-

voluerit, is relictis vanis falsorum Eruditorum quisquiliis ac Pseudochristianorum deceptionibus, perventurus sit ad finem propter quem creati sumus, hoc est, ad ipsum Deum æternamque animæ nostræ in conjunctione cum eo salutem ac gloriam. Siqui vero eadem non legerint, aut non sine præjudiciis & malis affectibus legerint, digni sunt qui contemtum ferant, responsa neutiquam.

3. Quod autem in libris meis ea exstent per quæ adversariorum, etiam recentiorum, objectata fieri possint nulla, id ut tibi, sic & multis aliis compertum esse scio: idque possit facile experiri quisquis ejus rei velit facere periculum. Quod quidem libet hic uno atque altero exemplo, ex objectatis præsertim Jægerianis desumto, obiter ostendere, vel potius indicare. *3. Quod ostenditur e. g. in objectis à* Jægero *contra tradita de Deo Patre.*

Quando mihi imputat *D. Jægerus*, (quod sæpius plurimis in locis tragicum in modum repetit,) Deum Patrem a me haberi pro ente tenebroso, anxio, & consequenter diabolico; atque hinc occasionem sumit quævis tristia in me meaque alia, (ut ut cum his nullum habeant nexum,) debacchandi; nemo non potest contrarium videre in omnibus Scriptis quæ ante edidi, ac speciatim in libris Oeconomiæ divinæ quos suscepit ille impugnandos, in quibus, vel ab initio posui inter fundamentalia, in Deo meram esse lucem, nullas tenebras; meram felicitatem ac lætitiam, nullas anxietates: unde deduxi, tum creaturarum proprietates nonnullas, tum Supralapsariorum fundamenta de absoluto reprobationis decreto subverti: imo Filium Dei, imaginem Patris substantialem, eandemque luminosissimam statui non semel: unde sequitur Patrem luminosissimum a me agnosci, quandoquidem illius imago meram lucem, non autem tenebras, repræsentet: nec aliud unquam in mea mente habuit locum.

Verum cum ex occasione Scriptoris nonnullius (*a*) qui in explicando Filii ac Spiritus S. in Divinitate ortu, istis vocibus per modum abstracte concipiendi, & ex mera suppositione, (non positione,) usus fuit, tentarem & ego hæc vel similia obiter dilucidare, accidit etiam ut istis vocibus fuerim usus aliquoties: quas vero voces D. Jægero placet sensu absoluto ac positivo mihi imputare, licet contra apertam nec semel eo in loco repetitam contestationem meam, contraque modum agendi omnium

(*a*) Jac. Boëm.

& Theologorum & Philoſophorum, qui ſine culpa abſtractionibus & ſuppoſitionibus utuntur non paucis, quæ abſoluto alioqui ſenſu ſine abſurditate vel blaſphemia poni non poſſent, ut vel Tironibus notum eſt. Summa huc redire poteſt.

Deus Pater conſideratur vel in ſe, qua Deus: & tunc eſt Ens perfectiſſimum, luminoſiſſimum, (lumen originans,) beatiſſimum: vel ut ſe in *naturam* (increatam ac divinam) inducens, hoc eſt, ut volens *facere naſci* in ſe & ex ſe Filium, *lumen de lumine*, (ut cum Symbolo Nicæno, quod ex animo admitto, me exprimam) ut volens eſſe Pater. Conſideratur autem qua Pater vel cum ſolo termino a quo, (quaſi nondum adeptus Filium,) vel cum termino ad quem, (ut Filium nactus). Pater, lumen originans, conſideratus abſtractive & pro modo noſtri conceptus imperfecti, ut volens habere lumen originatum, utque præcedens per deſiderium ejus ortum, eatenus conſideratur ut adhuc ſine lumine iſto oriundo & originato, atque eatenus quaſi tenebroſus, (quippe ſine lumine, videlicet originato). Idem conſideratus cum termino ad quem, cum orto Filio, cum lumine de lumine, luminoſus fit etiam eo lumine quod deſideravit ex ſe naſci, & ſine quo eſſet ut lumine originato ac cupito carens, eatenus tenebroſus conciperetur: eſſet lumen originans in quo ineſſet privatio luminis originati, hoc eſt, (eo reſpectu) tenebræ: quod cum fieri non poſſit, eo ipſo deſtruitur Socinianus error, Filium negans ex Dei ſubſtantia ab æterno natum. Nam teſtatur Scriptura Deum Patrem velle Filium in quo totus lætetur & acquieſcat. Socinus hunc negat ex Patre ab æterno natum: Ergo affirmet oportet Deum Patrem in ſe & ab æterno deſtitutum eſſe illo Filio qui eſt lumen de lumine: eſſe ergo in Deo Patre tenebras: porro eundem eſſe deſtitutum illo lumine, (Filio) in quo vult lætari & acquieſcere; hoc eſt ergo, eſſe in Deo Patre & tenebras, & inquietudinem triſtemque anxietatem, privationem quippe præſentiæ luminoſi objecti ad lætitiam originatam cupiti ac voliti. At quia Deus Pater, eſt in ſe, qua Deus, lumen originans omnipotens; ergo idem ille volens habere natum ex ſe lumen originatum in quo & delectetur, hoc ipſo quod id vult, cenſendus eſt ex deſiderio illo, (quod Socinus abſolute tenebroſum & anxium ſtatuere debet, quodque ego

per mentis abstractionem, considerando Patrem cum termino a quo sine termino ad quem, ita nominavi, ut inde concluderem hoc absolute ac positive sic esse non posse,) censendus est inquam Pater omnipotens hoc ipso quod lumen originatum vult, ex tenebris & anxietatibus suppositis ad lucem & lætitiam cupitam ab æterno prodire. Verum de his, quæ & e Theologia veterum Hebræorum, *tenebras*, *nihil*, *privationem*, *nigredinem*, *aleph tenebrosum* &c. in prima Sephira, (Deo Patre,) considerantium, possent illustrari, non est hic idoneus pluribus agendi locus. Sufficit si videant Lectores, me tenebras in Deo Patre nunquam realiter & positive statuisse: quod autem abstractive & sola suppositione de eis locutus sim, ex hoc ipso me conclusisse non dari nec posse dari absolute; atque inde etiam Socinianum errorem evertisse: & nec semel monuisse, ejusmodi reconditiores discussiones non tam Religionis partem esse, nec ad salutem requiri, quam ad Theologicas speculationes esse referendas: ac præterea, id omne quod de his dici possit, nihil esse nisi imperfectissime infantium instar balbutire, ac pro nihilo præ rei ipsius excellentia habendum esse. Et huic quidem exemplo singularius aliquantum institi, quod sit inter Objectata Jægeriana maxime capitale, quippe ex quo D. Jægerus nulla non in me ubivis expectorat mala, cum ipso quoque aperto inferno: imo contendit inde, libros meos de Methodo ac Eruditione, in quibus tamen nihil de hisce; imo & ipsam Methodum in se, & quicquid per eam efficere potero, ex hoc solo capite, sine alio examine, esse rejicienda atque damnanda. Quis verò exigat ut singula istiusmodi specialius recenseam, ne dicam refellam?

4. Imponit & mihi idem Vir crimen non minus tetrum in Epistola sua, (idque in Examine Theologiæ Novæ (pag. 398.) repetiit,) quod scilicet *Christo adscribam defectus morales, & faciam ex eo peccatorem.* Atqui ex perspectis quæ sugillat locis (Oecon. Div. Lib. IV. Cap. 11. §. 2, 3. &c.) me ab hoc scelere horrere, ac contrarium ibidem non semel dixisse, sine nova pro me Apologia Lector quivis possit per se animadvertere, & simul non horrere a malignitate viri qui tali calumnia Christianorum omnium horrori non dubitat me exponere.

4. *Item in quibusdam aliis ab eodem contra verba clarissima imputatis.*

Ita quoque quando passim clamat ipsusmet, me pro principio Religionis ac Theologiæ non habere Scripturam sacram, sed *revelationes & inspirationes immediatas quales jactant fanatici*, hisque similia; opus ne fuerit aliis responsis ac explicationibus quam quæ dudum Theologis Hamburgensibus publice dedi, quæque legi possunt in altero volumine de Eruditione, à pag. 103. ad 108. & a pag. 193. ad 197. item à pag. 210. ad 213, & quamplurimis aliis in locis, nec non vel in ipsa Præfatione Oeconom. Divin. §. 32. ubi hæc leguntur: *Scripturam Sacram ita veritatis Regulam agnosco, ut si quid ei contrarium tradidissem, (tradidi autem quod sciam nunquam,) id omnino detester, paratus idem publice retractare ubi quid ejusmodi mihi contigisse monstrabitur.* Et. §. 38. *Taceo jam fanaticos, qui spiritum sibi atque lumen internum injuria arrogantes, falso volunt divinum lumen tum rationi rectæ, tum literæ Scripturæ ejusque sensui legitimo adversari posse. Quod genus hominum nimis absurde aberrat.* De sensu Scripturæ ex lumine Dei, dixi quæ satisfacere possint lectoribus in Oecon. Div. Libr. III. Cap. 14. ut & in Volum. II. de Erudit. pag. 761. &c. imo a pag. 749. ad 771. & in Volum. I. pag. 297. ad 308-- & ibid. in Respons. ad G. Titium pag. 537. ad 559. quæ viderint qui responsa mea desiderant.

Idem adversarius quando pro controversia inter me & se ponit, secundum me *efficaciam verbi & Sacramentorum dependere a Ministri pietate vel impietate*; falsi imputati potest convinci sola inspectione eorum quæ ipso in loco, Oecon. Div. Libr. IV. §. 12. legi possunt.

5. *Controversiarum Examinis Theologiæ Novæ ipsiusque Examinatoris character.*

5. Abstineo ab aliis exemplis passim apud eundem non parva copia occurrentibus. E triginta quatuor controversiis, quas in suo Novæ Theologiæ Examine mihi voluit suscitare, inque earum tractatione, imo & in ipso sæpe quem posuit controversiæ statu, nihil est ubi non se palam manifestet vel impositio falsi, vel inversio sententiæ verborumve meorum, vel rationum mearum suppressio, vel consequentiarum iniquitas, ac præterea tanta tamque propudiosa conviciorum ac tetrorum maledictorum congeries, ut plurimi merito judicent omnia solo contemtu, nec alio responso, esse tantum digna, haud secus ac ardens illa & incredibilis animi & affectuum in homine impotentia, qua ille

non

non semel aut iterum, sed omnino non minus duodecies in me publicis Scriptis invectus est, idemque vel centies in Collegiis, in Lectionibus, in Orationibus suis coram iis quorum plerique Scripta mea ne viderunt quidem, repetere, inter pulchra duxit, quando ego, ex parte mea, unis ex ejus Thesibus Cyclicis unam modo pagellam (in Præfatione Vol. II. de Eruditione) semel reposui, quæ tamen sola, hominis genio ac agendi modo ex causis detecto, æquis rerum æstimatoribus satis esse possit.

6. D. Jægerum imitatus est D. *Neumannus*, nisi quod hic brevior, ordinatior, minusque impetuosus appareat, non minores ceterum in me calumnias, nec minoribus fraudibus effundens. Est autem in sensu meo percipiendo eousque penetrans vir hicce, ut quod vel ab initio operis in latina Præfatione Oeconomiæ dixi, hoc opus jam a viginti prope annis elaboratum esse, gallice nempe ac antequam latine prodiret, id interpretetur ut significet, me viginti annos (qui ne viginti quidem menses) in illo opere condendo impendisse. Quod illico alius quidam Magdeburgensis repetere & publicare pulchrum reputavit, sequaces & ipse sine dubio novos acquisiturus. Ceterum generali una fraude atque falsitate nititur tota Dissertatio Neumanniana, unde Systema meum suis reddat invisum vel suspectum; Scilicet, id innixum esse doctrinæ de animarum post mortem purificatione: quod usque adeo falsum est, ut integre suis stet fundamentis vel tota hac quæstione omissa; uti e re ipsa patet: Systema namque totum quatuor libris primis absolvitur; unde illa abest; ac demum in quinto, ubi nonnulla quasi fusius explicanda & objectionibus specialioribus expedienda veluti ex abundanti resumuntur, tractata est.

6. *De oppositionibus* Neumanni.

7. Simili fraude falsique positione usus est D. *Færtschius* Jenensis, in Dissertatione post omnes mihi conspecta (ann. 1711.) in qua promittit se acturum *de salutis via* secundum me; & tamen illico supponit mihi & librum qui meus non est, licet a me editus, & ex eo quæstionem non de salutis via, sed de via sensum Scripturæ verum indagandi ac inveniendi, cujus requisita fingit a me poni pro via salutis iste Sophista, aliorum nulli in malis artibus & calumniis adversum me per totam dissertationem suam adhibendis inferior. Quos quidem omnes satius est

7. *De oppositionibus* Förtschii.

contemnendæ ſuæ intemperiei relinquere, quam aliis modis velle compeſcere: nam quis poſſit malignas aliorum voluntates harumque impetus ad ſanitatem, quando ipſi nolunt, redigere?

8. *De Diſſertatione* Thomaſii, *ejusdemque imputato falſo de abjicienda Ratione.*

8. *D. Thomaſii diſſertationem*, Editioni alteri Hallenſi Librorum de Eruditione præfixam quisquis cum dictis libris attente lectis conferet, videbit quoque illico, nullo eam Diſſertationem inimicam egere reſponſo alio, quam eorundem librorum meorum inſpectione. Poſtquam putavit ille multis ſe de vera Eruditione egiſſe, (ubi tamen nubem pro Junone, Eruditionem ſuperficiariam falſamve pro vera amplexus eſt,) præcipuum mutatæ ſuæ adverſum me mentis atque ſententiæ dicit eſſe (pag. 23,) quod *lumen Rationis plane deprimam, & tanquam inutile ac damnoſum abjiciendum eſſe ſtatuam*: quod & p. 25. repetiit denuo. Ubi mirari ſatis non poſſum in Viro non parva imaginandi facultate prædito vel defectum memoriæ, vel quî ſine rubore (ut de me p. 40. loquitur,) id dicere audeat cujus contrarium & vidit ipſemet multoties, & videre poſſint lectores quicunque vel in hac ipſa libri mei Thomaſiana editione Hallenſi, pagg. 85, 98, 103, 104, 120, 121, 141, 142, 144, 270, 292, 311, 318, 440, 442, 469. uſque ad 535. aliisque pluribus in locis, ut & in reſponſionibus ad G. Titium, quas D. Thomaſius neſcio quo conſilio, ex hac Editione reſecuit. Scilicet de Ratione ægra iſtud dixi quod omnes ægro homini commendare ſolent; dum æger eſt, nondum tempus eſſe operandi, (ſcientifice ſe exercendi;) quieſcendum ei tantisper donec ſanatus ſit; quo facto, tuto demum poterit laborem interruptum reſumere cum utilitate: id autem Doctor aliquis dixerit eſſe idem, ac operandi artem vel laborandi facultatem, *plane deprimere, & tanquam inutilem atque damnoſam ſtatuere abjiciendam.* Quid quod ipſemet in Diſſertatione ſua veteri (Edit. I.) meam mentem (quam nunc diſſimulat) faſſus ſit ſe & agnoviſſe & approbaſſe his verbis ſuis, (pag. 42:) *Indicabo loca quadam qua me in Lectione maxime affecerunt aut qua viſa ſunt maxime errores quosdam communes refellere:* inter quæ loca ponit numero 2, locum *de activitate* licet *bona*, QUANDOQUE *infringendâ*: (is locus totus eſt in hac ſua Editione à pag. 98. ad 102.) Subjungit D. Thomaſius: *Convictus ſum de veritate aſſertionis, & fateor illam ni-*

nimiam activitatem me valde torquere, ut sæpius ea propter mihi ipsi succenseam, sæpius contrister, cum in viribus meis non esse sentiam ut ab hac activitate me liberem. Sed miserebitur mei Deus. 9.

9. Ex falso isto imputato factum est, ut idem, quando descendit ad Methodi meæ regulas sex, licet quinque primas agnoscat *optimas*, easdem tamen dicat postmodum *dubias*, *obscuras* & *ineptas* si cum *explicationibus* meis ibidem conferantur: (quod plane ridiculum est & falsum, ut ipse lector vel me ad aliquot fraudeculas à Dn. Thomasio ibidem adhibitas tacente, potis est animadvertere; vel si, (pergit idem) conferantur cum Regula VI. *de ejurando usu intellectus activi.* Atqui ea in Regula de eo sanando agitur omnino, deque modo utendi eodem postquam cum reliquis facultatibus fuerit sanatus. Conqueritur præterea ille, (pag. 34.) *se diligenter quæsivisse in responsionibus Auctoris ad censuram D. Titii, an alicubi Auctor* (me designat) *doceret, quomodo quis perspicue & distincte possit cavere ne incidat in Enthusiasmum: sed nusquam id* (inquit) *invenire potui.* Atqui id facile quivis lector alius reperturus erit in iisdem responsionibus pag. 488, 495, 583. ne innumera alia adducam loca quibus mens sincera & humilis de lumine divino sine periculo adipiscendo fieri possit certior: quæ quidem loca cuivis aperta satis sunt lectori.

De objectatis ab eodem contra Methodum, allatisque causis suæ mutabilitatis.

Adducit deinde palliatas nescio quot rationes mutabilitatis suæ respectu Mysticorum, quos prius laudavit, nunc vero vituperat. Sed mutabilitatis ejusmodi rationes alias dudum protuli verissimas, quas lector, si placet, videre poterit in Præfatione ad Epistolam de Mysticis auctoribus quæ extat in Vol. II. de Erudit. pag. 465. ad 468, & in Bibliotheca Mysticorum selecta, ab initio.

10. Denique quando dicit D. Thomasius (pag. 39,) *se non vidisse causam cur Lockius*, vel potius Lockii principia, à me *Epicureismi & Pelagianismi* accusata sint: eas causas vel sine opera mea deprehendet Lector quivis qui Lockiani de Intellectu Voluminis perspiciet tum totum Librum I. ubi notitias innatas veri & boni, omni conamine tentat elevare; tum Libri II. Caput 26, pag. (Edit. Gallic.) 261, ut & pag. 305. item & Caput 28, ubi idem Auctor de bono & malo, de virtute & vitiis, de crimini- 10.

De principiis Lockii Pelagianismo & Epicureismo faventibus.

minibus & probitate, principia profert omnino Epicurea, voluptatem videlicet & dolorem, hominum approbationem & improbationem, eorumque leges. De Pelagianismo solus nescire videtur D. Thomasius, eum non exurgere ex assertione nuda humanæ libertatis, (de qua quid Lockius dixit, ipsemet non intellexit Lockius;) sed ex sola humanarum virium consultatione, exercitatione, agnitione; sed ex negata Dei in intimis nostris operatione; quam vero à Lockio ignorari, vel etiam pro Enthusiasmo non semel traduci, Lectorum oculi in ejusdem libro viderint ipsimet.

11. *De Excellentia Rationis præ Fide secundum Lockium.*

11. Viderint & iidem quam indigne mihi insultet D. Thomasius, quasi is essem qui *sine pudore* Lockio imputassem, *Rationis præ fide excellentiam* ab eodem fuisse assertam. Atqui explicate distinxi ibidem inter Theses quæ à Lockio erant, & quæ à discipulo: hanc autem discipulo attribui, asserendo licet eam esse Lockianorum principiorum consequentiam; quod & agnoscunt primarii ejus discipuli. Quid quod ea verba, ex occasione examinis de divino lumine prolata, distincte legantur pag. 913, 914. Versionis Gallicæ ab Auctore ipso recognitæ: *La Raison doit être notre dernier Juge & notre dernier guide en toute chose:* hoc est, *Ratio debet esse* ULTIMUS (vel summus) *noster* JUDEX ULTIMUSQUE DUX IN OMNI RE: quæ forte è J. Clerico desumserat.

12. *Lockianorum Scriptorum pericula.*

12. Ceterum quo magis Lockium quibusvis commendandum arbitratur Dn. Thomasius, eo magis omnes censeo dehortandos ab Auctore omnium periculosissimo, & cujus Scriptis nihil unquam deprehendi aptius, per quod verus Dei ut & Christianismi Spiritus in corde lectorum, optimorum etiam, sensim sine sensu efficacissimeque supprimatur atque extinguatur. Hic ipse Lockius est cujus Librorum lectio (Bælii forte ac Clerici lectione comitante,) Virum hunc, (D. Thomasium dico) à veritatis solidioris via, quam ante aliquot annos rectius quærere videbatur, ita abduxit, ut jam plane alius totus evaserit, vixque supersit spes eum in orbitam recti unquam rediturum; certe quamdiu à venenata illa lectione non recedet, quo se reddat uni omnium Auctori, formatori ac reformatori Deo, ab ipso auxilium medicamque in intimis suis operationem ac manum hu-

humili mente postulans atque exspectans. Quod ut ipsi accidat, votum meum est.

13. Inter eos qui contra me calamum exercuerunt nemo se indignius gessit, nemo minus responso indiget, quam D. *Jacobus Bernardus* menstruis novellis Reip. literariæ inter Gallos, qui similibus libellis delectantur, non incognitus. Is Librorum meorum de Eruditione Relationem scribere gestiit, tametsi eos, ipsi dono missos, legit nunquam, exceptis titulis, præfatione, ac sex decemve lineis in aspiciendo libro oculis ejus forte oblatis, in quibus id quod de pedantismo dixeram, falso credidit sibi speciatim dictum esse: unde nulli mirum videri debet si ille in sua relatione, vel potius declamatione ac Satyra, pene tot falsa quot lineas posuerit: neque si ego huc usque crediderim sufficere dispellendis ejus calumniis solum librorum, quos non lectos sugillavit, inspectionem. Indignum autem modum, & solis vilioribus animis competentem, quo ille ex qualicunque per annos circiter viginti amico simulato, apertum inimicum sese terque quaterque declaravit, ac demonstravit, nihil hic recensere attinet. Hunc tamen nullo pudore non dubitarunt partim exscribere similium atque ille Diariorum in Gallia & in hisce oris auctorculi: Nec mirum si plures illaudatam eam sequerentur agendi rationem, quando plerique inter homines qui eruditi dicuntur, ea nunc sunt mentis constitutione, ut ubi quid eis primum occurrit cui non sint assueti, id illico cum Sectæ aut partium suarum propriæque indolis præjudiciis conferre soleant, illudque, ubi his dissimile putatur, affectuum aversione excipere; tum chymeras & figmenta quæ in intellectu eorum ex quacunque rei vel lectione, vel auditione, vel præsumtione excitavere iidem affectus inimici atque turbidi, pro sensu ac mente Scriptoris arripere; & eadem quoquo modo per fas & nefas impugnare, calumniari, conviciari. Quibus vero modis ab omni ævo ad hæc usque tempora à veritatibus divinioribus ac solidioribus, mendaciorum nube objectâ, deterrere atque avertere conata est simpliciores credulorum animos progenies Cainica & Ismaëlitica; donec adsit tempus quo veritas persecutionum ac patientiæ exercitiis diu satis probata & confirmata, sola sua vi ipsi à Deo insita, cujusque manifestatione, de fumo mendacio-

13: *De* Jac. Bernardi *Relationibus Satyricis.*

rum, ad Solis radios veluti nives liquescentium, tandem triumphet, ac magnificetur.

14. *Monitum de Epistola Auctoris suprà in Access. B. exhibita.*

14. Superest ut tuæ satisfaciam curiositati quam dubio procul vellicavi superius ubi dixi, me ipsi Dno. Jægero declaravisse quæ ibidem de respondendi modo per solam ad libros legendos provocationem, relata sunt. Quæres ergo, an igitur, & ubi id feci? Rescripsi ego ad ipsum Virum, qui vero primus, nescio quo sane consilio, privatim ipsemet ad me scripserat. Quod ut ipsis documentis videas ita se habere, mitto tibi apographum eorum quæ sua ille exaravit ad me manu, cum Responso meo ad ipsum, ut iis utaris, imo cum quibusvis eadem communices, prout id è re futurum tibi videbitur. Non autem miraberis si in mea ad Dn. Jægerum Epistola nec respondi jactationi quâ se plura è Scriptis meis citavisse dixit: siquidem contrarium vel oculis legentium appareat passim; neque admisisse videor illud ejus postulatum, me ex verbis meis judicandi; quod tamen videri possit illico à me concedi debuisse: enimvero cum fraudis suspicione postulatum laboraret, eam fraudem oportuit me prævertere antequam postulato eum darem locum quem postea ibidem libentissimo concessi animo dum ad ipsorum librorum lectionem quosvis provocavi. Sed manum de tabula. Vale æternum in Domino, cui te ex animo commendatum cupio.

P. POIRET.

Rhenoburgi 1. Julii 1710.

JO. GEORGIUS PRITIUS

SS. Theol. Doctor & Ministerii Francofurtensis Senior

In Præfatione Libris Jo. Arndii de Vero Christianismo Lipsiæ 1704. Latinè à se editis præmissâ:

Post nonnulla graviter dicta in eos qui optimis sæpe Virorum excellentissimorum Scriptis magnam difficilemque dicam scribere non verentur, eorundem dicta in sensum rapientes perversum ut auctores fœdissima heterodoxias aut hæreseos labe adspergant, sic concludit: Quæ omnia illud quoque apud me effecerunt, ut constitutum mihi decretumque sit apud animum, nequaquam aliorum de erroribus alterius relationibus confestim adhibere fidem, illorumque fide condemnare Auctorem aliquem; nisi his oculis meis, in quibus tam tetra tamque horrida contineri dicuntur, inspexerim ipse; ut qui expertus sim quoties hoc in genere à Viris, a quibus omnium minime oportebat, fuerim deceptus.

ACCESSIO E.

OPERIS OECONOMIÆ DIVINÆ CONSPECTUS,

Summam & ſeriem contentorum exhibens.

I.

SERIES LIBRORUM

Tomi Primi

Liber I. De Hominis Creatione.
II. De Peccato.
III. De Reparatione hominis ante adventum ignominioſum Jesu Christi.

Tomi Secundi.

Liber IV. De Reparatione hominis poſt incarnationem Jesu Christi.
V. De Cooperatione hominis cum operatione DEI.
VI. De Providentia univerſali ſalutem omnium proſpiciente.

II.

ARGUMENTA SINGULORUM CAPITUM.

Libri Primi

Cap. I. Deum exiſtere variè probatur.
II. Eſſentiæ Divinæ Idea fundamentalis.

III.

III. Ideas rerum per se esse nihil.
IV. Ideæ per divinum decretum in conceptu DEI arbitrario natæ.
V. De divini Decreti proprietatibus.
VI. Proprietates generales entium, idearum & rerum divino decreto constitutarum. Causarum secundarum itemque facultatum realitas & efficacia.
VII. Proprietates generales entium porro exponuntur. Bonitas, pulcritudo, felicitas, fœcunditas & infinitas in omnibus. Propagatio animæ &c.
VIII. De repræsentatione DEI per ideam ac productionem hominis. Hujus ideæ fundamenta. Proprietates quatuor negativæ quibus à Deo discernitur. Negationes in facultatibus ejus quæ à prima usque origine repetuntur.
IX. Porismata radicalia, ex iis, quæ de proprietatibus animæ negativis dicta sunt, fluentia.
X. De iis quæ in homine positiva sunt. Primò animæ humanæ naturam esse divinam, Animam esse ex DEO natam & immortalem.
XI. Animæ naturam Divinam esse ex Scripturis ostenditur.
XII. De activitate libera Animæ, quatenus hæc cum scientia & præscientia DEI consentit.
XIII. De divina Præscientia.
XIV. Animæ proprietates, activitas, bonitas, pulcritudo, felicitas specialius deteguntur, quatenus ad ea quæ in SS. Trinitate sunt, relationem & similitudinem habent.
XV. De facultatibus animæ, quatenus ad originem, ad exemplar, ad usum & scopum suum, hoc est ad Trinitatem sacrosanctam referuntur.
XVI. De Libertate. Quid sit Libertas; Eam & dari posse & re ipsa dari.
XVII. Recensentur Rationes, quare DEUS homini Libertatem dederit.
XVIII. Novem Objectiones contra Libertatem enarrantur, quarum duæ priores diluuntur.

XIX. Reſpondetur ad objectiones tertiam, quartam, quintam & ſextam contra Libertatem.
XX. De facultatibus animæ inferioribus. De Ratione ejusdemque Ideis.
XXI. Rationis & Idearum rationalium abuſus: ejusdem diſtinctio à Fide, itemque uſus legitimus.
XXII. De facultate imaginatrice, deque humani corporis excellentia in genere.
XXIII. De ſenſibus externis principia vera. Auctor Libri qui de inquirenda veritate inſcribitur, confutatur.
XXIV. De facultatibus externis ſenſuum, deque actibus & voluptatibus eorundem, ubi errores Malebranchii de hoc argumento confutantur.
XXV. De quinque ſenſibus naturalibus.
XXVI. De facultate motrice, geſtibus, ſermone.
XXVII. De paſſionibus ſive affectibus.
XXVIII. Ex omnibus & ſingulis prærogativis homini conceſſis neceſſario confici, hominem ad vitam æternam prædeſtinatum fuiſſe.

LIBRI SECUNDI.

Cap. I. De Peccabilitate & labilitate hominis.
II. An poſſibile fuerit hominem labilem & liberum in gratia Dei ita confirmari, ut actu labi non potuiſſet? De Gratia ejusque diſpenſatione.
III. De Gratia præveniente, ſufficiente, efficaci & perſeverantiæ &c. Peccatum earum defectu factum non eſſe, cùm Deus eas vere dederit ſenſu ſuo vero, non imaginario illo, quo ſæpius paſſim accipiuntur.
IV. Deum non decreviſſe peccatum, imo nec ideam peccati habuiſſe, antequam peccatum exſtiterit. Quomodo Deus habeat ideam peccati.
V. Ideam eventûs peccati à DEO non eſſe. De peccati prævisione.
VI. Deum peccatum non permiſiſſe, & quomodo is eventum ejus impedire non potuerit.

VII. Pec-

VII. Peccatum à Libertate oriri. Tres difficultates de Libertate reſpectu Dei atque peccati.
VIII. De modo quo peccatum commiſſum eſt in genere.
IX. De fidelitate Angelorum bonorum.
X. De lapſu Angelorum rebellium.
XI. De initiis peccati hominis. Primi ejus gradus atque progreſſûs.
XII. Peccati hominis continuatio & conſummatio. Ejusdem hiſtoria.
XIII. De ſequelis peccati in homine ipſo & in natura rerum.
XIV. De peccato originali ſententiæ quinque afferuntur, quarum priores quatuor rejiciuntur.
XV. Peccati originalis poſitiva explicatio.
XVI. Objectiones contra peccatum originale earumque ſolutiones.
XVII. Sequuntur & objectiones aliæ contra peccatum originale, à Joh. Clerico promulgatæ : eæque diſſolvuntur.
XVIII. Concluſio Libri Secundi, reſpectu habito ad doctrinam Prædeſtinationis.

LIBRI TERTII.

Cap. I. Liberationem hominis nec ab Angelo, nec ab homine ipſo exſpectari poſſe.
II. Homini à Creaturis liberatio obtingere nequit; quæ potius inferni vicem eidem præſtabunt. Quid ſit Infernus corporeus. &c.
III. De Creaturis aliis, à quibus ſimiliter liberatio exſpectari non poteſt.
IV. Liberationem per Dei bonitatem poſſibilem eſſe; item de Juſtitia illi obſtante.
V. De JESU Chriſti interventione, merito atque interceſſione pro homine liberando.
VI. Modi generales quibus Deus in Reparatione homini procuranda uſus eſt.
VII. Proprietates operationis DEI qua hominis Reparationem

nem procurat. Duæ priores; 1. Eum peccatum dissimulare. 2. Animas immediate illuminare.

VIII. Proprietates seu modi agendi, quæ in operatione Gratiæ supersunt, porro explicantur. Tenebrarum impuritatumque contrariarum immensitas. Primus tactus DEI, horrorem incutiens. Delectatio præveniens. Amarities eidem succedens. Pax ac delectatio solida.

IX. Proprietates Gratiæ porro traduntur: Ejus abundantia efficaciaque. Peccatum in Spiritum S. Duo obstacula quæ Gratiam impediunt:

X. De ceremoniis & legibus moralibus in genere.

XI. Media externa Gratiæ triplicia, visio, revelatio & præcepta, eaque per septem ætates seu periodos varie dispensata. Prima Periodus. Prima infantia hominis.

XII. Secunda Periodus hominis. Diluvium. Apparitio, Revelatio, institutiones DEI Noacho factæ. Hujus Posteritas.

XIII. Status gentilium sub lege naturæ: Eos servari potuisse, & quosdam eorum vere servatos esse. Specimen doctrinæ admirabilis eorundem.

XIV. De oraculis DEI. Eorum scopus generalis: qua occasione de interpretatione Verbi DEI ac Sacrarum Literarum agitur, deque vanitate artis criticæ, præsertim profanæ illius, quam ad Scripturas interpretandas aut depravandas, rejectis Spiritûs DEI internis operationibus, obtrudere Christianismo nituntur.

XV. Revelationes divinæ sub primis periodis. Electio Abrahami & posterorum ipsius. Decretum DEI de illis.

XVI. Apparitio corporalis Christi, qua Israelitis apparuit. Natura ac Proprietas cultus Judaici, Ceremoniarum & Sacrificiorum.

XVII. Theoria sacrificiorum tum aliorum tum JESU Christi. De typis atque figuris.

XVIII. Quarta periodus hominis. Renovatio ceremoniarum, Apparitionis ac Revelationum divinarum, quarum intelligentia temporibus novissimis reservata fuit.

LI-

LIBRI QUARTI

Cap. I. Relapſus hominis. Nova interceſſio Jeſu Chriſti, qui ſeſe offert ad ſuggerenda ipſis extrema remedia, queis obſtacula removeri poſſunt Gratiæ internæ operationibus oppoſita.

II. De Tentationibus atque infirmitatibus quas Chriſtus per incarnationem ſuam ſuſcepit: & quam ob rem iisdem ſe ſubjecerit.

III. De perpeſſionibus Jesu Chriſti, ejusdemque Sacrificio & Satisfactione.

IV. Doctrina atque Revelationes J. Chriſti ſub hac periodo.

V. De ceremoniis Euangelicis. De Baptiſmo. De relaxatione, variatione atque abuſu Ceremoniarum.

VI. De Euchariſtia, ſive de Communione ſacra, & primo quidem, qualis illa in Eccleſia primitiva obſervabatur.

VII. De Euchariſtia, qualis in diverſis partibus ſectisve Chriſtianæ gentis obſervatur. De Schiſmatibus eorumque unione. Difficultates, quæ huc pertinent, ſolvuntur.

VIII. Utrum dentur Sacramenta alia. De Miniſterio Eccleſiæ & adminiſtratione Verbi divini aliarumque rerum ſacrarum.

IX. Sexta Periodus hominis. Chriſtiana gens in beſtiam & in meretricem degenerans. Sententia ejusdem damnatoria.

X. Ultima lumina Dei. Exſtirpatio Impiorum. Præſervatio & Renovatio Bonorum.

XI. Septima & ultima mundi Periodus. Terra renovabitur & Jeſus Chriſtus eam faciet gloriæ ſuæ thronum ac ſedem.

XII. Tempus atque duratio regni Jeſu Chriſti. Ejus Adventus. Regnum mille annorum. Prima Reſurrectio.

XIII. Suprema exciſio ac ſupplicia Impiorum.

XIV. Glorificatio Sanctorum & totius naturæ. Ordo qui in regno Chriſti futurus eſt. Gaudia & multiplicatio ſanctorum.

XV. De rebus ultimis quæ Universo huic accident. Ultima crisis Naturæ. Commotio Satanæ, Gog & Magog. Resurrectio universalis. Judicium generale. Aeternitas.

LIBRI QUINTI

Cap. I. De interiore operatione DEI contra hæresin Pelagianam.

II. De cooperatione hominis cum Gratia DEI: eam cooperationem liberam esse & veram, non vero prævenientem, &c. Ordo, connexio & particulares viæ operationis DEI & cooperationis hominis.

III. De Fide & primo quidem de Fide mortua.

IV. De Fide viva & vera; & 1. quid ea sit respectu habito ad desiderium. 2. de Fide ratione intellectûs. 3. de Vera Fide implicita.

V. De Purificatione animæ. Similitudo, aliæque observationes materiam porro illustrantes.

VI. De Purificatione animæ post mortem. Iis qui in gratia DEI mortui, perfectam tamen sanctitatem atque puritatem hac in vita non attigerant, post mortem statum quendam Purificationis superesse. Ejusdem veritatis continuata assertio.

VII. Difficultates sex purificationi post mortem oppositæ, earumque solutio.

VIII. De Justificatione. Justificationis veræ expositio & particulares ejus circumstantiæ, difficultatesque quæ de ea occurrunt.

IX. De Regeneratione, ubi in transitu de pace animæ. Difficultates nonnullæ de Regeneratorum statu. An mandata DEI servari possint. Objiciuntur quædam Scripturæ loca, quibus respondetur.

X. De Perseverantia. Regeneratos lapsu finali cadere posse. Difficultates ex Scriptura allatæ dissipantur.

LIBRI SEXTI

Cap. I. De Providentia divina qua DEUS hominem salvum voluit ante peccatum. Quinque sunt, in quibus ea saluti ejus prospexit. In quo consistant communicatio qua DEUS se ipsum creaturis impertit, causæ item reales causæque occasionales, tum DEI concursus, nec non generalitas, simplicitas, æquabilitas, (impartialitatem vulgo dicunt,) & singularitas regularum, viarum, actuum & electionis, quibus DEUS erga creaturas intelligentes utitur, suis ex fundamentis docetur. Requisitum alterum & tertium: Quartum & quintum eorum quæ ad beatitudinem requiruntur.

II. De Providentia divina pro salute hominis in ipso eventu peccati.

III. De Providentia qua Deus salutem hominis post lapsum ejus curavit. Quænam remedia obstaculis, in quæ homo incidit per lapsum, Providentia offerat & opponat. Causa occasionalis Gratiæ. Decretum Electionis.

IV. Principia & Systema Providentiæ, quatenus prævisionem mali ac boni post lapsum hominis respicit. Deum optare, ut malum, quod prævidet, non contingat; bonum verò possibile, quod prævidet, fiat: quam ob rem & operam suam ipse confert. Objectum Providentiæ speciale.

V. Quomodo DEUS hominem mundumque Christo reparandos donaverit: quomodo item Christus divina sua Providentia eis prospectum voluerit. Exempla, quæ ad omnes casus extendi debent. Adamus; ejusdem Posteri, & primo quidem Caïnus. Quomodo Providentia omnia iis procuraverit, quibus à malo revocari, & ad felicitatem promoveri poterant.

VI. De Providentia DEI in permittendis, dirigendis gubernandisque peccatis impiorum.

VII. De ſingulari Providentia Dei circa pios, ratione malorum quæ vel à creaturis, ab impiis atque à Diabolis iis obvenire, vel ipſimet admittere poſſunt.

VIII. Aequabilis Providentiæ univerſalis directio, qua toti poſteritati Sethi atque Noachi; tum probis, tum improbis, tum gentilibus, tum reliquis, hominibusque ſingulis tum ordinariis tum extraordinariis pariter proſpicit.

IX. De Providentia divina in periodis rerumpublicarum atque imperiorum. Fundamenta Politices.

X. De Prædictionum atque Prophetiarum divinarum veritate & certitudine, deque earum eventu.

XI. Syſtematis noſtri, quo doctrinam Gratiæ, Providentiæ atque Libertatis complexi ſumus, prærogativæ atque probationes; cæterorum item Syſtematum difficultates inſuperabiles.

XII. Difficultatum quas D. Juriæus modo oppoſuit, ſolutio ex noſtro Syſtemate. Ideam Entis infinite perfecti per illud integerrimam penitusque illæſam manere.

XIII. Artificiales difficultates quatuor eædemque principales, contra Syſtema Gratiæ univerſalis pro ſententia Supralapſariorum & doctrina Gratiæ particularis facientes. Earundem ſolutio.

XIV. Difficultates ex ſacris literis petitæ. Quinque fontes generales, unde earum ſolutio derivanda eſt. Reſpondetur ad loca nonnulla in ſpecie.

XV. Conſpectus generalis Epiſtolæ Pauli ad Romanos in XX. Propoſitiones diſtributæ. Octo priorum Capitum Synopſis.

XVI. Explicatio Capitis IX. Epiſtolæ hujus.

XVII. Obſervationes in Caput X. atque XI. & in reliquam partem Epiſtolæ ad Romanos.

XVIII. Monitum de univerſalitate Gratiæ quam noſtrum Syſtema tradit: hic amori proprio nullum præſidium eſſe aut quæri; cui amori proprio Pelagianorum Syſtema favet. Amor proprius objectum eſt directum reprobationis. Concluſio operis.

Elen-

ACCESSIO. F.

Elenchus CONTROVERSIARUM

quas in EXAMINE THEOLOGIÆ, *quam vocat*, NOVÆ *movit Dn.* JÆGERUS;

adjectis locis VINDICIARUM *ubi ad ſingulas reſpondetur.*

I. De Methodo à Poireto tradita.
Vid. *Vidiciarum Libr. I. Cap.* 5. item *Lib. IV. Cap.* 1.
II. De Theologia Comparativa.
Vid. *Vindiciarum Libr.* IV. *Cap.* 10. §. 6. *& ſeqq.*
III. De principio Theologiæ Chriſtianæ &c.
Vid. *Vindiciar.* Libr. I. Cap. 4.
IV. De principio & Origine SS. Trinitatis.
Vindiciar. Libr. I. *Cap.* 5.
V. De Vocibus ἀγράφοις in explicandis Myſteriis.
Vindiciar. Libr. IV. *Cap.* 2. §. 1. 2.
VI. De Scientia Divina.
Vindiciar. Libr. IV. Cap. 2. §. 3, 4.
VII. De Generatione Filii Dei ex Patre.
Vindiciar. Libr. IV. *Cap.* 2. §. 5. -- 11.
VIII. De aſſumta à Filio Dei Humanitate ante lapſum.
Vindiciar. Libr. IV. *Cap.* 3.
IX. De Spiritu Sancto.
Vindiciar. Libr. IV. *Cap.* 3. §. 10.
X. De Tribus Perſonis in Deo.
Vindiciar. Libr. IV. Cap. 2. §. 12. & *ſeqq.*
XI. De origine creaturarum ex parte Dei.
Vindiciar. Libr. IV. Cap. 4.
XII. De anima; an ſit ex nihilo producta.
Vindiciar. Libr. IV. *Cap.* 5.
XIII. De corpore primi hominis.
Vindiciar. Libr. IV. *Cap.* 6. §. 6, 7. 8.
XIV. De imagine Dei in homine.
Vindiciar. Libr. IV. *Cap.* 6. §. 1--5.
XV. De uxore ex Adamo facta &c.
Vindiciar. Libr. IV. *Cap.* 6. §. 9--13.
XVI. De imputatione peccati Adamici.
Vindiciar. Libr. III. *Cap.* 1.
XVII. De ſemine mulieris.
Vindiciar. Libr. IV. *Cap.* 6. §. 14--16.

XVIII. De pœnarum peccati æternitate &c.
Vindiciar. Libr. III. *Cap.* 3.

XIX. De Reparatione generis humani per Christum.
Vindiciar. Libr. III. *Cap.* 14.

XX. De Satisfactione Christi pœnali &c.
Vindiciar. Libr. III. *Cap.* 5. §. 1--14.

XXI. De A. Bourignoniæ sententia de Satisfactione Christi.
Vindiciar. Libr. III. Cap. 5. §. 15--32.

XXII. De salute gentilium.
Vindiciar. Libr. IV. *Cap.* 7.

XXIII. De Sacramentis.
Vindiciar. Libr. II. *Cap.* 3.

XXIV. De Baptismo infantum.
Vindiciar. Libr. II. *Cap.* 4. §. 1, 2.

XXV. De valore Baptismi ab impio facti &c.
Vindiciar. Libr. II. *Cap.* 4. §. 3, 4.

XXVI. An talis baptismus repetendus sit? &c.
Vindiciar. Libr. II. *Cap.* 4. §. 5, 6.

XXVII. De Sacra Cœna.
Vindiciar. Libr. II. *Cap.* 5.

XXVIII. De Verbi & Sacramentorum efficacia.
Vindiciar. Libr. II. *Cap.* 2.

XXIX. De Cooperatione hominis cum Deo.
Vindiciar. Libr. III. *Cap.* 6.

XXX. De Fide.
Vindiciar. Libr. III. *Cap.* 2.

XXXI. De Purificatione animæ post mortem.
Vindiciar. Libr. IV. *Cap.* 8.

XXXII. De Justificatione.
Vindiciar. Libr. III. *Cap.* 7.

XXXIII. De Regeneratione & mandatorum Dei observatione &c.
Vindiciar. Libr. III. *Cap.* 8, 9, 10. adde *Libr.* II. *Cap.* 6.

XXXIV. De Regno Christi in terris.
Vindiciar. Libr. IV. *Cap.* 9.

A C-

ACCESSIO G.

In Dissertationum Anti-Poiretianarum

D. JOACH. LANGII

Dodecadem priorem

STRICTURÆ BREVES.

Typographus Lectori.

JAm ad finem properabant operæ noſtræ, cum è Germania de improviſo nobis tranſmittuntur *Strictura* nonnullæ breviores *in* D. Joach. Langii *Diſſertationum Anti-Poiretianarum Dodecadem priorem*. Itaque rati earum publicationem Lectoribus nonnullis, poſt viſa in Præfatione Generali, non ingratam, imo nec inutilem fore, non dubitavimus eaſdem huic Volumini, quaſi Coronidis loco, ſubjicere. Quodſi verba quibus Auctor earum uti voluit, duriuſcula aliquando videantur, ea procul dubio accuſationum iniquiſſimarum in Virum bonorum omnium calculo piiſſimum doctiſſimumque, mira cum αὐθαδείᾳ intentarum, & largo fere ſale inſultationum inſolentiſſimarum injurioſiſſimarumque deriſionum conditarum, indignitas eidem expreſſit. Vale Lector candide, & noli ex aſpectu judicare, ſed juſtum ut judicium facias, cura.

ΔΩ-

J. N. J.

ΔΩΔΕΚΑΜΩΡΙ'Α (*) LANGIANA

In Dodecade

DISSERTATIONUM ANTI-POIRETIANARUM & ſimul ANTI-SOCINIANARUM

conſpicua.

ſeu

In dictas Diſſertationes STRICTURÆ breves.

I. T*Urpe eſt Doctori cum culpa redarguit ipſum!* & jam olim ridiculas exhibuere fabellas popello *οἱ ἑαυτὸς τιμωρέμενοι*. Vix per ſomnium, ante aliquod temporis ſpatium, cordatiorum quivis cogitaſſet fore ut Joachimus Langius Hallenſium famoſus Theologiæ Doctor, in horum ordinem diſceſſurus, orbique literato ac pie eruditis quibuſvis ſpectaculum ſtupendum abreptæ in Hæretificationem pudendam mentis, effrænis item calumniandi libidinis, editurus eſſet, poſtquam ipſe tam graviter in alios hujus criminis manifeſtos detonarat, ac de *μέτρῳ*, in rebus etiam fidei & capitibus pietatis, *ἀρίςῳ* prolixe commentatus erat. Scilicet hominibus placiturus veritatis æquitatiſque divinæ cultorem ſincerum ſe præbere amplius nequibat. Poſtliminio quaſi laureolam Orthodoxiæ vulgaris & ſumme ſectariæ recuperare ſtabat ſententiâ: hinc deſerto boni diſputatoris officio ſpartam malitioſi Sophiſtæ ornare proficuum videbatur, & adulatione abjecta viliſſimaque iis adrepere, quos antea ſolidioris Theologiæ expertes ſecum procul dubio judicarat. Plagiaria librorum Poiretianorum *de Eruditione ſolida, ſuperficiaria & falſa* deſcriptio notam Heterodoxiæ, jam antea illitam, novis coloribus conſpe-

I. *Oppoſitionum Langianarum fontes.*

(*) De Moria ſeu ſtultitia docta fuſe egit D. Langius in ſua *Medicina Mentis.*

ctiorem reddiderat; hanc absterſurus Langius nulla religione, nulla conſcientia, nullo pudore retinebatur quin ſemetipſum in extrema Hæretificum improbiſſimorum caſtra trajiceret, Jægerum Tubingenſis Academiæ Cancellarium percelebrem, ſubito ſibi venerabilem Theologum redditum, exemplar ſtatuens, cujus veſtigia, in calumniatorie coarguendo Poireto, arctiſſimè premeret. Huic reſponſa ſibi dicta putet Langius, qui tamen cum Jægero certaſſe videtur, uter illorum alteri palmam præriperet, maximoſque in Moroſophia progreſſus feciſſet ſectaria, quam Langius in *Medicina Mentis* ex Poireto *Parte VI. Cap. IV.* §. 32. *Edit. Secunda* inter alia encomia *diſputatricem*, *calumniatricem*, *perſecutricem* ſalutavit.

Heus, Medice! cura teipſum; cures præprimis probe probeque expendendo unde & quouſque cecideris. Siſte te, Langi, tanquam coram ſpeculo ad Caput quartum & quintum Partis ſextæ in citata Mentis Medicina. Excute in conſpectu Dei, quam appello, conſcientiam tuam ad deſcriptam ibidem Moroſophiæ indolem expoſitoſque ejuſdem characteres, ut te ipſum agnoſcas, ac perſpicias, quam turpe ſit, obliquum petere ſcopum & Hæreticopœia inclareſcere velle, nec non ſymbolatria mentem inquinare, veritati puræ deſtinatam. Juvabo quantum in me eſt hoc αὐτογνωσίας exercitium perquam neceſſarium, paucis indicando quanta μωρία δώδεκας diſſertationum tuarum Anti-Poiretianarum ſcateat, ut eadem non immerito Titulum δωδεκαμωρίας auferre poſſit. Dura fortaſſis quibuſdam habebitur denominatio, quam tamen indignitas rei expreſſit ſerio expendenti, à Langio, artes Moroſophorum calumniantium & ſophiſticorum experto & execrato, pietatiſque exquiſitioris jactatore, bonum Virum peſſimè ac ſummè impia cum cavillatione, verbo, omnino Moroſophicè, tractatum, hacque ratione, deliberato animo, in præcepta alias ab eodem ipſo tradita, peccatum fuiſſe ut illi jam occinendum ſit: *Tuo te gladio jugulo*; aut quæ Servatoris ſententia eſt: *E verbis tuis te judico.*

II. *In ejuſdem Diſſertationes Strictura generales.* II. Nolo res ipſas à Langio impugnatas prolixius defendendas in me ſuſcipere, cum de iiſdem à Poireto ipſo in libro contra Jægerum compoſito abunde actum eſſe nullus dubitem; è Langii modo procedendi & diſputandi demonſtratum dabo, neglectis

ctis Sapientiæ sinceræ & Interpretationis æquæ legibus, ab ipso, Morosophiæ ductu, calumniæ plusquam sophisticæ litatum fuisse. Præmittam quædam generatim, deinceps singulas δωδεκαμωρίας tuæ partes percursurus, & ob oculos tibi, mi Langi, ponam, quod in *Medicina Mentis Part. IV. Cap. III.* §. 6. incul-
„ casti præceptum de accurate considerandâ scriptorum expo-
„ nendorum συναφείᾳ, sincereque ac attente expendendis antecedentibus & consequentibus, iisque *vel proximè vel remote* talibus &c. Ea enim, præter Oeconomiam Poiretus ante & post hujus editionem, partim à se ipso elaborata, in publicum emisit, partim ab aliis composita luci reddidit, quæ mentem illius affatim exponunt, illumque plurimis, quos tu ei impingere voluisti erroribus apud æquos rerum judices omnino absolvunt, quibus videlicet sedet imis præcordiis Apostoli monitum (2. Timoth. II. 14. collato 1. Tim. VI. 4.) Hæc suggere, obtestans in *conspectu Domini* ne *de verbis* pugnent, ne insaniant *circa quæstiones*, quod nullam adfert utilitatem, sed unde nascuntur invidia, lis, maledicentiæ, suspiciones malæ. Nonne, ex. gr. unicus Poireto tantopere adamatus & concelebratus Thomas à Kempis perquam facillimè omnes tricas dissolvere potuisset, quas tute tibi veteratorio artificio de officio & beneficiis Servatoris Jesu Christi, iisque quæ eò pertinent, è maligne corruptis & distortis Poireti Scriptis, nectere voluisti? Commentatio Poiretiana de Eruditione multos annos post Oeconomiam cum orbe literato communicata, per quam tu olim insigniter profecisti, te utique à rapiendis in sequiorem sensum prioribus absterrere debuisset. Cuncta Poireti Opera tantum non in omnibus eorundem lineis summam Sociniani dogmatis aversionem spirant; attamen à te neque pudor neque religio impetrare potuit quin acerrimo Socinianorum Adversario dicam Socinianismi scriberes, huncque egregio illo Theologorum splendidè orthodoxorum argumento ab invidia ducto, impugnare ac exosum reddere conareris. Restitit primo nondum penitus subversa conscientia ne statim ab initio inanis ἀντιλογίας atrox illa accusatio flagraret, mox autem occalluit mens læva nullaque amplius dubitavit, Titulum Dissertationum *Anti-Poiretianarum* verbis: *& simul Anti-Socinianarum*, augere an ornare, ut omnibus patefieret scilicet Socinianum

virus, in oppugnato Poireto, quam maxime peti. Mirari ſubit Hallenſium Theologos hæc talia in Collega probare ferreve potuiſſe, nam omnes ex æquo erga Langii auſa ejusmodi animatos fuiſſe atque eſſe, multis nominibus credibile non eſt; quo enim ſolidior Theologiæ veræ notitia, quo exactior Theologica prudentia, quo ſincerior Theologica pietas, eo magis horret ac indignatur animus δόξαν ἐν αἰσχύνῃ quærere, aliorum calumnioſa infamatione famam zeloſi Orthodoxiæ Propugnatoris aucupari, verba itidem captare ut res obſcurentur; denique in ſummo Doctoris Theologiæ gradu poſitum oblitum eſſe praxeos catecheticarum veritatum, quibus jubemus *omnia, quoad ejus tantummodo fieri poteſt, in meliorem partem interpretari*. Sunt equidem qui putant dicuntque Langii pugnacitatem præſentem à reliquis Hallenſium Theologis in ſe haud probari, ſed nonnullos forte illo uti, quem feris rixatoribus objiciant, quemadmodum olim Rex Angliæ Hobbeſium ſimilem in finem aluiſſe dicitur. Aſt debuiſſent ſaltem cavere ſi qui hujusmodi conſilii auctores participesve ſunt, ne pacifici & probi impeterentur, ne dicam conſilium iſtud magis Politicam aſtutam, quam Theologiam candidam redolere. Quicquid autem hujus ſit, cum quæ alii hac de cauſſa aſſerunt, noſtra facere nolimus, patebit certè quidem Langium, in allatrando Poireto, non tantum generatim contra boni interpretis leges peccaſſe, ſed hac methodo ſophiſtica & calumnioſa in ſingulis Δωδεκαμωρίας ſuæ diſſertationibus ſtrenuum perrexiſſe, & ſi ſcapha ſcapha dicenda, Poireti commentationes allegaſſe, quemadmodum, quod in proverbio dicitur, Satanas Scripturam.

III. *Strictura ſpecialiores in Diſſertationem primam.*

„ III. Prima Δωδεκαμωρίας Langianæ Diſſertatio quiritatur „ Poiretum doctrinam Evangelicam de Satisfactione & Juſtifi- „ catione perperam patrocinii impietati præſtiti poſtulaſſe &c. Eſt quod de vocabulis prius moneam, quam ad excutiendam negotii ipſius naturam progrediar. *Doctrina Evangelica* nomen ab Evangelio, id eſt, à doctrina ipſius Servatoris Apoſtolorumque ejus & Evangeliſtarum traxit, quam nemo Chriſtianorum, qui ſanæ mentis eſt, patronam impietatis dicet, & tantæ veſaniæ Poiretum fuiſſe vel ipſe Langius erubeſcet adhuc adfirmare. Hic probaturus Poiretum in doctrinam Euangelicam injurium extitiſſe, provocat ad Catechiſmi Heidelbergenſis quæſtionem & reſponſionem

sionem Poireto non satis accuratam visam & eo compositam modo, qui facile in abusum pessimum inducere posset. Ergone, mi Langi, Catechismus Heidelbergensis, Liber Reformatorum Symbolicus, Evangelio ipsi, præsertim quod ad rationem loquendi & modum proponendi attinet, æquiparandus, isque in ipsissimum Evangelium deliquisse dicendus erit, qui dolet in tali libello quædam dogmata, in se & quoad fundum omnino vera, hinc inde minus circumspecte, minus accurate expressa fuisse? Hæccine nisi *Symbololatria* tibi olim valde exosa fuerit (Medicina Mentis Parte VI. C. IV. §. 17.) quid hoc nomine veniat me non intelligere ingenuus fateor. Ast ad rem!

Ut pudendæ Sophistices Langianæ technæ cunctis patefiant hic exponam consideranda, quæ Poiretus ipse confessus est, scripsitque, nec non quomodo truncatè & cavillatoriè Langius sententiam Poireti retulerit; nam quæ ordinariis litteris impressa videbis, Lector candide, scias à Langio sinistre omissa, allatis tantummodo iis, quæ Italico repræsentantur charactere.

„ Ut perfectam quis, (ait Poiretus Monito II. ad Librum IV.
„ Oeconomiæ,) assequatur ideam omnium illorum quæ ad In-
„ carnationem, Passionem & Satisfactionem Jesu Christi perti-
„ nent, oportet tribus primis hujusce Libri Capitibus jungere IV,
„ V. & XVII Libri præcedentis, & articulos 36, 37, 38, 39 Capi-
„ tis VIII. Libri sequentis. Procul dubio displicebit nonnullis, quod
„ minime locum dederim theoriæ huic Scholasticæ, scilicet
„ quum vindex Dei Justitia requireret satisfactionem per infini-
„ tas passiones, quales à nobis haud poterant persolvi, eam ob
„ causam necessarium fuisse Jesu Christi adventum, ut patien-
„ do vice nostrâ fungeretur nostrique in locum substitueretur.
„ Nemo tam in Theologicis hospes est, quin sciat, jam du-
„ dum cogitatum istud Scholasticum solidioribus & maxime or-
„ thodoxis Theologis fuisse suspectum, qui eo ipso Socinia-
„ nis paratam esse insultandi ansam conqueruntur, dum hi specu-
„ lationem istam per rationes, quas illi fere indissolubiles repu-
„ tant, nullo negotio evertentes, hinc occasionem sumunt ar-
„ morum queis contra ipsos pugnatur, imbecillitatem exagi-
„ tandi; atque Orthodoxorum illi censent, necessitatem passio-
„ num Christi rectius à Veritate Dei ejusdemque Oraculis de-

„ duci, quibus eædem prædictæ non possunt non impleri, tam „ ad salutem nostram, (quo cuncta Dei molimina tendunt,) „ quàm ad asserendam Dei veracitatem, sic ut non sit opus ut „ quis anxie expendat an non ejusdem Justitia ac Potentia rem „ secus perficere potuissent. *Quod ad me attinet, si Scholastica „ isthæc commentatio sanctificationis incentivum hominibus esse posset, „ certe eandem, quamvis falsam, nequaquam rejicerem: tanti enim „ non est, quo quis pacto rationes ac causas passionum Domini conci- „ piat, quam ut ad verum ejus vitæ mortisque scopum tendat, qui, „ monente S. Paulo, est, quò nos redimeret ab omni iniquitate, & „ emundaret sibi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum.* „ (Tit. 2: 14). *At quum illa sanctificationi potius obluctetur quam „ prosit, (saltem plurimorum respectu,) facile eandem & ego reli- „ qui, proferendo genuinas istius agendi modi, quem amplexus est „ Servator, quarum quidem epitome habetur* §. 11, 12. & 13 *Cap.* „ I. *hujus Libri, quarumque primariæ absolvuntur conformitate & „ imitatione Christi, ac necessitate moriendi peccato, atque viven- „ di Justitiæ. Huc demum referri debet totum istud negotium: „ alioqui, quamvis Christus Dominus sexcenties se tradidisset, ta- „ men, si homines morti ipsius minime redderentur conformes, nul- „ lius peccati remissio, ablutio, nec expiatio, nulla cum Deo re- „ conciliatio, nullaque salus ulli eorum obtingere posset.*

„ Non solum Sacræ Literæ de cogitatione ista Scholastica „ plane silent; sed primis quoque Christianis, de necessitate „ Incarnationis & Passionis Jesu Christi ex professo differenti- „ bus, nunquam ea in mentem venit; nullas enim tum alias „ proferebant rationes, quam quæ huc conspirarent, eum ocu- „ lis & auribus mortalium se exposuisse, quò hi redderent se ip- „ si conformes. Quod homo est, (*a*) inquit S. Cyprianus, esse „ Christus voluit, ut & homo possit esse quod Christus est. „ Evolve v. g. Divinas Institutiones Lactantii Libr. IV. Capp. „ 22, 23, 24, 25 & 26, ubi piissimus hic, Patrumque Lati- „ norum facundissimus Scriptor testatur, se omnes nervos in- „ tendere ad enodandam cunctis hanc quæstionem, Quare Deus „ corpus fragile & mortale assumserit, eoque ipso cum infirmi- „ tate & doloribus vitam transegerit, ignominiosa demum mor- „ te finitam. Ne verbulo quidem de vulgatissima illa Scho-

„ lasti-

(*a*) Cypr. de Idolorum vanitate.

„ lasticorum opinione in medium prolato, tota ejus responsio „ unice eò redit, Deum voluisse homines inducere ad exercen- „ dam ejus Doctrinam, ad ipsum imitandum, ad repudiandos „ carnis suæ impulsus, ad cohibendos peccati in se motus, cos- „ demque enecandos, ad juste vivendum, ad cunctas suas affli- „ ctiones patienter sustinendas; & ut ipsis omnes exemplo suo „ eriperet prætextus, omnemque doctrinæ istius jugo sese sub- „ trahendi ansam removeret; atque sic eos per crucis viam ad „ beatam immortalitatem perduceret. Nil legi potest excellen- „ tius iis quæ Auctor modo nominatus de argumento isthoc „ quinque istis Capitibus disserit; quorum transscriptio hanc „ Præfationem nimis augeret, proinde quosvis curiosos ac doctos „ (quibus hujusmodi disceptatio cordi est) ad ipsum Auctorem „ evolvendum remitto.

„ Repeto, ne quis sibi hic anxie difficultatem figat, cuivis „ per me licere sua vulgari isthæc explicandi ratione ac via uti, „ modo ex ea eliciat, non (ut vulgo fit) majorem & securio- „ rem peccandi licentiam; sed majorem peccati fugam, animæ „ sanctimoniam, majoremque Dei amorem, quæ omnium „ scopus sunt. Agnosco præterea ex animo Passionis Domini „ Sapientiam tam esse profundam, ut quæ eam respiciunt, nun- „ quam satis possint ab ullo exhauriri; ita ut rationes ejus, quæ „ hic recensitæ sunt & positæ, nequaquam omnem in ea ex- „ hauriant numerum: Ac licet exclusivo modo sint prolatæ, „ hoc sic sumi velim, me voluisse ita denotare, ceteras mihi „ quæsitæ rei rationes non occurrisse, aut clarius perspectas „ non fuisse; imo, mihi visum esse, ea quæ exclusa expresse „ sunt, expedire eo tempore ex hominum (iisdem abutentium) „ consideratione excludi. Denique cum substitutio duplici sensu „ possit sumi, altero exclusivo, quo peccator Christum ita pro „ se vult substitui, ut se ipse interim ab ejus imitatione & con- „ formitate excludat & excipiat: altero inclusivo, quo homo „ per gratiam Christi sese ejus vitæ ac morti conformans, nec „ tamen se reputans adhuc dignum qui coram Deo Patre se „ sistat, insinuat se in Christum, eoque indutus, sive in eo la- „ tens, eum pro se, (latente & absorpto in illo,) substituit ac „ offert Patri, atque ita in Christo coram Patre se sistit. Prio-

„ rem

„ rem ſubſtitutionem, ubique fere obtinentem, ſolam volui re-
„ jectam: alteram minime. Quod quidem obſervatum volui.

Et in dicto Libr. IV Oeconomiæ Divinæ Cap. III §. 8, 9 „ & 10, Tom. II. pag. 84, 85 & 86. „ jam ſupra, inquit, mo- „ nui, in Sacrificio Chriſti ſeparanda non eſſe ea quæ ibidem „ unita erant. Quamvis enim nobis exemplo eſſe debeat, abſit „ tamen ut hoc prætextu ſolum & nudum exemplum in eo „ ſpectemus, cetera autem bona, quæ eidem inſeparabili vin- „ culo connexa adhærent, Meritum puta, Satisfactionem, vir- „ tutem divinam ac gratiam ſalutarem ab eodem ſeparemus. „ *Solum hoc commentum infeliciſſimum ſubſtitutionis exemtionisque* „ *pro vetere homine, eidem detrahendum eſt, ſiquidem vetus ille* „ *homo obtentu Juſtitiam Dei non potuiſſe placari niſi ſanguine dolo-* „ *ribusque infinitis quos homo ipſe ei perſolvere non poterat, totum* „ *hoc negotium à ſe devolvere voluit.* Ex quibus perſpicuum eſt, „ nulla ratione contra veritates haſce id opponi poſſe quod con- „ tra hæreſin Socinianorum opponi ſolet, quibus docentibus, „ Chriſtum ideo tantùm paſſum ut nobis exemplum daret, ob- „ jicitur, ſiquidem ſolum hic exemplum ſpectari debeat, Pro- „ phetam nudum, aut Apoſtolum aliquem huic exemplo dan- „ do ſufficere potuiſſe. Graviſſimæ enim ſunt cauſæ quæ idem „ nobis objici non ſinunt, qui dicimus, Chriſtum Divinitati per- „ ſonaliter unitum, per merita ſua infinita quibus Juſtitiæ Dei „ ſatisfactum eſt, gratiam atque veniam hominibus impetraſſe, „ ſimul dum principium vitæ iisdem daret cum exemplo ſuo di- „ vino ac vivificante; quod ſane nudum exemplum non eſt, „ nec tale, quod à nuda creatura proficiſci poteſt.

„ Equidem exemplum nudum, veluti Sancti cujusdam Pro- „ phetæ aut Apoſtoli, majus quid foret efficaciusque ſacrificio „ animalium: at id ipſum tamen illi ſoli ſalutare eſſet qui hac „ ratione ſemet ipſum immolaret Deo, neque vero meritum in- „ finitum haberet pro iis pro quibus interceditur, quod certe „ ſacrificium Chriſti habuit, neque ſatisfactorium foret, aut „ omnia ſatis ſufficienterque faceret ad miſericordiam Dei ho- „ minibus omnibus reconciliandam; neque etiam omnibus iis „ quæ in neceſſitatibus omnibus ſalutis hominibus procurandæ „ requiruntur, ſufficeret aut ſatisfaceret. Atqui Sacrificium

„ exem-

„ exemplare Christi hæc omnia conjuncta habet, ita ut simul
„ & meritorium sit, & satisfactorium. Hoc dum adest, pec-
„ catoribus omnibus qui idem participare atque imitari volunt,
„ nihil deest. Quicunque peccatis suis in Christo mori vult,
„ veretur tamen ne per peccata præterita veniâ, gratiâque &
„ viribus necessariis indignus sit; is, etiamsi peccata omnia
„ omnium hominum solus admisisset, poterit tamen iis non ob-
„ stantibus ad Deum recurrere eumque inclamare. Quamvis
„ propter peccata mea præterita gratiâ ac veniâ indignus sim, ni-
„ hilominus offero tibi nunc, ô Domine, oblationem Filii tui
„ dilectissimi in cruce præstitam, ac per Amorem hunc, quo
„ Filium dilectionis tuæ amas, perque Amorem illum immen-
„ sum quo ille peccatores complexus est, quoque impulsus pre-
„ ces suas pro iis apud te interposuit mediis in miseriis gravissi-
„ mis, quas susceperat ut salutis media iisdem procuraret, oro
„ te atque obtestor, ut gratiam tuam atque opem quam nullus
„ mereor, mihi non deneges; sed iisdem mihi adesse, ac de-
„ meritum meum merito Amoris ejus qui pro me intercessit
„ ac passus est, supplere velis. Hæ certe preces aut similes à
„ Deo nulla ratione rejici possunt.

Palpasne manibus, mi Lector vel naturaliter candide, & tantillum ab excæcato plane partium studio aliene, ex collatione eorum quæ Poiretus scripsit, & quæ Langius inde carptim evulsa, ceu plenam Poireti sententiam proposuit, incredibilem Langii calumniandi libidinem & imponendi lectoribus audaciam effrænem? Poiretus sceleratissimum sanæ de substitutione & satisfactione doctrinæ abusum notavit; Langius ejus dicta in ipsam doctrinam perfricta fronte detorquet, & quæ averruncandæ huic calumniæ Poiretus prudenter monuerat, impudenter omittit, ac inconsideratissime Lutheranæ Ecclesiæ præceptiones esse asserit damnata merito à Poireto somnia hominum, veritatem fundamentalem evertentium, ut notatis alias Jægeri vestigiis quam exactissime insisteret. Appello cæterum, Langi, tuam, si adhuc aliquam in hujus generis rebus habueris, conscientiam, annon verba Catechismi Heidelbergensis, quæ tu privato auso doctrinam universæ Ecclesiæ Evangelicæ esse assevcras, longe cautius curatiusque formari potuissent, debuissent. Novi equi-

dem in cæteris dicti Cathechiſmi partibus melius explicari, quæ ab initio ſatis inconſideratè poſita ſunt, aſt propterea eadem haud quaquam Evangelio à Sapientiſſimo Dei Spiritu ubique circumſpectiſſimè tradito æquiparanda & omnis nævi expertia laudanda erant. Nonne manifeſtiſſime inter ſe & cum Scriptura ſacra pugnant: vera fide præditum *& adhuc etiamnum ad omne malum propenſum eſſe.* Corde credente beneficia Chriſti amplexum fuiſſe, & conſcientia dictante nullum mandatorum divinorum adhuc ſervaſſe? Ac Deo juſtum reputari adhuc injuſtiſſimum, quibusvis malis propenſionibus plenum, omni bono vacuum? Quis te docuit hæc ἀσύςατα & abſurda doctrinæ Evangelicæ titulo ornare? Ergone, Paulo nequicquam contradicente, 2. Cor. VI. 14, 15, 16. conſortium quoddam juſtitiæ cum legis transgreſſione, communio quædam lucis cum tenebris, concordia Chriſti cum Belial, portio fidelis cum infideli, conſenſio templi Dei cum ſimulacris erit. Præſtitiſſet ſane verba inconſulte poſita melioris mentis ſententia hinc inde ſparſa mollire excuſareque, quam eadem pronunciatis Evangelii ab omni labe puriſſimi paria jactare, aliis itidem hoc modo anſam dare, cœtibus Evangelicis, tanquam à vertiginoſo contradictionis ſpiritu actis, & impurum pro puro habentibus, patronis denique fidei mortuæ inſultandi. A te citata pag. 32. Diſſertationis Moroſophicæ tuæ primæ Symbolicorum tuorum librorum effata cautiorem te reddere potuiſſent, niſi mens hæretificandi libidine excæcata læviſſima evaſiſſet. Deſcribitur enim in illis fides juſtifica ut divinum quoddam opus in credentibus exiſtens, quo homines in corde, anima *& omnibus viribus* immutentur, ex Deo regenerentur, ad quævis bona opera promtiſſimi expeditiſſimi reddantur, vetus Adam mortificetur: Tu è contrario nobis è Catechiſmo Heidelbergenſi fidem juſtificam celebras, quacum propenſio ad omne malum, abſentiaque omnis boni operis ad mandata Dei perpetrandi, conſiſtere poſſit, quamvis bonorum operum maximum optimumque ipſa vera fides ſit. Egregium ſcilicet Evangelium! cui non aſſenſiſſe piaculi inſtar eſt. Eheu! quam male conſulitur Eccleſiæ ubi, qui ſal ejusdem eſſe debuerant, infatuati fuerint. Matth. V. 13. & qui Doctores legis dici volebant, quæ loquuntur & de quibus aſſeverant, ipſi non intelligant.

gant. 1. Tim. I. 7. I nunc, mi Langi, & vociferare Poiretum se ψευδομαρτυρίας crimine obstrinxisse, dolentem quasdam Evangelicorum nomine superbientes horribilem quandam Justificationis ideam sibi effingere. pag. 34 citatæ tuæ Dissertationis primæ. Omnino ad æternum exitium rapitur, qui sibi persuadet se, ad omne malum adhuc propensum, vera fide præditum ac in statu salvificæ Justificationis existere. Quam tu, in distorquendis Poireti verbis, omnium oculis exposuisti miram animi στρεβλότητα, supra instituta disputatio in apricum produxit. Sed satis de hisce.

IV. Accedamus jam ad alterum Δωδεκαμωρίας tuæ specimen in secunda tua *Dissertationum Anti-Poiretianarum* &, quod exornandæ scenæ jam addere placuerat, *Anti-Socinianarum* editum. Phrenesis insignis quandoque lucidis aliquibus intervallis per benignitatem Numinis eximiam gaudere, finis secundæ tuæ Dissertationis, cum ejusdem inscriptione comparatus, planum facit. Quis nisi phreneticus, ausus fuisset Poireto Socinianismi dicam scribere libro IV. Oeconomiæ sacræ Cap. III. §. 9. p. 85. professo: IV. *In Dissertationem Secundam.*

„ Ex quibus perspicuum est, nulla ratione contra veritates
„ hasce id opponi posse quod contra hæresin Socinianorum op-
„ poni solet, quibus docentibus, Christum ideo tantùm passum
„ ut nobis exemplum daret, objicitur, siquidem solum hic
„ exemplum spectari debeat, Prophetam nudum, aut Apostolum
„ lum aliquem huic exemplo dando sufficere potuisse. Gravissi-
„ mæ enim sunt causæ quæ idem nobis objici non sinunt, qui
„ dicimus, Christum Divinitati personaliter unitum, per merita
„ sua infinita, quibus Justitiæ Dei satisfactum est, gratiam atque
„ veniam hominibus impetrasse. „

Ad se paululum rediit turbata mens Langii pag. 32. Dissert. II. fulgore veritatis tacta, malignitate morbi tamen mox affulgentem sanitatem repellente. En verba: „ Poiretum in Doctri-
„ na de Deo & aliis nonnullis, quas Socinianum virus atten-
„ tavit, Socinianis *nequaquam annumero*: doleo tamen ipsum in
„ aliis maximi momenti dogmatis ipsorum partes tueri, *saltem*
„ istorum armis pugnare, nec tradere saniora. „

Utinam mens penitus & constanter sana hæc scribendi Lan-

gio fuiſſet! turbidis enim tunc atque irrequietis viſis neque ſibi ipſa, neque aliis moleſtiam creaſſet inutiliter operoſa in nugis imaginariis, per totam Diſſertationem ſecundam tragoedias agendo. De JUSTITIA ſiquidem Dei, etiam quam vocant *ultricem* ſeu *vindicativam*, (à quibusdam conceptuum metaphyſicorum ſubtilitatibus ad conſequendam ſalutem nil facientibus ſi diſceſſeris,) eadem habet Poiretus quæ Langio probantur. Parum intererit pœnis divinis obnoxio utrum illas *poſitive* an *directive* à Numine immitti ſpeculatus fuerit: Confer Poireti, quæ ipſe Langius, Sect. II. Diſputat. II. §. 3. pag. 27, adducit verba. De pœnis iis vitandis aut emolliendis omnis quæſtio capitalis obverſatur. „ Qui à partium ſtudio ſobrius philoſophari didice-„ rit interim omnino confitebitur candidus, ſeſe æquè difficul-„ ter concipere poſſe, quomodo Deus merum bonum, mera „ dulcedo, mera ſuavitas, ſe, *ex ſua natura*, ut malum, ac ut „ rem acerbam ſentiendum præbere poſſit & velit, ac abſur-„ dum ſibi perpetuo videbitur affirmare mel guſtum fellis ex ſe „ unquam redditurum. „ Quæ tirunculis Theologiæ theticæ inculcari ſolet diſtinctio cautioque, de ἀνθρωποπαθῶς, quà Deum, dictis, θεοπρεπῶς interpretandis, bonus Langius malè neglexit, qua parte illius maxima habenda fuiſſet ratio, id eſt, in ira & vindicta Numini attributa, ne huic adſcriberentur quæ communis hominum notio averſatur execraturque, delectari nempe aliorum cruciatu, eo inimicos non poſſe non afficere, in horum tormentis honorem atque excellentiam, imo complementum beatitudinis quærere. Quis talia probaret in Judice mere humano? Ut Langius inſcitiam rerum moralium civiliumque prodat, quando in diem argutari non erubeſcit Sectione I Propoſitione IV. §. 4. pag. 16. ad judices humanos provocans. „ Horumne ali-„ quis pœnam, ut pœnam, id eſt, *eâ intentione præciſa*, reſpicit, ut „ mala patiatur, qui male fecit? Grotium hac in parte allegare de Jure belli & pacis II. 20. §. 6. n. 2. nimis ex tua ſententia Socinizantem non audeo; Puffendorffii præceptionibus, Juris Naturæ & Gentium Libro VIII. Cap. III. §. 8. ſeq. ne nimium rationis amorem objicias vereor; Budæum tamen audire credo, non aſpernaberis, qui in Elementis Philoſophiæ practicæ Parte II. Cap. 5. p. t. parte III. Cap. V. Sect. V. §. 10.

pœna-

pœnarum finem & modum medicinalem statuit. Capitalis autem error Poireti est Langio, quando ille asseveravit: „ Deum „ apud peccatorem, & circa peccata, in puniendis his, Medi„ ci partes obire. „ Inani opera Langius supersedere potuisset, nisi sectarius λογομαχίας furor omnia alia suasisset. Nam Justitiam Dei ultricem seu vindicem, pœnam damni & sensus, satisfactionis necessitatem ac meritum ipse concedit & adstruit Poiretus, eum in modum ut, post multas supervacaneas quiritationes, vis veritatis Langio hoc expresserit vel nolenti vel non attendenti testimonium pag. 28. „ Verum est, hominem gratiæ „ contemtorem, à Deo justè deseri, & sibi ipsi suæque miseriæ „ relinqui: verum est hominem sibi ac miseriæ suæ naturali re„ lictum in magna versari calamitate, tanquam in inferno ali„ quo. *Verum quoque est* hominem esse sui ipsius tortorem, sui„ que exitii & inferni quasi fabrum, atque in hoc respectu illum „ semetipsum punire. *Hæc & hujus generis plura verissima* sunt, „ sed nequaquam in obscurationem, nedum negationem eorum, „ quæ non minus vera sunt, erant abripienda. „ Hactenus Langius: ex quo sciscitari lubet: quænam præter adducta *verissima Poireti effata*, supersunt, non minus vera ab eodem vel obscurata vel negata? nempe Scholastica opinio, qua fingitur Deum, ut justum, positivè punire, id est è bonitate ipsa malum fluere, mel fellis gustum naturamque induere, dicta Scripturæ planissima Hoseæ XIII. 9. &c. perverso plane interpretandi ordine, ex figuratis & de Deo, ad affectus humanos, loquentibus exponendo aut detorquendo in sensum Divinitate indignissimum. Hæc quia asserere ac sputa Scholasticorum hac in parte lingere Poiretus noluit, Socinianus sit oportet, neque juvat bonum virum Oeconomiæ divinæ Libro III. c. IV. §. 23. p. 644. inter alia Deum hominesques testatum asseverasse: „ Jam nunc „ declaro me summopere abominari Socinianorum doctrinam, „ quæ nec necessitatem Jesu Christi Liberatoris, neque magni„ tudinem & efficaciam infinitam meritorum ipsius, neque Di„ vinitatem ejus æternam, (quæ necessaria est ad faciendum „ opus Redemtionis nostræ) imo neque fundum miseriæ & „ ægritudinis humanæ, neque verum ejus remedium, gratiam „ Dei internam agnoscit. Nolui multum temporis in impiis

„ eorum Scriptis legendis perdere; verum pauca illa quæ illic „ vidi, sufficiunt ut certo pronunciare possim, homines hosce „ cæcos nunquam Dei lumen vidisse, & non esse nisi mancipia „ quædam miserrimæ Rationis humanæ corruptæ & à Satana „ excæcatæ. „ Confer omnino Poireti Cogitationes Rationales de Deo, anima & malo Libr. III. C. XXI. §. 7. seq. p. m. 489. seqq. Edit. de Ao. 1685.

Oportet ante insigne artificium impudentissimæ Sophistices adhuc Lectori ob oculos ponam, quam tertiam Morosophicarum Dissertationum sub examen revocem. Langius enim p. 31. secundæ ita fatur: „ Scopus Poireti in negata Justitia Dei vin- „ dice, secundum genuinum (scilicet) ejus sensum, est nega- „ re necessitatem satisfactionis forensis & proprietatem Justifica- „ tionis forensem. „ Evolvat per ego illum Deum veritatis rogo atque obtestor, sincerus, integer, & à partium studio remotus Lector Poireti Oeconomiam Libr. IV. C. 3. §. 8. seqq. p. 84. seqq. Lib. V. C. 8. per tot. p. 551. seqq. Et. Libr. III. C. 4. per t. p. 634. seqq. stupebit certe audacissimam Langii aliis imponendi protervitatem. Nam citatis locis ille satisfactionem in foro divino necessariam magno conatu adstruxit, ac de forensi Justificationis sensu accurato cum ordine docuit, quæ Lutheranorum Theologi, quamvis ut plurimum confusius, adferre solent, prouti in refutata Jægeri Epistola (*a*) latius expositum invenitur, quo laudatum Lectorem bona cum ejus venia remittimus.

(*a*) Ea exstat suprà, estque vindiciarum Accessio Tertia.

V. *In Dissertationem Tertiam.*

V. Δωδεκαμωρίας tertium ædificium excitaturus Langius è re esse putavit τηλαυγὲς θεμέλιον τιθέναι, pulcherrimum jacere fundamentum in proposito turpissimo, si quod res est dici liceat, falso. Scribit enim statim in initio p. 3. Poiretus in *suo Theologiæ systemate* quod Oeconomiam divinam vocat, *dogma de peccati culpa seu reatu plane præteriit.* Quis hæcce legens non quovis pignore certaret Poiretum ne γρῦ quidem de peccati culpa ac reatu, indeque secuta pœna in Oeconomia sua explicasse, qui tamen solidissime & amplissime omnem hanc materiam pertractavit. In describendo originali peccato ex. gr. Poiretus Oeconomiæ Libro II. C. XIV. §. 3. pag. 527. hæc attulit: *Duo* sunt quæ tum in peccato originis, *tum in omni peccato considerari possunt*, CULPA ET PŒNA. §. 4. pag. 528. Hinc conficitur PŒ-

NAM

NAM *peccati sine* CULPA *esse non posse*. Ajo pœnas nemini invito infligi posse, nisi CULPÆ REUS fuerit &c. Totus quantus hic & alibi Poiretus in eo desudavit, ut peccati culpam & reatum in omnibus & singulis hominibus validissime ostenderet, sequelasque inde subortas, id est, pœnas infinitas miseris mortalibus ob oculos poneret; & nihilo minus Langius ejurato omni pudore scribere ausus est, Poiretum in sua Oeconomia dogma de peccati culpa seu reatu plane præteriisse. Hunc defectum in speciem suppleturus Langius propositiones XV efformavit, quasi nihil harum rerum in Poireto inveniretur; qui tamen eadem omnia perquam egregie exposuit, quemadmodum sole clarius patebit cunctis, qui Langii asserta cum Poireti doctrina e. gr. Langianam Propositionem I. & IV, V, VII. cum Oeconomiæ Poiretianæ Libro II. Cap. VIII. §. 1. p. 459. ubi in margine: *Voluntas peccans-culpæ rea*. §. 5. pag. 461. *seq.* Libro III. Cap. X. §. 15. pag. 728. seq. *ut &* L. II. C. 13. *totum* pag. 513. & seqq. Propositionem II, IX, & X. cum Oeconomiæ locis jam supra ex L. II. C. 14. citatis & Libro III. Cap. V. §. 1. seqq. pag. 646. seqq. Propositionem III. cum Oeconomiæ Libro III. Cap. IV. §. 8. pag. 636. seqq. Propositionem VI. cum Oeconomiæ Libro III. Cap. I, II, III, IV, V. pag. 598. seq. & ad II. jam ex parte citatis: Propositionem XI. cum Oeconomiæ Libro III. Cap. XVII. §. 1. seq. pag. 816. seq. Propositionem XII. seq. cum Oeconomiæ jam supra citato Libro III. Cap. V. p. t. pag. 646. seq. Libro V. C. 8. pag. 511. Tom. II. & seq. conferre haud gravati fuerint.

VI. *In Dissertationem quartam.*

VI. Quis quartam Langii Dissertationem intuitus non cordicitus misereatur durissimam misellii sortem ad rodendas literas, captandas syllabas, pervertendas voces, exercendam λογομαχίας futilis digladiationem damnati? Nam si uspiam hæcce talia obvia fuerint, in hac Dissertatione reperiuntur certe quidem. Omnis siquidem prolixissimæ disputationis summa ad diversam Imputationis notionem redit, qua candide evoluta & distincta, nulla apud æquos rerum arbitros lis supererit; e contrario autem liquebit à Langio calumniosissime nodum in scirpo, quod ajunt, quæsitum esse. Lege & relege Lector sincere, totam Langii Dissertationem, videbis utique ipsum auctorem mox, ab ejusdem

initio,

initio, ſtatuminaſſe: veram de Imputatione ſententiam ſupponere *participationem* rei imputandæ. Nonne hanc rem æque ſerio urſit in Oeconomia ſua Poiretus: nullamque, niſi quæ fundamento participationis caret, imputationem rejicit. Hinc cautiſſime præmonuit, quid ſibi in hoc capite diſpliceret, ne verba præter mentem dicentis aucuparentur λογόμαχοι. Libro II. Cap. XIV. §. 2. 15. ſeqq. pag. 532. ſeq. Oeconomiæ ſuæ ſtatum, quem nominant, Controverſiæ diſtinctiſſime formaturus ait: „ De imputatione quæro, utrum hoc nomine intelligatur „ divinæ voluntatis, aut divini Judicii actus, quo Deus *actum* „ peccati a primo homine commiſſi in liberos ejuſdem judicialiter (ſi ita loqui fas) transferat, *adeo, ut ſine actu illo imputativo Divini Judicii communicatio peccati nulla naturaliter fuiſſet,* „ *atque* ita ſine hoc (actu divini Judicii imputativo) poſteritas „ culpam vel nullam vel non tantam certè habuiſſet. „ Nemo unquam nocens & peccator intelligitur niſi tripliciter vel ex origine, vel ex habitu, vel ex actu, ſuo videlicet, deinde ſequuntur ſuo loco & ordine quæ Langius truncate & à reliquis avulſa produxit, quo ſtatum controverſiæ perverteret. Nam quis ex modo allatis Poireti verbis non videt, *eundem eam tantummodo rejeciſſe imputationem mali & peccati, quam ſine reali iniquitatis inhærentis participatione aliquis aſſerere vellet*, quaſi ex ſola judicii æſtimatione & decreto imputativo pendentem. Hanc nec ipſe Langius ſuam facere auſus eſt. Cur ergo tantum verborum inutiliter contra Poiretum prodegit, qui omni niſu rem ipſam adſtruere conatus eſt, quam Langius imputationem in participatione imputandi radicatam ſalutare ratus eſt. „ Nam imputare in Moraliſtarum ſcholis idem eſt atque aliquem re vera auctorem iſtius negotii habere ac pronuntiare quod illi adſcribitur ſive imputatur „. Homines omnes peccati, culpæ, reatûs de iiſdem aſſertorum auctores omnino habuit ac idcirco nunquam negaverit omnia illa iis imputanda hoc modo eſſe. Quia infantes à parentibus tanto pejorem habitum mali trahunt, quanto pluribus peccatis hi ſe corruperint, ideo iniquitatem patrum in filiis exiſtere ac ab his deplorari poſſe ac debere ſine ulla contradictione affirmavit. Religioni autem ſibi duxit dicere Chriſto Jeſu ab omni labe inhærente puriſſimo peccata imputari, cum ſibi firmiter perſuaſerit

ſuaſerit hoc imputationis vocabulo utendum tantummodo, ubi interna imputandi participatio adfuerit. Quis prudens rerum arbiter eidem idcirco litem temere movebit, imprimis cordatius meditatus, hanc ipſam vocem in Scripturis ſacris de Chriſto Jeſu Mediatore tradentibus non adhiberi, & nunquam in iis totidem verbis legi: Sanctiſſimo Servatori peccata noſtra imputari. Interim tantum non in omnibus Oeconomiæ ſuæ paginis Poiretus arcem omnis ſalutis & conſolationis firmiſſime ferventiſſimeque propugnavit, ſolum Θεάνθρωπον Jeſum Chriſtum ſuo infinito merito demerita noſtra ſuſtuliſſe, divinæ Juſtitiæ ſatisfeciſſe, infirmitates & peccata noſtra portaſſe, horum remiſſionem ac vitam æternam, verbo, omnia promeruiſſe, quibus in corpore & anima hic & olim juvamur. Nonne hæc abunde piis animabus ſufficiunt, & qui paucula hactenus adducta conſiderarit, næ is fatebitur Langium in quarta ſuarum Diſſertationum Anti-Poiretianarum aërem feriiſſe Andabatarum more, & cum phantaſticis ſui cerebelli ſpectris depugnaſſe.

VII. Quod ad Diſſertationem quintam attinet, paucis defungi poſſumus indicando & hic Langium perquam ſtrenue antiquum impudenter ſophiſticandi morem obtinuiſſe. Adducit loca Poireti in quibus expoſitum eſt ſacrificia legalia ad homines ſpectaſſe deque ſacrificando in illis peccatorum habitu renovandiſque animorum internis monuiſſe &c. quo præſtito tumultuatur criminando pag. 27. & ſeq. „ Omnia hac in parte trahi ad beneficium Renovationis, expiationis & Juſtificationis ne quidem mentione facta, imo & hoc & iſta plane excluſa & pernegata Unde colligi poteſt quanto in errore verſetur Poiretus, qui in hoc ſacrificiorum nucleo tam extanti deprehendendo ne cæcutit quidem, ſed omni prorſus lumine deſtitutus eſt. „ Fallor per omnia aut Langium talia effutientem omni ſenſu deſtitutum extitiſſe, omnes mecum aſſeverabunt viri cordati, expenſis quæ ſubjiciam Poireti ipſiſſimis verbis: Quotquot animi candorem, inquit Oeconomiæ divinæ Libro III. Cap. XVI. §. 18. p. 812, „ non omnino ejurarunt ii, ex omnibus quæ „ hactenus diximus facile agnoſcent, Chriſtum ſolum à nobis „ conſiderari auctorem gratiarum omnium qualiumcunque non

VII. In Diſſertationem Quintam.

maximarum tantum, sed & minimarum &c. §. 21. pag. 814. seq.

„ Postquam Jesus Christus adventum suum in carnem mortalem præmeditari cœpit, ea quæ in sacrificiis adhuc occulta fuerant & Christum repræsentabant, palam fieri cœperunt: indeque figuræ sacrificiorum considerari debebant, ut peculiariter ad ipsum respicientes, neque id modo indirecto ac secundario uti antea; sed tanquam ad subjectum proprium in quo adeo vere, plene perfecteque impleri debebant, ut omnes quotquot ad realitatem figurarum legalium deinceps adspiraturi erant, eam realitatem non in figuris ipsis earumque observatione Judaica, sed in viva conformitate atque participatione cum Christo viventes & morientes invenire possent deberentque; quandoquidem in ipso vere omnia omnino inveniuntur, in ipso inquam inveniuntur Deus, Liberator, Mediator, Intercessor, Doctor, Purificator, Sacrificium, exemplum vivum ac reale destructionis hominis veteris, vires quibus unà cum ipso moriamur, Meritum propter quod vires istas impetremus, resurrectio, vitæque luminosæ, gratiæ atque salutis per Spiritum ejus divinum, optimum & maximum, renovatio: verbo, CHRISTUS CRUCIFIXUS est omnia. Hinc Apostolus dicebat: *Proposui nihil inter vos scire nisi Christum, eumque crucifixum.* 1. Cor. 2. ✝. 2. „

„ Cap. XVII. §. 1. nº. 18. pag. 824. seq.

„ Unum & ultimum hunc articulum addo. Quanquam Sacrificium Christi originitus eò tantum spectet, ut ad sacrificationem nostri per ejus imitationem inducamur; nihilominus propter Divinitatem ejus qui victimam hanc offert, quique victima ipsa est, idem hoc Sacrificium bonorum omnium origo est; quoniam omnium bonorum origo eidem unita est, puta Spiritus æternus & divinus, aut ipsa Divinitas, Liberator, Mediator; ejusdem Intercessio, Dignitas infinita, exacta Satisfactio, (omnibus quæ Mediator ad salutem nostram procurandam suscipere poterat, plenissime satisfaciens;) vis divina, virtutesque omnes. Itaque hoc Sacrificium est spirituale, æternum, divinum, liberatorium, infinite meritorium, satisfactorium, salvificum, robur ac vires afferens, efficax, omniaque bona ac virtutes omnigenas in animam eorum qui

„ ad

„ ad conformitatem ejus adspirant, & per vim luminis ac mo-
„ tuum fidei ad illam sese promoveri patiuntur, refundens. Ver-
„ bum namque divinum quod in Christo est, estque ipse Jesus
„ Christus, Verbum quod in Christo pro nobis intercessit, ora-
„ vit atque meruit; quod veniam impetravit & officiis omnibus
„ Mediatoris atque Liberatoris satisfecit, idem se inquam victi-
„ mam præstitit. Itaque in hac victima bona omnia unita con-
„ currunt; & ab eadem nobis omnia exspectanda sunt. Imo
„ nec incitamentum ullum efficacius exstat quo Dei bonitatem
„ flectamus ut gratias suas atque salutis nostræ media nobis au-
„ geat, ac nobiscum non ita agat uti per peccata nostra merui-
„ mus, quam ut divinum hoc Sacrificium in Christo factum ei-
„ dem offeramus, dicentes: *Memento Domine, magni illius A-*
„ *moris, quo adductus Christus ad salutem meam procurandam se-*
„ *met ipsum ita immolavit.* „

„ Ibid. n°. 20. pag. 827.

„ Utrum futuri sint homines usque adeo maligni aut stupidi,
„ ut doctrinam hanc Socinianismi ream facere audeant, ignoto
„ equidem. Ego tamen ut eos prævenirem, impedirem que ne
„ sententiam adeo falsam divinæque Veritati adeo injuriam, suam
„ facerent, atque ita animam suam gravis peccati ream consti-
„ tuant, prolixius hæc prosecutus sum: ac asseveranter dico,
„ hanc esse ipsam Evangelii doctrinam, ac Jesu Christi omnium-
„ que Sanctorum: Imo quotquot lumini Fidei sese exponent &
„ in eo tantillum ambulabunt, eandem in fundo cordis ac con-
„ scientiæ suæ testatam invenient: quanquam ratio hominis ani-
„ malis rationalisque de ea judicare non debeat. „

Hæc & alia hujus generis plura sincere & fervide confessus Poiretus Socinianis-ne accensendus, expiationis & justificationis beneficii in explicando Sacrificio Christi ne mentionem quidem fecisse (quà rem ipsam, nam de inanibus λογομαχίαις alibi); sed istud beneficium pernegasse omnimodaque cæcitate in hoc puncto laborasse criminandus erat? Præter explicatum expiationis & justificationis fructum solide ursit practicum hujus doctrinæ usum in crucifigenda carne & concupiscentiis ejus, quod ipsum ipse Langius improbare haud potuit Propositione XVII. dictæ suæ Dissertationis scribendo. „ Repræsentatio Renovatio-

„ nis in ſacrificiis ſcopo & actui eorum ἱλαςικῷ omnino fuit ſub- „ ordinata. „ Quid aliud egit Poiretus ? nonne docuit ſacrificium Chriſti meritorium, ſatisfactorium, expiatorium fuiſſe, nobisque impetraſſe ſolidam innovationem? Nonne hoc modo ſubordinavit beneficio expiationis reparationem, hanc inde derivans ceu fonte meritorio, juſtificatorio, adjutorio? Nolo plura addere ne Soli in meridie lucem accendere voluiſſe videar.

VIII. *In Diſſertationem Sextam.*

VIII. Hactenus progreſſo reliqua demum Δωδεκαμωρίας ſeptem Specimina nanciſcendi data fuit occaſio, unde didici Langium ſemper incaleſcente magis odii Theologici ardore in pejora ruiſſe & ad ferendam æquam veroque Theologo dignam ſententiam ineptiorem evaſiſſe, exaggerandæque iræ divinæ intentiſſimum in iram ipſam nil modeſti, nil æqui, nil diſcreti amplius admittentem degeneraſſe, ut ſuo exemplo firmaret veritatem triti illius:

Impedit ira animum ne poſſit cernere verum!

Poiretus de vario variorum temporum ſcopo Sacrificiorum legalium, deque varia hujus ſcopi notitia ſuo modo tradidit, aſſerendo, præter Chriſtum, ad homines ipſos Deo ſacrificandos offerendosque ſacrificiorum legalium ritus ſpectaſſe, Chriſtique officium & beneficium in illis adumbratum ab antiquioribus Judæorum haud perſpectum fuiſſe; Langius inde in Sexto Δωδεκαμωρίας Capite occaſionem arripuit crude ac odioſe calumniandi Poiretum quaſi ſtatuiſſet: legalia ſacrificia Chriſtum plane non reſpexiſſe. Quæ κατά τι ad Scholæ obſervationem, Poiretus protulerat, Langius ἁπλῶς pronuntiata ſophiſtice nugatur. Adducta à Langio p. 8, 9. ipſiſſima Poireti verba docent hunc confiteri: „ Chriſtum *principaliter* ſe ipſum per ſignificationem fi- „ gurarum ſacrificialium adumbraſſe, adeoque *realitatem omnem* „ horum typorum in ſe expleviſſe, deinde in alios diffudiſſe &c. Rem ipſam confeſſus eſt hiſce verbis Poiretus, fac eundem, ad mentem Langii, in exprimendis circumſtantiis ordinis, temporis, cognitionis cæſpitaſſe. Nonne realis hæc Poireti confeſſio placido manſuetoque Theologo æquam hanc exprimere apta nata eſt ſententiam: Mens Poireti in ſe bona, cautioribus & vulgo Theologorum conſuetioribus verbis tradi potuiſſet, debuiſſet; ſed bona intentione humani quidpiam quandoque paſſus videtur.

detur. Præstitisset sane rei bene positæ condonare modum loquendi, ordinandique circumstantias non satis exactum visum, quam ab errore in circumstantiis ad negationem rei ipsius audacter argumentari, & ubi probandi adminicula deficiebant, crassissima in subsidium vocare falsa, quorsum pertinet Langii criminatio. pag. 10 qua garrit falsissimus: Poiretum in exponendis sacrificiis *omnia* referre ad Renovationem *exclusa Satisfactione* & *Justificatione forensi*; & pag. 9: Christum autorem gratiarum ἱλαστικὸν agnoscere nolle. Quam insulsa hæc sit fingendi libido ex jam dictis patet omnibusque Poiretiani Operis paginis, ut vix opus sit plura retundendo huic injuriandi impetui opponere.

Unde vero isthoc perverse arguendi cacoëthes ortum sit fortassis quærit Lector candidus. Poiretus noluit quæ de Justitia Dei vindicativa, deque eadem per vicariam satisfactionem placanda in Scholis dictitantur, cæca quadam reverentia Magistrorum nostrorum, sine sensu claram, distinctam, sibi, Scripturis, naturæ, attributisque Dei convenientem ideam inferente, psittaci instar imitari, sed eam horum omnium expositionem invenire tradereque studuit, quæ quam minime objectionibus argutorum & solo auctoritatis brachio haud compescendorum hominum exposita esset. Hinc illa debacchandi in ejus dogmata phrenesis Pseudo-orthodoxorum antiquiorum & novellorum, postliminio quasi ad hunc honoris gradum vel admissorum vel contendentium. Poiretusne Christum auctorem gratiarum ἱλαστικὸν simpliciter confiteri noluit? Quis criminationem hanc crudam crederet gnarus quanti fecerit Poiretus Scripturam sacram toties de ἱλασμῷ per Christum facto testatam, huicque titulum ἱλαστηρίȣ attribuentem? Placatio ἱλαστικὴ opponitur iræ quam de Deo ἀνθρωποπαθῶς prædicatam θεοπρεπῶς exponendam esse ipse Langius diffiteri non potuit. Poiretus nullam in Deo, ipso amore, mera misericordia, infinita & sibi sufficiente bonitate, iram talem agnoscere voluit, quæ angores, dolores, cruciatus hominum anhelaret, quæ non, nisi aliis in damnatione existentibus, beata, quieta, pacata esse posset, quæ Tyrannorum exosissimorum instar, infelicium reorum supplicio, uti suavissimo incensi thuris odore recrearetur, juberetque ita ferire nocentem, ut se mori sentiret, Numenque ejus inde sensu grato iram exstinguente oblectaretur. Talem iræ

divinæ notionem qui ſibi fingit aliisve tradit, isne θεοπρεπῶς de Summo Numine præcepiſſe dicendus erit? minime! ergo nec ad ejuſmodi Deo indignam iræ ideam exponenda erit placationis ἱλαςικῆς natura atque ratio; id quod Poireti mens ac ſententia fuit, cui criminandæ fruſtra vaga ἱλασμοῦ crepatione utitur Langius. Non enim verba jactanda, premenda, repetenda ſunt, ſed de commodo horum ſenſu diſpiciendum erat.

Dicis: Tolli hoc modo ſatisfactionis doloroſæ neceſſitatem, imminuique Juſtitiæ divinæ ſanctitatem à Poireto. Alia omnia apparebunt ei, qui præjudiciis intellectus & voluntatis haud obſecutus mentem Poireti conſiderat, candoremque Theologo dignum adhibet. Præter jam adducta expendat, quæſo, Lector ſincerus atque integritatis amans, ſequentia Poireti verba *Oeconomiæ divinæ* Libr. III. C. V. §. 20. p. 662. „ In cauſis his „ moventibus recenſendis omitti merito non debet dolor ille ſpi„ ritualis, isque immenſiſſimus, quo Chriſtus tantum non op„ primebatur quando Deum offenſum eſſe, hominemque ſimul „ periiſſe vidit. Diceres, Deum per Juſtitiam ſuam in homi„ ne peccatore porro operari non poſſe quin videretur pecca„ tum ejus approbare: at tantus perſonæ hujus divinæ dolor ſa„ tis aperte contrarium declaravit, nempe, Deum peccatum „ omne infinito odio abominari. Atqui Divinus ille dolor cum „ ſuſpicionem omnem eam à Deo amoveret, hoc ipſo non pa„ rum movit Deum ut homini benefaceret, quo ſimul & Filii „ ſui dilecti mœrores in gaudia mutaret: juſtum enim utique „ erat, dolores graviſſimos ex amore Dei divinæque gloriæ ve„ nientes, ſummis & contrariis gaudiis compenſari. Atque ita „ videmus jam tum per meritum doloris Filii Dei, ſive per me„ ritum Jeſu Chriſti patientis, Juſtitiæ Dei ſatisfactum fuiſſe.„ Addat hiſce XXI. Cap. Libr. III. *Cogitationum Rationalium de Deo, Anima & Malo*, ubi §. VII, VIII, IX, X, XI. inveniet quæ cetera clariora reddunt, Juſtitiam item Dei vindicativam ratione Deo digna explicant, quorumque ſumma huc redit: „ Juſtitia Dei dictitat ut in operibus ejus ſint teſtimonia, notæ, „ ſigna ſeria, grandia, indubitata, quod Deus ſe ipſum, ſui„ que amorem probet; non probet autem contrarium, ſuive ne„ glectum. *Hiſce teſtimoniis* ei & decenti illum Juſtitiæ ſatisfit,

„ nam

„ nam sic illa vindicatur à contumelia, & blasphemia qua im-
„ peti posset, quasi probaret id quod Deo contrarium est, qua-
„ le quid re vera esset injustissimum. Decet ergo sive justum
„ est, Deum testari negationem sui sibi in hominibus non pla-
„ cere. Qui id testabitur? quale illud testimonium? Miseria ex-
„ trema, dolorque summus in hominibus Deum negligentibus;
„ siquidem voluntatem entis se ipsum non improbantis juste de-
„ cet, ut peccator illud deserens ac negligens sit æternum mi-
„ ser, hocque modo patefiat Summum Bonum inique læsum es-
„ se. Ab hac miseria nullus hominum liberari potest, nisi Deus
„ antecedenter in subjecto alio habili testatus sit peccata sui con-
„ temtum involventia sibi extreme displicere. Subjectum istud,
„ in quo per inflictos omnis generis dolores, testimonia Justi-
„ tiæ ad vindicandam sanctissimam sui Majestatem edat, tale sit
„ oportet, ut nihil in eo ipso Dei displicentia dignum, sed præ-
„ stantissimum & pretiosissimum quodque reperiatur, ac propter
„ alios liberandos doloribus extremis, in testimonium odii di-
„ vini erga peccatum repleri possit à Deo. Jesus Christus
„ Θεάνθρωπος est istud subjectum, quod se obtulit ad recipien-
„ dum in se testimonia odii divini erga peccata, sive pœnas pec-
„ cati. Hic igitur morte sua Dei Justitiam vindicavit, sive,
„ quod eodem redit, Justitiæ Dei vindicativæ satisfecit, homi-
„ nibusque remissionem peccatorum, pœnitentiam, resipiscen-
„ tiam, sanctitatem meritorie acquisivit. Contrarium *dogma*
„ ipsissima hæc sunt Poireti verba in §. 11. *de Justitia Dei per*
„ *solam peccatoris pœnitentiam vindicanda, est plane absurdum &*
„ *ad vindicandum Deum à contumelia ineptum.*

Hæc fidelissime à me relata & ipsissimis ejus verbis concepta Poireti sententia nonne solide, circumspecte, integre θεολογοῦντι satisfacit, clarissimeque ostendit vicariam Christi, ac dolorosam satisfactionem ab eodem non negatam, sed omnibus Deo dignis modis adstructam fuisse? Non est quod obstrepat livoris ictero percussus candidissimaque pro flavis habens Langius, Poiretum omnem substitutionem Christi pro hominibus, quà perferendas peccati pœnas, absolute rejecisse, quæ ipsius ad nauseam usque calumnia est; nam contrarium ex hactenus allatis manu palpari potest, quæ Langium manifesti falsi damnant Sophisti-

catio-

cationisque turpiſſimæ. Fateor Poiretum quandoque in ſubſtitutionem ſive vicariam ſatisfactionem calamum paulo animoſiorem ſtrinxiſſe; aſt in omnem-ne? Abſit! *Rigidam* vocat, cui ſe oppoſuit, ſubſtitutionem, ſive talem, quæ profundius ad litteram preſſa in blaſphemiam abit. *Oeconomiæ divinæ* Libr. III. Cap. IV. §. 17--21. pag. 640. & ſeqq. Optime ſiquidem loc. cit. æque ac alias deduxit pœnam peccati primariam ac imprimis tali appellatione dignam, quam Scholæ pœnam damni appellitant, in carentia omnis divini luminis & amoris, in defectu totius imaginis divinæ, in abſentia ordinis virtuoſi conſiſtere, mortisque, & quidem præprimis ſpiritualis, nomine, quo infeliciſſima Dei hominisque ſeparatio venit, efferri. Hancce pœnam, mi Langi, à Chriſto ſuſceptam, id eſt, puriſſimum & Deo, qua humanitatem ſuam arctiſſime, indiſſolubiliter, conſtantiſſime unitum Servatorem, re vera à Deo ſeparatum, imagine divina deſtitutum, inordinatis motibus tenebrisque inferni refertum, ſpiritualiter mortuum extitiſſe, aſſeverare audes? Ejusmodine ſubſtitutionem Poireto rigidam vocatam probas? Negabis, uti reor, hanc tuæ mentis eſſe ſententiam. Cur ergo literam *indiſcrete* urges? Nonne inde convinceris eandem & in hiſce capitibus non inſulſe urgendam, ſed iterum iterumque diſpiciendum, quid natura rei ferat nec ne? Senſus enim pœnam in noſtri liberationem à Chriſto ſuſceptam ac portatam Poiretus nuſpiam negavit. I nunc, mi Langi, ac diſce, in exponenda divinæ Juſtitiæ placatione ἱλαϛικῇ ad ſuperius dicta, æque ſobria interpretatione opus eſſe, atque in enucleanda vicaria ſatisfactione Chriſti, ne ſub ſpecie honorandi Dei, ejusdem Numen abſurdiſſimis ac naturam ejus nullo modo decentibus injuriis afficiamus.

Lectori pio, ſincero, conſiderato permittimus ad præmiſſa ſententiam de Moroſophicis Langii floſculis, quibus Diſſertationem VI. ornare ratus eſt, fabulando pag. 12 Poiretum nullum peccati reatum agnoſcere, pag. 15 doctrinam de Satisfactione Chriſti ſanctificationi noxiam habere; pag. 25 omne ſalutis per Chriſtum reſtituendæ negotium totum quantum modo Sociniano, ad exemplum referre; & alia hujus farinæ plura, quibus ſtupenda mentis Langianæ perverſitas ignominiæ publicæ proborum quorumvis expoſita cernitur. Quo longius in perluſtran-

lustrando Δωδεκαμωρίας campo progredior, eo plura pravitatis sophisticæ eundo crescentis deprehendo vestigia, ut ferme religio subeat hæcce observantem pluribus agere verbis, sed magis opportunum videatur strictissime Apostoli sequi monitum, qui depictis hominibus quæstionibus λογομαχικαῖς laborantibus, livorem, rixas, blasphemias, eructantibus addit: Ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων! Abstine à talibus! Non possum tamen non adhuc obiter notare ridiculam, qua in doctrinam Poireti de merito Christi Aristarchum Theologicum agere voluit Langius, censuram, siquidem inde ludibrium debet recentissimis Theologiæ tyrunculis. Perstringit scilicet pag. 38. Poireti verba, quibus dicitur: *Aliud est mereri: aliud est sacrificare, licet hæc duo in Christo unita inveniantur.* Tò *mereri præcedit sacrificium* &c. Tantum non integra injuriarum plaustra in Poiretum congerit ob adducta ejus verba, quæ tamen, si mentem spectes, vulgatum illud Scholarum Theologicarum inculcant: humana natura passa est, divina addidit valorem seu meritum. Quasi eorum peponibus cerebro judicioque cassis loqueretur Langius, audacter vociferatur: Poiretianum Christi meritum in adductis verbis assertum, nihil aliud esse nisi ens rationis Burignonianæ, *quod illud à Sacrificio plane divellit* &c. Bone Deus! Poiretus à *Sacrificio Christi meritum divulsisse* arguitur ubi asseverat: *hæc duo* MERERI *&* SACRIFICARE, *in Christo unita inveniuntur.* Quis vel micam aut candoris aut pudoris in Langio superesse credat, visis talibus impudentissimæ vitilitigationis ac calumniæ speciminibus? Piaculum admisisse clamitatur Poiretus, quando dixit: Christi sacrificium in legalibus sacrificiis latens à Judæis antiquiorum temporum perspectum haud fuisse, & pedetentim, imprimis à Davide & hunc secutis Prophetis distinctius explicari cœpisse: Veritas asserti tamen posteriorum temporum exemplis firmatur, ubi Servatoris discipuli de sacrificiorum antitypo, cruento videlicet Messiæ Sacrificio nihil scivisse intellexisseque diserte traduntur. Vellem discere è Langio, qua ratione optimus Servator discipulos hac ignorantia laborantes nihilo minus charos amicos salutare, ad prædicandum regni cœlorum adventum & ad annuntiandam pœnitentiam adhibere potuerit. Credo enim me ea ex illo percepturum, quæ deinde quam maxime ad pudefa-

ciendum criminationes ejus facerent : aſt pergendum eſt ad reliqua.

IX. *In Diſſert. Septimam & Octavam.*

IX. Non eſt autem cur prolixior ſim in notanda VII & VIII Diſſertationis Langianæ Μωροσωφίᾳ, cum duobus, quod dicitur verbis, res expediri poſſit, admonendo videlicet Langium in explicanda Satisfactione Jeſu Chriſti ſeu expiatione & redemtione forenſi diffuſum ſe præſtitiſſe, quaſi nihil horum à Poireto unquam creditum acceptumque ac traditum fuiſſet, quem tamen ſummam rei, tanquam unicum ſalutis univerſæ fundamentum, tradidiſſe, inculcaſſe, aſſeruiſſe in præcedentibus vidimus audivimusque. Recolat lector ſincerus ac attentus, rogo, hactenus è Poireti præceptionibus producta & expoſita conferat eadem cum Langii dictatis, inveniet ſane vanitatem atque calliditatem Langianæ methodi Moroſophicæ, quæ ab adverſario in rei ſumma non negata, ſed modo debito accepta ac defenſa prolixe narrat probatque, ut hominibus perſuadeat omnia hæc ab adverſario rejecta eſſe. Poſt multas ambages Langius demum ſummam rei & applicationem, *ejus* propoſitione XXIV Diſſertationis octavæ pag. 27. & ſeq. tradit. „ Satisfactio, inquiens, „ ſeu expiatio Chriſti probatur à poſteriori ex ejusdem applica- „ tione ſeu è doctrina de Juſtificatione. *Illuſtratio.* Juſtitia eſt „ actus forenſis, quo juſtitia Chriſti, ſeu à Chriſto per expia- „ tionem & ſatisfactionem parta, credenti ad ſalutem imputa- „ tur, peccatis ipſius ipſi non imputatis, utpote per Chriſtum „ expiatis. - - - Jam vero Juſtificatio nihil eſt aliud quam ap- „ plicatio Satisfactionis, ſeu meriti aliena ſatisfactione parti. „ Unde ſi Juſtificatio forenſis eſt, etiam ſatisfactionem, tan- „ quam fundamentum ejus, forenſem eſſe neceſſe eſt, utpote „ in lytri vicarii & piacularis ſolutione poſitam. „ Cum hiſce Langii concluſionibus componat Lector Poireti verba in Libr. V. Oeconom. Cap. 8. §. 6. p. 515. „ Principio poſt hominis pec- „ catum Diabolus aut quivis alius, (neque enim refert quisquis „ ille ſit, an conſcientia ipſa vel etiam Deus,) hanc contra ho- „ minem accuſationem inſtituebat: *Homo iſte indignus eſt cui Deus* „ *lumen ſuum & bonum porro offerat.* Fundamentum accuſationis „ eſt ; *quandoquidem Deum volens ſciensque deſeruit:* & quod ad „ poſteros ejus attinet, *non convenit plus eſſe in effecto, quam in*

„ *ejus*

„ *ejus causa.* Hæc prima erat accusatio eaque salutem hominis
„ præcipue & maxime impediens, qua manente, salute potiri
„ omnino erat impossibile. Ea itaque ut evanescat oportet ut
„ Deus sic pronunciet: Declaro quod etiamsi homo indignus sit
„ cui ego gratiam meam offeram, ego tamen eum indignum
„ non censeam: Ratio fundamentum continens est. Quoniam
„ Filius meus dilectus pro eo intercessit, etiam atque etiam me
„ obtestans ut gratiam meam luminis & boni iterum homini
„ huic offeram, neque eum privatione illius punire velim. Et
„ quia justissimum est dignissimam Filii mei intercessionem non
„ repudiari, ita in ejus gratiam cum homine ejusque poste-
„ ris acturus sum, quasi tanti meriti preces ipsi mihi fecissent.

„ Cum in verbis nulla proprie sit differentia, abususque eo-
„ rum facile impediri possit si addatur quo sensu accipiantur,
„ dicamus hanc *primam* Justificationis *speciem*, ita ut hoc verbo
„ Justificationis comprehendamus vias omnes atque operationes
„ quibus Deus hominem promovet ad salutem. Hoc in actu,
„ modo recensito, accusationem vocare licebit, *mali imputatio-*
„ *nem*: accusationis fundamentum est *demeritum* fundatum in
„ inhæsione mali. Dei vero declaratio, quod hominem amplius
„ indignum non agnoscat, *absolutio* est, quâ accusatio nulla fit:
„ intercessio vero Christi, *meritum* est seu *justitia*: Christus
„ enim meretur, & justum est ut intercessio ejus non rejiciatur
„ neque effectu suo careat. Quod verò Deus hominem, indi-
„ gnum cui gratia offerretur, ita respiciat, quasi ipse tam dignis
„ precibus intercessisset, ea est *imputatio meriti & Justitiæ* Christi:
„ cujus effectus est oblatio qua actu ei gratia redditur. „ Si hæc
Poireti verba ad mentem ejus alibi expositam & à nobis subinde demonstratam ex æquitate intellexeris, næ illa idem, qua rei summam, continent, quod Langium affirmantem modo audivimus! plura huc pertinentia offendes in refutatione Jægerianæ Epistolæ (*a*) ubi de Justificatione agitur.

(*a*) Seu Vindiciarum Accessione Tertia.

X. *In Dissertationem Nonam.*

X. Nona Δωδεκαμωρίας Langianæ pars multum desudat in refutanda Poireti opinione, de duplici, quam Langius vocat, Christi incarnatione, quasi hanc opinionem, ut articulum fundamentalem ursisset Poiretus. Ast hic sententiam suam problematice,

quod dicitur, exposuit, & ejus testandi caussa Libr. III. Oeconomiæ Cap. V. §. 8. pag. 650. & seq. (quod Langius non ignoravit, sed Dissertatione X. pag. 4. mox puerilibus quibusdam vellicationibus & scommatis ab eo vexandum * recitavit ipse) scripsit: „ Illis „ qui non credunt eum qui in sacris appellatur Filius hominis „ & Adamus alter, jam tum exstitisse, hoc est, Verbum di- „ vinum humanæ naturæ jam tum unitum fuisse, hæc & quæ „ sequuntur, interpretari licebit sensu retro-agente, ut ita di- „ cam, quo scilicet causæ efficacia ante actualem causæ ejus- „ dem existentiam jam consideratur; ut fit, verbi gratia, quan- „ do quis commovetur per considerationem causæ nondum qui- „ dem exstantis, sed quam tamen certo exstituram cognoscit, „ quamque veluti jam nunc præsentem considerat: quæ agen- „ di ratio Deo infrequens non est, qui multa innumera quæ „ nondum existunt, veluti jam tum præsentia considerat. Nos „ in præsentia verba nostra accommodabimus iis, qui credunt „ Jesum Christum jam tum humanam naturam induisse, quæ „ sententia & nostra est & Veritatis ipsius; verè enim ille jam „ tum non dico incarnatus erat, ut vocem hanc unioni seu as- „ sumtioni carnis corruptibilis ac mortalis significandæ relin-

„ qua-

* *Quis non miretur ab iis qui à fermento sectario dudum se repurgatos credunt, tantas turbas cieri in sententiam plane innocuam & re vera problematicam, cum non desint Theologi piissimi doctissimique inter Orthodoxos, qui sublimius quoddam mysterium & occultius, quam vulgo sentiant, in Nativitate Christi palam agnoverint. Vide quæ de B.* Arndio *afferuntur supra in* Vindiciis contra Jægerum Lib. IV. cap. 3. §. 9. p. 552. 553. *Inter Reformatos vero Cl.* Herm. Witsius *in suis* Exercitationibus sacris in Symbol. Apost. Exercitat. *XII.* §. 9. *ad verba* Michææ *Cap.* 5. *vers.* 1, 2. *differens tradere non dubitavit, Prophetam* (a) *eo in loco de tribus diversis loqui egressibus, seu Nativitatibus Messiæ, puta de una Nativitate absolutè æterna, & de duabus Nativitatibus temporalibus, quarum prior facta sit à diebus seculi, à tempore antiquissimo, à principio mundi, ab eo tempore quo dies seculi currere cœperunt, & in Paradiso ipso; altera vero in diebus Regis Herodis, Bethlehemi in Judæa.*

(*a*) Citante G. v. Ewyk JCto. in tractatulo Belgico: *De Sociniaansche algemeene Kundigheit van* Andr. Wissowatius *tegen de Godtheit van* J. Christus; *ende nog eenige Stellingen van* Valent. Smalcius *tegen de Menschwerding* GODTS, *met het licht der Reden onderzocht en wederlegt.* Delft. 1721. pag. 160.

„ quamus; sed corpus sibi gloriosum animamque divinam ex „ Adamo adsciverat, quibus intervenientibus pro homine apud „ Deum intercessit. „ Hæc cum ita sint, cumque res ex utraque parte sua commoda, sua incommoda habeat, modestius certe agendum fuisset à Langio & abstinendum ab iniqua & sophistica consequentiarum fabricatione; præprimis argumentum Theologicum ab invidia ductum omitti potuisset, quo Langius Weigelium & Socinianum quendam Poireto socios hac in parte adjunxit; sunt enim quos has aliasque Poireti opiniones amplexos Langius istis modis notare noluit, fraterculi scilicet quia sunt aut amici sui, eorumque quos socios sive fautores repurgatæ Orthodoxiæ ac hæretificationis subtilioris, attamen etiam virulentioris habet vel habere putat.

XI. Decimam Δωδεκαμωρίας Sectionem præterire possemus remittendo Lectorem ad hucusque annotata, cum nihil novi attulerit, sed jam centies ingestas vitilitigationes tædiosissime repetierit largiori quandoque salis sophistici portione adspersas, impudentiorique fingendi libidine conditas. Insignem hujus egregii aromatis copiam deprehendit Lector statim ab initio pag. 6. no. 5. in quo ferme tot falsa, quot verba extant. Nugatur Langius Poiretum (1) reatum peccati negasse, quem tantum esse affirmavit ut non, nisi interventu ipsius Dei Filii, tolli potuerit: (2) Justitiam Dei vindicativam explosisse, quam disertis verbis confessus rationibus Deo dignis explicavit: (3) Virtutem sacrificiorum ἱλαςικὴν non statuisse, quam θεοπρεπῶς intellectam fortiter propugnavit, vique hypothesium suarum non propugnare non potuit. At omnia hæc plane negata sunt à Poireto ad Langii sententiam, quia ille in exponenda rei universæ summa, hujus singulares opiniones sequi noluit. Achilleum telum! Argumentatio λογικωτάτη! Ceterum ut vetus literator, rodit omnes fermè in Poiretianis præceptionibus literas, neglecto sensu ad æquitatis veræ Theologicæ lancem appendendo. Cui hâc uso non satisfacerent verba Poireti ab ipso Langio pag. 3. 4. citata: *Hic ergo homo Deus* (θεάνθρωπος) *ipsissimus liberator est, cujus sacratissima humanitas se totam, corpusque pariter & animam obtulit ut Divinitatem moveret, ut cooperationem hominis deficientem suppleret, ut deme-*

XI. *In Dissertationem Decimam.*

demeritis ejus veniam obtineret, ut gratiam omniaque ad hominis reparationem necessaria impetraret &c. In omnes formas, ad instar fallacis Prothei se torquet Langius ut clarissimis his verbis tenebras offundat, ut optimam quæ è sola lectione apparet, sententiam eorum pervertat, ut Lectorem occupet, ne sibi satisfieri patiatur vocatis, quod candida interpretatio jubet, in auxilium aliis Poireti locis ac positionibus, quibus asserit Jesum Christum totius humani generis vicem gessisse, vicariamque satisfactionem proinde præstitisse; Testimonia odii divini erga peccatum in se, susceptis animi ac corporis doloribus ac perpessis iisdem edidisse, Justitiæ vindicativæ ac sanctitati Dei satisfecisse, pœnas peccati portasse, κ. τ. λ. quæ in præcedentibus attigimus. Addas iis, quæ pag. 8. seq. è Poireto Langius profert ipse: „ Filius hic „ ejusque interventio, omniaque quæ gerebat gesturusque erat, „ preces ejus tum præsentes, tum futuræ, quas habebat habiturusve erat curæ ac sollicitudines, quæque postea secuta „ sunt, adventus scilicet ejus in terram, vitaque mortalis & ipsa ejus mors, denique omnia quæ facturus erat, statusque ac „ instantiæ omnes quibus se immisturus erat, verbo, persona „ ejusdem actionibus suis omnibus & singulis juncta, tantum „ meritum habebant, ut Dei justitia in eo contenta acquiesceret, utque Deus ex æquitatis præscripto nihil quicquam eorum quæ forte ab eo expetiturus erat, denegare ei posset. „ Nonne in hisce præter preces, ad interventionem Filii Poiretus refert curas, sollicitudines, incarnationem humilem, mortem, id est, animi corporisque passiones: quænam plura ad Scripturæ ductum imo communem Scholarum explicationem requiri poterant? Langius fatetur pag. 14. Bonitati divinæ non convenire ut doloribus hominum delectetur, hosve anhelet: consentit eo usque Poireto idem urgenti, & iram Dei ac eidem oppositam placationem θεοπρεπῶς interpretanti. Ad quæstionem ejus loco cit. subjectam: „ Anne in Deo præter sanctitatem qua is „ hominem sui desertorem, tanquam βδέλυγμα deserit, & sibi „ ipsi relinquit, etiam sit *justitia vindex*, quæ, sine *ulla egestate*, „ seu *dolorum in creaturis indigentia*, pro natura sua immutabili, pro ratione delicti, pœnam infligat, etiam positivam, „ nisi

„ nisi ipsi per compensationem vicariam, in obedientia Christi „ activa & passiva positam satisfiat? „ Poiretus affirmative, quod rem ipsam attinet, respondit, quod supra è disertis ejus verbis perspeximus, quæ Langius ipse pag. 16, 17. partim adduxit, neque tamen in iis videre voluit, quæ cæcus palpare posset, additis, imprimis Cogitationum Rationalium ulterioribus explicationibus, quod fieri debet ad ipsius Langii ab initio harum Annotationum citatas regulas hermeneuticas. *De positiva* pœnarum inflictione non est quod litigemus, λογομαχία enim esset. Negavit *positivam* Dei inflictionem, quia Deus, bonitas ipsa, ex se nihil mali ponere seu producere potest: Concessit mala, ipsius hominis opera producta Dei directioni, etiam in puniendo, subesse. Quid inde? nihil quà rem. Stolida sane est, quam Langius subinde nectit consequentia. Poiretus non ubique nominatim, inter alias interventionis Christi partes, satisfactionem ἱλαστικὴν adduxit: Ergo eandem negavit. Neque Scriptura ubique æque sæpe illius ac aliarum partium, officiorum, & beneficiorum Jesu Christi meminit, pluraque de ejus usu ac applicatione, quàm modo & ratione ibidem invenies: Ergone hæc ultima præ illis prioribus neglexit aut negavit? Absit! Poiretus omnia confessus est, & sua fecit, quæ ab aliis hac in re, ad saniora principia tradita sunt, v. gr. Arndio, Thoma de Kempis, Rusbrochio, Taulero, quos virorum divinorum nomine salutare nullus dubitavit. Dictum sibi putet Langius, quod jam olim Poiretus Ministerio Hamburgensi reposuit ad Judicium de libello Educationis pag. 99. Tom. II. de Eruditione Solida Edit. secundæ. Ubi enim Ministerium dixerat: „ Commendatur, li-„ beris proponere Deum Filium ut qui justus sit ac justitiæ ori-„ go, qui idcirco caro sit factus, ut nos, qui per peccatum „ injusti eramus, justos faceret: imputata autem justitia non „ nominatur aut describitur. „ Respondit Poiretus: „ 1. Ea-„ dem possint objici tum multis Scripturæ utriusque Testamen-„ ti libris, tum Joanni Apostolo (Epist. 1. C. 2: 24. & Cap. „ 3: 5-8.) quem aut mecum reprehendant aut mecum excu-„ sent RR. VV. necesse est. 2. Nil impedit quin sub meis „ verbis, id quod abesse dicunt, includant quantum vel ne-„ cesse est, vel ipsis (si malevolus absit animus) videbitur;

„ maxi-

„ maxime poſtquam Rusbrochii orationem [quæ imputatam „ Chriſti juſtitiam tam aperte aſſerit] feci meam. It. p. 101. „ conſulatur hac de materia divinus ille Arndius de Vero Chriſtianiſmo. Libr. II. & III. „ Putida calumnia eſt Langii p. 26. n. 3. ſcribentis : „ Ingens ſane error eſt , iſtum mali ſenſum quem ſtatus pœnitentiæ habet , opponere illi malorum „ ſenſui , qui in Chriſto fuit vicarius & piacularis, & ab iſtius „ poſitione ad hujus negationem argumentari. „ Nam accuſat Poiretum ejuſcemodi argumentationis , qui tamen contrarium, juxta cum Langio, adſtruxit, & quod hic hac in parte improbavit , itidem rejecit , loco ſupra citato , Chriſtus inquiens, morte ſua Juſtitiam Dei vindicavit, hominibusque remiſſionem & cætera acquiſivit. *Contrarium dogma, de Juſtitia Dei per ſolam peccatoris pœnitentiam vindicanda , eſt plane abſurdum & ad vindicandum Deum à contumelia ineptum.* Quod ipſe Poiretus pro abſurdo & inepto dogmate habet , id docuiſſe dicitur à Langio abſurdiſſime , quem circa finem Diſſertationis decimæ in ſummum injuriandi & conviciandi ardorem prolapſum eſſe quis miretur , perſpecta ejus audaciſſime contra veritatem eundi prurigine.

XII. *In Diſſertationem Undecimam.*

XII. Ut undecimum Δωδεκαμωρίας Caput à ſolita perverſe argumentandi conſuetudine auſpicaretur Langius pag. 7. mox ſcommata Neo-Pelagianiſmi in Poiretum evomit , quia hic de benedictione naturali , & Satanæ refrænatione locutus eſt per eam effecta; unde infert, tanquam Neo-Pelagianiſmi indicium, *à Poireto* gratiæ reparatrici adſcripta eſſe, quæ naturæ ſunt. Concurrite cives! Miramini in republica Hæretificum Heroëm prodigioſum, cui antiqua non ſuffecerunt convicia , novum igitur excogitavit ſenſus plane contrarii. Pelagiani olim rejecti, quia gratiæ non ſatis tribuerunt; qui eidem omnia bona adſcribunt & prævenientis genus per totius univerſi fines ſparſum aſſerunt, (quo etiam naturæ execratio emendatur in ſtatum tolerabilem,) Neo-Pelagiani audiant Langio oportet. Pelagianorum adverſarii ergo Neo-Pelagiani ſunt ! Hoc σιδηρόξυλον qui Langio dictante non probaverit demiſſus ac humilis , is quodnam novi probri ἔγκλημα laturus ſit equidem neſcio. Deus miſereatur hominis in mentem reprobam eouſque dati, ut, dum ſapientiſſime

me agere putat, contrarium plane omnibus sensu communi adhuc gaudentibus palam faciat. Sanctiorem & Servatori universali honorabiliorem in hoc doctrinæ genere sententiam vix invenies illa, quam Poiretus de gratia præveniente, de benedictione cunctis gentibus in Christo impertita proposuit. Artificium prolixe probandi quæ ab utraque parte conceduntur, ut alteram illa negasse imprudentioribus persuadeas, supra tetigimus, quod hic in Langio recurrit, qui multa affert, de Christo ἀναμαρτήτῳ quem talem esse Poiretus millies milliesque evicit. Per hunc certe non stetit quin Langii mens turbida tertium inter peccatum ipsum inhærens & peccatum imputatum cernere potuerit; adest tamen illud in sollicitatione sive tentatione ad peccandum fortissima, quam Christum sine peccato in nostri gratiam suscepisse ipsa Scriptura diserte docet, nisi illam inanes sine mente sonos prætulisse blaspheme quis excipere voluerit. Profecto σιδηρόξυλον non profert qui quempiam tentationibus ad peccandum sine illius culpa & consensu pulsatum, asserit, simulque affirmat eundem ne tantillum quidem cessisse, ac propterea ἀναμάρτητον perstitisse. Accedit, quod quam maxime notandum, Poiretum de iis tentationibus locutum esse quæ sollicitant ad quidpiam sua natura seu ἁπλῶς haud malum, sed κατά τι aut ex contraria suscepta sententia indecens est, quemadmodum discere licet ex ejus verbis (Oecon. Libr. IV. Cap. 2. §. 23.) ab ipso Langio pag. 33. hunc in modum citatis: „ Christus „ utique hac in vita actionum regulis, mandatis ac legibus non „ caruit, & quidem multo arctioribus severioribusque quam „ quæ ulli unquam hominum datæ fuerint: at eædem leges „ necessitatem absolutam atque inexcusabilem non habuerunt; „ nec eidem naturales fuerunt, hoc est, tales, quæ ex condi- „ tione ejus atque natura necessario fluxerint. Leges istæ ar- „ bitrariæ fuerunt, & jugum mere voluntarium, quod ille „ propter hominum salutem in se suscipere voluit. Ille enim „ ex solo arbitrio voluntatis suæ ultro sese obtulit, decrevitque „ conditionem humanam, eamque omnium vilissimam induere, „ in qua propter hominum salutem eandem vitæ rationem te- „ nere voluit, quam inire debebant homines vel maximè ten- „ tati ac à salute longe alienissimi, si quidem ii ad plenitudi-

„ nem luminis atque amoris Dei, adeoque ad salutem æternam
„ redire vellent. Ultroque consilium hoc propositumque ce-
„ perat quo se ipsum pro iis sacrificare voluit : id ipsumque Pa-
„ ter sua voluntate ratum esse voluerat, jusseratque eum, ho-
„ mines ita per mortificationem atque Sacrificium sui ipsius ad
„ ipsum reducere. Quo proposito electo instar regulæ inviola-
„ bilis, consequitur, Christum austeritatibus illis quas adiit,
„ abstinere non potuisse ; neque pugnam contra inclinationes
„ propensionesque naturæ humanæ quam assumserat deserere,
„ quin hoc ipso contra se ipsum, contra consilium susceptum,
„ contra ratihabitionem Patris, contra amorem quo hominum
„ salutem quærere voluerat, contravenisset ; quippe cum pro-
„ pter illos id consilium ceperat, qui aliàs sine proposito hoc
„ voluntario humani generis servandi, iisdem instinctibus non
„ male obedivisset. „ Hæc qui sapienter expenderit, næ is
φλυαρίας Langii cum indignatione ridebit.

XIII. *In Dissertationem Duodecimam.*

XIII. In duodecima seu ultima Δωδεκαμωρίας parte inanem λογομάχον, & futilem sophistam se manifesto exhibuisse non sensit Langius præ occæcato Poiretum quovis modo exagitandi ardore. Post iteratam prolixissimam querelam, Poiretum omnia ad renovandos homines in exponendo Christi Mediatoris beneficio retulisse, Langius sui immemor sequentia Poireti pag. 14. 15. affert : „ Jam supra monui in *Sacrificio Christi* separanda
„ non esse, quæ ibidem *unita* erant. Quamvis enim nobis
„ exemplo esse debeat, absit tamen ut hoc prætextu solum &
„ nudum exemplum in eo spectemus, cætera autem bona, quæ
„ eidem inseparabili vinculo connexa adhærent, *meritum* puta,
„ *Satisfactionem*, *virtutem divinam ac gratiam salutarem* ab eodem
„ separemus. Solum hoc commentum infelicissimum substitutionis
„ & exemtionis pro veteri homine eidem detrahendum est. &c.
Nonne exinde sole clarius patet Poiretum, ubi de renovationis beneficio egit, illud satisfactionis non exclusum sed subintellectum voluisse. Nonne deinde, ipso citante Langio, lytri mentionem sæpius repetitam fecit Poiretus, de illo non, nisi illam explicationem deprecatus, qua homines immunitatem à commoriendo cum Christo stultissimi sibi promittere gestiunt? Vid. L. IV. C. 3. § 17. Talibus expensis, &

sub-

subjectis Langii detorsionibus, injuriis, maledictis de Socinianismo, vafritie Sociniana Poireti fucum facere conata &c. contra auditis, nihil mirum siquis in serium erumperet votum: Increpet te falsi teterrimi Deus veritatis! mihi tamen placet aliud subjicere ex imis præcordiis suspirando: Ab odio Theologorum (sic dictorum, re vera Theologorum pessimorum) subtiliori perinde atque crassiori libera nos Domine Jesu.

A M E N!

INDEX RERUM

Secundum Literarum seriem digestus.

NUMERI *parenthesi inclusi* Præfationis; *cum semilunulâ*, Vitæ; *reliqui* Posthumorum *indicant paginas*.

A.

Abnegatio. Filius Dei quare eam commendet *pag.* 363
Acta primorum Martyrum sincera & selecta, liber; laudatus 31
— eorundem editionem novissimam curat Poiretus (60)
Adamus. Primus homo.
de ejus corpore contra objectiones & falsa Jægeri 582-584
defectionis suæ initia cui medendæ *Eva* fuit condita 584
— instantiæ Jægeri cum flosculis ordinariis. *ibid.*
— dicta de uxore ex Adamo suscitata quam immerito vexet 584 585
— respondetur ad ejus exceptiones de primo peccato & de somno Adami 585, 586
de costa ex eodem detracta 586
sententia de primo homine utriusque sexus principia in se habente, nec antiquis incognita nec recentioribus 586, 587. 642, 643
— Auctores qui de ea scripserunt. 587
Adulatores (inter Doctores Christianos). Vid. *Antinomi.*
perniciosa eorum doctrina 375
cur adeo infensi sint in J. Boëmium 679, 680
Æternitas pœnarum peccati Vid. *Pœna.*
Amor. Vid. *Dilectio.*
Amor *Dei erga nos* vere immensus 20
— infiniti amoris Dei, Filium pro nobis tradentis fundamentum 578
Amor *in Deum*; tenemur naturâ Deum amare amore puro 576
— Dei amor nobiscum communicatur per Deum in nobis præsentem & operantem. (Vid. *Præsentia Dei.*) 659, 660
— Deum esse Amorem in corde amantis negat Jægerus Apostolo contradicens 319-321
— Post lapsum non exigi vult Amorem sed fidem, neutrum recte intelligens 652
— ante lapsum ei substituit mercenarium fœdus operum 476, 477 652. 658, 659
— mira ejus exclamatio de Amore, addita ratione absurda 385. 654, 655
— Quod lex Amoris sit etiam lex fidei 655, 656
— Amori justificatio & omnia tribuuntur à Christo, Apostolis & Patribus primis 656
— verba Sancti Clementis 656, 657
— — item Ignatii, Irenæi, Augustini, Bernhardi 657
— — Lutheri etiam, & ipsius quoque Jægeri 657, 658
— — — qui vero nunc Amorem ex essentialibus Religionis expungit 658, 659

quem-

—— —— quemadmodum & Chladenius. (10)
Amore mori : rarum vel inter Sanctissimos miraculum. 405
Amor *proximi*. ejus fundamentum. 577
Amor *sui*. legitimus quis sit. *ibid.*
Amor *proprius*. quibus vivat, quibusque moriatur. 621, 622
Anabaptismus. Poiretum immerito ejus suspectum reddere vult Jægerus. 285. 286. 287. 288. 289
Anima. Vid. *Homo* supernaturalis.
quanta *ejus* sit *dignitas*. 578, 579
ad Imaginem SS. Trinitatis facta quî participet quædam divina ex unaquaque Persona. 522
differentia immensa Deum inter & Animam. 563
ejus tum *mors* tum *vita æterna* in quo consistant. 528, 529
quo sensu divina *Animæ natura fundamentum* dicatur tam *damnationis* quam *vitæ æternæ*. 563, 582
sententia Lockii de anima. 174
quæstio *de Animæ origine* quo spectet. 560
—— Anima vere *est naturæ divinæ* Deique Imago. 559. 560, 561
—— eam esse ex Deo ortam sentiunt non pauci. 561
—— observationes huc spectantes. 561-563
—— de probationibus hujus sententiæ : eas non posse esse mathematicas. 564
—— de Objectionibus Jægeri. *ibid.*
—— oppositionum Langii causa & iniquitas. 564, 565
—— —— quam contrarius in iis ei fuerit Spenerus. 573. 575
—— —— responsio ad earum nonnullas. (26 28.) 565, 566. 573
—— —— de conclusionibus odiosissimis sententiæ ab eo innocuæ imputatis, & de earum probationibus. 567
—— —— de ejus exceptionibus ad loca Scripturæ. 567, 568
Anima.
—— de testimoniis Philosophorum Gentilium pro hac veritate observatio. 568
—— producuntur pro eadem testimonia Patrum antiquorum; Justini Martyris, Tatiani, Origenis, Lactantii. 569, 570
—— —— Hilarii, Gregorii Nazianzeni, Prudentii; 570, 571
—— —— item Bernardi, Tauleri, H. Susonis, Gerlaci Petri, 571-573
—— —— —— Blosii, Stæ Brigittæ, Auctoris Margaritæ Euangelicæ; 573, 574
—— —— Leightonii, Pordægii, Boëmii, Joh. Engelberti, A. Burignoniæ, & Dnæ. Gujoniæ. 574-576
—— —— —— ipsius etiam Jægeri. 576
—— conclusiones quæ hinc fluunt Langianis oppositæ 576-578
—— philautiam & superbiam hic frustra objici. 579
—— de Langii modo agendi hac in re cum voto. 579, 580
Animarum *status post mortem*; à Judæis etiam antiquissimis pro statu lugubri & tenebroso habitus. 618
Antelapsarii Vid. *Supralapsarii*.
Antinomi. Vid. *Fides*. *Satisfactio* CHRISTI.
eorum & Libertinorum, adulatorumque principium insigne. 346, 347. 380, 381.
in quo Libertini cum illis conveniant. 512
ipsissima illorum principia sua facit Jægerus. 344, 345
Antinomi *novi* in Belgio. (49)
Armella Nicolaa. ejus Vita admiranda edita à Poireto. 31), 32).
Arndius (B. Joannes).
de calumniis in eum, adversariorumque ejus multitudine inter Lutheranos. 197. 215
adhuc aperte diffamatur ipsa Cathedra Lutheri. 197, 198.

Arndius.
criminationum & invidiæ in eum causa 215, 381
monitum de ejus stylo & modis loquendi 388, 389
de ejus Epistola; Magnum mysterium assumtæ humanitatis Verbi æterni. 552, 553
non dubitavit ex Scriptis Angelæ de Fulginio multa Vero suo inserere Christianismo 295. 379. 759, 760
Arnoldus (Gothofredus) de odio in eum Jægeri 680
Aseitas. ex ea sequi possunt quæ Rationi videntur contradictoria, exemplum. 5, 6
est æquivocum 6, 7
Athanasius. ejus Symbolum non respicit Gentes sed Christianos 593
Athei. male præferuntur superstitiosis, ut liberiores 108
ab illis deteriora quam ab his timenda sunt 108, 109
Attentio. Attentio interna. Vid. *Silentium.*
Attentio *activa* Jægeri. 270

B.

BÆlius (Petrus). Auctor primarum objectionum in Cogitationes rationales, notatus 183
de simulato ejus contra Spinozæ Atheismum certamine 39)
superstitiosos Atheis longe postponit 108
Baptismus.
Baptismus & Communio sacra non sunt nuda signa 282, 283
Baptismo à Poireto nullum adscribi effectum quam signi, falso eidem affingitur 285
— quodque illi remissionem peccatorum nullibi attribuat 286, 287
— — & ad ejus requirat valorem ut minister sit in statu regenerationis 287
utrum melius sit baptizari à pio quam impio 287, 288
Baptismus.
ab hæretico aut impio factus, aut si susceptores fuerint impii, an sit iterandus 288
— quid si reluctantibus parentibus aut infidelibus liberi arripiantur ad Baptismum 288, 289
solum sine fide nihil prodesse docent cum ipsi Lutherani 729-731
— Arndio & hîc cum Poireto bene convenit 731-733
Baptismus *infantum.* Vid. *Pædobaptismus*
Baptismus *adultorum.* non est solum pro perfectis aut perfectissimis 284
— quæ perfectio requiratur in adulto baptizando 284, 285
Beneficium. beneficiorum duo genera; alterum imputatione, alterum operatione inhærenti acquiritur. 612, 613
Bernardus (Jacobus) relatio ejus Satyrica librorum de Eruditione, modique agendi 777
Bestialitas in qua homo nunc nascitur, ejusque restitutio. (Vid. *Homo*) 95 &c.
Bilibra Veritatis, liber; notatus 12, 13
Boëmius (Jacobus). Vid. *Schismatici. S.S. Trinitas.* de illius libello *de Pœnitentia* ejusque effectibus vel in ejus inimicis exemplum 426
— simile exemplum vindictæ divinæ ob invectiones in illum 426, 427
quid in eo laudaverit Poiretus & commendaverit 429
testimonium de eo Joach. Langii 575
Spenerus ejus Scripta condemnare numquam voluit, potius iis pondus addidit & quî 670, 671
quo in eum sit animo Jægerus 314. 670. 675
iniqui ut ille judicii de ejus *Aurora* fidem faciat, loca ex eadem falso interpretatur & truncat 425. 427, 428
judicium ejusdem de H. Mori in Boëmium judicio. (Vid. *Morus*) 671

Boëmius.
— qua ratione hic judicis officio fungatur 671, 672
— testimonia Mori & mutilat & falso refert 428
— judicia ejusdem & testimonia de eo ceu errante atrocissime aggravat 674, 675
— quæ leniendi causa ab eo adducuntur rejicit 675
— plane supprimit egregia Mori encomia de Boëmio ejusque Scriptis 675-677
—— ut & de vita ejus & morte. 677
—— alia suppressa ab eodem vel immutata 677, 678
quid Morus in Boëmii Scriptis se invenisse testetur 678, 679
causa quare in Boëmium adeo infensi sint adulatores Theologi 679
quid ille de fide & satisfactione adulatoria ac Lutheranorum corruptione senserit 679, 680
Bona Opera. Vid. *Opus.*
Bonitas Dei erga Gentes 602, 603
Bonum. Boni & mali principia Lockio sunt, hujus quidem dolor, illius voluptas vel delectatio 173
Burignonia (Antonia) Poiretus quid in ea invenerit, ejusque de Burignonia testimonium 15) 405, 406
Opera ejusdem 22), 23)
summa doctrinæ Antoniæ 688
Librorum ejus scopus & substantia 23)
quo animo Scripta ejus legerit Poiretus, & quid in iis invenerit 265, 266. 405, 406
— eorumque in eo effectus 12)
confessionem illius se luminibus Antoniæ adjutum fuisse, inique exagitari à Jægero 758, 759
— ut & à Langio (56. 57)
testimonium D. Thomasii prius de eadem 163, 164
testimonium de eadem illustre à Jægero partim suppressum 687, 688
Burignonia.
de falso Jægeri testimonio contra innocentissimæ vitam & mores 404, 405
ecquid de ea testentur testes oculati & idonei 405, 406
de Scripto discipulorum Jo. Labadie contra eam 14), 15)
de errorlbus quos ei tribuit D. Langius (56, 57, 58)
per calumniam Jægerus eam accusat Enthusiasmi & fanatismi 704-706
circa SS. Trinitatem ei gravissimos errores falso imputat 542, 543
— verba Antoniæ clarissima de hoc Mysterio tribusque in eo Personis 543, 544. 687
— cur illa de officiis nostris erga Deum instantius tractet quam de Mysteriis 545, 546
falsa ejus imputata alia. 1. eam in puncto Satisfactionis Christi Socinianis accedere 390-397
— satisfactionem Christi quo sensu illa asserat, quo neget 392
2. objicit de Christi corpore assumto ex Adamo consequentias absurdas 398, 399
— convicia hac de re impotenter in eam congesta 719-722
3. verba ejus de divina imagine Christi offuscata pervertit & falsat 399, 400, 401
4. improbat in ea quod Deum, cum multis DD. omnis ævi senserit non *necessario* opus habuisse ad reparationem hominis, passione & morte Christi. (Vid. *Satisfactio Christi*) 401
5. reprehendit Christo à dextris Patris sedenti plus tribui cum Scriptura quam in statu suo abjecto 401, 402
quantopere in eam furat 683
convicia ejus vetera novis cumulata & qua occasione 683, 684
mira hominis audacia personæ sibi ignotæ deformitatem monstrosam alia-

Burignonia.
aliaque affingentis 684, 685
de ceteris quibus eam denigrat titulis 685
— de impactis Scripturarum contemtu, ignorantia & melancholia; item vagabundæ appellatione 686. 759

C.

Catechismus Christianus pro vita interiore D. Olierii, editus à Poireto 31)
Ceremoniæ. ex parte Dei nunquam realitate carent 282
Ceremoniæ *Legis* quid fuerint *ibid.*
Ceremoniæ *Novi Testamenti* non sunt nuda signa distinctionis 282, 283
Cerinthus. ejusdem deliria 10
Charitas. Vid. *Amor.*
Chiliasmus subtilis & crassus 638
crassus Poireto mala fide attribuitur 638, 639
perperamque ille excluditur ab iis qui *subtiliorem* tenent, & quare 641-643
Christianismus. Vid. *Scriptura.*
ejus essentia quæ Lockio 173, 174
quî differat à Judaismo sententia Augustini 505
Christianus. rara avis Luthero 611
media veris Christianis efficiendis apta 142
persecuti olim, fugiebant; raro se martyrio obtulerunt & quando 56. 70. 73
— Vid. *Lege agere.*
Christianus *realis*, sive *Vita Marchionis de Renty & cujusdam Religiosæ, ejus Discipulæ*, liber editus à Poireto 30)
Coactio. (Vid. Cogitare.) quæ *laudabilis* 107
Coactiones quænam *illicitæ* *ibid.*
Coactio *conscientiarum*: ejus origo 296, 297
Cœna (Sacra.) Vid. *Communio sacra. Præsentia Christi in S. Cœna.*
Cœna.
contradictio Jægeri circa fidem Discipulorum in prima Cœna 296
Cogitare cogitatio. varie accipitur 103
De libertate cogitandi, liber; ejus examen 103-109
— nævi ejus generaliores 103
libertas cogitandi *physica* infinitis malis est obnoxia 103, 104
— per libertatem morali jure moderatam coërcenda est. 104, 105
—— de quo non habent ejus defensores quod querantur 105, 106
Cogitationum *signa* sive verba & facta in quibus sint libera, & in quibus interdum cogenda 106, 107
Cogitationes Rationales, liber Poireti. prima earum rudimenta Gallice conscripta in modum Epistolæ 5) 8)
hujus in iis institutum, earumque fructus 182, 183
earum argumentum, ordo & scopus 8), 9)
quantopere ab Eruditis primum comprobatæ 14)
de earundem 2da & 3a Editione; & quibus auctæ 23), 24). 39), 40)
Cognitio. Cognitionis *nostræ* principia, sensus & Rationem statuit Lockius 172, 173
Cognitio *Dei & Jesu Christi*, duplex; altera *historica & idealis*; altera *realis.* quæ hæc sit 592
— quæ utriusque effecta 592, 593
Collegianten 50)
Communio sacra. Vid. *Baptismus. Præsentia Christi in S. Cœna. Transsubstantiatio.*
quid Poiretus circa eam sentiat quod ad bonos quarumvis partium 290
hi boni ea utentes Deo accepti sunt & quî; tales fuisse & esse in omnibus partibus 290, 291
— fidem eorum Deus ratam habet modis variis pro diversitate fidei 291 292, 293
—— simile quid videri in ægris a

Communio sacra.
Christo sanatis 293
bonos illi in aliis partibus amant, non attendentes ad ea in quibus differunt 291
& post mortem æternùm uniuntur, cujus præludium optant pacem inter eos promoventes. 291, 292
— quod displicet Satanæ, sacra ipsa in causas rixarum & cædium vertentis. 292
Concupiscentia. Vid. *Instinctus*
Confessor. Confessores & Martyres *bonæ conscientiæ* 298, 299
Conscientia. (Vid. *Coactio. Cultus.*) 361
quî ejus morsibus medendum 340,341
Consequentia. quando non valet alicujus dicti consequentia contra eum qui illud posuit 213
non consequentiis sed ipsis factis innitendum 274, 275
Contemplatio in ea animæ quæ ostenduntur, si cum aliis deinde hæc communicat quî illis aliquid humani intervenire possit 672
Contradictoria. regula de iis non admittendis, fallit in objecto non plane cognito. exemplum. 4
— fallit maxime circa Divinitatem 5
Controversiæ. turbæ Jægeri extra oleas de Controversiis 580, 581
quî illæ sint diabolicæ, teste Jacobo 581
Professoris Controversiarum officium quid exigat in Theologo Christiano 199, 200
— quantum ab eo recesserit Jægerus exemplis ostenditur. 200, 201
— falso dicit illud in se sugillatum à Poireto 701, 702
Controversiarum sui Examinis character 581. 772, 773
— earum Elenchus cum locis Vindiciarum ubi ad singulas respondetur 789
Conversio. quî à Jægero explicata 431, 432
Cooperatio. Cooperatio *hominis cum Deo* ubi vindicata, & quo fructu 406,407
Cooperatio.
hoc centrum est doctrinalium Poireti; & quo spiritu Jægerus ea traducat 407, 408
— conspectus & epitome horum doctrinalium ex ipsis Oeconomiæ libris 408-412
—— fraudes Jægeri in citatis de hisce 412, 413
— censura Jægeri duplex istorum doctrinalium cum refutatione Poireti 414-434
Cor. Vid. *Pulsus.*
Corruptio. Corruptio *innata.* Vid. *Peccatum originale*
negatio ejus aut extenuatio falso imputatur Poireto. 709-711
— Lutherani Doctores quomodo hic parum sibi constent 711, 712
Creatio. Creatio *hominis.* ejus finis. 357
— ut indesinenter Deum imitetur & quî. 576
per eam est filius Dei; ejusque amori ut responderet quibus sit donis instructus. 358
Creatio *rerum à Deo.* Spinosistæ eam negant. 555
— alii creaturas dicunt à Deo procedere necessario, quod eodem vergit. *ibid*
— principia hisce erroribus opposita 556
Creatura. Creaturarum *origo*: oppositionum Jægeri contra tractata de ea nullitas 554, 555
— in his Spinosismi & eo vergentium erroribus capitalibus occurritur 555, 556
— difficultas quî ex principiis hisce erroribus oppositis origo creaturarum deduci possit, soluta 557
— alia objectata Jægeri & falsis interspersa & errore duplici. 557-560
substantiam creaturæ in Dei essentiam mutandam esse, Weyero & Poireto falso imputat Jægerus 669,670
Credere. in rebus practicis quid sit 495 496. 508. 516, 517

Crimen. de crimine & innocentia, quænam Lockio ſint principia & regula 173
Cruces. Vid. *Purificatio.*
Cultus Dei externus.
multi infirmiores quî pœnis coacti non ſine peccato & conſcientiæ flagello cultui ſe dederunt alieno 296, 297
— quî illis ſuccurri poſſit Poiretus conatus eſt oſtendere 297
—— ſi ſc. convinci queant de eſſentialibus ibidem ſalvis, deque illius cultus externi ſalutari uſu 297, 298
—— ſi non queant, quidvis eis potius ſubeundum eſſe quam ut contra conſcientiam eant. 298, 299
— quæ mens Poireti criminoſiſſime pervertitur à Jægero 299, 300
de mutando cultu externo quid ſuaſerit Poiretus. 300

D.

Dæmon. Dæmones in quos poteſtatem habeant vel non 46
Deificatio. hanc vocem uſurpant Patres, Lutherus, Theologia Germanica, Arndius. 238. 251
Deiformis. utitur ea voce Lutherus 238
Deitas JESU CHRISTI.
qua via circa eam ex Scripturis ſit & non ſit procedendum 1-3
liberatur ab objecta contradictione 5-7
ejus & argumentum eſt immenſitas amoris Dei 20, 21
— & humilitas vera de Chriſto proprie aſſerta 21
aliud Deitatis Chriſti argumentum 522. 529. 723-725. 770.
teſtimonia Dei de J. Chriſti Deitate 2, 3
— vindicantur; ſpeciatim Joann. I. vſ. I. &c. 9, 10
—— Col. I. vſ. 16. 11
—— Hebr. I. vſ. 10. 11, 12
nubes teſtium, ſeu primorum *Martyrum* confeſſiones de eadem 14. 25-84
Deitas J. CHRISTI.
— harum ingens pondus ejusque fundamentum 24
—— quamvis argumentum ex iis negativum nihil concludat, & quare 24, 25
— vindicatur confeſſio de Deitate J. Chriſti Martyrum Polycarpi 14 33-35
—— & Juſtini 14. 35, 36
oſtenditur exemplis non ſemper exſpectanda eſſe à Martyribus expreſſa de ea teſtimonia 25. 37, 38
Demeritum hominis à lapſu, per bonitatem Dei meritumque & interceſſionem Filii ſui contectum 360
Deſiderium. Deſideria *activa* & *paſſiva*; illa non rejiciuntur 264
DEUS. Vide *Amor*, *Cognitio*, *Fœcunditas*, *Humilitas*, *Mandata*, *Tactus Dei. SS.* TRINITAS.
ex Dei conceptu arbitrario negato quidam fataliſmum imo Spinoſiſmum deduxere 249
Deus, Pater hominum, nihil ab iis exigit niſi amorem filialem & mutuum 475
Deus nihil exigit ab homine modo mercenario, nedum tyrannico ultra vires 372. 454. 655
ſtupidioribus ſe accommodat propoſita mercede 372, 373
ejus miſericordia erga infirmos 373
— & ſeveritas in eos qui infirmitatis prætextu voluntarie peccant 373, 374
differentia immenſa Deum inter & ſpiritus creatos. 563
Dilectio. (Vid. Amor.) ſola divina dilectione noſtra digna ſunt. 577
Doctores. differentia Doctores inter alios, Chriſtumque verum Doctorem. 604, 605
Vid. *Adulatores*
Dolor. Vid. *Purificatio.*
Donatiſtæ. Donatus. qua in re Donatus paria faciebat cum Novato 444, 445
— Donatiſtarum hæreſeos falſo

Poiretum insimulat Jægerus 277. 287. 444
Donum. Dona *Dei perfecta :* iis recipiendis nihil nostrum agnitum non obest 463
cur Deus ea non conferat illico *ibid.*

E.

Ecclesia. solam Lutheranam Jægerus dicit veram Ecclesiam , exclusis Reformatis & Catholicis 607
Poiretum in Ecclesiam Lutheranam calumnias dirissimas evomuisse non nisi per calumniam dicitur , malaque fide 193 , 194. 701. 764 , 765
Enthusiasmus. principia ut de eo bene judicetur 147-150
Enthusiasmus & fanatismus quid & unde proveniant 149 , 150
Enthusiasmi character quis 617
petentibus & sperantibus Dei auxilium eum impingere , injuriosum est in sacra Dei verba 145 , 146
accusationis ejusdem & fanatismi nullitas ob assertam illuminationis internæ necessitatem 702 , 703
— eam non nisi per calumniam à Jægero moveri Poireto 703 , 704
——— ut & contra A. Burignoniam 704-706
— eadem in totam resilit Ecclesiam Lutheranam ejusque D D. & in Lutherum ipsum 706-708
Enthusiasmus. an sequatur ex doctrina de origine animarum ex Deo (27)
Poiretus non tantum ab eo longe abest , sed & non paucos ab eo absterrere conatus est 155. 205 , 206. 242
— ubi exposuerit quî caveri possit 160
immerita Enthusiasmi & fanatismi imputatio unde orta sit 150 , 151
— qui immeritis eos imputant sibi ea in re contradicunt 151
— cur in immeritos & Poiretum

Enthusiasmus.
eos exprobrent ; hujusque defensio 151 , 152
Enthusiasta. qui proprie 150
Enthusiastæ & fanatici qui 218
Epictetus. ejus exemplum , omnia esse facienda ad gloriam Dei 595 , 596
Epicurei & Sadducæi unde prodierint 148 , 149
Epicureismus Vid. *Lockius.*
Error. Vid. *Methodus. Sanctimonia*
Eruditi. fons malorum omnium non paucos inficientium 188-190
quo animo sint erga Scripta aliorum eruditionem solidam quærentes 215 , 216
— quo autem laudem ex amore proprio affectantes 216 , 217. 777 , 778
Eruditio. Vid. *Methodus. Via.*
Eruditio *solida* , *superficiaria* & *falsa* quid ? 28)
ad primam homines illico ab infantia sunt adducendi & quomodo 98-102
De Eruditione solida , *superficiaria & falsa Libri* Poireti tres
— prima & secunda eorum Editio, harumque contenta 27) , 28). 34) , 35)
Eruditor internus. ejus vox ; & cavillatio Jægeri in eam 263 , 264
Essentialia. ea in Theologicis distinguenda ab iis quæ sunt *problematica* & quî 199 , 200
Ethnici. Vid. *Gentiles.*
Evacuatio intellectus. ab Arndio commendata Vid. *Silentium.* 265
Euangelium. de nonnullorum qui ejus literas carent salute sperata 714
Euangelium *novum* Euangelio Christi plane contrarium 636
— à Tarnovio & Luthero dudum explosum 739 , 740
Exinanitio Christi. Vid. JESUS CHRISTUS.
Extraordinaria. ea motu proprio à Deo petere non licet 552

F.

FAcultates animæ diſtinguuntur in *activas* & *paſſivas* 113
media ſanationis facultatum *ſuperiorum* 142
Fanatici. (Vid. *Enthuſiaſtæ.*) qui proprie. 150
Fanatiſmus. Vid. *Enthuſiaſmus.*
Fenelonius (Archiepiſcopus Cameracenſis;) Opera ejus ſpiritualia à Poireto edita. 42)
Fides. Vid. *Credere. Reparatio. Via fidei.*
Fides Euangelica quid ſit 615. 656
vera Fides quid ſit ſecundum Patres Apoſtolicos 489
in lege morali includitur 478
veræ divinæ Fidei effectus (51)
an & quo ſenſu conſiſtat in *notitia*, & *fiducia*, quo vero non 389. 446
de ejus partitione in notitiam, aſſenſum & fiduciam, item in notitiam, deſiderium & acquieſcentiam (43)
in rebus fidei diſtinguendum eſt inter eſſentialia & adventitia 355
non omnis error in fide venenum eſt infernale 355, 356. 521
quam fallax ſit & nulla fides quam prædicant Magiſtri quidam ultimorum temporum 335. 346. 372. 375. 384, 385. 488, 489. 515, 516
de fide ſenſu Antinomorum aſſerta mira cum audacia 623, 624. 627, 628
rectè dicitur *ſubſtantiale* Dei *lumen.* loca Macarii 646
officium ejus organicum apprehendendi meritum & juſtitiam Chriſti non negatur à Poireto (41)
quæ Poiretus in fide explicanda ſolicite diſtinxit, à Jægero perperam confunduntur 725, 726
vitilitigat de omiſſa mentione Scripturæ, Meritique & Satisfactione Chriſti in breviuſcula reſumtione fidei 309-311
falſoque imputat negatam ejus activitatem 311, 312
Fides.
reprehendit *tres* fieri *in fide gradus* ad S S. Trinitatem relatos 312-314
— verba Poireti hoc de ſubjecto, quæ vindicantur 726-728
carpit Jægerus *fidem* dici *eſſe Deum* 314
— locutionis hujus ſenſus planiſſime expoſitus 314, 315
— ea à Scripturis & Sanctis aliena non eſt 315-317
——— nec ab Arndio, ipſoque Luthero 317
— de ea tam caute explicata ineptiſſimæ criminationes Jægeri 318, 319
turbæ aliæ ejusdem de fide inanes 646
de prætenſo Poireti ab Arndio diſſenſu in explicanda fidei natura 722, 723
Poireti deſcriptio fidei eadem quod ad ſenſum quæ Arndii 726
Fidem in Verbo & gratia Dei, inque Chriſti merito recumbere, non magis Poiretus negat atque Arndius 728, 729
Fides & Ratio collatæ, liber editus à Poireto; ejus argumentum, contenta &c. 36), 37)
FILIUS DEI. de aſſumta ab eo humanitate ante lapſum dicta, immerito impeti à Langio 820
quam impotenter ea aggrediatur Jægerus 547, 548
— reſpondetur ad ejus objectata 336, 337. 398, 399. 548-552
— aliæ ejuſdem ſophiſticationes retunduntur 719-721
— hæc ſententia Chriſtum non tollit 717, 718
——— praxique Chriſtianiſmi nullatenus officit 718, 719
——— nec ut ab omnibus recipienda urgetur 719-721
Sententia Mennonitarum &c. de ejus humanitate 552

Filius Dei.
Sententia & Epiſtola Arndii de eadem 552, 553
Fœcunditas ſeu generatio DEI 8, 9
ex ea non ſequi poſſibilitatem productionis plurium Deorum ex Deo patre 19, 20
Fœdus Deum inter & hominem. triplex vel quadruplex 307, 308
— Deus ut tertium & quartum elevaret, Filio miſſo primum renovavit. 308, 309
Fœdus *novum* vel novum teſtamentum 475
Fœdus mercenarium vel operum Dei cum Adamo & poſteris ejus gratis ſuppoſitum 307. 358. 475. 652
— legique amoris ſubſtitutum, quo fracto opus ſit fœdere novo; quid novum hoc Jægero 476, 477. 658 659
Förtſchius (Theol. Prof. Jenenſis) de ejus oppoſitionibus contra Poiretum 773, 774
Franciſcus (Sanctus). inter laudes Dei humilitatem recenſet 21. 316
Fundus animæ intimus 269. 747

G.

G*Eneratio.* Generatio *Dei.* Vid. *Fœcunditas Dei.* Generatio *æterna Filii Dei* 29. 44
— teſtimonia de ea ex Scripturis 2, 3. 8
—— SS. Martyrum 43, 69
— abſurdum, negare eam quod non concipiatur 7. 8. 9. 22
— eam qui negat, Dei negat omnipotentiam 8
— — & divinæ, omnisque adeo vitæ naturalem tollit proprietatem 9
— aliud ejusdem argumentum 770
— de ea nec dubitavit Poiretus, nec negavit quicquam 535, 536
— an & quî liceat ſua de his cogitata particularia proferre 536
Generatio.
— de allatis de hiſce à Jægero contra Weigelium, Paracelſum aliosque 536, 537
—— mira ejus duplicitas idem quod in Scholaſticis, Patribus, ipſoque Luthero excuſat, hic in Poireto denigrans 537, 538
— Patres aliique Auctores venerandi qui hic eandem cum Poireto ſententiam tenent. 538, 539
—— de objectis contra eam; & de difficultate, Cur cognitio Dei Patris ſit fœcunda, Filii non item 539
——— ad quam reſpondetur 539, 540
Generatio Sanctorum *in Regno Chriſti* in terris; & quam ſpurce eam irrideat Jægerus 642
— de eadem locus Clementis & Juſtini 642, 643
Gentes, *Gentiles.* Vid. *Chriſtianus. Euangelium.*
de ſalute Gentilium poſſibili diſceptatio Jægeri inconſulta 590
— ſententia Poireti de eadem & quomodo ſtabilita 590, 591
— Jægeri oppoſitiones quinque. Reſp. ad (1) ſeu ad loca Scripturæ 591-593
—— non ſalvantur Gentiles niſi per Chriſtum (28) 593. 715. 716, 717
— ad (2) de eorum erroribus & corruptione 593-601
—— fuiſſe inter eos qui divina non ignorarunt 593, 594
—— ignoratio Myſteriorum an iis noceat 594
—— de SS. Trinitate iis non incognita, teſte Auguſtino 594, 595
—— de Satisfactionis ignorantia 595
—— de eorum virtutibus. Vid. *Virtus*
—— de bonis eorum operibus 596
— ad (3) Cogitationem de Deo ante

Gentes, *Gentiles*.
ante sonum Euangelii esse horribilem 601-603
—— bonitas Dei erga Gentes demonstrata & ab iis agnita 602, 603
— (4) quam inepte hinc trahat Jægerus verbi externi contemtum addita calumnia detestabili 603, 604
—— ratiocinationis ejus absurditas 604, 605
— ad (5) de exceptionibus ad exempla ex Scripturis allata 605
probatur ex principiis à Jægero admissis Gentiles salvari posse licet Verbo externo careant 605-607
— conclusiones hinc illatæ 607
— quam barbara sit eorum crudelitas qui omnes quibus Verbum externum non datur, inferno adscribunt 607, 608
probatur idem auctoritatibus Patrum, Justini, 608
— Clementis Alexandrini, Athanasii, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini 609, 610
— uti & recentiorum, in specie SS. Brigittæ & Mechtildis, ac ipsius Lutheri 610, 611
— testimonium Grabii de Patrum hac in re sententia 611, 612
non desunt inter Lutheranos qui de salute infantum Gentilium bene sperant 714, 715
— quorum rationes etiam pro quibusdam valent adultis. 715, 716
Gloriatio. quî omnis gloriatio in negotio salutis sit exclusa 471. 493-495
Γνωστὸν τοῦ Θεοῦ. quid? 361
Gratia. Vid. *Natura*. *Salus*.
Gratia Christi omnibus necessaria in quo consistat 470
Gratia Dei cui sit jugum intolerabile 472
— cui vero & quomodo tolerabilis fiat & possibilis 472, 473
Gujonia (Domina). de Jægeri in eam animo 680
Gujonia.
— specimen hujus oppositionum contra eandem cujus verba vel non capit vel falso torquet 681
—— nec alia via utitur substitutus Jægeri, Auctor Gyonismi confutati 682, 683
Scripta illius Matronæ ex quibus de ea sit judicandum 683
ejus Opera à Poireto edita 32), 33). 38), 39). 41), 42), 43)

H.

Hæretici. omnis generis Hæretici unde originem traxerint 149
Hermas, Vir Apostolicus; rejectus à D. Ittigio. ejus auctoritas 484
Hiel. ejus liber *Thesaurus in agro absconditus*. quî Poireto profuerit 5), 6)
— sententia Jo. Lud. Fabricii de eo libro 5)
Hierosolyma. ejus restitutio in Regno Christi in terris 641
— testimonium ea de re Justini 641, 642
Homo. Vid. DEUS. *Creatio*, *Lapsus*, *Præparatio*, *Reparatio hominis*.
Homo nunc nascitur in statu bestialitatis 95
axiomata de ejus fine & officio 95, 96
inter statum Hominis bestialem & tendentiam ad restitutum tertius non datur eo dignus 96, 97
è statu hominis bestiali per idealem emersio interdum ejus est depravatio diabolica 97, 98
potest & debet illico ab infantia ad solidam restitutionem adduci 98, 99
— idque per veritatis inquisitionem & qua methodo. (Vid. Methodus) 99-102
Homini ægro non frustra præscribuntur regulæ 140, 141
Hominem qui ex se nihil & peccator est, posse à Dei Spiritu aptum reddi ad omne bonum 461, 462

Homo.
— si huic Spiritui se tradere recusset, incorruptione agnita manens à Veritate ipsa condemnabitur 462, 463
quatuor *Hominis gradus*: ante legem, sub lege, sub gratia in pace; locus Augustini 506
Homo supernaturalis ad æternam revertitur vitam æternùm manens cum Deo, verum ut creatura 321. 574 669
Primus Homo. Vid. *Adamus.*
Humanitas Christi. Vid. *Filius Dei.* JESUS CHRISTUS.
Humilitas. fundamentum humilitatis veræ 577
vera proprie soli Deo aut ei qui Deo est æqualis, competit 21
Humilitas *Dei* vere immensa 21, 22
— quæ causa esse possit cur Eruditi eam inter attributa Dei non posuerint. 22

J.

JÆGERUS (Jo. Wolfg. Cancell. Acad. Tubing. &c.)
de Vindiciis Poireti contra Jægerum earumque contentis deque Jægeri oppositionibus (6-11)
— de servato erga eum silentio, tandemque per Poiretum rupto 179-182
amor existimationis in Jægero; ejusque confidentia 189, 190. 698-701
accusationum Jægeri initium, progressus & enormis exorbitatio 185-188. 203. 208. 255. 323. 537
rationes quas adducit suæ scriptionis quatuor falsæ 192-195. 198-201
— una vera: alia præcipua, quam dissimulat 201-203
sophistice evincere tentat Poiretum dira evomuisse in B. Arndium 194, 195
— quam parum ei cum Arndio conveniat, licet eum magni faciat ver-

Jægerus.
bis 195-197. 240
modi iniqui quibus cum Poireto egit Jægerus 200, 201. 694, 695
— & cum melioribus Dei amicis 189. 196, 197. 200
consilia ejus parum Evangelica & contra quos 204, 205
cur *monstrosissimas* Poireti sententias dicat 214
nusquam non fanatismum & Enthusiasmum ei imputat inique & falſe 218, 219. 235. 450
falsat & truncat verba Poireti 220. 247, 248. 277. 285. 288. 325. 328, 329. 342. 412, 413. 433. 455. 582-584
falsa eidem affricat gratis 286, 287. 299, 300. 304. 322. 355. 520. 521, 522. 531. 545. 548. 557, 558. 583, 584. 588, 589, 590. 603, 604. 615. 625, 626. 627. 640. 722, 723
illius convicia & maledicta atrocia in Poiretum aliosque, adscripta & damnatione æterna 186. 187, 188. 200, 201. 203. 208. 249. 252. 253. 257. 258. 266. 273, 274. 299, 300. 319. 323. 328. 334. 338. 345. 354. 378, 379. 386. 398, 399. 401. 404. 425. 428. 432. 436. 443. 450. 455. 456, 457. 520. 521. 530. 531. 534. 537, 538. 542. 548. 555. 558. 560. 564. 580. 582. 584. 586. 588. 613. 617. 626-628. 642. 647. 649. 659. 661. 666. 667. 668. 669. 670. 671. 675. 683-686. 698. 719-722
doctrinæ ejusdem pestiferæ 220. 255. 279. 319-321. 344. 346. 416, 417. 429, 430. 465. &c. 615. 620, 621. 622. &c. 635-637. 646, 647. 654, 655, 656. 661
controversiarum sui *Examinis* ipsiusque Examinatoris character 617. 772, 773
de ejus *Epistola* ad Poiretum *Examini subjuncta* 645

Ja-

Jægerus.
— alterius ad eam responsoriæ 697-766
——— cui rei hic additæ sint 181
——— quid de earum tum contentis tum stylo dudum testatus sit Poiretus 767
— character duplex istius Jægeri Epistolæ 697, 698
——— 1. mira confidentia; hujusque argumenta 698-701
——— 2. cavillationes variæ inanes 701-756
— malæ fidei inibi exempla 758-765
Jægeri *Judicium de Libro Fides & Ratio,* 645-647
Epistola Jægeri *privata* ad Poiretum; & hujus responsio 691-696
— — in hac injustitiæ Jægeri fontes, innocentiæque ac defensionis Poireti principia sufficientia indicantur 180
— — monitum de ea Poireti 778
Vid. *Poiretus.* omnesque fere Indicis articulos argumenta tum Philosophica tum Theologica respicientes.
Idea. Ideæ *in Deo.* negantur à Jægero 559, 560
quare Platonis de iis sententiam Aristoles ridiculum in modum exposuerit *ibid.*
De Natura & Origine Idearum, liber Poireti; contentorum ejus summa 40)
JESUS CHRISTUS. Vid. *Cognitio. Doctores. Lex. Filius Dei. Deitas, Generatio æterna, Imputatio, Meritum, Satisfactio Christi. Regnum Christi in terris.*
de statu exinanitionis Christi, ejusque participatione in nobis necessaria 400
an ejus intercessio in cœlis non sit satisfactoria 402
Sanguis Christi quibus prosit. locus Joannis 624
de humanitate ejus: an aliquando
Jesus Christus.
non respicienda 681
Christum in nobis, si salvi fieri velimus, nasci debere: phrasis immerito notata 198
de tentationibus J. Christi tradita à Poireto, quam immerito sugillet Langius 824
Christum peccatorem asseri à Poireto, criminatio incredibilis Jægeri 272-274. 456, 457. 762. 771
— ob quam provocatur ad conscientiam ipsius Jægeri qui eam alicubi recantat 274
— quam inique talia fundentur in solis consequentiis. exempla 274, 275
— ea ne quidem per consequentiam ex verbis Poireti elici potest 275, 276
Ignatius, Episcopus & M. confessio ejus coram Imperatore Trajano de Deitate Christi 26
illius testimonia de eadem ex Epistolis genuinis 27, 28
— ex interpolatis etiam 28-31
Illuminatio interna & *immediata* per Spiritum S. phrasis & Luthero usitata 238
quo sensu recte à Poireto asseratur 708, 709
Vid. *Enthusiasmus. Immediatè.*
Imago Dei in homine. vel physice vel moraliter spectatur: hæc confundit Jægerus 561. 564. 581, 582
— objectiones ejus additis coccysmis & maledictis 582
an reliquiæ Imaginis Dei post lapsum remanserint in homine 711, 712
Immediate. Immediatus. hac voce de Deo operante Deique operationibus in nobis utuntur Catholici 232
— Lutherus virique probatissimi contra Pelagianos 200. 413. 417
— cumque Luthero præcipui ex Lutheranis 228-230
— & maxime DD. Reformati contra Neo-Pelagianos 230, 231

eam

Immediate.
eam Jægerus in fanatiſmum imputat 413. 661
Impeccabilitas. ejus deſiderium in homine nondum probato abſurdum eſt 586
Implacabilis. animi implacabilis effectus in presbytero ad Martyrium ducto 48, 49
Impuritas. eam repugnare ſanctitati negat Jægerus 620, 621
in Impuritate contra affirmat dari unionem arctiſſimam cum Deo 621
Imputatio. Vid. *Beneficium. Purificatio.*
Imputatio *peccati originalis*: quam neget vel non neget Poiretus (Vid. *Peccatum originale*) 302
Imputatio *Juſtitiæ Chriſti*: eam non negat idem pro illis qui in Chriſto ſunt, ſed pro iis qui ſunt extra eum, cum Scriptura 305, 306
Imputatio *meriti Chriſti*: Arndius hic cum Poireto amiciſſime conſpirat 742
— *fictitia* à Poireto rejecta 742-745
— — idem Arndii doctrinam ea in re ſummopere laudat, nedum ei contrarietur 745
— — Imputatio pœnitentiæ & ſanctitati contraria ab Arndio perinde ut à Poireto rejicitur 745-747
— — Arndius cum Poireto ſolam externam Imputationem fine Chriſto intus vivente, nullam eſſe docet 747-749
— — cum Arndio conſpirant alii, inter Lutheranos, DD. pii 749, 750
— *vera & ſancta*, hominiſque per eam Juſtificatio à Poireto ſolide adſtruitur 751-754
— monitum Lutheri & ſociorum de Imputatione meritorum Chriſti caute proponenda 750, 751
Imputatio *obedientiæ Chriſti*: verius ea à Poireto agnoſcitur quam à Jægero 340, 341
Incarnatio Filii Dei 548
Inferi. an demortui ante Chriſti mortem apud inferos fuerint, nec ſine doloribus. ſententia Auguſtini 632, 633
Innocentia. Vid. *Crimen.*
Inſtinctus. Vid. *Principia innata.*
Inſtinctus duorum generum; *mali & boni* 131. 133. 136. 221
— quorum utri auſcultet homo, liber eſt 131
— quique facile diſcernuntur 136
Inſtinctus *amoris erga Deum* in creatione immiſſus 358
— & tantum non extinctus lapſu hominis 358, 359
Inſtinctus vel concupiſcentiæ *ad mala* lapſum ſecutæ 359
Inſtinctus *boni reſtitutio* in homine 361
Intellectus. Vid. *Evacuatio. Paſſivitas.*
Intellectus *paſſivus* & *activus* 127
Intellectus *triplex*; paſſivus duplex & activus; eorum corruptio poſt lapſum 113, 114
Interceſſio Chriſti. Vid. JESUS CHRISTUS.
Internus. Interna *attentio.* Vid. *Silentium.*
Interna *verba*, *locutiones*, *lumina* &c. ſpirituali, non externo ſenſu intelligenda 240, 241
Irenicum Univerſale, liber Poireti. ejus occaſio, ſcopus & traductiones 25), 26). 34)
Judaiſmus in cooperatione hominis 410
Vid. *Chriſtianiſmus.*
Jus. Jurium atque legum tam divinarum quam humanarum fundamenta 105
Juſtificatio coram Deo.
num de ea diſputaverint Apoſtoli & adverſus quos 434, 435
Capitis Oeconomiæ ubi de ea agitur, fundamenta recenſentur 435, 436
— ſententia de hiſce atrox Jægeri,

Justificatio.
cujus & objectata refutantur 436-451
falsa Langii imputata Poireti de ea doctrina; eorumque eversio (29-46)
— conclusio ex hisce odiosissima perperam illata (44)
— impactique Socinianismi iniquitas (45)
Justificatio Poireti *declarativa* nihil plane tribuit hominis merito 754, 755
— eadem non contradicit Arndio; à Brochmando diserte asseritur 755, 756
— cum hic de re constet, de verbo inaniter litigatur 756, 757
contradictio Formulæ Concordiæ & Augustanæ Confessionis in Justificationis materia. 757, 758
doctrina Jægeri de Justificatione quæ; & quam sit absurda 437, 438
— nullitas Jægerianæ Justificationis sine amore 654-659
ante Justificationem eunt puritas & sanctitas 443, 444
— neminem, si hoc esset, justificari, male opponit Jægerus 444
Justificatio inhærens & qua faciamus quod jubet Deus. locus Augustini 36). 504, 755, 756
quid tam de Justificatione quam Sanctificatione senserit Irenæus 493
— an hæ per legis impletionem in nobis gloriæ Dei detrahant. locus ejusdem Patris 493-495
loca ex Schwenkfeldio, Weigelio, Barclajo de Justificatione & justitia nostra à Jægero notata 448, 449
— ea cum Scripturis, Patribus ipsoque Luthero apprime consentire 449, 450
Auctores de Justificatione consulendi; ejusdemque vividum exemplum 450, 451. 670
Justinus Mr. illius confessio de Deitate Christi vindicata 14. 35, 36
Justitia. Vid. *Peccatum.*
Justitia *Dei:* per Christum placata quidem est, sed non destructa 398
Justitia Dei *vindicativa.* Vid. *Pœna.*
— male dicitur Deo essentialis. 331 334
— eam Poiretus negare, per meram λογομαχίαν à Langio asseritur (29. 31) 804, 805, 806. 814. &c.
Justitia *hominis:* Vid. *Justificatio.*
— Justitia *inhabitans* quæ est amor Dei & charitas. locus Augustini 503, 504

K.

Kempisius. ejus de Imitatione Christi librorum quatuor editiones Gallicæ Poireti, titulo Kempisius *Communis.* 23)

L.

LANGIUS (Joach. Theol. Prof. Hallensis.) Vid. *Anima origo.*
de ejus oppositionibus contra Poiretum (11) 565-567. 579, 580
— harum causæ & effectus (12. 24. 25) 565. 793
ad Præfationem Dissertationum illius Antipoiretianarum observationes (14-59)
— in Dissertt. easdem stricturæ breves 791, &c.
— de ejus instituto, causis ei obtensis & colore quæsito (52)
ejusdem adulatio in Jægerum. (14) 794
protestatio illius, factis contraria (52, 53)
Lapsus hominis; ejusque sequelæ & effecta 358, 359
demeritum, malaque & miseria hominis à lapsu 360, 361
Vid. *Imago Dei.*
Latro in cruce. exempli ejus abusus. 624, 625
Lex. Vid. *Jus. Lege agere* Christianis sub

Lex.
sub Persecutoribus non licebat 72, 73
quomodo *Christus* sit *finis legis*, legemque non destruat sed impleat in nobis 470
Lex ceremonialis. ejus usus 373
Lex *moralis*, lex regia, lex æterna 475
— ab hac cum defecissent homines, Deus eos donavit Filio suo eò reducendos 475, 476
— ejus restitutio 475
— quam ut impediat tentator, errores & circa hanc legem insinuat 476
Legem moralem jugum esse asserit Jægerus ipsis renatis *insupportabile* 385. 465
— atque ita & sibi & toti Scripturæ contradicit 466, 467
— verborum Concilii Apostolici, id ut probet, explicatio absurdissima 467-469
— argutationes aliæ Jægeri in eam rem dissipantur 470-472
Christus contrà Legem moralem non abrogatam docet 477-479
similiter Paulus 479. 483
— ut & Petrus & Joannes 480, 481
alia loca Scripturæ huc spectantia 482
quid de ea custodienda senserint PP. Apostolici, 483-488
— hæc longissime absunt ab opinionibus Jægeri 488, 489
testimonia de morali lege servanda ac implenda Patrum aliorum 489-509
testimonia eadem de re, Lutheri & Arndii 509, 510
— itemque è Theologia Germanica, Libro Concordiæ, ipsoque Jægero. 512-514
— quam longe ab his & à Scripturis aberrent Magistri quidam ultimorum temporum 514, 515
Liberi. libellus Poireti *de Christiana liberorum educatione* 27)
— ejus occasio, argumentum, publicationes versionesque variæ 28), 29). 34). 209, 210
Libertas. Libertas. *cogitandi.* Vid. *Cogitare.*
Libertas *physica*; constringenda est *morali* Libertate 104, 105
Libertini. Vid. *Antinomi*
Loci Theologici *communes.* eorum origo & fructus funesti ante & post Schismata 653
— virorum quorundam piorum doctorumque circa eos institutum *ibid.*
Lockius (Joann.) notatus 645
ejus Scripta quam sint periculosa 170 776
præposuit Rationem fidei, & Pelagianismo laborat 170, 171. 776
favetque Epicureismo 171-173. 775, 776
periculosorum ejus principiorum præcipuorum epitome 171-174
de ejus mente mutata ante obitum 174
Λόγος. quare ea vox à Joanne adhibita 12
fabulæ, ea quæ de λόγῳ scripsere Patres ex Platone desumta esse, falsitas 12, 13
— novitas, ductor & propagatores 13. 16
— refutatio. 13
— absurditas 15
Lopez (Gregorius). Vita ejus edita à Poireto 42)
Lumina interna. Vid. *Internus.*
Lutherani. Vid. *Ecclesia. Præsentia Christi in S. Cœna.*
Poiretum in iis quæ de abusu Satistisfactionis &c. Christi dixit, ad eorum DD. respexisse, calumnia est 379, 380
— non deesse tamen in iis qui isti abusui faveant, probat res ipsa, 380, 381
— invidia in Arndium, doctrinæque corruptio, 381, 382
— & proborum inter eos testimonia, 382-384

Lutherani.
—— probat Jægeri exemplum & doctrina de mandatis Dei bonisque operibus 384, 385
— patetque tales DD. doctrinam de Satisfactione Christi male & intelligere & explicare 385, 386

M.

Macarius. quanti merito habendus sit & quanti eum habuerit Arndius 497. 501
Magistratus. officia fundamentalia magistratuum & subditorum 207
Malevallii (Franc.) Carmina spiritualia præstantissima: editionem eorum novissimam curavit Poiretus (60)
Malum. Vid. *Bonum.*
Mandata Dei. Vid. *Lex moralis. Lutherani.*
Deus mandata sua affectu dat plane paterno 454
quibus facilia, quibusque difficilia & impossibilia 367, 368. 485. 501. 502
quæstio de eorum observatione ad omnes hominum status applicata; ejusque conclusiones octo mutilatæ à Jægero 453-455
— prætextus impossibilitatis in Scripturis, Patribus, Scriptoribus illuminatis & conscientia cujusque rejectus 453, 454. 497. 502. 503. 514
quo sensu ea regeniti perfecte implere possint 456. 459
— respondetur objectionibus Jægeri 459-465
Manichaismus 559, 561
Martyres. Vid. *Christianus. Confessor.*
quibusdam Martyrium divinitus fuit prænunciatum 41. 77
eorum dicta quem effectum sortiantur in piis animis 31. 34
Martyrum primorum de SS. Trinitate, deque Deitate Christi & Spiritus S. testimonia plurima 14. 25-84
Matthæus (Joann. Magr.) Vid. *Zimmermannus.*
Mercenarius. (Vid. *Deus. Fœdus. Obedientia. Officium. Zizania.*) 41)
Meritum. hominem proprie nil quicquam mereri sensit Poiretus, secus ac Apologia August. Confessionis 754, 755
Meritum *Christi.* Vid. *Imputatio. Satisfactio Christi.*
— accusatio Jægeri circa Meritum & Satisfactionem Christi; ejus causa 334, 335. 336-338
— — quæ accusatio depellitur 335-339. 344, 345
— — duo in ea Jægeri falsa respectu Poireti, & quæ 345
— — — duo item respectu materiæ. Vid. *Satisfactio Christi.*
— Calumnia ejus in Meriti Christi dignitatem 346
— de Meriti & Satisfactionis Christi *abusu* notato 378-389
— — responsio ad loca frustra à Jægero opposita ex Arndio 387, 388
— Meritum Christi gratiaque eo parta medicamento comparata à Poireto 737, 738
— — itemque ab Arndio 738, 739
Metaphysica. eorum pondus & utilitas 240. 249, 250
quam parum ea capiat Jægerus 248-250
Methodus. Vid. *Veritas.*
Methodi *bonitas* an præsidium erroris esse possit (17, 18)
Methodus *emendationis*; & quid in erudiendo requirat 100, 101
Methodus *curiositatis*; malæque ejus notæ & effectus 101, 102
— potest interdum alteri Methodo jungi & quî 109
Methodus sive conditiones *Eruditionis solida* acquirendæ 256, 257
— objectata contra eam Jægeri enervata 257-260. 262-266

Methodus.
Methodus *à Jægero commendata*; ejusque fructus 270, 271
Meyerus (Theol. Prof. Harderovicensis). ejus Dissertatio de SS. Trinitate &c. laudatur. 12, 13
Mixtura animæ cum Deo; quodque Macarius sæpius hac voce utatur 499. 681
Mortuus. de mortuis ante mortem Christi 632, 633
Morus (Henricus). Vid. *Boëmius.*
de ejus testimoniis quod ad Boëmium 672
censuras ejusdem de theoreticis Boëmii falli posse; & quare 672-674
Multiplicatio Sanctorum in Regno Christi futuro. Vid. *Generatio.*
Mysticus. quinam veri *Mystici* dicendi 17. 18. 168, 169
Bibliotheca Mysticorum selecta, liber Poireti 35), 36)
testimonium & protestatio Poireti sincera de Theologis Mysticis 167, 168
— quid illis imputet D. Thomasius & quam immerito 152. 166, 167
ad *Mystica* Jægerus parum aptus est, quæ modo suo sensu probat 250, 251
— — modo ut deliria fanaticorum traducit, nec Sanctissimis parcens 251, 252

N.

Natura. abundantia mirabilium Dei in Natura & Gratia 553, 554
— Poireti in iis exponendis scopus & institutum 554
Naturalismus. doctrinæ de origine animarum ex Deo imputatus (28)
Neo-Pelagianismus absurdissime imputatus Poireto 824
Neumannus (Theol. Prof. Wittembergensis). de ejus oppositionibus contra Poiretum 773
de eo testimonia Langii (9)
Novatismus. in quo consistat 444
falso Poireto imputatus à Jægero 284. 444

O.

Obedientia. Obedientia *mercenaria:* unde sit & quousque utilis 371, 372
Obedientia *Christi.* Vid *Imputatio.*
Oeconomia Divina, liber Poireti.
hujus institutum, fructus, argumenta & versiones 24), 25). 33), 34). 183, 184
Scopus ejusdem præcipuus trinus 254
contentorum illius epitome 184. 253, 254. 780 &c.
ejus prærogativæ præ systematis vulgaribus 184, 185
à quibus impetitus 25). 34). 185. 407
eum tractare Mystica, Jægerus post Clericum omnibus vult persuadere 246-248
unde sit quod ille tot errores in eodem videat 260
nihil minus est quam Theologiæ Mysticæ systema 253, 254
Officium. Vid. *Reparatio.*
Officia Deum inter & hominem non sunt mercenaria 371, 372
Operatio Dei in homine. Vid. *Tactus Dei. Verbum externum.*
Operatio Dei in homine *in statu creationis peccatoque commisso* 147, 148
— — hæc se in homine ut expandat duæ requiruntur conditiones 148
— — semperque à veris Christianis asserta est 150
— — & asseritur à Luthero 267
Operationes Dei in nobis *immediatæ* quatenus cum Scriptura, Sanctisque & Theologis quibusvis agnoscantur à Poireto & credantur 221-223. 450
— eæ non nisi à solo Satana & suis contemni possunt 223
— dignitas & excellentia earum

Operatio Dei.
tum in Deo, tum in creaturis 223, 224
— in iis gradus diversi 224
Operationes Dei *in intimis* nostris sunt necessariæ 227
an & quo sensu *immediatæ* dicantur a D D. Christianis 227, 228. 413
— Vid. *Immediate. Immediatus.*
an ut communicentur opus sit verbo externo. (Vid. *Verbum externum*) 233
animadversiones de operationibus Dei quæ *in imaginatione* vel *sensibus* aut *motibus externis* fiunt 224, 225
— cautelæ & regulæ ad evitandas fallacias 225, 226
Operationes Dei *mediatæ* Pajonistarum 227, 413
Opus. Bona opera Vid. *Lutherani. Salus.*
etiam sanctissimis nihil homo coram Deo meretur 754
quî necessaria sint ad salutem: simile 596, 597
ne dicenda quidem ad eam necessaria vult Jægerus 250. 385
Osiander (Lucas). de ejus accusationibus in B. Arndium 215. 760, 761
— Jægerus mala fide exaggerat dicta Poireti de hisce 760-762
— — qui multos ejus rei habet auctores; & quos (14) 760, 761

P.

PÆdobaptismus. Vid. *Baptismus*
Pædobaptismus à Poireto sustinetur 286
— in eo Arndius & Poiretus consentiunt quod ad rem ipsam 733
an infantes sub initio Ecclesiæ Christianæ baptizati fuerint, multi dubitant 286. 733
Pagani. Vid. *Gentiles*
Pajonistæ. Pelagianismum renovarunt 227
Pajonistæ.
quid per operationes & gratiam Dei *mediatam* intelligant *ibid.* 413
Papismus. de ejus principiis & seminibus sparsis imputatio repulsa (50) 31), 32)
Passivitas intellectus 264, 265
absurde negatur à Jægero 450
Patres Ecclesiæ. Poireti de iis sententia 51), 52)
Pax. ejus conciliandæ studium in Poireto 48), 49) 289, 290
Peccatum. principia de Peccato & justitia quæ statuat Lockius 173
pœnarum Peccati æternitas. Vid. *Pœna.*
de ejus *condonatione* sine satisfactione. Vid. *Satisfactio Christi.*
diu voluntarie & malitiose peccantibus, si servari velint, terribilis sustinenda est purificatio 371
fuisse qui baptismalem innocentiam sine peccato admisso custodiverunt: 486
pauci qui nunquam lapsi, plurimi è lapsis victores hac in vita evaserunt locus Augustini 505, 506
Peccatum *originale.* Vid. *Corruptio innata.*
— male confundit Jægerus Poireti sententiam cum sententia Barclaji ab eo rejecta 303, 304
— imputata duo Langii falsissima circa ejus reatum (32, 33). 821
— — ejusque hac in re calumnia de Socinianismo (26)
— ejus communicationem solidissime demonstrat Poiretus 301, 302
— — quod vero ille aliam ei assignat causam quàm actionem seu imputationem Dei, impugnat Jægerus 302
— Poiretus ejus *imputationem mediatam* omnino agnoscit (34, 35). 302, 303. 807, 808
— imputatio peccati originalis *immediata* nulla est, vel in voluntatem Dei resolvitur 306, 307

Peccatum.
— falso imputatur Poireto ex negata imputatione peccati originalis immediata, vellicasse eum imputationem meriti Christi 304, 305
Pelagiani. 149
Pelagianismus. hæresis duplex. 1. negatio peccati originalis 445
2. assertio virium naturalium sufficientiæ ad opus salutis 19). 171. 227. 407. 413. 445. 776
— quid huic opposuerint Orthodoxi Theologi 227, 228. 413
— falso Poiretum ejus insimulat Jægerus 444
Perfectio. Perfectus. (Vid. *Regeneratus*) 486, 487. 496. 499
gradus innumeri crescendi in perfectione dum hæc vita durat 482
ad postulatum Jægeri de monstrando sibi homine perfecto 433, 434
Persecutor. quid Diabolus Persecutorum cordibus insinuare satagit 191
Persona (in SS. Trinitate). Vid. SS. TRINITAS. de sensu vocis Personæ ubi actum 545
Philosophi. vani unde orti 194
Pietista. unde ita dicti 384
Placaus (Josua). Scriptor Anti-Socinianus, laudatus 16
Platonismus. Patribus & Orthodoxis impactus. (Vid. *Λόγος.*) 12. 447, 448
eum doctrinæ de purificatione post mortem Jægerus & alii Theologiæ Mysticæ impingunt 152. 617, 618
Platonismus revelatus, liber Socinianus; quem habeat Auctorem 13
— ejus character 16
Pœna peccati. Vid. *Purificatio.*
utrum Deus puniat positive (30)
Pœna *damni* & pœna *sensûs* 325. 342
de impossibilitate abolendæ pœnæ peccati per surrogationem 342, 343
— locus Rom. 8. v. 3. à Jægero objectus vindicatur præeunte Augustino 343, 344
Pœna.
pœnarum peccati *æternitas* asserta à Poireto 325. 326. 328
— quæstionem de ea deque ejus causa confundit Jægerus 321, 323
— hujus fraudes, calumniæ suæ speciem conciliaturi 328, 329
— de ejus causa, Scholasticorum sententia; hujusque incommoda 323, 324
— Pœnæ à solo peccatore, non vero positive à Deo veniunt, nedum earum æternitas 324
— de Patribus aliisque Doctoribus secundum quos hanc Justitia divina non exigit 333, 334
— quo sensu peccati Pœna sit æterna non essentialiter 326
— easdem ac Poiretus rationes æternitatis pœnarum afferunt Auctores probati, tum inter Lutheranos, 329-331
— tum inter Reformatos, 331, 332
— tum inter Catholico-Romanos 332, 333
Pœnitentia. vera quæ? 495
POIRETUS (Petrus, Auctor). Vid. *Jægerus.*
schediolum ipsius Poireti de vita sua 1)
Poireti nativitas, vitæque primordia 1), 2)
ejusdem studia & notitia amicitiæque 2)-4). 6). 10), 11)
concionandi munere fungitur; ejusque in eo institutum & facilitas 4), 5)
matrimonium illius 5)
Ecclesiæ Annævillensi præficitur 5), 6)
audit de A. Burignonia & à quo; inciditque in ejus Scripta 10). 11) 12)
studium vitæ interioris indefessum; hujusque incitamenta 6)-8). 10). 12)
de vita ejus interiore divinæque gra-

Poiretus.
tiæ in eo operationibus 17)-21)
commercium quod habuit literarium 11), 12), 13)
belli calamitatibus adactus Annævillensibus valedicit 12), 13)
an Pastorali characteri renunciaverit 13)
adit Burignoniam 15), 16)
ea mortua, Amstelædami sibi vivit, tandemque Rhenoburgum secedit 16), 17)
conversatio ejus cum amicis exterisque 21). 52)
ejusdem Epistolæ ad varios 21). 44)
Scripta editaque ab eodem 3) 4) 5). 6). 8), 9) 22)-44)
— eorundem character 44)-47)
doctrinæ & Scriptorum Poireti character proprius (46)
falsum est sua ex aliis hausisse 447
quibus scribere voluerit vel non 131. 192. 297. 564. 694
character Poireti, Veritatis amor sincerus 47), 48)
— studium pacis & concordiæ religiosæ 48), 49)
— humilitas & simplicitas 50)-52)
ejus corporis habitus, animique dotes 52), 53)
invaletudo & beata mors 1). 6). 16) 52). 53), 54)
de præcipitiis duobus prætensis suis in principiis 1. culturâ rationis inconsultæ (54,55)
— 2. Vitio credulitatis (56)
quam inique dicatur doctrinam Evangelicam habere pro impietatis patrocinio (47,48)
non potest colore ullo fanaticis adnumerari 205, 206. 582
ejus doctrinalia ad seditiones vergere, non nisi per calumniam dicitur 203, 204, 206
— quid doceat eo de subjecto & ubi 206, 207
de integritate suæ fidei varia testimonia 209-213

Poiretus.
— perperam his opponi consequentias prætensas ex opinionibus quibusdam 113, 114
falso inter Mysticos Scriptores numeratur Poiretus, nedum se illuminatum, afflatusque & revelationes immediatas jactaverit 252, 253. 450. 521. 548. 582
secundum suam methodum eum exspectavisse & hausisse illuminationes immediatas, mala fide dicit Jægerus 260, 261
— calumniæ hinc formatæ factis ipsis publice destruuntur 261, 262
quod velit credi perfectam adimpletionem legis in se, Jægeri inventum 458, 459
responsum illius de nullitate difficultatum sibi objectatarum 181, 182. 767-778
— solam Librorum ejus lectionem iis contra Adversarios tum veteres tum novos tuendis sufficere (59) 695. 767-769
—— exempla 769-778
Polycarpus. Episcopus & Martyr. illius confessio de SS. Trinitate & Deitate Christi vindicata 14. 34, 35
Præparatio sive probatio *hominis.*
— cui rei Præparationis periodus homini data est 358
Præscientia Dei. tradita de ea gravissimas quæ prævertunt difficultates, absurde impugnantur; 533, 534. 535
Præsentia.
Præsentia *Dei in anima* existentis & operantis 487
eam imputat in fanatismum Jægerus 220. 223. 255. 647
— præceptum ut semper recurratur ad Deum in fundo nostro præsentem, ait seductionem esse animarum 646, 647
— litem movet de immediata Dei præsentia amorem in nobis operante 659

Præsentia.
—— contradicens Apostolis, Arndio & Augustino 659, 660
quo sensu Deus in omnibus habitare dicatur ab Arndio & Poireto 713, 714
Præsentia *Christi in S. Cœna:* solam fidem communicantis ejus causam esse, imputatio falsa 293, 294
— sine fide Præsentia Domini ejusque gratiæ in S. Cœna nulla est 294
— tres sententiæ de ea inter Lutheranos; duæ absurdæ, una sanior 295
—— absurda illa in bonis animis Christum non offendunt 295, 296
Preces. Preces *activæ* rejectis *passivis* quid sint 270
Principia innata. Vid. *Instinctus.*
ab Ethnicis agnita 602, 603
negantur à Lockio 172. 601
— à quo non multum abludere videtur Jægerus 601
— vindicantur 36)
Probatio hominis. Vid. *Præparatio.*
Problematica. Vid. *Controversiæ. Essentialia*
ea vel ignorari possunt, vel etiam in iis errari potest salute salva 518, 519
— Jægerus contrà omnia in errores capitales trahit 519. 588
—— vultque alios in his ad literam Scripturæ adstringere, ipse jugum hoc excutiens 585, 586
Propheta. Prophetæ *falsi.* Vid. *Zizania.*
novi Prophetæ 155. 205, 206. 226
Pulsus Dei immediati. Vid. *Tactus Dei.*
non omni sensu verum est, pulsum cordis, si sit ex Verbo divino, non posse non esse divinum. exempla 422, 423
ad quæstionem Jægeri an pulsus ille non sit ex vana persuasione 423-425
— exemplum ad invidiam allatum

Pulsus.
de Boëmio extra oleas 425, 426
pulsanti Deo hominem respondere non posse, asserit Jægerus sibi contradicens 429, 430
—— totique Scripturæ, 430, 431
—— & toti Ecclesiæ antiquæ 431
Purificatio. Purificatus. Vid. *Peccatum.*
Purificationem seu sanctificationem acquiri non posse per modum imputationis externæ 612, 613
ejus typus luculentus in Veteri Testamento; ejusque exempla 369, 370
ad Purificationem aptum non esse medium pœnas, dolores, cruces, vult Jægerus naturæ & Scripturis contradicens 615. 621, 622
— instantiæ ejus dissipatæ, & testimonium contra se ipsum 622, 623
— quî & purificatis pœnæ conducant 623
Purificatio *post mortem.* Vid. *Animarum status post mortem.*
— sententia de Purificatione post mortem male nova dicitur & à Poireto excocta 613
— quid de ea re tractetur in Oeconomia duobus Capitibus 613-615
— ad horum in Jægeri Examine vellicationem respondetur 615, 616
— Disputatio ejusdem contra hæc ipsa; ejusque contenta 616
—— observationes Poireti ad eandem 617-628
— Præsules aliquot in Gallia doctrinam hanc extinxisse non verisimiliter narrat Jægerus 617
— an ea Platonicis Philosophis originem debeat 617, 618
— eandem esse heterodoxam, monstrosam, impiam, blasphemam Jægerus falso asserit 619, 620
—— contrarium agnoscitur à recte sentientibus *ibid.*
— eam pro tolerabili habent Protestantium æquiores 201. 620
— de SS. Patribus aliisque Auctoribus

Purificatio.
ribus bene multis qui de ea teſtantur 628, 629
— tractatuli de ea S. Catherinæ & Dominæ Gujoniæ é præcipuis 629
— teſtimonia de eadem ex Actis S. Perpetuæ Martyris 629, 630
—— ex Actis S. Teclæ 612. 630, 631
—— Cypriani, Baſilii Magni, Chryſoſtomi, Auguſtini 631-633
—— Boëthii, Bernardi, Tauleri ipſiusque Lutheri 633-635
—— ex Revelationibus S. Mechtildis 610
— condemnationes teterrimæ Jægeri in tot Sanctos ipſumque Lutherum recidunt 635
—— quare illæ in Poiretum præcipue vibrentur *ibid.*
Puritas. Vid. *Juſtificatio.*
hac in vita ad puritatem integram perveniri non poſſe male arguit Jægerus ex Rom. 7. v. 18. contra pleroſque Patres alioſque DD. 438-440

Q.

QUakeri. Vid. *Tremuli.*
Quies. (Vid. *Silentium.*) 265
Quies & ſilentium internum, loca Lutheri de iis 238

R.

RAtio. quid ſit, & quæ ex ejus malo uſu calamitas 113, 114
quî penitus corrupta 139
demonſtrationes corruptionis ejus 3
ejus in divinis impotentia *ibid.*
non poteſt ſanari niſi ſanatis facultatibus ſuperioribus 142
Rationis emendatio, ejusque rectus uſus 114
varia ejusdem in debito uſu à Poireto non rejectæ teſtimonia 114-122. 144, 145. 774, 775
Ratio.
actio Rationis intempeſtiva compeſci poteſt ſine ejus rejectione. ſimilitudines 123, 124
Reformati. DD. Reformati aſſertores gratiæ immediate operantis 230
accuſantur ea de cauſa perperam Enthuſiaſmi ab adverſariis & à quibusdam Lutheranis 231
— dum Romano-Catholici hac in re ſunt æquiores 232, 233
S. Cœnam inter eos verum eſſe Sacramentum negat J. A. Oſiander 290
Regeneratus, Regenitus. Vid. *Lex moralis. Mandata Dei. Reſurrectio.*
inter vere tales de mandatis Dei ſervandis non quæritur 452
Regeneratorum ſtatus in hac vita poſſibilis. locus Macarii 497, 498
quales ſibi Jægerus fingat Regenitos denigrans Paulum & Joannem 250. 440-442. 451
— quam barbare aſſertum ſuum evincere tentat ex Oratione Dominica 442, 443
—— item exemplis Davidis & Petri 443
de imperfectionibus Renatorum negatis malæ fidei accuſatio Jægeri 763, 764
Regnum Chriſti in terris. Vid. *Chiliaſmus.*
male de eo litem moveri Poireto patet ex ipſo Jægero 637, 638
hic illud votum ſuum eſſe dicit, mox vero damnat 638
ejus objectiones contra idem cum fraude iniquiſſima. 639-641
indicantur SS. Patres qui hoc Regnum crediderunt 643
locus Barnabæ Apoſtoli de eo 644
Religio. Vide *Cultus.*
Poiretus non voluit combinare tres Religiones. quid voluit 293
Reparatio hominis. quæ circa articulum Reparationis per Chriſtum ſint eſſentialia. 356

Reparatio hominis.
— quî cetera accessoria ignorare vel etiam utiliter inquirere liceat 356, 357
Deus per misericordiam suam & propter merita & intercessionem Filii sui reparare voluit hominem & quî 359, 360
Reparationis hominis ordo & œconomia 357-371
ad eam singulæ SS. Trinitatis Personæ officium speciale susceperunt 360
— officium Patris, Filii triplex, & officium Spiritus S. 361-365
—— quibus homo ex suâ parte debet respondere & Dei postulato satisfacere, & quî 365-371
——— fides in his officiis continetur: auctoritas Arndii & Pauli 375-377
imputatio Jægeri falsa, in toto ejus negotio nullam fieri de Verbo Dei mentionem 414
Resurrectio. qui sibi plene mortui cum Christo resurrexerunt, non amplius à fundo suo sollicitantur ad malum 464
— tales fuisse & futuros esse docent Scripturæ & Vitæ Patrum *ibid.*
— horum exemplum & insignis prædictio 464, 465
Revelatio. vocis hujus sensus ambiguus: bonus rejici non potest 153
quo sensu Revelationes rejiciendæ sint 154. 242
de Revelationibus admittendis Lockii principia 173
Rhenoburgum. 17) 50)

S.

Sacramenta. Vid. *Verbum Dei.*
ea Poireto esse meras ceremonias, imputatio Jægeri falsa 281-283
non sunt nuda distinctionis signa; & quid sint 283
appellantur à quarumvis partium Theologis modo signa, modo sigilla, modo ceremoniæ *ibid.*
Sacrificium. Poiretum non negare in sacrificiis efficaciam typice ἱλαστικήν. (38) 813. 821
Sacrificia legalia Christum plane non respexisse, perperam asserit Langius Poiretum statuere 812
Sadducæi. Vid. *Epicurei.*
Salvianus. Jeremias sui ævi 509
Salus. non per opera nostra, sed à solo Deo in homine perficitur 596, 597
quî sit gratuita 471
vera salus & gratia quæ sit: quæ vero *impiorum* 471, 472
——— quam volunt sine concursu suæ perfectionis vel operum 472
Sanctificatio. Vid. *Justificatio. Purificatio.*
Sanctimonia. serium ejus studium an possit præsidium esse periculosi erroris (11)
quale Poiretus urgeat Sanctimoniæ studium (19)
— an id dici queat non genuinum (23)
Sanctitas. Vid. *Impuritas*
ad Sanctitatem ingenerandam nihil efficacius exemplo Dei 20
Sanguis Christi. Vid. JESUS CHRISTUS.
Satisfactio.
Satisfactio *Christi.* Vid. JESUS CHRISTUS. *Lutherani. Meritum Christi*
de Satisfactionis Christi abusu 377 & seqq. 733, 734
de Satisfactione Christi, ejusque abusu ab optimis Lutheranorum deplorato 403, 404
qui hac voce abutantur Antinomi 339, 340
quam falsa, absurda, Deo injuria & hominibus perniciosa sit doctrina de Satisfactione adulatoria 397, 398
calumnia est Poiretum Satisfactionem Christi non admittere 340
de Satisfactione *exemtoria* 623
quo sensu Satisfactio Christi vere sit ex-

Satisfactio.
exemptoria ex sententia Arndii & Poireti 740-742
negatio Satisfactionis Christi ἱλαστικῆς contra expressa ejus verba Poireto tribuitur (28) 813, 814, 826
quæ sit ficta illa Satisfactio exemtoria quam Poiretus rejicit 734, 735
— eadem & ab Arndio rejicitur 735-737
—— illiusque assertores ab utroque pro deceptoribus habentur 739
duo Jægeri falsa hac in materia. 1. impossibilem esse peccati sine Satisfactione condonationem 345, 346
— 2. Christum ita loco nostri satisfecisse, ut nihil ex parte nostri supersit quàm hoc credere, &c. 346, 347
— contra 1. opponuntur testimonia contraria Doctorum omnis ævi 347
—— (1) Patrum & Doctorum Ecclesiæ Catholicæ 347-351
—— (2) Theologorum Scholasticorum aliorumque ex eadem Ecclesia 351-353
—— (3) Theologorum Protestantium 353, 354
—— testimonia allata à Jægero non faciunt pro ipso 354, 355
— contra 2. falsum repræsentatio Poireti 355-377
—— verba S. Clementis huc facientia 395. 473
Satisfactio hominis Deo debita. Vid. *Reparatio.*
— hæc vox non sonat meritum 365
—— antiquæ Ecclesiæ, ut & Catholicæ, imo & Protestantibus in usu est 365, 366
—— eaque utitur Arndius 742
Schismatici. Boëmii exemplum contra Schismaticos 676, 677
Scriptura S. Sapientia ejus, sensusque profunditas. 556. 567. 703
Scriptura S.
de illius sensu ex lumine Dei ubi egerit Poiretus 772
sola & una principium est Theologiæ Christianæ, 221
ejus insufficientia indeque impactus Enthusiasmus falso Poireto objicitur 241, 242. 772
— accusationem eam resilire in ejus auctorem 243, 244
—— qui alibi Poiretum ab ea absolvit 245, 246
persecutoribus in animo fuit Scripturam extinguere ut Christianismum abolerent 58
Semen mulieris quod conteret caput Serpentis.
querelæ tragicæ & falsa imputata ea de re Jægeri 588, 589
an per illud intelligi possint homines ex muliere nati 589, 590
Separatistæ. non paucos, ne cum illis cœtus publicos relinquerent, omni opera impedivit Poiretus 206
Silentium internum. (Vid. *Quies.*) 487
refellitur objectio Jægeri contra illud 262, 263
de silentio, quiete, evacuatione, interna attentione, locus ex Augustino 266, 267
— loca ex Luthero & ex Arndio 267-269
Sinceritas. Sinceritas *vulgaris* & *penitior*; hujusque necessitas 132, 133
differentia penitioris à vulgari clara est & facile detegitur 134-136
Sociniani. ab illis renovata est hæresis Pelagianorum 19). 227
eorum Theologia prorsus est philosophica 87
ad eorum oblocutiones ubi respondeatur *ibid.* 88. 89
quid de iis senserit Poiretus 49), 50)
Socinianismus. Socinianismus *repressus* in Epistola Poireti, quod ad articulum de vera Christi Deitate 1-22
— itemque de æterna ejus generatione

Socinianismus.
tione *ibid.* 770
—— Epistolæ hujus occasio, scopus & contenta (1-5)
ejus per calumniam & imposturam insimulatur Poiretus à Jægero in puncto Satisfactionis Christi 340. 396, 397
— uti & A. Burignonia 396, 397
calumnia Langii de Socinianismo in materia peccati originalis (36, 37)
— & justificationis (45) 803. 826
Socrates. atrociter criminatus à Jægero, vindicatur. 597-601
de testimonio Oraculi Delphici pro eo, deque ejus Genio 599
de sacrificio quod voluit Æsculapio fieri 599, 600
de Sancti appellatione ei tributa, deque hinc impacta blasphemia & impudentia 600, 601
Spanhemius. (Daniel. Acad. Heidelb. Bibliothecarius). piissima ejus vita & mors 9), 10)
— ejusdem Regulæ erga Deum, proximum & semet ipsum 10)
Spenerus. carpitur à Jægero ob defensam spem meliorum temporum 638
quo fit in eum animo quod Boëmium non condemnaverit 670, 671
Spinosismus. ejus error capitalis, negatio creationis; & principia quibus destruatur 555, 556
Spiritus. Spiritus *creati.* Vid. DEUS
SPIRITUS S. Vid. *Verbum externum.*
— ejus Divinitas quomodo agnosci possit 16. 522. 724, 725
Subditi. Vid. *Magistratus.*
Substitutio Christi pro peccatore. Vid. *Pœna.* quo sensu eam agnoscat Poiretus, vel non 341
Superstitiosi. Vid. *Athei.*
diversa eorum genera 108
Supralapsarii. eorum sententiæ incongruentia, unde refellatur solide 577, 578
Surrogatio Christi pro peccatore. Vid. *Substitutio.*

T.

TActus Dei & pulsus *immediati.* Vid. *Pulsus Dei*
Deum eos ut exspectemus non præcepisse, neque promisisse eos, cum Pelagianis & Socinianis contra Scripturam asserit Jægerus 416, 417
audet ille de hisce in se divinis Christo tribuere verba ridicula 417
objicitque absurde nullum aliud eos intelligendi dari medium quam per Verba 418, 419
Taulerus. quanti eum faciant Lutherus, Melanchton, Arndius, Spenerus, pluresque alii 251, 252. 571, 572. 628. 634. 666
in eum criminationes Jægeri 252. 666, 667
Theologia.
Theologia *Absoluta* & *Comparativa*, una specie, sed quo discrimine 649
— Comparativæ soliditas; ea cum ratione improbari nequit 651, 652
Theologia *Amoris*, sive Vita & Opera Stæ Catharinæ Genuensis, edita à Poireto 27)
Theologia *Cordis*, liber à Poireto publicatus; ejus contenta & fructus 26), 27)
Theologia *Crucis Christi Jesu* in Operibus & Vita Stæ Angelæ de Fulginio à Poireto Gallice redditis 29)
— Ex his Arndius non pauca Christianismo suo Vero inseruit 759, 760
Theologia *Christiana:* de ejus principio sententia Jægeri, Patribus, Theologis, Luthero, sibique ipsi contradicentis 219-221
— solam & unam Scripturam Poiretus pro uno & solo ejus habet principio 221

Theologia.
—— *Theologiæ Christinæ secundum principia J. Boëmii* libellus 26)
—— vexatus immerito à Jægero in puncto SS. Trinitatis 530
Theologia *Germanica.* liber non parum laudatus à Luthero & Arndio; ejusque per illum prima publicatio 510-512
— Editio illius Poireti Gallica prima, altera titulo *Theologiæ realis sive Germanicæ*, ejus contenta 29), 30)
Theologia *Mystica.* Vid. *Mysticus.* de ejus scopo verba Ursini Ratisbon. 252
— quid de ea ediderit Poiretus 253
— de falsa cujus Poiretum cum suspicionibus accusat sanguinariis Jægerus 255, 256
Praxis Theologicæ Mysticæ veræ, liber à Poireto publicatus. ejus contenta 37)
Theologia sacra *Orationis*, edita à Poireto; ejus contenta 38)
Theologia *pacifica sive Comparativa*, libellus: ejus Auctor, occasio, scopus & argumentum; & quare Jægero exosus. 648, 649
— substantia opusculi 649, 650
— quam dire in ipsum ejusque Auctorem sæviat Jægerus 200
— arguit Poiretum quod libellum laudaverit, de ingenti injuria in Deum 664
— oppositiones ejusdem & invectiones in eum perabsurdæ 649-665
— quam nulla sit ejus condemnatio atrox 650, 651
Theologiæ *pacificæ* itemque *Mysticæ* ac *hujus Auctorum Idea* brevior, liber editus à Poireto 34), 35)
Theologia *Præsentiæ Dei*, liber publicatus à Poireto 37), 38)
Theologia *sectaria.* ejus indoles (51)
Theresia. ejus puritas & sanctitas 667
Jægeri in eam auctore Cancell. Osiandro criminatio 252. 667
an magna odia evomuerit contra primos Reformatores 667, 668
THOMASIUS (Christianus Juris Consultus)
de ejusdem sibi oppositis Dissertationibus in libros de Eruditione 90-93. 94, 95. 774, 775
— conclusio posterioris ironica & contradictoria 174, 175
ejus prætextus mutationis suæ sententiæ de Burignonia, deque Poireto, quam sint nulli 162-170
— quæ probabiliter ex præcipuis hujus rei sint causæ 170. 175. 776, 777
— de mutabilitate ejus respectu Mysticorum 166, 167
— — ejusmodi mutabilitatis rationes veriores 775
quid Poireto objiciat, Methodoque inveniendi Verum 88, 89. 92, 93. 774
— hujus defensio contra eundem 111-124. 147-175
—— illiusque defensionis argumenta 92, 93
— responsio ad ejus vellicationes Regularum Methodi 125-146. 775
Poiretum Enthusiasmi absolvit; sed ejus Methodum ad eum ait adducere 152
— refutantur quæ eam in rem affert 152-162
— an Enthusiastæ & Tremuli qua tales Methodi Regulis uti possint 156-159
Tillemontii Commentarii Historiæ Eccles. laudantur 31
Tractus Patris 361
hujus sequelæ in obtemperantibus ei & non obtemperantibus 366, 367
Transsubstantiatio. quomodo Poiretus de ejus veritate convictus fuerit 294
Tremuli. de eorum modis agendi 157-159
TRINITAS SS. (Vid. *Deitas* CHRISTI. *Ge-*

Trinitas.
Generatio Filii Dei. SPIRITUS S. *Theologia Christiana.*) 8. 19. 20
cognitio ejus duplex, tum rationalis & idealis; 17
— tum viva, realis & divina quæ sola salvat *ibid.*
— via ad hanc Sanctis omnibus calcata cunctaque tollens diffidia 17, 18
Trinitas practica 542
Martyrum, Actorumque Martyrii eorum, de SS. Trinitate Testimonia 26. 27. 29. 30. 33, 34, 35. 39. 41. 52. 57. 58. 62. 64. 67. 68. 74. 75. 77. 79. 84.
Deus *Pater* quid sit, de eo teterrimæ imputationes 519
— unde Poireti sensa de hisce haurienda 519, 520
— imputationes illas esse falsas palam ostenditur 520
— eæ non possunt non esse suspectæ, duplex vel triplex falsum in fronte gerentes 520-522
— Poireti in hisce integritas, institutum & scopus 522
— quam inique isthæc in crimina horrenda vertantur 523
— calumnia impacta de tenebris in Deo Patre Poireti verbis refellitur 723-725
modi varii SS. Trinitatem incomprehensibilem pro modulo nostro imperfectissimo concipiendi 523
1. eorum qui Deum concipiunt ut fertilem & volentem habere sui imaginem essentialem 523, 524
2. aliorum qui Deum concipiunt ut est supra omnem comprehensibilitatem præeunte Scriptura 524
— sic tenebras Deo tribuunt multi & ipsa Scriptura 524, 525
3. considerando SS. Trinitatem modo relato ad mentem hominis, & tria quæ in ea sunt 525
— ab Augustino, Scholasticis & Luthero ita explicatur SS. Trinitas 201
4. considerando item modo relato ad naturam v. g. hominis desiderantis & generantis filium similem in quo lætetur 525, 526
— simili hoc dilucidantur quæ de desiderii vacuitate & anxietate dicta sunt 526
— in Deo considerari possunt quædam tum dissimilia; actu quippe in eo nec sunt nec esse possunt tenebræ 526, 527
— tum similia per conceptus abstractivos quos nec Scriptura nec Theologi respuunt 527, 528 769, 770
— quam absurdum sit in ista debacchari 527, 528
— rationes Jægeri sophisticæ quibus probare vult, dicta de hisce non esse meros conceptus abstractivos, retunduntur 530-532
— tales de SS. Trinitate cogitationes non inutiliter proponi 529
— iis destrui Socinianismum 770
— perque ea Jægeri objectata evanescere 529. 770
— de locutionibus & cogitatis Boëmii de hisce 529
quare sanctiores nonnulli particularia de hoc Mysterio urgenda nolint 541
— & quo sensu dicant tres *Personas* in Deo non esse 541, 542
articulus de SS. Trinitate qui sit essentialis 546
effatum Jægeri de ea perabsurdum 546, 547

V.

Ubiquitas. ex Jægeri sententia de ubiquitate quid consequatur 213. 398, 399. 550, 551
Verbum.
Verbum, *vox.* licet in sacris uti verbis quæ in Scripturis non sunt 533

Ver-

Verbum.
Verbum *Dei.* ſententia, Verbi & Sacramentorum efficaciam à Miniſtro pendere, Poireto falſe imputatur à Jægero 276-278
— doctrina de Verbi adminiſtratione ejusque efficacia ſimilitudine explicatur 278
— Auctoritates huc facientes ex Hieronymo & Caſſiano 279, 280
— — item ex Luthero & Libro Concordiæ 280
— — & ex Arndio 280, 281
— Jægeri circa hoc ſubjectum barbara concluſio ex Phil. 1. v. 16. 278, 279
Verbum *Dei externum.* qua tale, quid 235. 419. 662, 663
turbæ & criminationes Jægeri de eo ſibi ipſi contradicentes 661-664
an eo opus ſit ut communicentur operationes Dei internæ. diſtinguitur 233
— cum Chryſoſtomo & Auguſtino 233-235
an ei operationes Dei inſeparabiliter junctæ ſint 235, 236
— non eſſe ei junctas probant factis ſuis adverſarii 236-238
in quibus Spiritus S. ejusque effectus cum eo uniti ſint 245
non eſt unicum ſalutis medium, prout falſe aſſerit Jægerus 414-416
error illius, Spiritum S. non ſine eo, nec inſeparabiliter ab eo, in & cum eo agere 419
quomodo & in quibus Spiritus S. per illud operetur, ſed & ſine eo 419-421
zizaniorum filii poſt Verbum auditum cæci manent ac corrupti, & non raro pejores fiunt 421, 422
Vid. *Tactus Dei. Pulſus.*
Verbum *Dei internum* 197
— eo operationeque Dei immediata negat Jægerus opus eſſe ad credendum 220
— cautelæ pro bonis ne cum irriſoribus hæc irrideant 238-240
Verbum *Patris internum* 361
Verba interna, locutiones internæ. Vid. *Internus.*
Veritas. Verum. Veritatis inquirendæ methodus duplex 100-102
in Veritate quærenda non à nugatoriis, verum à ſolidis ordiendum eſt 130-132
Veritatis antagoniſtarum technæ ad denigrandos quibus male volunt 447, 448
Methodus inveniendi Verum, tractatus Poireti & cui rei ſcriptus ſit 101
— qua de re in eo agatur, ejusque epitome 141. 156
— Cl. Thomaſii de eo judicium prius 110
— illius poſterius judicium; inque hoc quid Poireto imputet 111, 112
— — ejus refutatio 112-124
— Vid. *Thomaſius.*
Via Vid. *Methodus.*
Via *fidei* ſive *cordis* Deo *credentis*; ejusque effectus 1, 2
— Via fidei peſſime à via *amoris* diſtinguitur, eique opponitur 655, 656
Via *Rationis ratiocinantis*, in divinis infructuoſa 2
Via *ad Eruditionem veram* 96
— ad *falſam* & *triplicem Epicuream* *ibid.* 97
Virtus. Vid. *Sanctitas.*
Virtutis & vitii principia ſecundum Lockium quæ 173
Virtutes *Gentilium* an fuerint ex fide & ad gloriam Dei 595
— exemplum Epicteti 595, 596
— — Socratis 597-601
Virtutum Chriſtianarum inſinuatio facilis, tractatulus à Poireto editus 33)
Vita æterna. non niſi per viam anguſtam malique mortem ad eam dari ingreſ-

Vita æterna.
greſſum, negat Jægerus 620
—— exemplum latronis in cruce hic male affertur 624, 625
Vitium. Vid. *Virtus.*
Unio cum Deo. Vid. *Homo. Impuritas.*
Unio cum Deo *perſonalis* & *ſubſtantialis* 681
Vox. Vid. *Verbum.*
Vox Patris, Dei 361. 420

W.

WEigelius. optimum pro eo præjudicium, quodnam 448, 449
de odio in eum Jægeri 680
loca è Weigelio de juſtificatione & juſtitia noſtra immerito à Jægero notata. (Vid. Juſtificatio.) 448
Wernerus. Sanctus Profugus, ſive *Vita & mors exemplaris Werneri***. publicatus à Poireto libellus (30)
Weyerus (Matthæus) 370. 451
quis & qualis ille fuerit; & num quid ediderit 668, 669
Weyerus.
falſò ei imputat Jægerus monſtroſum dogma de ſubſtantia creaturæ in Dei eſſentiam mutandæ 669, 670
cauſa odii Jægeri in eum 670

Z.

ZElus. Zelus *Judaicus.* 422, 423
Zelus *ſectarius* Langii. ejus impotentia (34)
—— ejusdem durities incredibilis (35)
Zimmermannus. (ſive Mgr. Joannes Matthæus)
ejus apologia contra Holtzhauſium pro Boëmio, laudata 674
Zizania. Vid. *Verbum externum.* 367
Zizaniorum filii & falſi inter eos prophetæ cum ſua doctrina adulatoria 374, 375
—— quare vera doctrina iis, mercenariisque non ſapiat 377

FINIS.

IN TITULO.

pagina versâ l. 5. firmitate. *lege* firmitatem

IN PRÆFATIONE

pag. (13)	*lin.* 8. hausisse, *lege* ex Scriptis ejus hausisse		
(23)	*ult. in margine* p. 48. — p. 4. 8.		
(24)	*ult. dele* ut		
(27)	18	exspectet	exspectat
	8	*marg.* Tom. IV.	Tom. VI.
(28)	4	*dele* a	
(39)	2	&	est
(47)	9	in omnibus	uti in omnibus
(53)	4	quæ in	quas in
(55)	8	*epriuit*	*eripuit*

IN POSTHUMIS.

14	13	ἰθολογῶν	ἰθεολογῶν
26	30	est, quod horum	est, horum
54	*ult.*	ut potius	*dele* ut
58	6	opponeret	cum opponeret
87	*ult.*	non parum	*dele* non
107	*antep.*	Deum	Dei
112	10	septimæ viæ	septima vice
114	9	totos	toti
132	29	quærendæ	quærenda
135	2	*dele* sibi	
187	30	quovis non posset excipi : *hæc in sequentem lineam inter* simo *&* dicor *transponenda sunt.*	
215	2	*post* potiamur; *add.* monstra hæc esse protinus,	
234	21	τοῦ	τὸ
246	4	ratificatæ	rectificatæ
251	8	CONTRA	CENTRO
253	*ult.*	Lit. C.	Lit. E.
272	2	eousque	eosque
286	16	ut multi	& multi
304	19	*eximiis*	*ex imis*
311	22	adjuncti	adjunxi
	10.	*marg.* (*a*) Lib. Conc.	(*a*) Exam Th. N.
	13.	*marg.* (*b*) Ibid.	(*b*) Lib. Concord.
383	14	& aliam	& aliam vitam
388	6	fecerim	fuerim
421	12	*si ab*	*hi ab*
437	26	Dei,	Dei *assumatur*,
536	13	incorporeis	in corporeis
571	29	*confirmitas*	*conformitas*

pag. 615	32	delectorum	deletorum
636	5. *marg.*	984	684
650	*antep.*	*etiam*	*etiamſi*
666	1	repleviſſe, &	repleviſſe, niſi &
703	35	*illius*	*ullius*
724	29	*valens*	*volens*
	30	*careres*	*careret*
727	29	*deleatur* 31. *cum lemmate in marg.*	
728	*antep.*	Fallit	31. Fallit *&* *adde lemma* 31. *de pag.* 727.
774	10	præcipuum	præcipuam rationem
777	*ult.*	cujusque	ejusque
796	9	*pone*; *poſt* obſcurentur;	
	34	patronum	patronam
802	9	Ac Deo	A Deo
808	17	, deinde	. Deinde
817	17	eorum	coram
829	b. *penult.*	ipſa	in ipſa
830	*b* 9	cum ipſi	cum Poireto ipſi

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Poiret, Pierre,

Posthuma

Amstelodami 1721

4 Polem. 2371 m
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10690001-5